

SANCTI AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERA

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM
CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICANOS, VATICANOS, ANGLICANOS, BELGICOS, ETC.
NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES

CURA ET STUDIO MONACHORUM

ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI



Prima editio Neapolitana

POST BASSANENSEM ADORNATA

CUM SUPPLEMENTIS NUPER VINDOBONÆ REPERTIS ET EXPLANATIONE SYMBOLI AUCTORE S. NICEA V. SÆCULO SCRIPTA ATQUE ROMÆ NUPERRIME INVENTA NEC NON ALIIS NOVISSIME REPERTIS:

TOMUS UNDECIMUS

NEAPOLI
IMPENSIS BIBLIOTHECÆ LITTERARIÆ IN PLATEA TRINITÀ MAGGIORE N.° 6,7,8.
MDCCCLIV

IN UNDECIMUM TOMUM

PRÆFATIO

Exhibentur hoc Undecimo Volumine quindecim *de Trinitate* libri, quibus Arianorum passim argumenta refelluntur. Ceterum Erasmi de hoc egregio opere censura satis arguit, eum nonnisi leviter in eorumdem librorum lectione fuisse versatum. Non immoramur confutandæ hominis præcipiti sententiæ, rati sufficere antidoti loco Cassiodori judicium, qui de his libris ita censuit in libro Institutionem c. 16. *S. Augustini quindecim libri*, *quos de sancta Trinitate mirabili profunditate conscripsit*, *curiosa vobis intentione meditanti sunt*. Augustinus quidem modeste, pro suo more, de hoc opere loquitur, aitque id argumenti a se non fore tractandum, si Græcorum Patrum opera hac de re conscripta in latinum eloquium translata fuissent, aut si quis alius difficultates sibi propositas solvere et illustrare voluisset. At nihil de hujusce operis dignitate detrahere debet modesta id genus auctoris professio. Et certe qui res theologicas his temporibus accuratius investigarunt, fatentur neminem ante Augustinum satis explicasse invisibilitatem Filii Dei contra Arianos, nec objectas ab eis difficultatum umbras tanto cum lumine dispulisse. Unde Græcis ita admirabile visum est istud opus, ut illud suæ gentis hominibus proprium fecerint.

Hinc damus quæstionum libros quosdam, in quibus sunt nominandi præ ceteris libri *ad Simplicianum*, Augustino jam episcopo cum illos edidit, quam dignissimi. Nam qui prius de fidei et gratiæ donis non recte senserat in scriptionibus aliquot suis, hoc in opere sub exordium episcopatus sui scripto resipiscens emendavit abjecitque errorem suum, *Apostolico præcipue*, sicuti in libro de prædestinatione sanctorum profitetur, *convinctus testimonio*, ex 1. Cor. 4. 7. quod nihilo minus divino muneri ac revelationi tribuendum Vir sanctus ibidem agnoscit. Quamquam ergo illa ad Simplicianum disputatione rem alicubi verset in utramque partem, dubitanti parum dissimilis, (quod profecto disputandi genus lectorem postulat sagacem vigilantemque:) attamen se jam tum, *ante quam Pelagiana hæresis appareret*, sic disseruisse dicit de dono perseverantiæ scribens, ut neque *remanserit aliquid*, *quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari*, et *satis egerit etiam initium fidei esse donum Dei*, ntque *ex iis quæ ibi dicta sunt*, *consequenter eluceat*, *etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari*, *qui nos prædestinavit in suum regnum et gloriam*.

Finitis quæstionibus series incipit Opusculorum, quæ ad mores magis adtinent. Primum ex his librum *de Fide rerum quæ non videntur*, restitutum imus Augustino, cui perperam fuerat Erasmi et Lovaniensium Theologorum sententia ereptus. Subsequitur Opusculum *de Fide et Symbolo*, quod Hipponensis concilii Episcopis acceptum referre debemus, quorum jussione Augustinus episcopalibus nondum infulis exornatus id argumenti tractavit in illo totius Afri-

cæ *plenario* consessu; quem etiam Tractatum amicis studiosissime instantibus in librum redigere compulsus est. Proxime adjungitur liber *de Fide et Operibus*, in eos publicatus, qui sentiebant et omnes citra discrimen admittendos ad baptismum, et præcepta morum nonnisi post baptismum tradenda, et demum baptizatos Christianæ fidei merito salvandos esse, etiamsi mores quantumlibet iniquos numquam mutarint. Quam tertiam opinionem cum perniciosissimam judicaret S. Doctor, convellendam suscepit non semel, sed manu amica semper et pacifica; quia profectam ab auctoribus haud dubie catholicis ac piis: quibus dum occurrit in lib. 21. de Civitate Dei c. 17. *Nunc jam*, ait, *cum misericordibus nostris agendum esse video et pacifice disputandum*. Hinc longe abesse non oportuit *Enchiridion*, quo doctrina traditur, *de Fide, Spe, et Caritate:* opus vere aureum, nocturna et diurna manu versandum. Liber *de Agone Christiano* eodem fere spectat, *fidei Regulam continens præcepta vivendi*. Hos de Fide libros excipit Opus *de Catechizandis rudibus*, editum rogatu diaconi Carthaginensis Deogratias, ad quem sæpius primis fidei elementis imbuendi deducebantur sacrarum litterarum rudes. Succedunt simul cum Tractatu *de Continentia*, quæ materiæ et argumenti sui affinitate conjunctæ sunt inter se lucubrationes, *de bono conjugali, de sancta Virginitate, de bono Viduitatis*.



ADMONITIO

IN LIBROS

DE TRINITATE.

Prolixum de Trinitate opus per annos non paucos in manibus habuit Augustinus; cum illud, ut ipse ad Aurelium scribit, juvenis inchoarit, senex ediderit. Quippe id facile intermittebat, quoties alii cuipiam incumbendum erat operi, quod pluribus profuturum existimabat; ratus istud operosius et minus utile quam pleraque alia, quod res minus necessarias et a paucioribus intelligendas contineret. Hunc laborem suscepit in eorum potissimum gratiam, qui fidei auctoritatem non recipientes, mysteriorum veritatem ratione demonstrari sibi volebant. Cum enim in sacrarum rerum meditatione, cui se maxime deditum vir sanctus in lib. 1. *cap.* 2. *profitetur, plura in dies et altiora divino illustratus lumine detegeret, non patiebatur caritas ipsum, quæ ex Dei dono accepisset, aliis denegare. Sperabat siquidem fore, ut aliis ministrando quæ legerent, ipse quoque proficeret, ac aliis cupiens respondere quærentibus etiam ipse id quod quærebat inveniret.* Ergo suscepi, *ait lib.* 1. *cap.* 5. hæc, jubente atque adjuvante Domino Deo nostro, non tam cognita cum auctoritate disserere, quam ea cum pietate disserendo cognoscere. *Testatur in* 3. *libri exordio, stilum se perlibenter fuisse suppressurum, si res hujusmodi a Latinis invenirentur explicatæ, aut Græci quid de iis rebus tractarunt, essent latine redditi, aut alii denique curam respondendi quæstionibus ipsi propositis,* quas *ait,* pro persona mea quam in servitio Christi gero, necesse est me pati, *vellent suscipere.*

Argumentum suum variasque propositas circa id quæstiones et difficultates hoc ordine pertractat. In libro I. Summæ Trinitatis unitatem et æqualitatem demonstrat ex Scripturis: earum testimonia quæ contra Filii æqualitatem perperam objectantur, quomodo interpretanda sint secundum catholicam fidem, ostendit.

II. Eamdem Trinitatis æqualitatem asserit, probans nihil obstare quæ de Filii missione ac Spiritus-sancti, deque variis Dei apparitionibus dicuntur in Scripturis. Trinitatem enim totam in sua natura immutabilem, invisibilem, ubique præsentem, in missione qualibet vel apparitione inseparabiliter operari.

III. Quærit an in prædictis Dei apparitionibus corporea tantummodo creatura formata sit, in qua Deus humanis ostenderetur adspectibus, an angeli jam ante exsistentes ita sint missi, ut ex persona Dei loquerentur, sive per corporalem speciem de corporea creatura assumptam, sive per suum ipsorum corpus in quas vellent species conversum: ita ut ipsa Dei essentia numquam per se ipsam visa fuerit.

IV. Docet ad quid missus sit Filius Dei. Ceterum Filium Dei, quamvis missione factus sit minor, non ideo esse minorem quia misit eum Pater, nec ideo minorem Spiritum-sanctum quia et Pater eum misit et Filius.

V. Pergit ad refellenda hæreticorum argumenta illa, quæ jam non e divinis libris, sed e suo sensu proferunt. Ac primum quod objectant gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, substantias esse diversas, refellit, ostendens ista de Deo non secundum substantiam dici, sed relative.

VI. In eos qui contra Filii æqualitatem disputant ex eo quod Christus ab Apostolo dictus sit Dei virtus et Dei sapientia, *quæstionem proponit, an non et ipse Pater sapientia sit. Cujus tantisper dilata solutione, adhuc probat unitatem et æqualitatem Patris, Filii, ac Spiritus-sancti, et non Deum triplicem, sed Trinitatem dici et credi oportere. Tum explicat dictum Hilarii:* Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.

VII. Quæstionem, quæ dilata fuerat, resolvit, docetque Patrem, Filium, et Spiritum-sanctum esse unam virtutem et unam sapientiam, non secus atque unum Deum et unam essentiam. Quærit postea quomodo dicatur in Deo a Latinis una essentia, tres personæ; *a Græcis* una essentia, tres substantiæ vel hypostases.

VIII. Ratione etiam reddita monstrat, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam Spiritum-sanctum, nec quoslibet duos simul in eadem Trinitate majus aliquid quam unum, nec omnes simul tres majus aliquid quam singulos. Admonet ut ex veritatis intellectione, ex notitia summi boni, et ex insito amore justitiæ, intelligatur natura Dei; præsertim vero ut ipsius cognitio quæratur per caritatem, in qua tria quædam velut Trinitatis vestigium inesse observat.

IX. Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quamdam inveniri docet, mentem, et notitiam qua se novit, et amorem quo se notitiamque suam diligit; et hæc tria esse inter se æqualia et unius essentiæ.

X. Aliam in hominis mente evidentiorem reperiri trinitatem, in memoria scilicet, intelligentia, et voluntate.

XI. Etiam in exteriori homine Trinitatis aliqua vestigia, veluti in corporali visione, deprehendi.

XII. Præmissa distinctione sapientiæ a scientia, ostendit in ea quæ proprie scientia dicitur, quamdam trinitatem: quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei sit appellanda.

XIII. Repertam in scientia trinitatem exponit per commendationem fidei Christianæ.

XIV. De sapientia hominis vera dicit, qua videlicet meminit, intelligit, et diligit Deum: ostendit quod in eo ipso sit homo imago Dei secundum mentem; quæ quidem hic renovatur in agnitione Dei, tunc vero erit in ea imagine perfecta Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio.

XV. Quidquid superioribus exposuit, compendiario sermone complectitur: ac postremo Trinitatem, in cujus perfecta visione nobis beata vita promittitur, ostendit a nobis hic videri tamquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei quod nos sumus.

Hosce libros in Retractationibus collocat inter opuscula circiter annum Christi 400. *conscripta, quia illos eo tempore inchoavit. In epistola* 120. *ad Consentium anno* 410. *missa, n.* 13. *meminit operis de Trinitate, quod in manibus habebat, et ob argumenti præstantiam ac difficultatem nondum perficere potuerat. In* 162. *ad Evodium, quæ ad annum* 414. *pertinet, scribit n.* 2. *se libros de Trinitate nondum edidisse: et in* 169. *ad eumdem epistola, quæ exeunte anno* 415. *scripta est, se nondum illos complevisse n.* 1. *testatur. Ex*

epistola 143. *ad Marcellinum data sub finem anni* 412. *licet intelligere n.* 1. *amicos ab eo flagitasse, ut hos libros publicaret; ipsum contra diutius eos retinuisse, quam vellent et ferrent. Unde conjicias priorem ipsum publicationem, quæ opere necdum absoluto facta est, non præcessisse annum* 412. *Constat autem alteram nonnisi longo post tempore factam, cum ipse in libro* 13. *citet illud quod scripserat in* 12. *de civitate Dei, qui ante annum* 416. *perfectus non fuit. Libro* 15. *citat Tractatum* 90. *in Joannem. Ad istud opus Prosperum remittit lib. de prædestinat. SS. c.* 8. *ratus id jam in Galliis haberi.*

Cassiodorus Senator in Institut. c. 16. *laudat quindecim libros,* quos *Augustinus* de sancta Trinitate mirabili profunditate conscripsit, curiosa intentione meditandos. *Eosdem libros e Latino sermone in Græcum transulit Maximus Planudes monachus, qui sub Andronico seniore vivebat circiter an.* 1350. *Demetrius vero Cydonius sub Johanne Cantacuzeno, capita aliquot vertit ex ejusdem sermonibus. Has versiones Romæ asservari in bibliotheca Vaticana, testatur Possevinus in Apparatu. Vidimus Indicem MS. codd. Græc. biblioth. Vatic. qui est penes V. C. Antonium Faure Doct. Theolog. Parisiens. et similem alium in codice Colbertinæ bibliotecæ* 5125. *in quibus hæc leguntur:* Τῦ μακαριωτάτυ Αυγυστίνυ ἐπισκόπυ ἱππῶνος περὶ Τριάδος Βιβλία πέντε πρόος ταῖς δέκα, ἅπερ ἐκ τῆς Λατίνων διαλέκτυ εἰς την Ελλάδα μετηνεγκεν ὁ σοφώτατος καὶ τιμιώτατος μοναχῶν Μάξιμος Πλανύδης. *Item,* Τῦ μακαρίυ Αυγυςίνυ ἐπισκόπυ ἱππῶνος κεφάλαια ἐκ τῶν αὐτῦ λόγων παρεκβληθέντα ἐκ τῆς Λατίνων διαλέκτυ εἰς την Ελλάδα μετηνεγκε Δημήτριος ὁ Κυδώνης, *Vide Allatium lib.* 2. *de utriusque Ecclesiæ consensione cap.* 17. §. 4.

EX LIBRO RETRACTATIONUM II. CAPUT XV.

1. Libros de Trinitate, quæ Deus est, quindecim scripsi per aliquot annos. Sed cum eorum duodecimum nondum perfecissem, et eos diutius tenerem quam possent sustinere qui vehementer illos habere cupiebant, subtracti sunt mihi minus emendati quam deberent ac possent, quando eos edere voluissem. Quod postea quam comperi, quia et alia eorum apud nos exemplaria remanserant, statueram eos jam ipse non edere, sed sic habere ut in alio aliquo opusculo meo quid mihi de his evenerit dicerem: urgentibus tamen fratribus, (a) quibus resistere non valui, emendavi eos a quantum emendandos putavi, et complevi et edidi, adjungens eis a capite epistolam quam scripsi ad venerabilem Aurelium episcopum Carthaginensis ecclesiæ: quo tamquam prologo exposui et quid accidisset et quid facere eam cogitatione voluissem, et quid fratrum caritate compellente fecissem.

2. In quorum libro undecimo cum de corpore visibili agerem, dixi, *Quocirca id amare alienari est.* Cap. 5. Quod secundum eum amorem dictum est, quo aliquid sic amatur, ut eo fruendo existimet beatum se esse qui hoc amat. Nam non est alienari, in laudem Creatoris amare speciem corporalem, ut ipso Creatore fruens quisque vere beatus sit. Itemque in eodem, ubi dixi, *Nec avem quadrupedem memini, quia non vidi: sed phantasiam talem facillime intueor, dum alicui formæ volatili, qualem vidi, adjungo alios duos pedes, quales itidem vidi:* Cap. 10. hæc dicens non potui recolere volatilia quadrupedia, quæ Lex commemorat. Neque enim computat in pedibus duo posteriora crura quibus locustæ saliunt, quas dicit mundas, et ideo discernit eas ab immundis talibus volatilibus, quæ Levit. 11. 20. non saliunt illis cruribus, sicut sunt scarabæi. Omnia quippe hujusmodi volatilia quadrupedia vocantur in Lege.

3. In duodecimo velut expositio verborum Apostoli, ubi ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est,* Cap. 10. 1. Cor. 6. 18. non mihi satisfacit: nec sic puto intelligendum quod dictum est, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat;* tamquam ille hoc faciat, qui propter adipiscenda ea quæ per corpus sentiunt, ut in his finem boni sui ponat, aliquid agit. Hoc enim longe plura peccata complectitur, quam illa fornicatio quæ concubitu perpetratur illicito, de qua locutum, cum hoc diceret, Apostolum apparet. Hoc opus, excepta (b) Epistola quæ postmodum ad ejus caput b adjuncta est, sic incipit: *Lecturus hæc quæ de Trinitate disserimus.*

(a) MSS. quatuor quia.
(b) Inter Augustinianas CLXXIV. Tom. 2.

DOMINO BEATISSIMO
ET SINCERISSIMA CARITATE VENERANDO SANCTO FRATRI ET CONSACERDOTI PAPÆ AURELIO, AUGUSTINUS IN DOMINO SALUTEM.

De Trinitate, quæ Deus summus et verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi. Omiseram quippe hoc opus, postea quam comperi præreptos mihi esse sive subreptos ante quam eos absolverem, et retractatos, ut mea dispositio fuerat, expolirem. Non enim singillatim, sed omnes simul edere ea ratione decreveram; quoniam præcedentibus consequentes inquisitione proficiente nectuntur. Cum ergo per eos homines, qui prius quam vellem ad quosdam illorum pervenire potuerunt, dispositio mea nequivisset impleri, interruptam dictationem reliqueram, cogitans hoc ipsum in aliquibus meis scriptis conqueri, ut scirent, qui possent, non a me fuisse eosdem libros editos, sed ablatos prius quam mihi editione mea digni viderentur. Verum multorum fratrum vehementissima postulatione, et maxime tua jussione compulsus, opus tam laboriosum, adjuvante Domino terminare curavi: eosque emendatos, non ut volui, sed ut potui, ne ab illis qui subrepti jam in manus hominum exierant, plurimum discreparent, venerationi tuæ per filium nostrum condiaconum carissimum misi, et cuicumque audiendos, describendos, legendosque permisi: In quibus si servari mea dispositio potuisset, essent profecto etsi easdem sententias habentes, multo tamen enodatiores atque planiores, quantum rerum tantarum explicandarum difficultas et facultas nostra pateretur. Sunt autem qui primos quatuor vel potius quinque etiam sine procemiis habent, et duodecimum sine extrema parte non parva: sed si eis hæc editio potuerit innotescere, omnia si voluerint et voluerint, emendabunt. Peto sane ut hanc epistolam, seorsum quidem, sed tamen ad caput eorumdem librorum jubeas anteponi. Vale. Ora pro me.



SANCTI

AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE TRINITATE

LIBRI QUINDECIM *

* Inchoati versus annum 400, absoluti circiter an. 416.

LIBER PRIMUS

In quo secundum Scripturas sacras ostenditur unitas et æqualitas summæ Trinitatis, et quædam loca contra Filii æqualitatem allata diluuntur.

CAPUT I. Scribit contra eos qui ratione abutentes calumniantur fidem Trinitatis.

LECTURUS hæc quæ de Trinitate disserimus, prius oportet ut noverit stilum nostrum adversus eorum vigilare calumnias, qui fidei contemnentes initium, immaturo et perverso rationis amore falluntur. Quorum nonnulli ea quæ de corporalibus rebus, sive per sensus corporeos experta(a) noverunt, sive quæ natura humani ingenii et
a diligentiæ vivacitate vel artis adjutorio perceperunt, ad res incorporeas et spiritales transferre conantur, ut ex his illas metiri atque opinari velint. Sunt item alii qui secundum humani animi naturam vel affectum de Deo sentiunt, si quid sen-
b tiunt, et ex hoc errore, cum de Deo disputant, (b)
c sermoni suo distortas et fallaces regulas(c) figunt. Est item aliud hominum genus, eorum qui universam quidem creaturam, quæ profecto mutabilis est, nituntur transcendere, ut ad incommutabilem substantiam, quæ Deus est, erigant intentionem; sed mortalitatis onere prægravati, cum et videri volunt scire quod nesciunt, et quod volunt scire non possunt, præsumptiones opinionum suarum audacius affirmando, intercludunt sibimet intelligentiæ vias, magis eligentes sententiam suam non corrigere perversam, quam mutare defensam. Et hic quidem omnium morbus est trium generum quæ proposui; et eorum scilicet qui secundum corpus de Deo sapiunt, et eorum qui secundum spiritalem creaturam, sicuti est anima, et eorum qui neque secundum corpus, neque secundum spiritalem creaturam, et tamen de Deo falsa existimant, eo remotiores a vero, quo id quod sapiunt, nec in corpore reperitur, nec in facto et condito spiritu, nec in ipso Creatore. Qui

Error disputantium de Deo ex triplici caussa.

A enim opinatur Deum, verbi gratia, candidum vel rutilum, fallitur; sed tamen hæc inveniuntur in corpore. Rursus qui opinatur Deum nunc obliviscentem, nunc recordantem, vel si quid hujusmodi est, nihilo minus in errore est; sed tamen hæc inveniuntur in animo. Qui autem putat ejus esse potentiæ Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritalis nec corporalis creatura: nulla enim omnino res est quæ se ipsam gignat ut sit.

2. Ut ergo ab hujusmodi falsitatibus humanus animus purgaretur, sancta Scriptura parvulis congruens, nullius generis rerum verba vitavit, ex quibus quasi gradatim ad divina atque sublima noster intellectus velut nutritus assurgeret. Nam et verbis ex rebus corporalibus sumptis usa est, cum de Deo loqueretur: velut cum ait, *In*
B *tegmine alarum tuarum protege me*. Et de spiritali creatura multa transtulit, quibus significaret illud quod ita non esset, sed ita dici opus esset: sicuti est, *Ego sum Deus zelans: et, Pœnitet me hominem fecisse*. De rebus autem quæ omnino non sunt, non traxit aliqua vocabula, quibus vel figuraret locutiones, vel (d) spissaret d
ænigmata. Unde perniciosius et inanius evanescunt, qui tertio illo genere erroris a veritate secluduntur, hoc suspicando de Deo, quod neque in ipso, neque in ulla creatura inveniri potest. Rebus enim quæ in creatura inveniuntur, solet Scriptura divina velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorum ad quærenda superiora et inferiora deserenda, pro suo modulo

Scriptura sacra remotis falsitatibus evehit gradatim ad divina.

Psal. 16. 8.

Exod. 20. 5.
Gen. 6. 7.

(a) MSS. novemdecim, *notaverunt*.
(b) MSS. duo Vat. *sermone*.
(c) *Figunt*, in MSS. quinque reperimus; in Editis autem, *fingunt*.
(d) Editi, *spiraret*. At MSS. plerique, *spissaret*.

tamquam passibus moveretur affectus. Quæ vero proprie de Deo dicuntur; quæque in nulla creatura inveniuntur, raro ponit Scriptura divina; sicut illud quod dictum est ad Moysen, *Ego sum qui sum; et, Qui est, misit me ad vos.* (Exod. 3. 14.) Cum enim esse aliquo modo dicatur et corpus et animus, nisi proprio quodam modo vellet intelligi, non id utique diceret. Et illud quod ait Apostolus, *Qui solus habet immortalitatem:* (1. Tim. 6. 16.) cum et anima modo quodam immortalis esse dicatur et sit, non diceret, *solus habet*, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura; quoniam solius est Creatoris: (Immortalitas vera.) Hoc et Jacobus dicit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio.* (Jacobi 1. 17.) Hoc et David: *Mutabis ea, et mutabuntur, tu vero idem ipse es.* (Psal. 101. 27.)

(Fide nutrimur, ut habiles ad divina capienda efficiamur.) 3. Proinde substantiam Dei sine ulla sui commutatione mutabilia facientem, et sine ullo suo temporali motu temporalia creantem, intueri et plene nosse difficile est: et ideo est necessaria purgatio mentis nostræ, qua illud ineffabile ineffabiliter videri possit: qua nondum præditi, fide nutrimur, et per quædam tolerabiliora, ut ad illud capiendum apti et habiles efficiamur, itinera ducimur. Unde Apostolus in Christo quidem (Col. 2. 3.) dicit esse omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos; eum tamen quamvis jam gratia ejus renatis, sed adhuc carnalibus et animalibus, tamquam parvulis in Christo, non ex divina virtute in qua æqualis est Patri, sed ex humana infirmitate ex qua crucifixus est, commendavit. Ait namque, *Neque enim judicavi me scire aliquid in vobis nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* (1. Cor. 2. 2.) Deinde secutus ait, *Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos.* Et paulo post dicit eis, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam: nondum enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis.* (1. Cor. 3. 1.) Hoc cum dicitur quibusdam, irascuntur, et sibi contumeliose dici putant; et plerumque malunt credere eos potius, a quibus hoc audiunt, non habere quod dicant, quam se capere non posse quod dixerint. Et aliquando asserimus eis rationem, non quam petunt cum de Deo quærunt; quia nec ipsi eam valent sumere, nec nos fortasse vel apprehendere vel proferre: sed qua demonstretur eis quam sint inhabiles minimeque idonei percipiendo quod exigunt. Sed quia non audiunt quod volunt, aut callide nos agere putant ut nostram occultemus imperitiam, aut malitiose quod eis invideamus peritiam; atque ita indignantes perturbatique discedunt.

CAPUT II. De Trinitate quomodo hoc in opere disserendum.

4. QUAPROPTER adjuvante Domino Deo nostro suscipiemus et eam ipsam quam flagitant, quantum possumus, reddere rationem, quod Trinitas sit unus et solus et verus Deus, et quam recte Pater et Filius et Spiritus-sanctus unius ejusdemque substantiæ vel essentiæ dicatur, credatur, intelligatur; ut non quasi nostris excusationibus illudantur, sed re ipsa experiantur, et esse illud summum bonum quod purgatissimis mentibus cernitur, et a se propterea cerni comprehendique non posse, quia humanæ mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur. Sed primum secundum auctoritatem Scripturarum sanctarum utrum ita se fides habeat, demonstrandum est. Deinde si voluerit et adjuverit Deus, istis garrulis ratiocinatoribus, elatioribus quam capacioribus, atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse serviemus ut inveniant aliquid unde dubitare non possint, et ob hoc in eo quod invenire nequiverint, de suis mentibus potius quam de ipsa veritate, vel de nostris disputationibus conquerantur: atque ita si quid eis erga Deum vel amoris est vel timoris, ad initium fidei et ordinem redeant, jam sentientes quam salubriter in sancta Ecclesia medicina fidelium constituta sit, ut ad perceptionem incommutabilis veritatis imbecillem mentem observata pietas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis temeritas inordinata præcipitet. Nec pigebit autem me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro; discere.

CAPUT III. Quid a suis lectoribus exposcat Augustinus.

5. PROINDE quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est, *Quærite faciem ejus semper.* (Psal. 104. 4.) Et hoc placitum pium atque tutum coram Domino Deo nostro cum omnibus (*a*) inierim, qui ea quæ scribo legunt, et in omnibus scriptis meis, maximeque in his ubi quæritur unitas Trinitatis, (*b*) Patris et Filii et Spiritus-sancti: quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Quisquis ergo cum legit dicit, Hoc non bene dictum est, quoniam non intelligo; locutionem meam (*c*) reprehendit, non fidem: et forte vere potuit dici planius, verumtamen nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus ab omnibus intelligeretur. Videat ergo cui hoc in sermone meo displicet, utrum alios in talibus rebus quæstionibusque versatos intelligat, cum me non intelligit: et si ita est, ponat librum meum, vel etiam, si hoc videtur, abjiciat, et eis potius quos intelligit, operam et tempus impendat. Non tamen propterea putet me tacere debuisse, quia non tam expedite ac dilucide quam illi quos intelligit, eloqui potui. Neque enim omnia quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt: et fieri potest, ut nonnulli qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, et in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures a pluribus fieri

(*a*) Lov. *interim*. Alii codices, *inierim*.
(*b*) Sic MSS. supra viginti. At editi habent, *Pater et Filius et Spiritus-sanctus.*

(*c*) In excusis, *reprehendat*. Sed melius in MSS. *reprehendit*.

diverso stilo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat; ad alios sic, ad alios autem sic. At si ille qui se ista non intellexisse conqueritur, nulla umquam de talibus rebus diligenter et acute disputata intelligere potuit; secum agat votis et studiis ut proficiat, non mecum querelis et conviciis ut taceam. Qui vero hæc legens dicit, Intelligo quidem quid dictum sit, sed non vere dictum est: asserat (a) si placet sententiam suam, et redarguat meam, si potest. Quod si cum caritate et veritate fecerit, mihique etiam (si (b) in hac vita maneo) cognoscendum facere curaverit, uberrimum fructum laboris hujus mei cepero. Quod si mihi non potuerit, quibus id potuerit, me volente ac libente præstiterit: ego tamen in lege Domini meditor, si non die ac nocte, saltem quibus temporum particulis possum; et meditationes meas, ne oblivione fugiant, stilo alligo: sperans de misericordia Dei, quod in omnibus veris quæ certa mihi sunt, perseverantem me faciet; si quid autem aliter sapio, id quoque mihi ipse revelabit, sive per occultas inspirationes atque admonitiones, sive per manifesta eloquia sua, sive per fraternas sermocinationes. Hoc oro, et hoc depositum desideriumque meum penes ipsum habeo, qui mihi satis idoneus est et custodire quæ dedit, et reddere quæ promisit.

Psal. I, 2.

Lectorum tardiorum errores auctori non tribuendi.

6. Arbitror sane nonnullos tardiores, in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes neque apprehendentes deviaverint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa et opaca viam carpere; quandoquidem nec ipsis sanctis divinorum librorum (c) auctoritatibus ullo modo quisquam recte tribuerit tam multos et varios errores hæreticorum; cum omnes ex eisdem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere? Admonet me plane ac mihi jubet suavissimo imperio lex Christi hoc est caritas, ut cum aliquid falsi in libris meis me sensisse homines putant quod ego non sensi, atque idipsum falsum alteri displicet, alteri placet, malim me reprehendi a reprehensore falsitatis, quam ab ejus laudatore laudari. Ab illo enim quamvis ego non recte, qui hoc non senserim, error tamen ipse recte vituperatur: ad hoc autem nec ego recte laudor a quo existimor id sensisse quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas. Ergo in nomine Domini susceptum opus aggrediamur.

CAPUT IV. Quæ sit doctrina fidei catholicæ de Trinitate.

7. Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus-sanctus, unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est: Spiritusque sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coæquali, et ad Trinitatis pertinens unitatem. Non tamen camdem Trinitatem natam de virgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixam et sepultam, tertio die resurrexisse, et in cœlum adscendisse, sed tantummodo Filium. Nec eamdem Trinitatem descendisse in specie columbæ super Jesum baptizatum: aut die Pentecostes post adscensionem Domini, sonitu facto de cælo quasi ferretur flatus vehemens, et linguis divisis velut ignis sedisse super unumquemque eorum, sed tantummodo Spiritum-sanctum. Nec eamdem Trinitatem dixisse de cælo, *Tu es Filius meus*, sive cum baptizatus est a Johanne, sive in monte quando cum illo erant tres discipuli; aut quando sonuit vox, dicens, *Et clarificavi et iterum clarificabo:* sed tantummodo Patris vocem fuisse ad Filium factam; quamvis Pater et Filius et Spiritus-sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Hæc et mea fides est, quando hæc est catholica fides.

Matth. 3. 16.
Act. 2. 2.
Marc. I, 11.
Matth. 17. 5.
Johan. 12. 28.

CAPUT V. Difficultates de Trinitate, quomodo tres unus Deus, et inseparabiliter operantes præstent quædam sine invicem.

8. Sed in ea nonnulli perturbantur, cum audiunt Deum Patrem, et Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum, et tamen hanc Trinitatem non tres Deos, sed unum Deum, et quemadmodum id intelligant quærunt: præsertim cum dicitur, inseparabiliter operari Ticitatem in omni re quam Deus operatur, et tamen quamdam vocem Patris sonuisse, quæ vox Filii non sit; in carne autem natum, et passum, et resurrexisse, et in cælum adscendisse nonnisi Filium: in columbæ autem specie venisse nonnisi Spiritum-sanctum: intelligere volunt, quomodo et illam vocem, quæ nonnisi Patris fuit, Trinitas fecerit; et illam carnem in qua nonnisi Filius de Virgine natus est, eadem Trinitas creaverit, et illam columbæ speciem, in qua nonnisi Spiritus-Sanctus apparuit, illa ipsa Trinitas operata sit. Alioquin non inseparabiliter Trinitas operatur, sed alia Pater facit, alia Filius, alia Spiritus Sanctus: aut si quædam simul faciunt, quædam sine invicem, jam non inseparabilis est Trinitas. Movet etiam quomodo Spiritus-sanctus in Trinitate sit, quem nec Pater, nec Filius, nec ambo genuerint, cum sit Spiritus et Patris et Filii. Quia ergo quærunt ista homines, et tædio nobis sunt; si quid hinc ex dono Dei sapit infirmitas nostra, edisseramus eis ut possumus, neque cum invidia tabescente iter habeamus. Si dicimus nihil nos de talibus rebus cogitare solere, mentimur: si autem fatemur (d) habitare ista in cogitationibus nostris, quoniam rapimur amore indagandæ veritatis, flagitant jure caritatis ut eis indicemus quid hinc excogitare potuerimus: non quia jam acceperim, aut perfectus sim, (nam si Paulus apostolus, quanto magis ego longe infra illius pedes jacens non me arbitror apprehendisse?)

Sap. 6. 25.
Philip. 3. 12.

(a) Sexdecim MSS. asserat ut placet.
(b) Editi, si dum. Abest dum a MSS.
(c) MSS. tres a Vat. auctoribus.
(d) Vaticanus codex, habere. Alius Vatic. haberi.

A sed pro modulo meo, si ea quæ retro sunt obliviscor, et in anteriora me extendo, et secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis, quantum ejusdem viæ peregerim, et quo pervenerim, unde mihi in finem reliquus cursus est, ut aperiam desideratur a me, illis desiderantibus quibus me servire cogit libera caritas. Oportet autem, et donabit Deus, ut eis ministrando quæ legant, ipse quoque proficiam, et eis cupiens respondere quærentibus, ipse quoque inveniam quod quærebam. Ergo suscepi hæc jubente atque adjuvante Domino Deo nostro, non tam cognita cum auctoritate disserere, quam ea cum pietate disserendo cognoscere.

CAPUT VI. Filium esse verum Deum ejusdem cum Patre substantiæ.

9. Qui dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum non esse Deum, aut non esse verum Deum, aut non cum Patre unum et solum Deum, B aut non vere immortalem quia mutabilem, manifestissima divinorum testimoniorum et consona voce convicti sunt, unde sunt illa: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* (Johan. 1. 1.) Manifestum est enim quod Verbum Dei, Filium Dei unicum accipimus, de quo post dicit, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, propter nativitatem incarnationis ejus, quæ facta est in tempore ex Virgine. In eo autem declarat, non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantiæ, quia cum dixisset, *Et Deus erat Verbum; Hoc erat*, inquit, *in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Neque enim dicit *omnia*, nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet C ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est: si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est; et quæ creatura non est, Deus est; Et si non est Filius ejusdem substantiæ cujus Pater; ergo facta substantia est: si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt: at omnia per ipsum facta sunt; unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est. Et ideo non tantum Deus sed et verus Deus. Quod idem Johannes apertissime in epistola sua dicit, *Scimus quod Filius Dei venerit et dederit nobis intellectum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna.* (1. Johan. 5. 20.)

Non solus Pater sed Trinitas dicitur immortalis.

D 10. Hinc etiam consequenter intelligitur non tantummodo de Patre dixisse apostolum Paulum, *Qui solus habet immortalitatem;* (1. Tim. 6. 16.) sed de uno et solo Deo quod est ipsa Trinitas. Neque enim ipsa vita æterna mortalis est secundum aliquam mutabilitatem: ac per hoc Filius Dei, quia vita æterna est, cum Patre etiam ipse intelligitur, ubi dictum est, *Qui solus habet immortalitatem;* Ejus (1. Johan. 5. 20.) enim vitæ æternæ et nos participes facti, pro modulo nostro immortales efficimur. Sed aliud est ipsa cujus participes efficimur, vita æterna, aliud nos qui ejus participatione vivemus in æternum. Si enim dixisset, Quem temporibus (1. Tim. 6. 15.) propriis ostendet Pater beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem; nec sic inde separatum Filium oporteret intelligi. Neque enim quia ipse Filius alibi loquens voce Sapientiæ, (ipse est enim Dei sapientia,) ait, *Gyrum cœli circuivi sola*, (Eccli. 24.) separavit a se Patrem: quanto magis ergo non est necesse ut tantummodo de Patre præter Filium intelligatur, quod dictum est, *Qui solus habet immortalitatem*, cum ita dictum sit: *Ut serves* inquit, *mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu* (1. Tim. 6. 14.) *Christi: quem temporibus propriis ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit, nec videre potest; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, amen.* In quibus verbis nec Pater proprie nominatus est, nec Filius, nec Spiritus sanctus: sed *beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium*, quod est unus et solus et verus Deus ipsa Trinitas.

11. Nisi forte quæ sequuntur, perturbabunt hunc intellectum, quia dixit, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest:* cum hoc etiam ad Christum pertinere secundum ejus divinitatem accipiatur, quam non viderunt Judæi, qui tamen carnem viderunt et crucifixerunt. Videri autem (a) divinitas humano visu nullo modo potest: sed eo visu videtur quo jam qui vident, non homines sed ultra homines sunt. Recte ergo ipse Deus Trinitas intelligitur beatus et solus potens, ostendens adventum Domini nostri Jesu Christi temporibus propriis. Sic enim dictum est, *Solus habet immortalitatem:* quomodo dictum est, *Qui facit mirabilia solus.* (Psal. 71. 18.) Quod velim (Johan. 5. 19.) scire de quo dictum accipiant: si de Patre tantum, quomodo ergo verum est, quod ipse Filius dicit, *Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter?* (Ibidem 21.) An quidquam est inter mirabilia mirabilius quam resuscitare et vivificare mortuos? Dicit autem idem Filius, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Quomodo ergo solus Pater facit mirabilia, cum hæc verba nec Patrem tantum, nec Filium tantum permittant intelligi, sed utique Deum unum verum solum, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum.

12. Item cum dicit idem Apostolus, *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum;* (1. Cor. 8. 6.) quis dubitet eum omnia quæ creata sunt dicere, sicut Johannes, *Omnia per ipsum facta sunt?* (Johan. 1. 3.) Quæro itaque de quo dicat alio loco, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum amen.* (Rom. 11. 36.) Si enim de Patre et Filio et Spiritu-sancto, ut singulis personis singula tribuantur; *Ex ipso* ex Patre; *per ipsum*, per Filium; *in ipso*, in Spiritu-sancto: manifestum quod Pa-

Non ex solo Patre omnia sed etiam ex Filio.

(a) Sic in MSS. At in editis loco divinitas, habetur Trinitas.

A ter et Filius et Spiritus-sanctus unus Deus, est, quando singulariter intulit, *Ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Unde enim cœpit hunc sensum, non ait. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ* Patris, aut Filii, aut Spiritus-sancti, sed *sapientiæ et scientiæ Dei. Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Si autem hoc de Patre tantummodo intelligi volunt, quomodo ergo omnia per Patrem sunt, sicut, hic dicitur; et omnia per Fi-
1. Cor. 8. 6. lium, sicut ad Corinthios ubi ait, *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia;* et sicut
Johan. 1. 3. B in Evangelio Johannis, *Omnia per ipsum facta sunt?* Si enim alia per Patrem, alia per Filium, jam non omnia per Patrem, nec omnia per Filium. Si autem omnia per Patrem, et omnia per Filium; eadem per Patrem, quæ per Filium. Æqualis est ergo Patri Filius, et inseparabilis operatio est Patris et Filii. Quia si vel Filium fecit Pater quem non fecit ipse Filius, non omnia per Filium facta sunt: at omnia per Filium facta sunt: ipse igitur factus non est ut cum Patre faceret omnia quæ facta sunt. Quamquam nec ab ipso verbo tacuerit Apostolus, et apertissime
Phil. 2. 6. omnino dixerit, *Qui cum in Dei forma esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo:* hic Deum
1. Cor. 11. 3. proprie Patrem appellans, sicut alibi, *Caput autem Christi Deus.*

Spiritum-sanctum esse verum Deum Patri et Filio æqualem. C 13. Similiter et de Spiritu-sancto collecta sunt testimonia, quibus ante nos qui hæc disputaverunt abundantius usi sunt, quia et ipse Deus, et non creatura. Quod si non creatura, non tan-
Psal. 81. 6. tum Deus; (nam et homines dicti sunt dii): sed etiam verus Deus. Ergo Patri et Filio prorsus æqualis, et in Trinitatis unitate consubstantialis et coæternus. Maxime vero illo loco satis claret, quod Spiritus-sanctus non sit creatura, ubi jubemur non servire creaturæ, sed Creatori: non eo modo quo jubemur per caritatem servire in-
Rom. 1. 25. vicem, quod est græce δουλεύειν: sed eo modo quo tantum Deo servitur, quod est græce λατρεύειν.
Gal. 5. 13. Unde idololatræ dicuntur qui simulacris eam servitutem exhibent quæ debetur Deo. Secundum
Deut. 6. 13. hanc enim servitutem dictum est *Dominum Deum*
Matth. 4. 10. D *tuum adorabis, et illi soli servies.* Nam et hoc distinctius in græca Scriptura invenitur; λατρεύσεις enim habet. Porro si tali servitute creaturæ servire prohibemur, quandoquidem dictum est,
Rom. 1. 25. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* unde et Apostolus detestatur eos qui coluerunt, et servierunt creaturæ, potius quam Creatori: non est utique creatura Spiritus-sanctus, cui ab omnibus sanctis talis servitus exhibetur, dicente
Philip. 3. 3. Apostolo, *Nos enim sumus circumcisio, Spiritu*

A *Dei servientes,* quod est in græco λατρεύοντες. Plures enim codices etiam latini sic habent, *qui Spiritu Dei servimus:* græci autem omnes, aut pene omnes. In nonnullis autem exemplaribus latinis invenimus non *Spiritus Dei servimus,* sed (a) *spiritu Deo servimus.* Sed qui in hoc errant, et auctoritati graviori cedere detrectant, numquid et illud varium in codicibus reperiunt,
Nescitis quia corpora vestra templum (b) in *vobis est Spiritus-sancti, quem habetis a Deo?* 1. Cor. 6. 19.
Quid autem insanius magisque sacrilegum est, quam ut quisquam dicere audeat membra Christi templum esse creaturæ minoris secundum ipsos, quam Christus est? Alio enim loco dicit,
Corpora vestra membra sunt Christi. Si autem Ibidem 15.
B quæ membra sunt Christi, templum est Spiritus-sancti, non est creatura Spiritus-sanctus: quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est ut huic eam servitutem debeamus, quam nonnisi Deo serviendum est, quæ græce appel-
latur λατρεία. Unde consequenter dicit, *Glorificate ergo* (c) *Deum in corpore vestro.* Ibidem 20.

CAPUT VII. Filius quomodo minor Patre ac se ipso.

14. His et talibus divinarum Scripturarum testimoniis, quibus, ut dixi, priores nostri copiosius usi, expugnaverunt hæreticorum tales calumnias vel errores, insinuatur fidei nostræ unitas et æqualitas Trinitatis. Sed quia multa in sanctis libris propter incarnationem Verbi Dei, quæ pro salute nostra reparanda facta est, ut
mediator Dei et hominum esset homo Christus 1. Tim. 2. 5.
Jesus, ita dicuntur, ut majorem Filio Patrem significent, vel etiam apertissime ostendant; erra-
C verunt homines minus diligenter scrutantes vel intuentes universam seriem Scripturarum, et ea quæ de Christo Jesu secundum hominem dicta sunt, ad ejus substantiam quæ ante incarnationem sempiterna erat, et sempiterna est, transferre conati sunt. Et illi quidem dicunt minorem Filium esse quam Pater est, quia scriptum
est, ipso Domino dicente, *Pater major me est.* Johan. 14. 28.
Veritas autem ostendit secundum istum modum etiam se ipso minorem Filium. Quomodo enim non etiam se ipso minor factus est, qui semet-
ipsum exinanivit formam servi accipiens? Neque Phil. 2. 7.
enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri. Si ergo ita accepta est forma servi, ut non amitteretur forma Dei, cum et in forma servi et in forma Dei
D idem ipse sit Filius unigenitus Dei Patris, in
forma Dei æqualis Patri, in forma servi media- 1. Tim. 2. 5.
tor Dei et hominum homo Christus Jesus; quis non intelligat quod in forma Dei etiam ipse se ipso major est, in forma autem servi etiam se ipso minor est? Non itaque immerito Scriptura utrumque dicit, et æqualem Patri Filium, et Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur. Et hæc nobis regula per

(a) Triplicem hujusce loci lectionem affert rursum Augustinus in libro ad Bonifacium tertio, cap. 7. Ipsum eumdem locum in Latinis codicibus falsatorum perfidia mutatum fuisse, monet Ambrosius in lib. 2. de Spiritu-sancto cap. 6.

(b) Editi, *templum est qui in vobis est.* At MSS. *templum in vobis est.* Atque ita profert constanter Aug. in superioribus libris contra Arianorum sermonem et contra Maximinum.

(c) Editi addunt, *et portate:* quod a MSS. et a Græco textu Apostoli abest.

A omnes sacras Scripturas dissolvendæ hujus quæstionis, ex uno capitulo epistolæ Pauli apostoli promitur, ubi manifestius ista distinctio commendatur. Ait enim. (Phil. 2. 6.) *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Est ergo Dei Filius Deo Patri natura æqualis, habitu minor. In forma enim servi quam accepit, minor est Patre; in forma autem Dei in qua erat etiam ante quam (Johan. 1. 3.) hanc accepisset, æqualis est Patri. In forma Dei, (Gal. 4. 4.) Verbum per quod facta sunt omnia: in forma autem servi; factus ex muliere, factus sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret. Proinde in forma Dei fecit hominem; in forma servi factus est homo. B Nam si Pater tantum sine Filio fecisset hominem, non scriptum esset, (Gen. 1. 26.) *Faciamus hominem ad immaginem et similitudinem nostram.* Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus et utrumque homo: sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est: nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas; nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura.

CAPUT VIII. Scripturas de subjectione Filii sub Patre perperam intellectas explicat.

15. Illud autem quod dicit Apostolus, *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*, aut ideo dictum est, ne quisquam putaret habitum C Christi, qui ex humana creatura susceptus est, conversum iri postea in ipsam divinitatem, vel ut certius expresserim, deitatem, quæ non est (1. Cor. 15. 28.) creatura, sed est unitas Trinitatis incorporea et incommutabilis et sibimet consubstantialis et coæterna natura. Aut si quisquam contendit, ut aliqui senserunt, ita dictum, *Et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*, ut ipsam subjectionem, commutationem et conversionem credat futuram creaturæ in ipsam substantiam vel essentiam Creatoris, id est ut quæ fuerat substantia Creaturæ, fiat substantia Creatoris; certe vel hoc concedit, quod non habet ullam dubitationem, nondum hoc fuisse factum cum (Johan. 14. 28.) Dominus diceret, *Pater major me est.* Dixit enim hoc non solum ante quam adscendisset in D cœlum, verum etiam ante quam passus resurrexisset, a mortuis. Illi autem qui putant humanam in eo naturam in deitatis substantiam mutari atque converti, et ita dictum, (1. Cor. 15. 28.) *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia*, ac si diceretur, Tunc et ipse Filius hominis et a Verbo Dei suscepta humana natura commutabitur in ejus naturam, qui ei subjecit omnia, tunc futurum putant, cum post diem judicii tradiderit regnum Deo et Patri. Ac per hoc etiam secundum istam opinionem adhuc Pater major est, quam quæ de virgine servi forma accepta est. Quod si aliqui et hoc affirmant, quod jam fuerit in Dei substantiam mutatus homo Christus Je- A sus; illud certe negare non possunt, quod adhuc natura hominis manebat, quando ante passionem dicebat, *Quoniam Pater major me est*: (Johan. 14. 28.) unde nulla cunctatio est secundum hoc dictum esse, quod forma servi major est Pater, cui in forma Dei æqualis est Filius. Nec quisquam cum audierit quod ait Apostolus. *Cum autem dixerit*, (1. Cor. 15. 27.) *quia omnia subjecta sunt ei, manifestum quia præter eum qui illi subjecit omnia*, ita existimet de Patre intelligendum, quod subjecerit omnia Filio, ut ipsum Filium sibi omnia subjecisse non putet. Quod Apostolus ad Philippenses ostendit dicens, *Nostra autem conversatio in cælis est*, (Phil. 3. 20.) *unde et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ conforme ut fiat corpori gloriæ suæ,* B *secundum operationem suam qua possit etiam sibi subjicere omnia.* Inseparabilis enim operatio est Patris et Filii. Alioquin nec ipse Pater sibi subjecit omnia, sed Filius ei subjecit, qui ei regnum tradit, et evacuat omnem principatum et omnem potestatem et virtutem. De Filio (1. Cor. 15. 24.) quippe ista dicta sunt, *Cum tradiderit*, inquit, *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem.* Ipse enim subjicit, qui evacuat.

(Regnum Patri non sic tradet Christus, ut adimat sibi.)

16. Nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo et Patri, ut adimat sibi. Nam et hoc quidam vaniloqui crediderunt. Cum enim dicitur. *Tradiderit regnum Deo et Patri*, non separatur ipse; quia simul cum Patre unus Deus est. Sed divinarum Scripturarum (a) incuriosos et con- a C tentionum studiosos fallit verbum quod positum est, *donec.* Ita namque sequitur, *Oportet enim* (Psal. 109. 1.) *illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos* (1. Cor. 15. 25.) *sub pedibus suis*: tamquam cum posuerit, non sit regnaturus. Nec intelligunt ita dictum, sicuti est illud, *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec videat super inimicos suos.* (Psal. 11. 18.) Non enim cum viderit, jam commovebitur. Quid ergo est. *Cum tradiderit regnum Deo et Patri?* (1. Cor. 15. 24.) quasi modo non habebat regnum Deus et Pater? Sed quia omnes justos, in quibus nunc regnat ex fide (1. Tim. 2. 5.) viventibus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, perducturus est ad speciem, quam (1. Cor. 13. 12.) visionem dicit idem Apostolus, *facie ad faciem*; ita dictum est, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri*, ac si diceretur, Cum perduxerit creden- (Matth. 11. 27.) D tes ad contemplationem Dei et Patris. Sic enim dicit, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium nisi Pater, et nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* (1. Cor. 15. 24.) Tunc revelabitur a Filio Pater, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem, id est, ut necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelicos principatus et potestates et virtutes. Ex quarum persona non inconvenienter intelligitur dici in Cantico canticorum ad sponsam, (Cant. 1. 11. sec. LXX.) *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad usque rex in recubitu suo est*: id est, quoad usque Christus in secreto suo est: quia *vita vestra abscon-*

(a) Sic MSS. editi autem, curiosos.

Col. 3. 4. dita est cum Christo in Deo : cum Christus ap-
paruerit vita vestra, tunc et vos cum ipso appa-
1. Cor. 13. 12. rebitis in gloria. Quod ante quam fiat, *videmus*
nunc per speculum in ænigmate , hoc est in si-
militudinibus, *tunc autem facie ad faciem*.
Contemplatio promissa finis omnium actionum. 17. Hæc enim nobis contemplatio promittitur
actionum omnium finis atque æterna perfectio
gaudiorum. *Filii enim Dei sumus*, *et nondum*
apparuit quid erimus, *scimus quid cum appa-*
1. Johan. 3. 2. *ruerit*, *similes ei erimus* : *quoniam videbimus*
eum sicuti est. Quod enim dixit famulo suo Moy-
Exodi 3. 14. si, *Ego sum qui sum : hæc dices filiis Israel*,
Qui est misit me ad vos : hoc contemplabimur
Joh. 17. 3. cum vivemus in æternum. Ita quippe ait, *Hæc*
autem est vita æterna, *ut cognoscant te unum*
verum Deum et quem misisti Jesum Christum.
1. Cor. 4. 5. Hoc fiet cum venerit Dominus, et illuminaverit
occulta tenebrarum, cum tenebræ mortalitatis
hujus corruptionisque transierint. Tunc erit ma-
Psal. 5. 5. ne nostrum, de quo in Psalmo dicitur, *Mane*
adstabo tibi, *et contemplabor*. De hac contem-
1. Cor. 15. 24. platione intelligo dictum, *Cum tradiderit regnum*
Deo et Patri : id est, cum perduxerit justos, in
quibus nunc ex fide viventibus regnat mediator
1. Tim. 2. 5. Dei et hominum homo Christus Jesus, ad con-
templationem Dei et Patris. Si desipio hic, cor-
rigat me qui melius sapit: mihi aliud, non vide-
tur. Neque enim quæremus aliud, cum ad illius
contemplationem pervenerimus, quæ nunc non
est, quamdiu gaudium nostrum in spe est. *Spes*
Rom. 8. 24. *autem quæ videtur, non est spes: quod enim vi-*
det quis, quid sperat? Si autem quod non vidi-
mus speramus, *per patientiam exspectamus*, quoad
usque rex in recubitu suo est. Tunc erit quod
Psal. 15. 10. scriptum est, *Adimplebis me lætitia cum vultu*
tuo. Illa lætitia nihil amplius requiretur : quia
nec erit quod amplius requiratur. Ostendetur
enim nobis Pater, et sufficiet nobis. Quod bene
intellexerat Philippus, ut diceret Domino, *Osten-*
Johan. 14. 8. *de nobis Patrem* , *et sufficit nobis* : sed nondum
intellexerat, eo quoque modo idipsum se potuis-
se dicere, Domine ostende nobis te, et sufficit
nobis. Ut enim hoc intelligeret, responsum ei a
Domino est, *Tanto tempore vobiscum sum*, *et*
non cognovistis me? Philippe, *qui vidit me*, *vi-*
dit et Patrem. Sed quia volebat eum ex fide vi-
vere ante quam illud posset videre, secutus est,
2. Cor. 5. 6. et ait, *Non credis, quia ego in Patre et Pater in*
me est? Quamdiu enim sumus in corpore, *pere-*
grinamur a Domino. *Per fidem enim ambula-*
mus, *non per speciem*. Contemplatio quippe mer-
ces est fidei, cui mercedi per fidem corda mun-
Act. 15. 9. dantur; sicut scriptum est, *Mundans fide corda*
eorum. Probatur autem quod illi contemplationi
Matth. 5. 8. corda mundentur, illa maxime sententia, *Beati*
mundicordes, *quoniam ipsi Deum videbunt*. Et
quia hæc est vita æterna, dicit Deus in Psalmo,
Psal. 90. 16. *Longitudine dierum replebo eum et ostendam*
illi salutare meum. Sive ergo audiamus, *Osten-*
de nobis Filium; sive audiamus, *Ostende nobis*
Patrem: tantumdem valet; quia neuter sine altero
Johan. 10. 30. potest ostendi. Unum quippe sunt, sicut et ipse
ait, *Ego et Pater unum sumus*. Denique propter

A ipsam inseparabilitatem, sufficienter aliquan-
do nominatur, vel Pater solus, vel Filius solus
adimpleturus nos lætitia cum vultu suo.
18. Nec inde separatur utriusque Spiritus, id Spiritus-sanctus ad beatitudinem nostram sufficit perinde, ac Pater.
est Patris et Filii Spiritus. Qui Spiritus-sanctus
proprie dicitur *Spiritus veritatis*, *quem hic mun-*
dus accipere non potest. Hoc est enim plenum
gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Tri-
nitate Deo ad cujus imaginem facti sumus. Pro-
pter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu-Sancto Joha. 14. 17.
tamquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem no-
stram; et ideo solus sufficit, quia separari a Pa-
tre et Filio non potest; sicut Pater solus sufficit,
quia separari a Filio et Spiritu-sancto non pot-
est; et Filius ideo sufficit solus, quia separari
a Patre et Spiritu-sancto non potest. Quid enim
B sibi vult quod ait? *Si diligitis me*, *mandata mea* Johan. 14. 15.
servate, *et ego rogabo Patrem*, *et alium advo-*
catum dabit vobis, *ut vobiscum sit in æternum*,
Spiritum veritatis ; quem hic mundus accipere
non potest, id est dilectores mundi. *Animalis*
enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus
Dei. Sed adhuc potest videri ideo dictum, *Et ego* 1. Cor. 2. 14.
rogabo Patrem et alium Advocatum dabit vobis,
quasi non solus Filius sufficiat. Illo autem loco
ita de illo dictum est, tamquam solus omnino
sufficiat. *Cum venerit ille Spiritus veritatis*, *do-* Johan. 16. 13.
cebit vos omnem veritatem. Numquid ergo se-
paratur hinc Filius, tamquam ipse non doceat
omnem veritatem, aut quasi hoc impleat Spiri-
tus-sanctus quod minus potuit docere Filius?
Dicant ergo, si placet, majorem esse Filio Spi-
C ritum-sanctum, quem minorem illo solent dice-
re. An quia non dictum est, Ipse solus, aut,
Nemo nisi ipse vos docebit omnem veritatem,
ideo permittunt ut cum illo docere credatur et
Filius? Apostolus ergo Filium separavit a scien-
dis iis quæ Dei sunt, ubi ait, *Sic et quæ Dei sunt* 1. Cor. 2. 11.
nemo scit, *nisi Spiritus Dei*: ut jam isti perversi
possint ex hoc dicere, quod et Filium non do-
ceat quæ Dei sunt nisi Spiritus-Sanctus, tam-
quam major minorem, cui Filius ipse tantum
tribuit, ut diceret, *Quia hæc locutus sum vobis*, Johan. 16. 6.
tristitia implevit cor vestrum: sed ego veritatem
dico, *expedit vobis ut ego eam*: *nam si non abie-*
ro, *advocatus non veniet ad vos*. * Hoc autem * CAPUT IX.
dixit, non propter inæqualitatem Verbi Dei et In una persona interdum intelliguntur omnes.
Spiritus-sancti, sed tamquam impedimento esset
D præsentia filii hominis apud eos, quo minus ve-
niret ille qui minor non esset, quia semetipsum
non exinanivit formam servi accipiens sicut Fi- Philip. 2. 7.
lius. Oportebat ergo ut auferretur ab oculis eo-
rum forma servi, quam intuentes, hoc solum
esse Christum putabant quod videbant. Inde est
et illud quod ait, *Si diligeretis me*, *gauderetis* Johan. 14. 28.
utique, *quoniam eo ad Patrem*, *quia Pater ma-*
jor me est: id est, propterea me oportet ire ad Johan. 20. 17.
Patrem, quia dum me ita videtis, ex hoc quod
videtis, æstimatis quia minor sum Patre, atque
ita circa creaturam susceptumque habitum occu-
pati, æqualitatem quam cum Patre habeo non
intelligitis. Inde est et illud, *Noli me tangere*,
nondum enim ascendi ad Patrem. Tactus enim

tamquam finem facit notionis. Ideoque nolebat in eo esse finem intenti cordis in se, ut hoc quod videbatur tantummodo putaretur. Adscensio autem ad Patrem erat ita videri, sicut æqualis est Patri ut ibi esset finis visionis, quæ sufficit nobis. Aliquando item de Filio solo dicitur, quod ipse sufficiat, et in ejus visione merces tota promittitur (a) dilectionis et desiderii nostri. Sic enim
Johan. 14. 21. ait, *Qui habet mandata mea et custodit ea, ille est qui diligit me. Qui autem me diligit, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi.* Numquid hic, quia non dixit, ostendam illi et Patrem, ideo separavit Patrem? Sed
Johan. 10. 30. quia verum est, *Ego et Pater unum sumus;* cum Pater ostenditur, et Filius ostenditur qui in illo est; et cum Filius ostenditur, etiam Pater ostenditur qui in illo est. Sicut ergo cum ait, *Et ostendam me ipsum illi*, intelligitur quia ostendit et
1. Cor. 15. 24. Patrem; ita et in eo quod dicitur, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri*, intelligitur, quia non adimit sibi. Quoniam cum perducet credentes ad contemplationem Dei et Patris, profecto perducet ad contemplationem suam, qui dixit, *Et ostendam illi me ipsum.* Et ideo consequenter cum dixis-
Johan. 14. 22. set illi Judas, *Domine, quid factum est, quia ostensurus es te nobis, et non huic mundo?* Respondit Jesus, et dixit illi, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget illum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ecce quia non solum se ipsum ostendit ei a quo diligitur, quia simul cum Patre venit ad eum, et mansionem facit apud eum.

19. An forte putabitur mansionem in dilectore suo facientibus Patre et Filio exclusus esse ab hac mansione Spiritus-sanctus? Quid est ergo
Ibidem 17. quod superius ait de Spiritu-sancto, *Quem hic mundus accipere non potest, quoniam non videt illum: nostis illum vos, quia vobiscum manet, et in vobis est.* Non itaque ab hac mansione separatus est, de quo dictum est, *vobiscum manet, et in vobis est.* Nisi forte quisquam sic absurdus est, ut arbitretur, cum Pater et Filius venerint ut mansionem apud dilectorem suum faciant, discessurum inde Spiritum-sanctum, et tamquam locum daturum esse majoribus. Sed huic carnali cogitationi occurit Scriptura: paulo quippe superius ait. *Et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum.* Non ergo discedet Patre et Filio venientibus, sed in eadem mansione cum ipsis erit in æternum; quia nec ille sine ipsis venit, nec illi sine ipso. Sed propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis dicuntur quædam (b) separatim; non tamen aliis separatis intelliguntur, propter ejusdem Trinitatis unitatem unamque substantiam atque deitatem Patris et Filii et Spiritus-sancti.

CAPUT X. Quomodo Christus tradet regnum Deo et Patri.

20. Tradet itaque regnum Deo et Patri Dominus noster Jesus Christus, non se inde separato, nec Spiritu-sancto, quando perducet credentes ad contemplationem Dei, ubi est finis omnium bonarum actionum, et requies sempiterna, et gaudium quod numquam auferetur a nobis. Hoc enim signat in eo quod ait, *Iterum* Johan. 16. 21.
videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis. Hujus gaudii si- Luc. 10. 39.
militudinem præsignabat Maria sedens ad pedes Domini, et intenta in verbum ejus, quieta scilicet ab omni actione, et intenta in veritatem secundum quemdam modum, cujus capax est ista vita, quo tamen præfiguraret illud, quod futurum est in æternum. Martha quippe sorore sua necessitatis actione conversante, quamvis bona et utili, tamen cum requie successerit transitura, ipsa requiescebat in verbo Domini. Et ideo Dominus conquerenti Marthæ quod eam soror non adjuvaret, respondit, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Non partem malam dixit quod agebat Martha; sed istam optimam quæ non auferetur. Illa enim quæ in ministerio indigentiæ est, cum indigentia ipsa transierit, auferetur. Boni quippe operis transituri merces est requies permansura. In illa igitur contemplatione Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. 28.
quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo ipso illustrari perfruique sufficiet. Ideoque ille in quo Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. 26.
Unam, inquit, *petii a Domino, hanc requiram*, Psal. 26. 4.
ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini. Contemplabimur enim Deum Patrem et Filium 1. Tim. 2. 5.
et Spiritum sanctum, cum mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum 1. Cor. 15. 24.
Deo et Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos noster, Filius Dei, et Filius Heb. 7. 25.
hominis; sed et ipse in quantum sacerdos est assumpta propter nos servi forma, et subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, et cui subjecit omnia; ut in quantum Deus est cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos nobiscum illi subjectus sit. Quapropter cum Filius sit et Deus et homo, (c) alia substantia homo potius in Filio quam Filius in Patre: sicut caro animæ meæ, alia substantia est ad animam meam, quamvis in uno homine, quam anima alterius hominis ad animam meam.

21. Cum ergo tradiderit regnum Deo et Patri, id est, cum credentes et viventes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ suspiramus et gemimus, et cum transierit labor et gemitus, jam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo et Patri. Hoc significans ait, *Hæc (d)* Johan. 16. 25.
vobiscum locutus sum in similitudinibus: veniet hora, quando jam non in similitudinibus loquar vobis, sed manifeste de Patre nuntiabo vobis; id est, jam non erunt similitudines, cum visio fuerit facie ad faciem. Hoc est enim quod ait, *sed manifeste de Patre nuntiabo vobis;* ac si diceret, manifeste Patrem ostendam vobis. *Nun-*

Tradito regno Deo et Patri, Christus jam non interpellabit pro nobis.

(a) Editi, *delectationis*. Melius MSS. *dilectionis*.
(b) Abest *separatim* a MSS.
(c) Sic meliores MSS. At editi *alia substantia Deus, alia homo potius in Filio etc.*
(d) Sex MSS. *Hæc vobis locutus sum*.

tiabo quippe ait, quia Verbum ejus est. Sequitur A enim et dicit, *Illa die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in hunc mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Quid est, *A Patre exivi*, nisi non in ea forma qua æqualis sum Patri, sed aliter, id est, in assumpta creatura minor apparui? Et quid est, *Veni in hunc mundum*, nisi formam servi, quam me exinaniens accepi, etiam peccatorum qui mundum istum diligunt, oculis demonstravi? Et quid est, *Iterum relinquo mundum*, nisi ab adspectu dilectorum mundi aufero quod viderunt? Et quid est, *Vado ad Patrem*, nisi doceo me sic intelligendum a fidelibus meis, quomodo æqualis sum B Patri? Hoc qui credunt, digni habebuntur perduci a fide ad speciem, id est ad ipsam visionem, quo perducens dictus est tradere regnum Deo et Patri. Fideles quippe ejus quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnum ejus, pro quibus nunc interpellat: tunc autem illic eos sibi faciens inhærere, ubi æqualis est Patri, non jam rogabit Patrem pro eis. *Ipse enim*, inquit, *Pater amat vos*. Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre: quo vero æqualis est, exaudit cum Patre. Unde se ab eo quod dixit, *Ipse enim Pater amat vos*; utique ipse non separat; sed secundum ea facit intelligi quæ supra commemoravi, satisque insinuavi, plerumque ita nominari unamquamque in Trinitate personam, ut et aliæ illic intelligantur. Sic itaque dictum est, *Ipse enim Pater* C *amat vos*, ut consequenter intelligatur et Filius et Spiritus-sanctus: non quia modo nos non amat, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: sed tales nos amat Deus, quales futuri sumus, non quales sumus. Quales enim amat, tales in æternum conservat: quod tunc erit cum tradiderit regnum Deo et Patri, qui nunc interpellat pro nobis, ut jam non roget Patrem, quia ipse Pater amat nos. Quo autem merito, nisi fidei, qua credimus ante quam illud quod promittitur videamus? Per hanc enim perveniemus ad speciem, ut tales amet, quales amat ut simus, non quales odit (a) quia sumus, et hortatur ac præstat ne tales esse semper velimus.

Rom. 8. 32.
1. Cor. 15. 24.

CAPUT XI. Regula qua intelligitur Filius in Scripturis nunc æqualis, nunc minor.

22. QUAPROPTER cognita ista regula intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, ut distin- D guamus quid in eis sonet secundum formam Dei, in qua æqualis est Patri, et quid secundum formam servi quam accepit in qua minor est Patre, non conturbabimur tamquam contrariis ac repugnantibus inter se sanctorum librorum sententiis. Nam secundum formam Dei æqualis est Patri et Filius et Spiritus sanctus, quia neuter eorum creatura est, sicut jam ostendimus: secundum autem formam servi, minor est Patre, quia ipse dixit, *Pater major me est*: minor est se ipso, quia de illo dictum est, *Semetipsum exinanivit*: minor est Spiritu-sancto, quia ipse ait, *Qui dixerit blasphemiam in Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit in Spiritum-sanctum, non remittetur ei*. Et in ipso virtutes operatus est, dicens, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, certe supervenit super vos regnum Dei*. Et apud Isaiam dicit, quam lectionem ipse in Synagoga recitavit, et de se completam sine scrupulo dubitationis ostendit: *Spiritus*, inquit, *Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem*, et cætera: ad quæ facienda ideo dicit se missum, quia Spiritus Domini est super eum. Secundum formam Dei, omnia per ipsum facta sunt: secundum formam servi, ipse factus est ex muliere, factus sub Lege. Secundum formam Dei, ipse et Pater unum sunt: secundum formam servi, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui eum misit. Secundum formam Dei, sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso: secundum formam servi, tristis est anima ejus usque ad mortem; et *Pater*, inquit, *si fieri potest transeat a me calix iste*. Secundum formam Dei, ipse est verus Deus et vita æterna: secundum formam servi, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Johan. 14. 28.
Philip. 2. 7.
Matth. 12. 32.
Luc. 11. 20.
Luc. 4. 18.
Isai. 61. 1.
Johan. 1. 3.
Galat. 4. 4.
Johan. 10. 30.
Johan. 6. 38.
Johan. 5. 26.
Matth. 26. 38.
1. Johan. 5. 20.
Phil. 2. 8.

23. Secundum formam Dei, omnia quæ habet Pater, ipsius sunt: et *Omnia mea tua sunt*, inquit, *et mea tua*. Secundum formam servi, non est doctrina ipsius, sed illius qui eum misit. * Et, *De die et hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*. Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret: sicut dictum est ad Abraham, *Nunc cognovi quod timeas Deum*, id est, nunc feci ut cognosceres; quia et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam et illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno, de quo futuro tamquam præterito loquens, ait, *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit voluntatem domini sui: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota vobis feci*: quod nondum fecerat, sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset locutus est. Ipsis enim ait, *Multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modo*. Inter quæ intelligitur et *De die et hora*. Nam et Apostolus, *Neque enim judicavi me*, inquit, *scire aliquid in vobis nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum*. Eis enim loquebatur, qui capere altiora de Christi deitate non poterant. Quibus etiam paullo post dicit, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus*. Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant. Et hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat. Denique sciebat inter perfectos, quod inter parvulos nesciebat: ibi quippe ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur quod occultat, quo dicitur fossa cæca quæ occulta est.

Johan. 16. 15.
Johan. 17. 10.
Johan. 7. 16.

CAPUT XII. Qua ratione Filius dicatur nescire diem et horam quam scit Pater.

Marci 13. 32.
Gen. 22. 12.
Johan. 15. 15.
Johan. 16. 12.
1. Cor. 2. 2.
1. Cor. 3. 1.
1. Cor. 2. 6.

(a) Editi, *quia mali sumus*. Abest *mali* a MSS.

Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur; quia utique hominibus loquuntur. A

Dicta de Christo alia secundum formam Dei, alia secundum formam servi.

24. Secundum formam Dei dictum est, *Ante omnes colles genuit me*, id est, ante omnes altitudines creaturarum; et, *Ante Luciferum genui te*, id est ante omnia tempora et temporalia: secundum formam autem servi dictum est, *Dominus creavit me in principio viarum suarum.* Prov. 8. 25. Psal. 109. 3. Prov. 8. 22. Quia secundum formam Dei dixit, *Ego sum veritas;* et secundum formam servi, *Ego sum via.* Johan. 14. 6. Quia enim ipse primogenitus a mortuis iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei ad vitam æternam, Apoc. 1. 5. Col. 1. 18. cui caput est ad immortalitatem etiam corporis, ideo creatus est in principio viarum Dei in opera ejus. Secundum formam enim Dei, Johan. 8. 25. Principium est quod et loquitur nobis; in quo B principio fecit Deus cælum et terram: secundum autem formam servi, Sponsus procedens de thalamo suo. Psal. 18. 6. Secundum formam Dei, Primogenitus omnis creaturæ, Col. 1. 15. et ipse ante omnes est, et omnia in illo constant: Ibidem 17. secundum formam servi, Ipse est caput corporis Ecclesiæ. Ibidem 18. Secundum formam Dei, Dominus est gloriæ. I. Cor. 2. 8. Unde manifestum est, quod ipse glorificet sanctos suos. Rom. 8. 30. *Quos enim prædestinavit, ipsos et vocavit; et quos vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit.* De illo quippe dictum est, quod justificet impium: Rom. 4. 5. de illo dictum est, quod sit justus et justificans. Rom. 3. 26. Si ergo quos justificavit, ipsos et glorificavit, qui justificat ipse et glorificat, qui est, ut dixi, Dominus gloriæ. Secundum formam tamen servi satagentibus discipulis C de glorificatione sua, respondit, *Sedere ad dexteram vel ad sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Matth. 20. 23.

Dare regnum quomodo et Christi est et Christi non est.

25. Quod autem paratum est a Patre ejus, et ab ipso Filio paratum est: quia ipse et Pater unum sunt. Johan. 10. 30. Jam enim ostendimus in hac Trinitate per multos divinarum locutionum modos etiam de singulis dici quod omnium est, propter inseparabilem operationem unius ejusdemque substantiæ. Sicut et de Spiritu-sancto dicit: *Cum ego iero, mittam illum ad vos.* Johan. 16. 7. Non dixit, mittemus; sed ita quasi tantum Filius eum missurus esset, et non Pater; cum alio loco dicat, *Hæc locutus sum vobis apud vos manens; advocatus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vobis declarabit omnia.* Johan. 14. 25. D Hic rursus ita dictum est, quasi non eum missurus esset et Filius, sed tantum Pater. Sicut ergo ista, ita et illud quod ait, *sed quibus paratum est a Patre meo*, cum Patre se intelligi voluit parare sedes gloriæ quibus vellet. Sed dicit aliquis: Illic cum de Spiritu-sancto loqueretur, ita se missurum ait, ut non negaret Patrem missurum, et alio loco ita Patrem, ut non negaret se missurum, hic vero aperte ait: *Non est meum dare;* atque ita secutus, a Patre dixit ista præparata. a Sed hoc est quod (a) præstruximus secundum formam servi dictum: ut ita intelligeremus, *Non est meum dare*, ac si diceretur, Non est humanæ potestatis hoc dare, ut per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus æqualis est Patri. *Non est meum*, inquit, *dare*, id est non humana potestate ista duo, *sed quibus paratum est a Patre meo:* Johan. 16. 15. sed jam tu intellige, quia si omnia quæ habet Pater mea sunt, et hoc utique meum est, et cum Patre ista paravi.

Quomodo Christus et non judicabit, et judicabit.

26. Nam et illud quæro, quomodo dictum sit: *Si quis non audit verba mea, ego non judicabo illum.* Johan. 12. 47. Fortassis enim ita hic dixit, *Ego non judicabo illum*, quemadmodum ibi, *Non est meum dare.* Sed quid hic sequitur? *Non enim veni*, inquit, *ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum:* deinde adjungit, et dicit, *Qui me spernit et non accipit verba mea, habet qui se judicet.* Ibidem 48. Hic jam intelligeremus Patrem, nisi adjungeret et diceret, *Verbum quod locutus sum, ipsum judicabit illum in novissimo die.* Quid igitur, jam nec Filius judicabit, quia dixit, *Ego non judicabo illum?* nec Pater, sed verbum quod locutus est Filius? Immo audi adhuc quod sequitur, *Quia ego*, inquit, *non ex me locutus sum, sed qui me misit Pater, ille mandatum mihi dedit quid dicam, et quid loquar;* Ibidem. 49. *et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, ita ut dixit mihi Pater, sic loquor.* Si ergo non judicat Filius; sed verbum quod locutus est Filius, ideo autem judicat verbum quod locutus est Filius, quia non ex se locutus est Filius, sed qui misit eum Pater mandatum dedit ei quid dicat, et quid loquatur: Pater utique judicat, cujus verbum est quod locutus est Filius, atque ipsum Verbum Patris idem ipse est Filius. Non enim aliud est mandatum Patris, aliud Verbum Patris: nam et verbum hoc appellavit, et mandatum. Videamus ergo ne forte quod ait, *Ego non ex me locutus sum*, hoc intelligi voluerit, Ego non ex me natus sum. Si enim Verbum Patris loquitur, se ipsum loquitur; quia ipse est Verbum Patris. Plerumque enim dicit, *Dedit mihi Pater:* In quo vult intelligi quod eum genuerit Pater: non ut tanquam jam existenti et non habenti dederit aliquid; sed ipsum dedisse ut haberet, genuisse est ut esset. Non enim sicut creatura, ita Dei Filius ante incarnationem et ante assumptam creaturam, unigenitus per quem facta sunt omnia, aliud est, et aliud habet: sed hoc ipsum est, quod est id quod habet. Quod illo loco manifestius dicitur, si quis ad capiendum sit idoneus, ubi ait, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso.* Neque enim jam existenti et vitam non habenti dedit ut haberet vitam in semetipso, cum eo ipso quod est, vita (b) sit. Hoc est ergo, *dedit Filio vitam habere in semetipso*, b genuit Filium (c) esse incommutabilem vitam, c quod est vita æterna. Cum ergo Verbum Dei sit Filius Dei, et Filius Dei sit verus Deus et vita æterna, sicut in Epistola sua dicit Johannes; etiam hic quid aliud 1. Johan. 5. 20.

(a) Ita in MSS. At in editis, *præstrinximus*.
(b) Veteres aliqui codices, *vita æterna sit*.

(c) Am. et Er. omittunt *esse:* cujus loco unus e Vaticanis MSS. habet *ex se.*

Johan. 12. 48. agnoscimus, cum dicit Dominus, *Verbum quod locutus sum, ipsum judicabit eum in novissimo die:* et ipsum verbum, Patris verbum esse dicit et mandatum Patris, ipsumque mandatum vitam æternam? *Et scio*, inquit, *quia mandatum ejus vita æterna est.*

27. Quæro itaque quomodo intelligamus, *Ego non judicabo; sed verbum quod locutus sum judicabit:* quod ex consequentibus apparet ita dictum, ac si diceret, Ego non judicabo, sed verbum Patris judicabit. Verbum autem Patris est ipse Filius Dei. Siccine intelligendum est, Ego non judicabo, sed ego judicabo? Quomodo potest istud esse verum, nisi ita: Ego scilicet non judicabo ex potestate humana, quia Filius hominis sum; sed ego judicabo ex potestate Verbi, quoniam Filius Dei sum. Aut si contraria et repugnantia videntur, Ego non judicabo, sed ego judicabo: quid illic dicemus, ubi ait, *Mea* Johan. 7. 16. *doctrina non est mea?* Quomodo mea, quomodo non mea? Non enim dixit, Ista doctrina non est mea: sed, *Mea doctrina non est mea:* quam dixit suam, eamdem dixit non suam. Quomodo istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam; secundum formam Dei suam, secundum formam servi non suam? Cum enim dicit; *non est mea, sed ejus qui me misit*, ad ipsum Verbum nos facit recurrere. Doctrina enim Patris est Verbum Patris, qui est unicus Filius. Quid sibi et illud vult, *Qui in me credit non in me credit?* Quomodo in ipsum, quomodo non in ipsum? Quomodo tam contrarium sibique adversum potest intelligi? Johan. 12. 44. *Qui in me credit*, inquit, *non in me credit, sed in eum qui me misit:* nisi ita intelligas, Qui in me credit, non in hoc quod videt credit, ne sit spes nostra in creatura; sed in illo qui suscepit creaturam, in qua humanis oculis appareret, ac sic ad se æqualem Patri contemplandum per fidem corda mundaret? Ideoque ad Patrem referens intentionem credentium, et dicens, *Non in me credit, sed in eum qui me misit*, non utique se a Patre, id est ab illo qui eum misit, voluit separari: sed ut sic in eum crederetur, quomodo in Patrem cui est æqualis. Quod aperte alio Johan. 14. 1. loco dicit, (*a*) *Credite in Deum, et in me credi-* a *te:* id est, Sicut creditis in Deum, sic et in me; quia ego et Pater unus Deus. Sicuti ergo hic, tamquam abstulit a se fidem hominum, et in Patrem transtulit, dicendo, *Non in me credit, sed in eum qui me misit*, a quo tamen se utique non Matth. 20. 23. separavit: sic etiam quod ait, *Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo*, puto clarere secundum quid utrumque accipiendum Johan. 12. 47. sit. Tale est enim et illud, *Ego non judicabo;* cum ipse judicaturus sit vivos et mortuos: sed 2. Tim. 4. 1. quia non ex potestate humana, propterea recurrens ad deitatem, sursum erigit corda hominum, propter quæ sublevanda descendit.

CAPUT XIII. De eodem

28. Nisi tamen ipse idem esset Filius hominis propter formam servi, quam accepit, qui est Filius Dei propter Dei formam in qua est, non diceret Paulus apostolus de principibus hujus sæculi, *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ex forma enim servi crucifixus est, et tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. Quid tamen propter quid et quid secundum quid dicatur, adjuvante Domino prudens et diligens et pius lector intelligit. Nam ecce diximus quia secundum id quod Deus est, glorificat suos, secundum hoc utique quod Dominus gloriæ est; et tamen Dominus gloriæ crucifixus est, quia recte dicitur et Deus crucifixus, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis: sicut dicimus, quia secundum id quod Deus est judicat, hoc est ex potestate divina, non ex humana; et tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est: ita enim aperte dicit, *Cum venerit filius hominis in gloria sua, et omnes angeli cum eo, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes:* et cetera quæ de futuro judicio usque ad ultimam sententiam in eo loco prædicantur. Et Judæi, quippe qui in malitia perseverantes, in illo judicio puniendi sunt, sicuti alibi scriptum est, *videbunt in quem pupugerunt.* Cum enim et boni et mali visuri sint judicem vivorum et mortuorum, procul dubio eum videre mali non poterunt, nisi secundum formam qua filius hominis est; sed tamen in claritate in qua judicabit, non in humilitate in qua judicatus est. Ceterum illam Dei formam in qua æqualis est Patri, procul dubio impii non videbunt. Non enim sunt mundicordes: *Beati enim mundicordes: quoniam ipsi Deum videbunt*, Et ipsa visio est facie ad faciem, (*b*) quæ summum præmium promittitur justis; et ipsa fiet, cum tradet regnum Deo et Patri: in quo et suæ formæ visionem vult intelligi, subjecta Deo universa creatura, et ipsa in qua Filius Dei filius hominis factus est. Quia secundum hanc et ipse Filius tunc subjectus illi erit, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Alioquin si Filius Dei judex in forma qua æqualis est Patri, etiam impiis cum judicaturus est apparebit, quid est quod pro magno dilectori suo pollicetur dicens, *Et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi?* Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est: et rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, sed in ea qua filius hominis est.

Christo diversa prædicantur, ob diversas naturas hypostaseos. 1. Cor. 2. 8. — Matth. 25. 31. — Zach. 12. 10. — Johan. 19. 37. — Matth. 5. 8. — 1. Cor. 13. 20. — b — 1. Cor. 15. 24. — Johan. 14. 21.

29. Itaque utrumque dici potest, et filius hominis judicabit, et non filius hominis judicabit: quia filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait, *Cum venerit filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes;* et non filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait, *Ego non judicabo;* et *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat et judicet.* Nam secundum id quod

Matth. 25. 31. — Johan. 12. 47. — Johan. 8. 50.

(a) Editi, *creditis.* At MSS. constanter, *Credite in Deum.*

(b) Editio Er. et quidam MSS. *qua.*

Johan. 8. 50. in judicio non forma Dei, sed forma filii hominis apparebit, nec ipse Pater judicabit. Secundum hoc enim dictum est, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. (Johan. 5. 22.) Quod utrum ex illa locutione dictum sit, quam supra commemoravimus, ubi ait, *Sic dedit Filio habere vitam in semetipso*, ut significaret quia sic genuit Filium: an ex illa (a) de qua loquitur Apostolus dicens, *Propterea quod eum (b) suscitavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*. (Phil. 2. 9.) Hoc enim de filio hominis dictum est, secundum quem Dei Filius excitatus est a mortuis. Ille quippe in forma Dei æqualis Patri, (c) ex quo se exinanivit formam servi accipiens, in ipsa forma servi et agit, et patitur, et accipit, quæ consequenter contexit Apostolus, *Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Utrum ergo secundum illam, an secundum istam locutionem dictum sit, *omne judicium dedit Filio*, (Johan. 5. 22.) satis hinc apparet, quia si secundum illud diceretur secundum quod dictum est, *Dedit Filio habere vitam in semetipso*; non utique diceretur *Pater non judicat quemquam*. Secundum hoc enim quod æqualem Pater genuit Filium, judicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est, quod in judicio, non forma Dei, sed forma filii hominis apparebit. Non quia non judicabit qui dedit omne judicium Filio, cum de illo dicat Filius, *Est qui quærat et judicet*: (Johan. 8. 50.) sed ita est dictum, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*; (Johan. 5. 22.) ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium: quia et filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt. (Zach. 12. 10.)

Cur Pater dicitur non judicaturus, sed judicium dedisse Filio.

30. Quod ne conjicere potius quam aperte demonstrare videamur, proferamus ejusdem Domini certam manifestamque sententiam, qua ostendamus ipsam fuisse caussam ut diceret, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, (Johan. 5. 22.) quia judex in forma filii hominis apparebit, quæ forma non est Patris, sed Filii; nec ea Filii in qua æqualis est Patri, sed in qua minor est Patre ut sit in judicio conspicuus et bonis et malis. Paullo enim post dicit, *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiet a morte in vitam*. (Ibidem 24.) Hæc vita æterna est illa visio, quæ non pertinet ad malos. Deinde sequitur *Amen, amen dico vobis, quia (d) veniet hora, et nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent*. (Ibidem 25.) Et hoc proprium est piorum qui sic audiunt de incarnatione ejus, ut credant, quia Filius Dei est: id est sic eum propter se factum accipiunt minorem Patre in forma servi, ut credant quia æqualis est Patri in forma Dei. Et ideo sequitur, et hoc ipsum commendans dicit. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso*. Deinde venit ad visionem suæ claritatis, in qua venturus est ad judicium, quæ visio communis erit et impiis et justis. Sequitur enim et dicit, *Et potestatem dedit ei (e) et judicium facere quoniam filius hominis est*. Puto nihil esse manifestius. Nam quia Filius Dei est æqualis Patri, non accipit hanc potestatem judicii faciendi, sed habet illam cum Patre in occulto; accipit autem illam, ut boni et mali eum videant judicantem, quia filius hominis est. Visio quippe filii hominis exhibebitur et malis: nam visio formæ Dei nonnisi mundis corde, quia ipsi Deum videbunt, id est, solis piis quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia se ipsum ostendet illis. (Matth. 5. 8.) Et ideo vide quid sequatur: *Nolite mirari hoc*, inquit. Quid nos prohibet mirari, nisi illud quod revera miratur omnis qui non intelligit, ut ideo diceret Patrem dedisse ei potestatem et judicium facere, quia filius hominis est; cum magis quasi hoc exspectaretur ut diceret, quoniam Filius Dei est? Sed quia Filium Dei secundum id quod in forma Dei æqualis est Patri videre iniqui non possunt; oportet autem ut judicem vivorum et mortuorum, eum coram judicabuntur, et justi videant et iniqui: *Nolite*, inquit, *hoc mirari, quoniam veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus: et prodient qui bona gesserunt, in resurrectionem vitæ; qui autem mala gesserunt, in resurrectionem judicii*. (Johan. 5. 28.) Ad hoc ergo oportebat ut ideo acciperet illam potestatem, quia filius hominis est, ut resurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab omnibus potest, sed alii ad damnationem, alii ad vitam æternam. Quæ est autem vita æterna nisi illa visio, quæ non conceditur impiis? *Ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*. (Johan. 17. 3.) Quomodo et ipsum Jesum Christum, nisi quemadmodum unum verum Deum, qui ostendet se ipsum illis, non quomodo se ostendet etiam puniendis in forma filii hominis?

31. Secundum illam visionem bonus est, secundum quam visionem Deus apparet mundis corde: quoniam *quam bonus Deus Israel rectis corde*. (Psal. 72. 1.) Quando autem judicem videbunt mali, non eis videbitur bonus; quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc se plangent omnes tribus terræ, in numero utique malorum omnium et infidelium. (Apoc. 1. 7.) Propter hoc etiam illi qui eum dixerat magistrum bonum, quærenti ab eo consilium consequendæ vitæ æternæ, respondit, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi* (Matth. 19. 17.)

(a) MSS. an *ex illa qua loquitur*: omisso *de*.

(b) Paullo post ut in vulgata, *exaltavit*: juxta Græcum, ὑπερύψωσεν.

(c) Editi, *ex qua*. Concinnius quidam MSS. *ex quo*.

(d) Plures MSS. *venit*.

(e) Editi omittunt copulantem particulam *et*: quæ hic in MSS. et in Græco reperitur.

unus Deus. Cum et hominem alio loco dicat bonum ipse Dominus: *Bonus homo*, inquit, *de bono thesauro cordis sui profert bona, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* (Matth. 12. 35.) Sed quia ille vitam æternam quærebat, vita autem æterna est in illa contemplatione, qua non ad pœnam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum; et non intelligebat cum quo loquebatur, qui tantummodo eum filium hominis arbitrabatur: *Quid me interrogas*, inquit, *de bono?* id est, istam formam quam vides, quid interrogas de bono, et vocas me secundum quod vides magistrum bonum? Hæc forma filii hominis est, hæc forma accepta est, hæc forma apparebit in judicio, non tantum justis, sed et impiis, et hujus formæ visio non erit in bonum eis qui male agunt. Est autem visio formæ meæ in qua cum essem, non rapinam arbitratus sum esse æqualis Deo, sed ut hanc acciperem me ipsum exinanivi. (Phil. 2. 6.) Ille ergo unus Deus Pater et Filius et Spiritus-sanctus, qui non apparebit nisi ad gaudium quod non auferetur a justis; cui gaudio futuro suspirat qui dicit, *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini:* (Psal. 26. 4.) unus ergo Deus ipse est solus bonus (a), (Matth. 19. 17.) ob hoc, quia nemo eum videt ad luctum et planctum, sed tantum ad salutem et lætitiam veram. Secundum illam formam si me intelligis, bonus sum: si autem secundum hanc solam, quid me interrogas de bono? si inter illos (b) es qui videbunt in quem pupugerunt; (Zac. 12. 10.) et ipsa visio malum eis erit, quia pœnalis erit. Ex ista sententia dixisse Dominum, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus Deus*, his documentis quæ commemoravi probabile est, quia visio illa Dei qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam, quæ solis sanctis promittitur, quam dicit apostolus Paulus, *facie ad faciem:* (1. Cor. 13. 12.) et de qua dicit apostolus Johannes, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est:* (1. Johan. 3. 2.) et de qua dicitur, *Unam petii a Domino, ut contempler delectationem Domini:* (Psal. 26. 4.) et de qua dicit ipse Dominus, A *Et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi:* (Johan. 14. 21.) ut propter quam solam fide corda mundamus, ut simus beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt; (Matth. 5. 8.) et si qua alia de ista visione dicta sunt, quæ copiosissime sparsa per omnes Scripturas invenit quisquis ad eam quærendam oculum amoris intendit: sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipimur agere quidquid recte agimus. Visio vero illa filii hominis quæ prænuntiata est, cum congregabuntur ante eum omnes gentes, et dicent ei, *Domine quando te vidimus esurientem et sitientem*, (Matth. 25. 37.) et cetera, nec bonum erit impiis qui mittentur in ignem æternum, nec summum bonum erit justis. Adhuc enim vocat eos ad regnum, quod eis paratum est ab initio mundi. Sicut enim B illis dicet, *Ite in ignem æternum;* ita istis, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* (Ibidem 31.) Et sicut ibunt illi in ambustionem æternam, sic justi in vitam æternam. Quid est autem vita æterna, nisi, *ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum?* (Johan. 17. 3.) Sed jam in ea claritate de qua dicit Patri, *quam habui apud te prius quam mundus fieret.* Tunc enim tradet regnum Deo et Patri, (1. Cor. 15. 24.) ut intret servus bonus in gaudium Domini sui, et abscondat eos quos possidet Deus in abscondito vultus sui a conturbatione hominum, (Psal. 30. 21.) eorum scilicet qui tunc conturbabuntur audientes illam sententiam: a qua auditu malo justus non timebit, (Psal. 111. 7.) si modo protegatur in tabernaculo, id est in fide recta catholicæ Ecclesiæ, a contradictione linguarum, (Psal. 30. 21.) C id est a calumniis hæreticorum. Si vero est alius intellectus verborum Domini quibus ait, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus Deus;* (Matth. 19. 17.) dum tamen non ideo credatur majoris bonitatis esse Patris quam Filii substantia, secundum quam Verbum est per quod facta sunt omnia, nihilque abhorret a sana doctrina: securi utamur, non uno tantum, sed quotquot reperiri potuerint. Tanto enim fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Sed ea quæ adhuc consideranda sunt, ab alio jam petamus exordio.

LIBER SECUNDUS

Rursum defendit Augustinus æqualitatem Trinitatis, et de Filii missione ac Spiritus-sancti agens, variisque Dei apparitionibus, demonstrat non ideo minorem esse mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est: sed Trinitatem per omnia æqualem, pariter in sua natura immutabilem et invisibilem, et ubique præsentem, in missione seu apparitione qualibet inseparabiliter operari.

Proœmium. 1. Cum hominea Deum quærunt, et ad intelligentiam Trinitatis pro captu infirmitatis humanæ animum intendunt, experti difficultates laboriosas, sive in ipsa acie mentis conantis intueri inaccessibilem lucem, sive in ipsa multiplici et multimoda locutione litterarum sacrarum, ubi mihi non videtur nisi (c) atteri anima, ut Christi gratia glorificata (d) dulcescat: cum ad aliquid certum discussa omni ambigui- D tate pervenerint, facillime debent ignoscere errantibus in tanti pervestigatione secreti. Sed duo sunt quæ in errore hominum difficillime tolerantur, præsumptio prius quam veritas pateat, et cum jam patuerit præsumptæ defensio falsitatis. A quibus duobus vitiis nimis inimicis inventioni veritatis, et tractationi divinorum sanctorumque librorum, si me, ut precor et spero, Deus defenderit atque munierit scuto bonæ vo- (Psal. 5. 13.)

(a) In MSS. ad hæc.
(b) Omnes prope MSS. eris.

(c) Aliquot MSS. alteri Adam.
(d) Plures codices dilucescat.

luntatis suæ et gratia misericordiæ suæ, non ero A segnis ad inquirendam substantiam Dei, sive per Scripturam ejus, sive per creaturam. Quæ utraque nobis ad hoc proponitur intuenda, ut a ipse quæratur, ipse (a) diligatur, qui et illam inspiravit, et istam creavit. Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici a rectis, quam timebo morderi a b perversis. Gratanter enim suscipit (b) oculum columbinum pulcherrima et modestissima caritas: dentem autem caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas: magisque optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante, sive ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus: si ergo inimicus insultat, ferendus est: amicus autem si errat, docendus; si docet, audiendus. Laudator vero et errans confirmat errorem,
Psal. 140. 5. et adulans illicit in errorem. *Emendabit ergo me justus in misericordia et arguet me, oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.*

CAPUT I. Regula duplex ad intelligendas Scripturarum locutiones de Filio Dei. Phil. 2. 6.

2. Quamobrem quamquam firmissime teneamus de Domino nostro Jesu Christo, et per Scripturas disseminatam, et a doctis catholicis earumdem Scripturarum tractatoribus demonstratam tamquam canonicam regulam, quomodo intelligatur Dei Filius et æqualis Patri secundum Dei formam in qua est, et minor Patre secundum servi formam quam accepit: in qua forma non solum Patre, sed etiam Spiritu-sancto, neque hoc tantum, sed etiam se ipso minor inventus est, non se ipso qui fuit, sed se ipso qui est; quia forma servi accepta, formam Dei non amisit, sicut Scripturarum, quæ in superiore libro commemoravimus, testimonia docuerunt: sunt tamen quædam in divinis eloquiis ita posita, ut ambiguum sit ad quam potius regulam referantur, utrum ad eam qua intelligimus minorem Filium in assumpta creatura, an ad eam qua intelligimus, non quidem minorem esse Filium, sed æqualem Patri, tamen ab illo hunc esse Deum de Deo, lumen de lumine. Filium quippe dicimus Deum de Deo: Patrem autem Deum tantum, non de Deo. Unde manifestum est quod Filius habeat alium de quo sit, et cui Filius sit, Pater autem non Filium de quo sit habeat; sed tantum cui Pater sit. Omnis enim filius de patre est quod est, et patri filius est: nullus autem pater de filio est quod est, sed filio pater est.

Locutiones triplicis generis. Johan. 10. 30. Phil. 2. 6.

3. Quædam itaque ita ponuntur in Scripturis de Patre et Filio, ut indicent unitatem æqualitatemque substantiæ, sicuti est, *Ego et Pater unum sumus*, et, *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo;* et quæcumque talia sunt. Quædam vero ita, ut minorem ostendant Filium propter formam servi, id est propter assumptam creaturam mutabilis humanæque substantiæ, sicuti est quod ait, *Quoniam Pater major me est:* et *Pater non judicat* Johan. 14. 28. *quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Nam paullo post consequenter sit, *et potestatem dedit ei judicium facere, quoniam filius hominis est.* Johan. 5. 22. Ibidem 27. Quædam porro ita, ut nec minor nec æqualis tunc ostendatur, sed tantum quod de Patre sit intimetur, ut est illud, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso:* Ibidem 26. et illud, *Neque enim potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ibidem 19. Quod si propterea dictum acceperimus, quia in forma accepta ex creatura minor est Filius, consequens erit ut prior Pater super aquas ambulaverit, aut alicujus alterius cæci nati de sputo et luto oculos aperuerit, Matth. 14. 26. et cetera quæ Filius in carne apparens inter homines fecit, ut posset ea facere qui dixit, non posse Filium a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem; Johan. 9. 6. B quis autem vel delirus ita sentiat? Restat ergo ut hæc ideo dicta sint, quia incommutabilis est vita Filii sicut Patris, et tamen de Patre est; et inseparabilis est operatio Patris et Filii, sed tamen ita operari Filio de illo est, de quo ipse est, id est de Patre; et ita videt Filius Patrem, ut quo eum videt hoc ipso sit Filius. Non enim aliud illi est esse de Patre, id est nasci de Patre, quam videre Patrem; aut aliud videre operantem, quam pariter operari: sed ideo non a se, quia non est a se. Et ideo quæ viderit Patrem facientem, hæc eadem facit et Filius similiter, quia de Patre est. Neque enim alia similiter, sicut pictor alias tabulas pingit, quemadmodum alias ab alio pictas videt; nec eadem dissimiliter, sicut corpus easdem litteras C exprimit, quas animus cogitavit; sed *quæcumque, inquit, Pater facit, hæc eadem et facit Filius similiter.* Johan. 5. 19. Et *hæc eadem* dixit, et *similiter:* ac per hoc inseparabilis et par est operatio Patri et Filio, sed a Patre est Filio. Ideo non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Ex hac ergo regula, qua ita loquuntur Scripturæ, ut non alium alio minorem, sed tantum velint ostendere quis de quo sit, nonnulli eum sensum conceperunt, tamquam minor Filius diceretur. Quidam autem nostri indoctiores, et in his minime eruditi, dum hæc secundum formam servi conantur accipere, et eos rectus intellectus non sequitur, perturbantur. Quod ne accidat, tenenda est hæc regula, qua non minor est Filius, sed quod de Patre D sit intimatur: quibus verbis non inæqualitas, sed nativitas ejus ostenditur.

CAPUT II. Ex utralibet regula intelligi quædam locutiones de Filio.

4. Sunt ergo quædam in sanctis libris, ut dicere cœperam, ita posita, ut ambiguum sit quonam referenda sint, utrum ad illud quod propter assumptam creaturam minor est Filius; an ad illud, quod quamvis æqualis, tamen quia de Patre sit indicatur. Et mihi quidem videtur, si eo modo ambiguum est, ut explicari discernique non possit, ex utralibet regula sine periculo posse intelligi, sicut est quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* Johan. 7. 16. Nam et ex forma servi potest accipi, sicut jam in li-

(a) Michaelinus codex, *intelligatur.*

(b) Plerique MSS. *osculum.*

Supra lib. 1. cap. 12.

bro superiore tractavimus; et ex forma Dei, in qua sic æqualis est Patri, ut tamen de Patre sit. In Dei quippe forma, sicut non est aliud Filius, aliud vita ejus, sed ipsa vita Filius est; ita non est aliud Filius, aliud doctrina ejus, sed ipsa doctrina Filius est. Ac per hoc sicut id quod di-

Johan. 5. 26.

ctum est, *dedit Filio vitam*, non aliud intelligitur quam genuit Filium qui est vita; sic etiam cum dicitur, Dedit Filio doctrinam, bene intelligitur genuit Filium qui est doctrina: ut quod

Johan. 7. 16.

dictum est, ***Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit***, sic intelligatur, ac si dictum sit, Ego non sum a me ipso, sed ab illo qui me misit.

CAPUT III. De Spiritu sancto quædam ex altera tantum regula intelliguntur.

5. Nam et de Spiritu-sancto, de quo non dictum est, Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ait tamen ipse Dominus, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem*

B

veritatem. Non enim loquetur, et a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura

Johan. 16. 13.

sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Post hæc verba, nisi continuo secutus dixisset, *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis:* crederetur fortasse ita natus de Christo Spiritus-sanctus, quemadmodum ille de Patre. De se quippe dixerat, ***Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit:*** de Spiritu autem sancto, ***Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque au-***

Johan. 7. 16.

diet loquetur: et, ***quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.*** Sed quia reddidit caussam cur di-

Johan. 16. 15.

xerit, *de meo accipiet;* ait enim, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi,*

C

quia de meo accipiet: restat ut intelligatur etiam

a

Spiritus-sanctus de (a) Patris habere, sicut et Filius. Quomodo? nisi secundum id quod supra

Johan. 14. 26.

diximus, ***Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*** Procedendo itaque a Patre, dicitur non loqui a semetipso: et sicut non ex eo fit ut

Johan. 5. 19.

minor sit filius quia dixit, ***Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem:*** (Non enim hoc ex forma servi dixit, sed ex forma Dei, sicut jam ostendimus: hæc autem verba non indicant quod minor sit, sed quod de Patre sit:) ita non hinc efficitur ut minor sit Spiritus-sanctus, quia dictum est de illo, ***Non***

Johan. 16. 13.

D

enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur: secundum hoc enim dictum est quod de Patre procedit. Cum vero et Filius de Patre sit, et Spiritus-sanctus a Patre procedat, cur non ambo Filii dicantur, nec ambo geniti, sed ille unus Filius unigenitus, hic autem Spiritus-sanctus nec filius nec genitus, quia si ge-

* Infra lib. 15. c. 25.

nitus utique Filius, * alio loco si Deus donaverit, et quantum donaverit disseremus.

CAPUT IV. Glorificatio Filii a Patre non arguit inæ-qualitatem.

6. VERUMTAMEN hic evigilent, si possunt, qui hoc etiam sibi suffragari putaverunt, quasi ad demonstrandum Patrem Filio majorem, quia dixit Filius, *Pater clarifica me.* Ecce et Spiri-

A

Johan. 17. 1.

tus-sanctus clarificat eum: numquidnam et ipse major est illo? Porro autem si propterea Spiri-

Johan. 16. 14.

tus-sanctus clarificat Filium quia de Filii accipiet, et ideo de ejus accipiet quia omnia quæ habet Pater ipsius sunt; manifestum est, quia cum Spiritus-sanctus glorificat Filium, Pater glorificat Filium. Unde cognoscitur, quod omnia quæ habet Pater non tantum Filii, sed etiam Spiritus-sancti sunt, quia potens est Spiritus-sanctus glorificare Filium, quem glorificat Pater. Quod si ille qui glorificat, eo quem glorificat major est; sinant ut æquales sint qui se invicem glorificant. Scriptum est autem quod et Filius glorificet Patrem: *Ego te*, inquit, *glorificavi super terram.* Sane caveant ne putetur Spiritus-

Johan. 17. 4.

sanctus major ambobus, quia glorificat Filium quem glorificat Pater, Ipsum autem nec a Patre nec a Filio scriptum est glorificari.

CAPUT V. Filius et Spiritus-sanctus non ideo minor quia missus.

7. SED in his convicti, ad illud se convertunt ut dicant, Major est qui mittit, quam qui mittitur: proinde major est Pater Filio, quia Filius a Patre se missum assidue commemorat; major est et Spiritu-sancto, quia de illo dixit Jesus, *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et Spiritus-

Johan. 14. 26.

sanctus utroque minor est; quia et Pater eum mittit, sicut commemoravimus, et Filius cum dicit, ***Si autem abiero, mittam eum ad vos.*** Qua

Johan. 16. 7.

in quæstione primum quæro, unde et (b) quo

b

missus sit Filius. ***Ego***, inquit, ***a Patre exii, et veni in hunc mundum.*** Ergo a Patre exire, et

Ibid. 28.

venire in hunc mundum, hoc est mitti. Quid igitur est quod de illo idem ipse Evangelista di-

C

cit, ***In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit?*** deinde

Johan. 1. 10.

conjungit, ***in sua propria venit.*** Illuc utique missus est, quo venit: at si in hunc mundum missus est, quia exiit a Patre, et venit in hunc mundum; et in hoc mundo erat; illuc ergo missus est ubi erat. Nam et illud quod scriptum est in Propheta Deum dicere, ***Cælum et terram ego impleo;*** si de Filio dictum est, (ipsum enim non-

Jerem. 23. 24.

nulli volunt intelligi vel Prophetis vel in Prophetis locutum,) quo missus est, nisi illuc ubi erat? Ubique enim erat qui sit, ***Cælum et terram ego impleo.*** Si autem de Patre dictum est, ubi esse potuit sine Verbo suo et sine Sapientia sua, quæ ***pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*** Sed neque sine

Sap. 8. 1.

D

Spiritu suo usquam esse potuit. Itaque si ubique est Deus, ubique est etiam Spiritus ejus. Illuc ergo et Spiritus-sanctus missus est ubi erat. Nam et ille qui non invenit locum quo eat a facie Dei et dicit, ***Si adscendero in cælum, tu ibi***

Psal. 138. 8.

es; si descendero in infernum, ades: ubique volens intelligi præsentem Deum, prius nominavit Spiritum ejus. Nam sic ait, ***Quo abibo a Spiritu***

Ibid. 7.

tuo, et quo a facie tua fugiam?

8. Quocirca si et Filius et Spiritus-sanctus illuc mittitur ubi erat, quærendum est quomodo intelligatur ista missio, sive Filii, sive Spiritus-sancti. Pater enim solus nusquam legitur mis-

(a) Editi, *de Patre.* At MSS. *de Patris.* Sic exprimere solet Augustinus, id est, *de Patris,* aut *de ipsius:* ubi citat illud Filii, *De meo accipiet.*

(b) Editi, *et quomodo,* Castigantur ex MSS.

sus. Et de Filio quidem ita scribit Apostolus, A
Galat. 4. 4. *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, Misit*, inquit, *Filium suum factum ex muliere.* Quo nomine quis catholicus nesciat, non eum privationem virginitatis, sed differentiam sexus hebræo loquendi more significare voluisse? Cum itaque sit, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, satis ostendit eo ipso missum Filium quo factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat: quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus advenit. Proinde mitti a Patre sine Spiritu-sancto non potuit, non solum quia intelligitur pater, cum eum misit, id est fecit ex fœmina, non utique sine Spiritu suo fecisse; verum etiam quod B manifestissime atque apertissime in Evangelio dicitur virgini Mariæ quærenti ab Angelo, *Quo-*
Lucæ 1. 34. *modo fiet istud? Spiritus-sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Mat-
Matth. 1. 18. thæus dicit, *Inventa est in utero habens de Spiritu-sancto.* Quamquam et apud Isaiam prophetam ipse Christus intelligitur de adventu suo
Isai. 48. 16. futuro dicere, *Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus.*

Filius etiam a se ipso missus. 9. Fortasse aliquis cogat, ut dicamus etiam a se ipso missum esse Filium; quia ille Mariæ conceptus et partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur. Et quomodo jam, inquit, Pater eum misit, si ipse se misit? Cui primum respondeo, quærens ut dicat, si potest, quomodo Pater eum sanctificavit, si se ipse sanctificavit? C Utrumque enim idem Dominus ait:
Johan. 10. 36. *Quem Pater*, inquit, *sanctificavit, et misit in hunc mundum, vos dicitis quia blasphemas, quo-*
Johan. 17. 19. *niam dixi, Filius Dei sum.* Alio autem loco ait, *Et pro eis sanctifico me ipsum.* Item quæro quomodo eum Pater tradidit, si se ipse tradidit. Utrumque enim dicit apostolus Paulus. *Qui Fi-*
Rom. 8. 32. *lio*, inquit, *proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* Alibi autem de ipso Sal-
Gal. 2. 20. vatore ait, *Qui me dilexit, et tradidit se ipsum pro me.* Credo respondebit, si hæc probe sapit, quia una voluntas est Patris et Filii, et inseparabilis operatio. Sic ergo intelligat illam incarnationem et ex virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus, una eademque operatione Patris et Filii inseparabiliter esse factam, D non utique inde separato Spiritu-sancto, de quo aper-
Matth. 1. 18. te dicitur, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Nam etiam si ita quæramus, enodatius fortassis quod dicimus apparebit, Quomodo misit Deus Filium suum? Jussit ut veniret atque ille jubenti obtemperans venit, an rogavit, an tantummodo admonuit? Sed quodlibet horum sit, verbo utique factum est, Dei autem Verbum ipse est Dei Filius. Quapropter cum eum Pater verbo misit, a Patre et Verbo ejus factum est ut mitteretur. Ergo a Patre et Filio missus est idem Filius, quia Verbum Patris est ipse Filius. Quis enim se tam sacrilega induat opinione, ut putet temporale verbum a Patre factum esse, A ut æternus Filius mitteretur et in carne appareret ex tempore? Sed utique in ipso Dei Verbo quod erat in principio apud Deum et Deus erat, Johan. 1. 2.
in ipsa scilicet Sapientia Dei, sine tempore erat, quo tempore illam in carne apparere oporteret. Itaque cum sine ullo initio temporis in principio esset Verbum, et Verbum esset apud Deum, et Deus esset Verbum; sine ullo tempore in ipso Verbo erat, quo tempore Verbum caro fieret, et habitaret in nobis. Quæ plenitudo temporis cum Gal. 4. 4.
venisset, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, id est factum in tempore, ut incarnatum Verbum hominibus appareret; quod in ipso Verbo sine tempore erat, in quo tempore fieret. Ordo quippe temporum in æterna Dei Sapientia sine tempore est. Cum itaque hoc a Patre et Fi- B lio factum esset, ut in carne Filius appareret, congruenter dictus est missus ille qui in ea carne apparuit, misisse autem ille qui in ea non apparuit. Quoniam illa quæ coram corporeis oculis foris geruntur, ab interiore apparatu naturæ spiritalis exsistunt, et propterea convenienter missa dicuntur. Forma porro illa suscepti hominis, Filii persona est, non etiam Patris: Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisibili, eumdem Filium visibilem faciendo misisse eum dictus est: qui si eo modo visibilis fieret, ut cum Patre invisibilis esse desisteret, id est, si substantia invisibilis Verbi in creaturam visibilem mutata et transiens verteretur, ita missus a Patre intelligeretur Filius, ut tantum missus, non etiam cum Patre mittens C inveniretur. Cum vero sic accepta est forma servi, ut maneret incommutabilis forma Dei, manifestum est, quod a Patre et Filio non apparentibus factum sit quod appareret in Filio, id est, ut ab invisibili Patre cum invisibili Filio, idem ipse Filius visibilis mitteretur. Cur ergo ait, *Et a me ipso non veni?* Jam hoc secundum Johan. 8. 42.
formam servi dictum est, secundum quam dictum est, *Ego non judico quemquam.* Ibidem 15.

De missione Spiritus sancti. 10. Si ergo missus dicitur in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spiritali oculis mortalium semper occultus est, jam in promptu est intelligere etiam de Spiritu-sancto cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore in qua visibiliter ostenderetur Spiritus-sanctus, Matth. 3. 16.
D sive cum in ipsum Dominum corporali specie velut columba descendit, sive cum decem diebus peractis post ejus adscensionem, die Pentecostes factus est subito de cælo sonus quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ tamquam ignis, qui et insedit super unumquemque eorum. Act. 2. 2.
Hæc operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus missio Spiritus-sancti dicta est; non ut appareret ejus ipsa substantia, qua et ipse invisibilis et incommutabilis est, sicut Pater et Filius: sed ut exterioribus visis hominum corda commota, a temporali manifestatione venientis ad occultam æternitatem semper præsentis converterentur.

CAPUT VI.

11. Ipso autem nusquam scriptum est, quod

Non sic assumpta creatura a Spiritu-sancto, ut caro a Verbo.

Deus Pater major sit Spiritu-sancto, vel Spiritus-sanctus minor Deo Patre, quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus-sanctus, sicut assumptus est filius hominis, in qua forma ipsius Verbi Dei persona præsentaretur: [Hebr. 1. 9.] non ut haberet Verbum Dei, sicut alii sancti sapientes, sed præ participibus suis; non utique quod amplius habebat Verbum, ut esset quam ceteri excellentiore sapientia, sed quod ipsum Verbum erat. Aliud est enim Verbum in carne, aliud Verbum caro, id est, aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo. Caro enim pro homine posita est in eo quod ait, *Verbum caro factum est:* [Johan. 1. 14. Luc. 3. 6.] sicut et aliud, *Et videbit omnis caro pariter salutare Dei.* Non enim sine anima vel sine mente: sed ita omnis caro, ac si diceretur, omnis homo. Non ergo sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus-sanctus, sicut est assumpta caro illa et humana illa forma ex virgine Maria. Neque enim columbam beatificavit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem, sibique et personæ suæ in unitatem habitumque conjunxit in æternum: aut vero mutabilis et convertibilis est natura Spiritus-sancti, ut non hæc ex creatura fierent, sed ipse in illud atque illud mutabiliter verteretur, sicut aqua in glaciem. Sed apparuerunt ista, sicut opportune apparere debuerunt, creatura serviente Creatori, et ad nutum ejus incommutabiliter in se ipso permanentis, ad eum significandum et demonstrandum, sicut significari et demonstrari mortalibus oportebat, mutata atque conversa. Proinde quamquam illa columba Spiritus dicta sit, et de illo igne cum diceretur, [Matth. 3. 16. Act. 2. 3.] *Visæ sunt illis,* inquit, *linguæ divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum et cœperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare*, ut ostenderet per illum ignem Spiritum demonstratum, sicut per columbam: non tamen ita possumus dicere, (a) Spiritum-sanctum et Deum et columbam, aut et Deum et ignem, sicut dicimus Filium et Deum et hominem: nec sicut dicimus Filium agnum Dei, non solum Johanne [Johan. 1. 29.] Baptista dicente, *Ecce agnus Dei*; sed etiam Johanne Evangelista vidente agnum occisum in [Apoc. 5. 6.] Apocalypsi. Illa quippe visio prophetica non est exhibita oculis corporeis per formas corporeas, sed in spiritu per spiritales imagines corporum. Columbam vero illam et ignem oculis viderunt, quicumque viderunt. Quamquam de igne disceptari potest, utrum oculis, an spiritu visus sit, propter verba sic posita. Non enim ait, Viderunt linguas divisas velut ignem; sed, [Act. 2. 3.] *Visæ sunt eis.* Non autem sub eadem significatione solemus dicere, Visum est mihi, qua dicimus, Vidi. Et in illis quidem spiritalibus visis imaginum corporalium solet dici, et Visum est mihi, et Vidi: in istis vero quæ per expressam corporalem speciem oculis demonstrantur, non solet dici, Visum est mihi; sed, Vidi. De illo ergo igne potest esse quæstio, quomodo visus sit, utrum intus in spiritu tamquam foris, an vere foris coram oculis carnis. De illa vero columba quæ dicta est corporali specie descendisse, nullus umquam dubitavit, quod oculis visa sit. Nec sicut dicimus Filium petram, (scriptum est enim, *Petra autem erat Christus*,) [1. Cor. 10. 4.] ita possumus dicere Spiritum columbam vel ignem. Illa enim petra jam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine Christi quem significabat; sicut [Gen. 28. 18.] lapis ille quem Jacob (b) positum ad caput etiam unctione ad significandum Dominum assumpsit; sicut Isaac Christus erat, cum ad se immolandum ligna portabat. [Gen. 22. 6.] Accessit istis actio quædam significativa jam exsistentibus: non autem, sicut illa columba et ignis, ad hæc tantummodo significanda repente exstiterunt. Magis ista similia mihi videntur flammæ illi quæ in rubo apparuit [Exodi 3. 2.] Moysi, et illi columnæ quam populus in eremo sequebatur, et fulguribus et tonitruis quæ fiebant cum Lex daretur in monte. [Exodi 13. 21. Exodi 19. 16.] Ad hoc enim illarum rerum corporalis exstitit species, ut aliquid significaret atque præteriret.

CAPUT VI. Dubitatio de apparitionibus divinis.

12. Propter has ergo corporales formas, quæ ad eum significandum, et sicut humanis sensibus oportebat demonstrandum temporaliter exstiterunt, missus dicitur etiam Spiritus-sanctus: non tamen minor Patre dictus est, sicut Filius propter formam servi; quia illa forma servi inhæsit ad unitatem personæ, illæ vero species corporales ad demonstrandum quod opus fuit ad tempus apparuerunt, et esse postea destiterunt. Cur ergo non et Pater dicitur missus per illas species corporales, ignem rubi, et columnam nubis vel ignis, et fulgura in monte, et si qua talia tunc apparuerunt, cum eum coram locutum Patribus, teste Scriptura, didicimus, si per illos creaturæ modos et formas corporaliter expressas et humanis adspectibus præsentatas ipse demonstrabatur? Si autem Filius per ea demonstrabatur, cur tanto post dicitur missus, cum ex fœmina factus est, sicut Apostolus dicit. [Gal. 4. 4.] *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere:* quandoquidem et antea mittebatur, cum per illas creaturæ mutabiles formas Patribus apparebat? Aut si non recte posset dici missus, nisi cum [Johan. 1. 14.] Verbum caro factum est, cur missus dicitur Spiritus-sanctus, cujus nulla talis incorporatio facta est? Si vero per illa visibilia quæ in Lege et Prophetis commendantur, nec Pater, nec Filius, (c) sed Spiritus-sanctus ostendebatur, cur etiam ipse nunc dicitur missus, cum illis modis et antea mitteretur?

13. In hujus perplexitate quæstionis, adjuvante Domino, primum quærendum est, utrum Pater, an Filius, an Spiritus-sanctus; an aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus-sanctus, an sine ulla distinctione personarum, sicut dicitur Deus unus et solus, id est ipsa

(a) Plures MSS. *unam personam Spiritum-sanctum et Deum et Columbam.*

(b) Sic Am. Er. et MSS. At Lov. *posuit ad caput etiam unctionem.*

(c) Sola fere editio Lov. *nec Spiritus-sanctus.*

Trinitas per illas creaturæ formas Patribus apparuerit. Deinde quodlibet horum inventum visumve fuerit, utrum ad hoc opus tantummodo creatura formata sit, in qua Deus sicut tunc oportuisse judicavit, humanis ostenderetur aspectibus; an Angeli qui jam erant ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea, in usum ministerii sui, sicut cuique opus esset aut ipsum corpus suum cui non subduntur, sed subditum regunt, in species quas vellent accommodatas atque aptas actionibus suis mutantes atque vertentes secundum attributam sibi a Creatore potentiam. Postremo videbimus id quod quærere institueramus utrum Filius et Spiritus-sanctus et antea mittebantur: et si mittebantur, quid inter illam missionem, et eam quam in Evangelio legimus, distet: an missus non sit aliquis eorum, nisi cum vel Filius factus esset ex Maria virgine, vel cum Spiritus-sanctus visibili specie sive in columba, sive in igneis linguis apparuit.

Infra lib. 3. cap. 1.

CAPUT VIII. Tota Trinitas invisibilis.

Sap. 7. 27.

14. OMITTAMUS igitur eos, qui nimis carnaliter naturam Verbi Dei atque Sapientiam, quæ in se ipsa manens, innovat omnia, quem unicum Dei Filium dicimus, non solum mutabilem, verum etiam visibilem esse putaverunt. Hi enim multum crassum cor divinis rebus inquirendis audacius quam religiosius attulerunt. Anima quippe cum sit substantia spiritalis, cumque etiam ipsa facta sit, nec per alium fieri potuerit, nisi per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, quamvis sit mutabilis, non est tamen visibilis: quod illi de Verbo ipso atque ipsa Dei Sapientia, per quam facta est anima, crediderunt; cum sit illa non invisibilis tantum quod et anima est, sed etiam incommutabilis quod anima non est. Eadem quippe incommutabilitas ejus commemorata est ut diceretur, *In se ipsa manens innovat omnia*. Et isti quidem ruinam erroris sui divinarum Scripturarum testimoniis quasi fulcire conantes, adhibent Pauli apostoli sententiam; et quod dictum est de uno solo Deo, in quo ipsa Trinitas intelligitur, tantum de Patre, non et de Filio et de Spiritu-sancto dictum accipiunt, *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum*, et illud alterum, *Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest*. Hæc quemadmodum intelligenda sint, jam satis nos disseruisse arbitror.

Johan. 1. 3.

Sap. 7. 27.

1. Tim. 1. 17.

1. Tim. 6. 15.

CAPUT IX. Contra eos qui credebant solum Patrem immortalem et invisibilem.

1. Tim. 6. 16.

15. VERUM illi qui ista non de Filio nec de Spiritu-sancto, sed tantum de Patre accipi volunt, dicunt visibilem Filium, non per carnem de virgine assumptam, sed etiam antea per se ipsum. Nam ipse, inquiunt, apparuit oculis Patrum. Quibus si dixeris, Quomodo ergo visibilis per se ipsum Filius, ita et mortalis per se ipsum, ut constet vobis quod tantummodo de Patre vultis intelligi, quod dictum est, *Qui solus habet immortalitatem*. Nam si propter carnem susceptam mortalis est Filius, propter hanc sinite ut sit et visibilis. Respondent, nec propter hanc se mortalem Filium dicere; sed sicut et ante visibilem, ita et ante mortalem. Nam si propter carnem Filium dicunt esse mortalem, jam non Pater sine Filio solus habet immortalitatem; quia et Verbum ejus, per quod facta sunt omnia, habet immortalitatem. Neque enim quia carnem assumpsit mortalem, ideo amisit immortalitatem suam: quandoquidem nec animæ humanæ hoc accidere potuit, ut cum corpore moreretur, dicente ipso Domino, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*: aut vero etiam Spiritus-sanctus carnem assumpsit, de quo utique sine dubio turbabuntur, si propter carnem mortalis est Filius, quomodo accipiant Patrem tantummodo sine Filio et sine Spiritu-sancto habere immortalitatem; quandoquidem Spiritus-sanctus non assumpsit carnem: qui si non habet immortalitatem, non ergo propter carnem mortalis est Filius: si autem habet Spiritus-sanctus immortalitatem, non de Patre tantummodo dictum est, *Qui solus habet immortalitatem*. Quocirca ita se arbitrantur et ante incarnationem per se ipsum mortalem Filium posse convincere, quia ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur, secundum quam et anima dicitur mori: non quia in corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur et vertitur; sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est ac fuit, secundum id quod destitit esse quod erat, mortale deprehenditur. Quia itaque, inquiunt, ante quam natus esset Filius Dei de virgine Maria, ipse apparuit Patribus nostris, non in una eademque specie, sed multiformiter, aliter atque aliter, et visibilis est per se ipsum, quia nondum carne assumpta, substantia ejus conspicua mortalibus oculis fuit; et mortalis, in quantum mutabilis: ita et Spiritus-sanctus, qui alias columba, alias ignis apparuit. Unde non Trinitati, ajunt, sed singulariter et proprie Patri tantummodo convenit quod dictum est, *Immortali, invisibili, soli Deo*: et, *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest*.

Matth. 10. 28.

16. Omissis ergo istis, qui nec animæ substantiam invisibilem nosse potuerunt, unde longe remotum ab eis erat ut nossent unius et solius Dei, id est, Patris et Filii et Spiritus-sancti, non solum invisibilem, verum et incommutabilem permanere substantiam, ac per hoc in vera et sincera immortalitate consistere: nos qui numquam apparuisse corporeis oculis Deum nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum-sanctum dicimus, nisi per subjectam suæ potestati corpoream creaturam, in pace catholica pacifico studio requiramus, parati corrigi, si fraterne ac recte reprehendimur; parati etiam si ab inimico, vera tamen dicente, mordemur, utrum indiscrete Deus apparuerit Patribus nostris ante quam Christus veniret in carne, an aliqua ex Trinitate persona, an singillatim quasi per vices.

Pacifico studio quærenda veritas.

CAPUT X. An indiscrete Deus Trinitas Patribus apparuerit, an aliqua ex Trinitate persona.

A 17. Ac primum in eo quod in Genesi scriptum est, locutum Deum cum homine quem de limo finxerat, si excepta figurata significatione, ut rei gestæ fides etiam ad litteram teneatur, ista tractamus, in specie hominis videtur Deus cum homine tunc locutus. Non quidem expresse hoc in libro positum est, sed circumstantia lectionis id resonat, maxime illo quod scriptum est, vocem Dei audivisse Adam deambulantis in paradiso ad vesperam, et abscondisse se in medio ligni quod erat in paradiso, Deoque dicenti, *Adam ubi es*; respondisse, *Audivi vocem tuam, et abscondi me a facie tua, quoniam nudus sum*. (Gen. 3, 8.) (Apparitio Dei Adamo.) Quomodo enim possit ad litteram intelligi talis Dei deambulatio et collocutio, nisi in specie humana, non video. Neque enim dici potest vocem B solam factam ubi deambulasse dictus est Deus, aut eum qui deambulabat in loco non fuisse visibilem, cum et Adam dicat quod se absconderit a facie Dei. Quis erat ergo ille, utrum Pater, an Filius, an Spiritus-sanctus? An omnino Deus indiscrete ipsa Trinitas, in forma hominis homini loquebatur? Contextio quidem ipsa Scripturæ nusquam transire sentitur a persona ad personam: sed ille videtur loqui ad primum hominem qui dicebat, *Fiat lux*, et *fiat firmamentum*, et cetera per illos singulos dies, quem Deum Patrem solemus accipere, dicentem ut fiat quidquid facere voluit. (Gen. 1, 3.) Omnia enim per Verbum suum fecit, quod Verbum ejus unicum Filium ejus secundum rectam fidei regulam novimus. Si ergo Deus Pater locutus est ad primum hominem, et ipse deambulabat in paradiso ad ve- C speram, et ab ejus facie se in medio ligni paradisi peccator absconderat; cur jam non ipse intelligatur apparuisse Abrahæ et Moysi, et quibus voluit, et quemadmodum voluit, per subjectam sibi commutabilem atque visibilem creaturam, cum ipse in ipso atque in substantia sua qua est incommutabilis atque invisibilis maneat? Sed fieri potuit, ut a persona ad personam occulte Scriptura transiret, et cum Patrem dixisse narrasset, *Fiat lux*, et cetera quæ per Verbum fecisse commemoratur, jam (a) Filium indicaret loqui ad primum hominem, non aperte hoc explicans, sed eis qui possent intelligendum intimans.

(De eadem apparitione.) 18. Qui ergo habet vires, quibus hoc secretum possit mentis acie penetrare, ut ei liquido D appareat vel posse etiam Patrem, vel non posse nisi Filium, et Spiritum-sanctum, per creaturam visibilem humanis oculis apparere, pergat in hæc scrutanda, si potest etiam verbis enuntianda atque tractanda: res tamen, quantum ad hoc Scripturæ testimonium adtinet, ubi Deus cum homine locutus est, quantum existimo, occulta est: quia etiam utrum soleret Adam corporeis oculis Deum videre, non evidenter apparet; cum præsertim magna sit quæstio, cujusmodi oculi eis aperti fuerint, quando vetitum cibum gustaverunt: hi enim ante quam gustassent, clausi erant. Illud (b) tamen non temere dixerim, si paradisum corporalem quemdam locum illa Scriptura insinuat, deambulare ibi Deum nisi in aliqua corporea forma nullo modo potuisse. Nam et solas voces factas quas audiret homo, nec aliquam formam videret, dici potest: nec quia scriptum est, *abscondit se Adam a facie Dei*; (Gen. 3, 8.) continuo sequitur ut soleret faciem ejus videre. Quid si enim non quidem videre ipse poterat, sed videri ipse metuebat ab eo cujus vocem audierat, et deambulantis præsentiam senserat? Nam et Cain dixit Deo, *A facie tua abscondam me*: (Gen. 4, 14.) nec ideo fateri cogimur, eum solere cernere faciem Dei corporeis oculis, in qualibet forma visibili, quamvis de facinore suo vocem interrogantis secumque loquentis audisset. Cujusmodi autem loquela tunc Deus exterioribus hominum auribus insonaret, maxime ad primum hominem loquens, et invenire difficile est, et non hoc isto sermone suscepimus. (Gen. 3, 9.) Verumtamen si solæ voces et sonitus fiebant, quibus quædam sensibilis præsentia Dei primis illis hominibus præberetur, cur ibi personam Dei Patris non intelligam nescio: quandoquidem persona ejus ostenditur et in ea voce, cum Jesus in monte coram tribus discipulis præfulgens apparuit; (Matth. 17, 5.) et in illa, quando super baptizatum columba descendit; (Matth. 3, 17.) et in illa ubi ad Patrem de sua clarificatione clamavit, eique responsum est, *Et clarificavi, et iterum clarificabo*. (Johan. 12, 28.) Non quia fieri potuit vox sine opere Filii et Spiritus-sancti, (Trinitas quippe inseparabiliter operatur,) sed quia ea vox facta est, quæ solius personam Patris ostenderet: sicut humanam illam formam ex virgine Maria Trinitas operata est, sed solius Filii persona est; visibilem namque Filii solius personam, invisibilis Trinitas operata est. Nec nos aliquid prohibet, illas voces factas ad Adam, non solum a Trinitate factas intelligere, sed etiam personam demonstrantes ejusdem Trinitatis accipere. Ibi enim cogimur, nonnisi Patris accipere, ubi dictum est, *Hic est Filius meus dilectus*. (Matth. 3, 17.) Neque enim Jesus etiam Spiritus-sancti filius, aut etiam suus filius credi aut intelligi potest. Et ubi sonuit, *Et clarificavi, et iterum clarificabo*, nonnisi Patris personam fatemur. (Johan. 12, 28.) Responsio quippe est ad illam Domini vocem qua dixerat, *Pater clarifica Filium tuum*: quod non potuit dicere nisi Deo Patri tantum, non et Spiritui-sancto, cujus non erat filius. Hic autem ubi scriptum est, *Et dixit Dominus Deus ad Adam*, cur non ipsa Trinitas intelligatur, nihil dici potest. (Gen. 3, 9.)

19. Similiter etiam quod scriptum est, *Et dixit Dominus ad Abraham, Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui*, (Gen. 12, 1. Visio Abrahæ.) non est apertum, utrum sola vox facta sit ad aures Abrahæ, an et aliquid oculis ejus apparuerit. Paulo post autem aliquanto apertius dictum est, *Et visus est Dominus Abrahæ, et dixit illi, Semini tuo dabo terram hanc*. (Ibidem 7.) Sed nec ibi expres-

(a) Sic plerique MSS. At editi, per Filium indicat.

(b) Plures MSS. illud tantum.

sum est, in qua specie visus sit ei Dominus, aut A utrum Pater, an Filius, an Spiritus-sanctus ei visus sit. Nisi forte ideo putant Filium visum esse Abrahæ, quia non scriptum est, Visus est
1. Cor. 8. 5. ei Deus, sed, *Visus est ei Dominus.* Tamquam enim proprie videtur Filius Dominus vocari, dicente Apostolo, *Nam etsi sunt qui dicuntur dii sive in cœlo sive in terra, sicuti sunt dii multi et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia et nos per ipsum.* Sed cum et Deus Pater multis locis inveniatur
Psal. 2. 7. dictus Dominus, sicuti est illud, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te:* et
Psal. 109. 1. illud, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam:* cum etiam Spiritus-sanctus Dominus dictus inveniatur, ubi Apostolus ait, *Do-* B
2. Cor. 3. 17. *minus autem Spiritus est:* et ne quisquam arbitraretur Filium significatum, et ideo dictum spiritum propter incorpoream substantiam, secutus contexuit, *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas:* Spiritum autem Domini Spiritum-sanctum esse nemo dubitaverit. Neque hic ergo evidenter apparet, utrum aliqua ex Trinitate persona, an Deus ipse Trinitas, de quo uno Deo
Deut. 6. 13. dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, visus fuerit Abrahæ. Sub ilice autem Mambre tres viros vidit, quibus et invitatis hospitioque susceptis et epulantibus ministravit. Sic tamen Scriptura illam rem gestam narrare cœpit, ut non dicat, Visi sunt ei tres viri; sed, *Visus est ei Dominus.* Atque inde consequenter exponens, quomodo ei visus sit Dominus, adtexit narrationem de tribus viris, quos C Abraham per pluralem numerum invitat, ut hospitio suscipiat; et postea singulariter sicut unum alloquitur: et sicut unus ei de Sara filium pollicetur, quem Dominum dicit Scriptura, sicut in
Gen. 18. 1. ejusdem narrationis exordio, *Visus est*, inquit, *Dominus Abrahæ.* Invitat ergo, et pedes lavat, et deducit abeuntes tamquam homines: loquitur autem tamquam cum Domino Deo, sive cum ei promittitur filius, sive cum ei Sodomis imminens interitus indicatur.

CAPUT XI. De eadem visione.

20. Non parvam neque transitoriam considerationem postulat iste Scripturæ locus. Si enim vir unus visus fuisset; jam illi qui dicunt et prius quam de virgine nasceretur per suam substantiam visibilem Filium, quid aliud quam ipsum esse clamarent? Quoniam de Patre, in- D
1. Tim. 1. 17. quiunt, dictum est, *Invisibili soli Deo.* Et tamen possem adhuc quærere, quomodo ante susceptam carnem, habitu est inventus ut homo;
Philip. 2. 7. quandoquidem ei pedes loti sunt et humanis epulis epulatus est? Quomodo istud fieri poterat, cum adhuc in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo? Numquid enim jam semetipsum exinanierat, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo? cum hoc quando fecerit per partum virginis noverimus. Quomodo igitur ante quam hoc fecisset, ut vir unus apparuit Abrahæ? An illa forma vera non erat? Possem ista quærere, si vir unus apparuisset Abrahæ, idemque Dei Filius crederetur. Cum vero tres Gen. 18. 2.
viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel ætate, vel potestate major ceteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis unam eamdemque substantiam?

21. Nam ne quisquam putaret sic intimatum unum in tribus fuisse majorem, et eum Dominum Dei Filium intelligendum, duos autem alios Angelos ejus, quia cum tres visi sint, uni Domino illic loquitur Abraham; sancta Scriptura futuris talibus cogitationibus atque opinionibus contradicendo non prætermisit occurrere, quando paullo post duos Angelos dicit venisse ad Loth, Gen. 19. 1.
in quibus et ille vir justus qui de Sodomorum incendio meruit liberari, ad unum Dominum loquitur. Sic enim sequitur Scriptura dicens, *Abiit autem Dominus post quam cessavit loquens ad* Gen. 18. 33.
Abraham, et Abraham reversus est ad locum suum. * *Venerunt autem duo Angeli in Sodomis* * CAPUT XII. Visio Loth excutitur.
vespere. Hic adtentius considerandum est, quod ostendere institui. Cum tribus certe loquebatur Abraham, et eum Dominum singulariter appellavit. Forte inquit aliquis, Unum ex tribus agnoscebat Dominum, alios autem duos Angelos ejus. Gen. 19. 1.
Quid sibi ergo vult, quod consequenter dicit Scriptura, *Abiit autem Dominus postquam cessavit loquens ad Abraham, et Abraham reversus* Gen. 18. 33.
est ad locum suum: venerunt autem duo Angeli in Sodomis vespere? An forte ille unus abscesserat, qui Dominus agnoscebatur in tribus, et duos Angelos qui cum illo erant ad consumendam miserat Sodomam? Ergo sequentia videamus. *Venerunt*, inquit, *duo Angeli in Sodomis vespere. Loth autem sedebat ad portam Sodomorum. Et cum vidisset eos Loth, surrexit in obviam illis, et adoravit in faciem super terram, et dixit, Ecce, Domini divertite in domum pueri vestri.* Hic manifestum est, et duos Angelos fuisse, et in hospitium pluraliter invitatos, et honorifice appellatos Dominos, cum fortasse homines putarentur.

22. Sed rursum movet, quia nisi Angeli Dei cognoscerentur, non adoraret Loth in faciem super terram. Cur ergo tamquam tali humanitate indigentibus et hospitium præberetur et victus? Sed quodlibet hic lateat, illud nunc quod suscepimus exsequamur. Duo apparent, Angeli (a) ambo dicuntur, pluraliter invitantur, a
tamquam cum duobus pluraliter loquitur, donec exeatur a Sodomis. Deinde sequitur Scriptura et dicit, *Et factum est post quam eduxerunt eos foras, dixerunt, Salvans salva animam* Gen. 19. 17.
tuam, ne respexeris retro, neque stes in hac universa regione: in montem vade, et ibi salvaberis, ne forte comprehendaris. Dixit autem Loth ad eos, Rogo, Domine, quoniam invenit puer tuus ante te misericordiam, etc. Quid est hoc

(a) Unus e Vaticanis MSS. *Duo apparent Angeli ambo dicuntur Domini.*

quod dixit ad eos, *Rogo, domine*, si jam ille discesserat qui Dominus erat, et Angelos miserat? cur dicitur, *Rogo Domine;* et non, Rogo, Domini? Aut si unum ex eis voluit appellare, cur ait Scriptura, *Dixit autem Loth ad eos, Rogo, Domine, quoniam invenit puer tuus ante te misericordiam?* An et hic intelligimus in plurali numero duas personas? cum autem iidem duo tamquam unus compellantur, unius substantiæ unum Dominum Deum? Sed quas duas personas hic intelligimus? Patris et Filii, an Patris et Spiritus-sancti, an Filii et Spiritus-sancti? Hoc forte congruentius quod ultimum dixi. Missos enim se dixerunt, quod de Filio et de Spiritu-sancto dicimus. Nam Patrem missum nusquam Scripturarum nobis occurrit.

CAPUT XIII. Visio in rubo.

Exodi 3. 1.

23. Moyses autem quando ad populum Israel ex Ægypto educendum missus est, sic ei Dominum apparuisse scriptum est: *Poscebat*, inquit, *oves Jethro soceri sui sacerdotis Madiam, et egit oves in desertum, et venit in montem Dei Choreb. Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo. Et vidit quia in rubo arderet ignis, rubus vero non comburebatur: et ait Moyses, Ibo, et videbo visum istud, quod tam magnum vidi, quoniam non comburitur rubus. Cum ergo vidit Dominus, quia venit videre, clamavit* (a) *eum Dominus de rubo dicens, Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Et hic primo Angelus Domini dictus est, deinde Deus. Numquid ergo Angelus est Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob? Potest ergo recte intelligi ipse Salvatur, de quo dicit Apostolus, *Quorum Patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* (Rom. 9. 5.) Qui ergo super omnia est Deus benedictus in sæcula, non absurde etiam hic ipse intelligitur Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Sed cur prius Angelus Domini dictus est, cum de rubo in flamma ignis apparuit; utrum quia unus ex multis Angelis erat, sed per dispensationem personam Domini sui gerebat? an assumptum erat aliquid creaturæ, quod ad præsens negotium visibiliter appareret, et unde voces sensibiliter ederentur, quibus præsentia Domini per subjectam creaturam corporeis etiam sensibus hominis sicut oportebat exhiberetur? Si enim unus ex Angelis erat, quis facile affirmare possit, utrum ei Filii persona nuntianda imposita fuerit, an Spiritus-sancti, an Dei Patris, an ipsius omnino Trinitatis, qui est unus et solus Deus, ut diceret, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob?* (Exodi 3. 6.) Neque enim possumus dicere Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob, Filium Dei esse, et Patrem non esse; aut Spiritum-sanctum, aut ipsam Trinitatem, quam credimus et intelligimus unum Deum, audebit aliquis negare Deum Abraham, et Deum Isaac et Deum Jacob. Ille enim non est illorum Patrum Deus, qui non est Deus. Porro si non solum Pater Deus est, sicut omnes etiam hæretici concedunt; sed etiam Filius, quod velint nolint coguntur fateri, dicente Apostolo, *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula;* (Rom. 9. 5.) et Spiritus-sanctus, dicente ipso Apostolo, *Clarificate ergo Deum in corpore vestro;* (1. Cor. 6. 20.) cum supra diceret, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis a Deo;* (Ibidem 19.) et hi tres unus Deus, sicut catholica sanitas credit: non satis elucet quam in Trinitate personam, et utrum aliquam, an ipsius Trinitatis gerebat ille Angelus, si unus ex ceteris Angelis erat. Si autem in usum rei præsentis assumpta creatura est, et quæ humanis oculis appareret, et auribus insonaret, et appellaretur Angelus Domini, et Dominus, et Deus: non potest hic Deus intelligi Pater, sed aut Filius aut Spiritus-sanctus. Quamquam Spiritum-sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, sed ex opere possit intelligi; dictum enim de illo est, *Quæ ventura sunt annuntiabit vobis:* (Johan. 16. 13.) et utique Angelus græce, latine nuntius interpretatur: de Domino autem Jesu Christo evidentissime legimus apud Prophetam, quod *magni consilii Angelus* dictus sit; (Isai. 6. 9.) cum et Spiritus-sanctus, et Dei Filius, sit Deus et Dominus Angelorum.

CAPUT XIV. De visione in columna nubis et ignis.

24. Item in exitu filiorum Israel de Ægypto scriptum est, *Deus autem præibat illos, die quidem in columna nubis, et ostendebat illis viam: nocte autem in columna ignis: et non deficiebat columna nubis die et columna ignis nocte ante populum.* (Exodi 13. 21.) Quis et hic dubitet per subjectam creaturam eamdemque corpoream, non per suam substantiam, Deum oculis apparuisse mortalium: sed utrum Patrem, an Filium, an Spiritum-sanctum, an ipsam Trinitatem unum Deum, similiter non apparet. Nec ibi hoc distinguitur, quantum existimo, ubi scriptum est, *Et majestas Domini apparuit in nube, et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Exaudivi murmur filiorum Israel*, etc. (Exodi 16. 10.)

CAPUT XV. De visione in Sina.

25. Jam vero de nubibus et vocibus et fulguribus et tuba et fumo in monte Sina cum diceretur, *Sina autem mons fumabat totus, propterea quod descendisset Deus in eum in igne, et adscendebat fumus tamquam fumus fornacis, et mente confusus est omnis populus vehementer, fiebant autem voces tubæ prodeuntes fortiter valde: Moyses loquebatur; et Deus respondebat ei voce.* (Exodi 19. 18.) Et paullo post data Lege in decem præceptis, consequenter dicitur, *Et omnis populus videbat voces et lampadas et vocem tubæ et montem fumantem.* (Exodi 20. 18.) Et paullo post, *Et stabat*, inquit, *omnis populus a longe, Moyses autem intravit in nebulam ubi erat Deus, et dixit Dominus ad Moysen*, etc. Quid hinc dicam, nisi quod nemo tam vecors est, qui credat fumum, ignem, nubes, et nebulam, et si qua hujusmodi, Verbi et Sapientiæ Dei quod est Christus, vel Spiritus-sancti esse substantiam? Nam de Patre Deo, nec Ariani hoc umquam ausi sunt dicere, Ergo creatura

(a) Editi, *clamavit ad eum*. Particula ad abest a MSS. at a Græc. LXX.

A serviente Creatori facta sunt illa omnia, et humanis sensibus pro dispensatione congrua præsentata: nisi forte, quia dictum est, *Moyses autem intravit in nebulam ubi erat Deus*, (Ibidem 21.) hoc arbitrabitur carnalis cogitatio, a populo quidem nebulam visam, intra nebulam vero Moysen oculis carneis vidisse Filium Dei, quem delirantes a hæretici in sua substantia (*a*) visum volunt. Sane viderit eum Moyses oculis carneis, si oculis carneis potest videri, non modo Sapientia Dei quod est Christus, sed vel ipsa cujuslibet hominis et qualiscumque sapientis: aut quia scriptum est de senioribus Israel, (Ibidem 24. 10.) quia *viderunt locum ubi steterat Deus Israel*, et quia *sub pedibus ejus tamquam opus lapidis saphiri, et tamquam aspectus firmamenti cœli*, propterea credendum est Verbum et Sapientiam Dei per suam B substantiam in spatio loci terreni stetisse, quæ (Sap. 8. 1.) pertendit a fine usque ad finem fortiter, et di- (Johan. 1. 3.) sponit omnia suaviter; et ita esse mutabile Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, ut modo se contrahat, modo distendat: (mundet Dominus a talibus cogitationibus corda fidelium suorum;) sed per subjectam, ut sæpe diximus, creaturam exhibentur hæc omnia visibilia, et sensibilia, ad significandum invisibilem atque intelligibi- (Rom. 11. 36.) lem Deum, non solum Patrem, sed et Filium et Spiritum-sanctum, ex quo omnia, per quem o- (Rom. 1. 20.) mnia, in quo omnia: quamvis invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas.

(An Trinitas, an aliqua propria persona in ea visione loquebatur.) C 26. Sed quod adtinet ad id quod nunc suscepimus, nec in monte Sina video quemadmodum appareat per illa omnia quæ mortalium sensibus terribiliter ostendebantur, utrum Deus Trinitas, an Pater, an Filius, an Spiritus-sanctus proprie loquebatur. Verumtamen si quid hinc sine affirmandi temeritate modeste atque cunctanter conjectare conceditur, si una ex Trinitate persona potest intelligi, cur non Spiritum-sanctum potius intelligimus, quando et tabulis lapideis Lex (Exodi 31. 18.) ipsa quæ ibi data est, digito Dei scripta dicitur, quo nomine Spiritum-sanctum in Evangelio si- (Lucæ 11. 20.) gnificari novimus. Et quinquaginta dies numerantur ab occisione agni et celebratione Paschæ usque ad diem quo hæc fieri cœpta sunt in monte Sina, sicut post Domini passionem ab ejus D resurrectione quinquaginta dies numerantur, et venit promissus a Filio Dei Spiritus-sanctus. (Act. 2. 3.) Et in ipso ejus adventu, quem in Apostolorum Actibus legimus, per divisionem linguarum ignis apparuit, qui et insedit super unumquemque eorum: quod Exodo congruit, ubi scriptum (Exodi 19. 18.) est, *Sina autem mons fumabat totus, propterea quod descendit in eum Deus in igne*: et aliquanto post, *Adspectus*, inquit, *majestatis Domini tamquam ignis ardens super verticem montis coram filiis Israel*. Aut si hæc ideo facta sunt, quia nec Pater, nec Filius illic eo modo præsentari poterant sine Spiritu-sancto, quo ipsam Legem

A scribi oportebat: Deum quidem, non per substantiam suam quæ invisibilis et incommutabilis manet, sed per illam speciem creaturæ illic apparuisse cognoscimus; sed aliquam ex Trinitate personam signo quodam proprio, quantum ad mei sensus capacitatem pertinet, non videmus.

(CAPUT XVI. Moyses quomodo viderit Deum.) 27. Est etiam quo moveri plerique solent, quia scriptum est, *Et locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum*: (Exodi 33. 11.) cum paullo post dicat idem Moyses, *Si ergo inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te, ut sim inveniens gratiam ante te, et ut sciam quia populus tuus est gens hæc*. (Ibidem 13.) Et paullo post iterum dixit Moyses ad Dominum. *Ostende mihi majestatem tuam*. (Ibidem 18.) Quid est hoc, quod in omnibus quæ B supra fiebant, Deus videri per suam substantiam putabatur, unde a miseris creditus est, non per creaturam, sed per se ipsum visibilis Filius Dei; et quod intraverat in nebulam Moyses, ad hoc (Exodi 20. 21.) intrasse videbatur, ut oculis quidem populi ostenderetur caligo nebulosa, ille autem intus verba Dei tamquam ejus faciem contemplatus audiret; et quomodo dictum est, *Locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum*: et ecce idem dicit, *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste?* (Exodi 33. 13.) Noverat utique quod corporaliter videbat, et veram visionem Dei spiritaliter requirebat. Locutio quippe illa quæ fiebat in vocibus, sic modificabatur, tamquam esset amici loquentis ad amicum. Sed Deum Patrem quis corpo- C reis oculis videt? Et quod in principio erat Ver- (Johan. 1. 1.) bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia; quis corporeis oculis videt? Et Spiritum sapientiæ quis corporeis oculis videt? Quid est autem, *Ostende mihi temetipsum manifeste ut videam te*, nisi, ostende mihi substantiam tuam? Hoc autem si non dixisset Moyses, utcumque ferendi essent stulti, qui putant per ea quæ supra dicta vel gesta sunt, substantiam Dei oculis ejus fuisse conspicuam: cum vero hic apertissime demonstretur, nec desideranti hoc fuisse concessum, quis audeat dicere per similes formas, quæ huic quoque visibiliter apparuerant, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum quod Deus est cujusquam oculis apparuisse mortalium?

D 28. Et id quidem quod postea Dominus dicit ad Moysen, *Non poteris videre faciem meam, et vivere. Non enim videbit homo faciem meam et vivet. Et ait Dominus, Ecce locus penes me est, et stabis super petram, statim ut transiet mea majestas, et ponam te in* (*b*) *specula petræ; et tegam manu mea super te, donec transeam, et auferam manum meam, et tunc videbis posteriora mea; nam facies mea non apparebit tibi*: (Exodi 33. 20. 21. etc.) b * non incongruenter ex persona Domini nostri Jesu Christi præfiguratum solet intelligi, ut posteriora ejus accipiantur caro ejus, in qua de virgine natus est, et mortuus, et resurrexit; (* CAPUT XVII. Posteriora Dei quomodo visa. Exodi 33. 23.)

(a) Unus et Vaticanus MSS. *visibilem*.
(b) Editi hoc loco, *in spelunca*. Sed aliis inferius locis, sicut ubique veteres plerique codices, *in specula*.

a sive propter (a) posterioritatem mortalitatis po-
steriora dicta sint, sive quod eam prope in fine
sæculi, hoc est, posterius suscipere dignatus est:
Phil. 2. 6. facies autem ejus illa Dei forma, in qua non ra-
pinam arbitratus est esse æqualis Deo Patri,
quam nemo utique potest videre et vivere; sive
Exodi 33.20. quia post hanc vitam, in qua peregrinamur a
2. Cor. 5. 6. Domino, et ubi corpus quod corrumpitur aggra-
Sap. 9. 15. vat animam, videbimus *facie ad faciem*, sicut
1. Cor. 13. 12. dicit Apostolus: (De hac enim vita in Psalmis
dicitur, *Verumtamen universa vanitas omnis*
Psal. 38. 6. *homo vivens:* et iterum, *Quoniam non justifica-*
Psal. 142. 2. *bitur coram te omnis vivens.* In qua vita etiam,
secundum Johannem, *nondum apparuit quod*
1. Johan. 3. 2. *erimus. Scimus autem*, inquit, *quia cum appa-*
ruerit, similes ei erimus; quoniam videbimus
eum sicuti est. Quod utique post hanc vitam in-
telligi voluit, cum mortis debitum solverimus,
et resurrectionis promissum receperimus:) sive
quod etiam nunc in quantum Dei sapientiam
per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelli-
gimus, in tantum carnalibus affectibus mori-
mur, ut mortuum nobis hunc mundum deputan-
tes, nos quoque ipsi huic modo moriamur, et
Gal. 6. 14. dicamus quod ait Apostolus, *Mundus mihi cru-*
cifixus est, et ego mundo. De hac enim morte
Col. 2. 20. item dixit, *Si autem mortui estis cum Christo,*
quid adhuc velut viventes de hoc mundo decer-
nitis? Non ergo immerito nemo poterit faciem,
id est, ipsam manifestationem sapientiæ Dei vi-
dere et vivere. Ipsa est enim species, cui con-
templandæ suspirat omnis qui affectat Deum di-
ligere ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota
Deut. 6. 5. mente: ad quam contemplandam etiam proxi-
Matth. 22. 39. mum quantum potest ædificat, qui diligit et pro-
ximum sicut se ipsum: in quibus duobus præ-
ceptis tota Lex pendet et Prophetæ. Quod signi-
ficatur etiam in ipso Moyse. Nam cum dixisset,
propter dilectionem Dei qua præcipue flagrabat,
Exodi 33. 13. *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi*
temetipsum manifeste, ut sim inveniens gratiam
ante te; continuo propter dilectionem etiam pro-
ximi subjecit atque ait, *et ut sciam quia popu-*
lus tuus est gens hæc. Illa est ergo species quæ
rapit omnem animam rationalem desiderio sui,
tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto
mundiorem quanto ad spiritalia resurgentem:
tanto autem ad spiritalia resurgentem, quanto
2. Cor. 5. 6. a carnalibus morientem. Sed dum peregrinamur
a Domino, et per fidem ambulamus, non per spe-
ciem, posteriora Christi, hoc est carnem, per
ipsam fidem videre debemus, id est in solido
fidei fundamento stantes, quod significat petra;
et eam de tali tutissima specula intuentes, in ca-
tholica scilicet Ecclesia, de qua dictum est, *Et*
Matth. 16. 18. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*
Tanto enim certius diligimus, quam videre de-
sideramus faciem Christi, quanto in posteriori-
bus ejus agnoscimus quantum nos prior dile-
xerit Christus.
Resurrectionis 29. Sed in ipsa carne fides resurrectionis ejus

(a) Plerique MSS. postremitatem.

A salvos facit, atque justificat. *Si enim credideris*, in- Christi fides.
quit, *in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a*
mortuis, salvus eris. Et iterum, *Qui traditus est*, Rom. 10. 9.
inquit, *propter delicta nostra, et resurrexit pro-* Rom. 4. 25.
pter justificationem nostram. Ideoque meritum fi-
dei nostræ resurrectio corporis Domini est. Nam
mortuam esse illam carnem in cruce passionis,
etiam inimici ejus credunt, sed resurrexisse non
credunt. Quod firmissime nos credentes, tamquam
de petræ soliditate contuemur: unde certa spe a- Rom. 8. 23.
doptionem expectamus redemptionem corporis
nostri: quia hoc in membris Christi speramus, quæ
nos ipsi sumus, quod perfectum esse in ipso tam-
quam in capite nostro fidei sanitate cognoscimus.
Inde non vult nisi cum transierit videri posteriora
sua, ut in ejus resurrectionem credatur. Pascha Exodi 33. 23.
B enim Hebræum verbum dicitur, quod transitus
interpretatur. Unde et Johannes Evangelista di-
cit, *Ante diem festum Paschæ: sciens Jesus quia* Johan. 13. 1.
venit ejus hora, ut transeat de hoc mundo ad Pa-
trem.
30. Hoc autem qui credunt, nec tamen in Ca- Catholica Ecclesia sola est locus unde videntur posteriora Dei.
tholica, sed in schismate aliquo aut in hæresi cre-
dunt, non de loco, qui est penes eum vident po-
steriora Domini. Quid enim sibi vult quod ait Do-
minus, *Ecce locus est penes me, et stabis super pe-*
tram? Quis locus terrenus est penes Dominum, Exodi 33. 21.
nisi hoc est penes eum quod eum spiritaliter ad-
tingit? Nam quis locus non est penes Dominum, Sap. 8. 1.
qui adtingit a fine usque ad finem fortiter, et di-
sponit omnia suaviter; et cujus dictum est cœ-
lum sedes, et terra scabellum pedum ejus, et qui Isai. 66. 1.
C dixit, *Quam domum ædificabitis mihi, aut quis* Ibidem.
locus quietis meæ? nonne manus mea fecit hæc o-
mnia? Sed videlicet intelligitur locus penes eum
in quo statur super petram, ipsa Ecclesia catho-
lica, ubi salubriter videt pascha Domini, id est,
transitum Domini, et posteriora ejus, id est cor-
pus ejus, qui credit in resurrectionem ejus. *Et*
stabis, inquit, *super petram, statim ut transiet mea* Exodi 33. 21.
majestas. Revera enim statim ut transiit maje-
stas Domini in clarificatione Domini qua resur-
gens adscendit ad Patrem, solidati sumus super
petram. Et ipse Petrus tunc solidatus est, ut cum
fiducia prædicaret, quem prius quam esset soli- Matth. 26. 70.
datus ter timore negaverat, jam quidem præde-
stinatione positus in specula petræ, sed adhuc
manu Domini sibi superposita ne videret. Po-
D steriora enim ejus visurus erat, et nondum ille
transierat, utique a morte ad vitam, nondum re-
surrectione clarificatus erat.
31. Nam et quod sequitur in Exodo, et dicit, Exodi 33. 22.
Tegam manu mea super te, donec transeam; et au- Posteriora Dei ab Israelitis visa.
feram manum meam, et tunc videbis posteriora
mea: multi Israelitæ, quorum tunc figura erat
Moyses, post resurrectionem Domini crediderunt
in eum, tamquam jam videntes posteriora ejus,
remota manu ejus ab oculis suis. Unde et Isaiæ
talem prophetiam Evangelista commemorat: *In-*
crassa cor populi hujus, et aures eorum oppila, Isai. 6. 10.
et oculos eorum grava. Denique in Psalmo non ab- Matth. 13. 15.

surde intelligitur ex eorum persona dici, *Quo-*
Psal. 31. 4. *niam die ac nocte gravata est super me manus tua.* *Die* fortasse, cum manifesta miracula faceret, nec ab eis agnosceretur: *nocte* autem, cum in passione moreretur, quando certius putaverunt, sicut quemlibet hominem, peremptum et exstinctum. Sed quoniam cum transisset ut ejus posteriora viderentur, prædicante sibi apostolo Petro,
Act. 2. 37. quia oportebat Christum pati et resurgere, compuncti sunt dolore pœnitentiæ, ut fieret in baptizatis quod in capite ejus Psalmi dicitur, *Beati*
Psal. 31. 1. *quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata:* propterea cum dictum esset, *Gravata est super me manus tua*, tamquam Domino transeunte, ut jam removeret manum, et viderentur posteriora ejus, sequitur vox dolentis et confitentis, et ex fide resurrectionis Domini peccatorum remissionem accipientis: *Conversus sum*, in-
Ibidem 4. quit, *in ærumna mea, cum infigeretur mihi spina. Peccatum meum cognovi, et injustitiam meam non operui. Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* Neque enim tanto carnis nubilo debemus involvi, ut putemus faciem quidem Domini esse invisibilem, dorsum vero visibile; quan-
Philip. 2. 7. doquidem in forma servi utrumque visibiliter apparuit; in forma autem Dei absit ut tale aliquid cogitetur, absit ut Verbum Dei et Sapientia Dei ex una parte habeat faciem, et ex alia dorsum, sicut corpus humanum, aut omnino ulla specie vel motione sive loco sive tempore commutetur.

Deum Patrem solum numquam Patribus visum existimare, temeraria opinione est.

32. Quapropter si in illis vocibus quæ fiebant in Exodo, et illis omnibus corporalibus demonstrationibus Dominus Jesus Christus ostendebatur; aut alias Christus, sicut loci hujus consideratio persuadet: alias Spiritus sanctus, sicut ea quæ supra diximus admonent: non hoc efficitur, ut Deus Pater numquam tali aliqua specie Patribus visus sit. Multa enim talia visa facta sunt illis temporibus, non evidenter nominato et designato in eis vel Patre, vel Filio, vel Spiritu-sancto: sed tamen per quasdam valde probabiles significationes nonnullis indiciis exsistentibus, ut nimis temerarium sit dicere, Deum Patrem numquam Patribus aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse. Hanc enim opinionem illi pepererunt qui non potuerunt in unitate Trinitatis in-
1. Tim. 1. 17. telligere quod dictum est, *Regi autem sæculorum immortali, invisibili soli Deo:* et, *Quem nemo ho-*
1. Tim. 6. 16. *minum vidit, nec videre potest.* Quod de ipsa substantia summa summeque divina et incommutabili, ubi et Pater et Filius et Spiritus-sanctus unus et solus Deus est, per sanam fidem intelligitur. Visiones autem illæ per creaturam commutabilem Deo incommutabili subditam factæ sunt, non proprie sicuti est, sed significative sicut pro rerum caussis et temporibus oportuit, ostendentes Deum.

CAPUT XVIII.

33. Quamquam nescio quemadmodum isti intelligant quod Danieli apparuerit Antiquus dierum, a quo filius hominis, quod propter nos esse dignatus est, accepisse intelligitur regnum, ab il-

Visio Danielis.

lo scilicet qui ei dicit in Psalmis, *Filius meus es* Psal. 2. 7.
tu, ego hodie genui te, postula a me, et dabo tibi Psal. 8. 8.
gentes hæreditatem tuam: et qui omnia subjecit sub pedibus ejus. Si ergo Danieli et Pater dans regnum, et Filius accipiens, apparuerunt in specie corporali; quomodo isti dicunt, Patrem numquam visum esse Prophetis, et ideo solum debere intelligi invisibilem quem nemo hominum vidit nec videre potest? Ita enim narravit Daniel:
Aspiciebam, inquit, *donec throni positi sunt, et Ve-* Dan. 7. 9.
tustus dierum sedebat, et indumentum ejus quasi nix album et capillus capitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis flagrans, et flumen ignis (a) *trahebat in conspectu ejus. Et mille millia deserviebant ei, et dena millia denum millium assistebant ei. Et judicium* Ibid. 13.
collocavit, et libri aperti sunt, etc. Et paullo post, *Adspiciebam*, inquit, *in visione noctis, et ecce cum cœli nubibus, quasi filius hominis veniens erat, et usque ad Veterem dierum pervenit, et oblatus est ei. Et ipsi datus est principatus et honor, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non præteribit, et regnum ejus* (b) *non corrumpetur.* Ecce Pater dans, et Filius accipiens regnum sempiternum, et sunt ambo in conspectu prophetantis visibili specie. Non ergo inconvenienter creditur etiam Pater Deus eo modo solere apparere mortalibus.

34. Nisi forte aliquis dicet, ideo non esse visibilem Patrem, quia in conspectu somniantis apparuit; ideo autem Filium visibilem et Spiritum-sanctum, quia Moyses illa omnia vigilans vidit. Quasi vero Verbum et Sapientiam Dei viderit Moyses carnalibus oculis, aut videri spiritus vel humanus possit qui carnem istam vivificat, vel ipse corporeus qui ventus dicitur; quanto minus ille Spiritus Dei qui omnium hominum et Angelorum mentes ineffabili excellentia divinæ substantiæ supergreditur: aut quisquam tali præcipitetur errore, ut audeat dicere Filium et Spiritum-sanctum etiam vigilantibus hominibus esse visibilem, Patrem autem nonnisi somniantibus.
Quomodo ergo de Patre solo accipiunt, *Quem ne-* 1. Tim. 6. 16.
mo hominum vidit, nec videre potest? An cum dormiunt homines, tunc non sunt homines? Aut qui formare similitudinem corporis potest ad se significandum per visa somniantium, non potest formare ipsam corpoream creaturam ad se significandum oculis vigilantium? cum ejus ipsa substantia qua est ipse quod est, nulla corporis similitudine dormienti, nulla corporea specie vigilanti possit ostendi: (c) sed non solum Patris, verum etiam Filii et Spiritus-sancti. Et certe qui vigilantium visis moventur, ut non Patrem, sed tantum Filium vel Spiritum-sanctum credant corporalibus hominum apparuisse conspectibus, ut

(a) Editi, *transibat*. MSS. prope omnes, *trahebat*, juxta LXX. εἷλκεν.
(b) Editi, *quod non corrumpetur*. Abest *quod* a MSS. et a versione LXX.
(c) Tres MSS. *et non solum*.

omittam tantam latitudinem sanctarum paginarum, et tam multiplicem earum intelligentiam, unde nemo sani capitis affirmare debet, nusquam personam Patris per aliquam speciem corporalem vigilantium oculis demonstratam: sed ut hoc, ut dixi, omittam; quid dicunt de Patre nostro Abraham, cui certe vigilanti et ministranti, cum Scriptura præmisisset dicens, *Visus est Dominus Abrahæ*, non unus aut duo, sed tres apparuerunt viri, quorum nullus excelsius aliis eminuisse dictus est, nullus honoratius effulsisse, nullus imperiosius egisse?

Gen. 18. 1.

35. Quapropter quoniam in illa tripartita nostra distributione primum quærere instituimus, utrum Pater, an Filius, an Spiritus-sanctus; an aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus-sanctus; an sine ulla distinctione personarum, sicut dicitur, Deus unus et solus, idest Trinitas ipsa, per illas creaturæ formas Patribus ap- A paruerit, interrogatis (*a*) quæ potuimus quantum a sufficere visum est, sanctarum Scripturarum locis, nihil aliud, quantum, existimo, divinorum sacramentorum modesta et cauta consideratio persuadet, nisi ut temere non dicamus quænam ex Trinitate persona cuilibet Patrum vel Prophetarum in aliquo corpore vel similitudine corporis apparuerit, nisi cum continentia lectionis aliqua probabilia circumponit indicia. Ipsa enim natura, vel substantia, vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est idipsum quod Deus est, quidquid illud est, corporaliter videri non potest: per subjectam vero creaturam, non solum Filium, vel Spiritum sanctum, sed etiam Patrem corporali specie sive similitudine mortalibus sensibus significationem sui dare potuisse credendum est. B Quæ cum ita sint, ne immoderatius progrediatur secundi hujus voluminis longitudo, ea quæ restant, in consequentibus videamus.

Supra c. 7.

LIBER TERTIUS

In quo quæritur, an in illis de quibus superiore libro dictum est, Dei apparitionibus, per corporeas species factis, tantummodo creatura formata sit, in qua Deus sicut tunc oportuisse judicavit, humanis ostenderetur adspectibus; an angeli qui jam antea erant, ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea, aut ipsum corpus suum in species quas vellent accomodatas actionibus suis vertentes secundum adtributam sibi a Creatore potentiam: ipsa autem Dei essentia numquam per se ipsam visa fuerit.

Proœmium. Cur de Trinitate scribat.

Credant, qui volunt, malle me legendo quam legenda dictando laborare. Qui autem hoc nolunt credere, experiri autem et possunt et volunt, b (*b*) dent quæ legendo vel meis inquisitionibus respondeantur vel interrogationibus aliorum, quas pro mea persona quam in servitio Christi gero, et pro studio quo fidem nostram adversum errorem carnalium et animalium hominum (*c*) muniri c ardesco, necesse est me pati: et videant quam facile ab isto labore me temperem, et quanto etiam gaudio stilum possim habere feriatum. Quod si ea quæ legimus de his rebus, sufficienter edita in Latino sermone aut non sunt, aut non inveniuntur, aut certe difficile a nobis inveniri queunt, Græcæ autem linguæ non sit nobis tantus habitus, ut talium rerum libris legendis et intelligendis ullo modo reperiamur idonei, quo genere litterarum ex iis quæ nobis pauca interpretata sunt, non dubito cuncta quæ utiliter quærere possumus contineri, fratribus autem non valeam resistere, jure quo eis servus factus sum flagitantibus, ut eorum in Christo laudabilibus studiis lingua ac stilo meo, quas bigas in me caritas agitat, maxime serviam; egoque ipse multa quæ nesciebam, scribendo me didicisse confiteor: non debet hic labor meus cuiquam pigro, aut multum docto videri superfluus, cum multis impigris multisque indoctis, inter quos etiam mihi, non parva ex parte sit necessarius. Ex his igitur quæ ab aliis de hac re scripta jam legimus, plurimum adminiculati et adjuti, ea quæ de Trinitate, uno summo summeque bono Deo, pie C quæri et disseri posse arbitror, ipso exhortante quærenda atque adjuvante disserenda suscepi: ut si alia non sunt hujusmodi scripta, sit quod habeant et legant qui voluerint et valuerint; si autem jam sunt, tanto facilius aliqua inveniantur, quanto talia plura esse potuerint.

2. Sane cum in omnibus litteris meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo maxime in his, ubi ipsa magnitudo quæstionis utinam tam multos inventores habere posset, quam multos contradictores habet. Verumtamen sicut lectorem meum nolo mihi esse (*d*) deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me d non amet amplius quam catholicam fidem, iste se non amet amplius quam catholicam veritatem. Sicut illi dico, Noli meis litteris quasi Scripturis canonicis inservire, sed in illis et quod non credebas D cum inveneris incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere: ita illi dico, Noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, exsistendo non est meum, at intelligendo et amando et tuum sit et meum: si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit nec meum.

Quid a lectoribus desideret.

3. Hinc itaque tertius hic liber sumat exordium, quo usque secundus pervenerat. Cum enim ad id ventum esset, ut vellemus ostendere, non ideo minorem Patre Filium, quia ille misit, hic missus est, nec ideo minorem utroque Spi-

Quid dictum sit in superiore libro.

(a) MSS. duodecim, *interrogatisque prout potuimus.*
(b) Editi, *denique.* Emendantur ex MSS.
(c) Lov. *munire.*
(d) Sola fere editio Lov. *debitum.*

ritum-sanctum, quia et ab illo missus in Evangelio legitur: suscepimus hoc quærere, cum illuc missus sit Filius, ubi erat, quia in hunc
Johan. 1.10. mundum venit, et *in hoc mundo erat;* cum illuc etiam Spiritus-sanctus, ubi et ipse erat, quoniam
Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis:* utrum propterea missus sit Dominus, quia ex occulto in carne natus est, et de sinu Patris ad oculos hominum in forma servi tamquam egressus
Matth.5.16. apparuit; ideo etiam Spiritus-sanctus, quia et
Act. 2. 3. ipse corporali specie quasi columba visus est, et linguis divisis velut ignis: ut hoc eis fuerit mitti, ad adspectum mortalium in aliqua forma corporea de spiritali secreto procedere; quod Pater quoniam non fecit, tantummodo misisse, non etiam missus esse dictus sit. Deinde quæsitum est cur et Pater non aliquando dictus sit missus; si per illas species corporales quæ oculis antiquo-
Gal. 4. 4. rum apparuerunt ipse demonstrabatur. Si autem Filius tunc demonstrabatur, cur tanto post missus diceretur, cum plenitudo temporis venit, ut ex fœmina nasceretur; quandoquidem et antea mittebatur, cum in illis formis corporaliter apparebat. Aut si non recte missus diceretur, nisi
Johan. 1.14. cum Verbum caro factum est; cur Spiritus-sanctus missus legatur, cujus incarnatio talis non facta est. Si vero per illas antiquas demonstrationes, nec Pater, nec Filius, sed Spiritus-sanctus ostendebatur, cur etiam ipse nunc diceretur missus, cum illis modis et antea mitteretur? Deinde subdivisimus, ut hæc diligentissime tractarentur, et tripartitam fecimus quæstionem, cujus una pars in secundo libro explicata est, duæ sunt reliquæ, de quibus deinceps disserere aggredior. Jam enim quæsitum atque tractatum est, in illis antiquis corporalibus formis et visis, non tantummodo Patrem, nec tantummodo Filium, nec tantummodo Spiritum-sanctum apparuisse, sed aut indifferenter Dominum Deum qui Trinitas ipsa intelligitur, aut quamlibet ex Trinitate personam, quam lectionis textus indiciis circumstantibus significaret.

CAPUT I. Quid deinceps dicendum. Supra lib. 2. cap. 7.

4. Nunc ergo primum quæramus quod sequitur. Nam secundo loco in illa distributione positum est, utrum ad hoc opus tantummodo creatura formata sit, in qua Deus, sicut tunc oportuisse judicavit, humanis ostenderetur adspectibus; an angeli qui jam erant, ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in usum ministerii sui; aut ipsum corpus suum, cui non
a subduntur, sed subditum (*a*) regunt, mutantes atque vertentes in species quas vellent, accommodatas atque aptas actionibus suis, secundum attributam sibi a Creatore potentiam. Qua quæstionis parte, quantum Dominus dederit, pertractata, postremo videndum erit id quod instituerarnus inquirere, utrum Filius et Spiritus-sanctus et antea mittebantur: et si ita est, quid

A inter illam missionem et eam quam in Evangelio legimus distet, an missus non sit aliquis eorum, nisi cum vel Filius factus est ex Maria virgine, vel cum Spiritus-sanctus visibili specie, sive in columba, sive in igneis linguis apparuit.

5. Sed fateor excedere vires intentionis meæ, utrum angelis manente spiritali sui corporis qualitate per hanc occultius operantes, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coaptatum, quasi aliquam vestem mutent et vertant in quaslibet species corporales, etiam ipsas veras, sicut aqua vera in verum vinum conversa est a Domino: an ipsa propria corpora Johan. 2.
b sua transforment in quod voluerint (*b*) accommodate ad id quod agunt. Sed quodlibet horum sit, ad præsentem quæstionem non pertinet. Et
B quamvis hæc, quoniam homo sum, nullo experimento possim comprehendere, sicut angeli qui hæc agunt, et magis ea norunt quam ego novi, quatenus mutetur corpus meum in (*c*) affectu vo- c
luntatis meæ, sive quod in me, sive quod ex aliis expertus sum: quid horum tamen ex divinarum Scripturarum auctoritatibus credam, nunc non opus est dicere, ne cogar probare, et fiat sermo longior de re qua non indiget præsens quæstio.

6. Illud nunc videndum est, utrum angeli tunc agebant, et illas corporum species apparentes oculis hominum, et illas voces insonantes auribus, cum ipsa sensibilis creatura ad nutum serviens Conditori, in quod opus erat pro tempore vertebatur, sicut in libro Sapientiæ scriptum est,
Creatura enim tibi factori deserviens extenditur Sap. 16. 24.
C *in tormentum adversum injustos, et lenior fit ad bene faciendum iis qui in te confidunt. Propter hoc et tunc in omnia se trasfigurans, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat ad voluntatem horum qui te desiderabant.* Pervenit enim (*d*) po- d
tentia voluntatis Dei per creaturam spiritalem usque ad effectus visibiles atque sensibiles creaturæ corporalis. Ubi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis sapientia, quæ pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia Sap. 8. 1.
suaviter?

7. Sed alius est ordo naturalis in conversione CAPUT II. Voluntas Dei causa superior omnis corporeæ mutationis.
et mutabilitate corporum, qui quamvis etiam ipse ad nutum Dei serviat, perseverantia tamen consuetudinis amisit admirationem: sicuti sunt quæ vel brevissimis, vel certe non longis inter-
D vallis temporum cælo, terra, marique mutantur, sive nascentibus, sive occidentibus rebus, sive alias aliter atque aliter apparentibus: alia vero quamvis ex ipso ordine venientia, tamen propter longiora intervalla temporum minus usitata. Quæ licet multi stupeant, ab inquisitoribus hujus sæculi comprehensa sunt, et progressu generationum quo sæpius repetita, et a pluribus cognita, eo minus mira sunt. Sicuti sunt defectus luminarium, et raro exsistentes quædam species siderum, et terræ motus, et monstruosi partus animantium, et quæcumque similia, quorum ni-

(a) Editi, gerunt. Plerique MSS. *regunt.*
(b) Ita MSS. At editi, *accomodate.*
(c) Decem MSS. *in effectum.*
(d) Sic MSS. magno consensu. At editi *sapientia voluntatis Dei.*

hil fit nisi voluntate Dei, sed plerisque non apparet. Itaque licuit vanitati Philosophorum, etiam caussis aliis ea tribuere, vel veris, sed proximis, cum omnino videre non possent superiorem ceteris omnibus caussam, id est voluntatem Dei; vel falsis, et ne ab ipsa quidem pervestigatione corporalium rerum atque motionum, sed a sua suspicione et errore prolatis.

Exemplo id demonstratur.

8. Dicam si potero quiddam, exempli gratia, quo hæc apertiora sint. Est certe in corpore humano quædam moles carnis, et formæ species, et ordo distinctioque membrorum, et temperatio valetudinis: hoc corpus inspirata anima regit, eademque rationalis; et ideo quamvis mutabilis, tamen quæ possit illius incommutabilis sapientiæ particeps esse, ut sit participatio ejus in idipsum, B sicut in Psalmo scriptum est de omnibus sanctis, ex quibus tamquam lapidibus vivis ædificatur illa Jerusalem mater nostra æterna in cœlis. Psal. 121. 3. Ita enim canitur: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Idipsum* quippe hoc loco illud summum et incommutabile bonum intelligitur, quod Deus est, atque sapientia voluntasque ipsius. Cui cantatur alio loco, Psal. 101. 27. *Mutabis ea, et mutabuntur, tu vero idem ipse es.*

CAPUT III.

* Constituamus ergo animo talem sapientem, cujus anima rationalis jam sit particeps incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus suis actionibus consulat, nec aliquid omnino faciat quod non in ea cognoverit esse faciendum, ut ei subditus eique obtemperans recte faciat. Iste si consulta summa ratione divinæ justitiæ, quam in secreto audiret aure C cordis sui, eaque sibi jubente, in aliquo officio misericordiæ corpus labore fatigaret, ægritudinemque contraheret, consultisque medicis ab alio diceretur caussam morbi esse corporis siccitatem, ab alio autem humoris immoderationem: unus eorum veram caussam diceret, alter erraret, uterque tamen de proximis caussis, id est, corporalibus pronuntiaret. At si illius siccitatis caussa quæreretur, et inveniretur voluntarius labor; jam ventum esset ad superiorem caussam, quæ ab anima proficisceretur ad afficiendum corpus quod regit: sed nec ipsa prima esset; illa enim procul dubio superior erat in ipsa incommutabili Sapientia, cui hominis sapientis anima in caritate serviens, et ineffabiliter jubenti obediens, voluntarium laborem susceperat: ita non nisi Dei D voluntas caussa prima illius ægritudinis veracissime reperiretur. Jam vero si in labore officioso et pio adhibuisset ille sapiens ministros collaborantes secum in opere bono, nec tamen eadem voluntate Deo servientes, sed ad carnalium (a) cupiditatum suarum mercedem pervenire cupientes, vel incommoda carnalia devitantes; adhibuisset etiam jumenta, si hoc exigeret illius operis implendi procuratio, quæ utique jumenta irrationalia essent animantia, nec ideo moverent membra sub sarcinis, quod aliquid de illo bono A opere cogitarent, sed naturali appetitu suæ voluptatis et devitatione molestiæ; postremo adhibuisset etiam ipsa corpora omni sensu carentia, quæ illi operi essent necessaria, frumentum scilicet, et vinum, et oleum, vestem, nummum, codicem, et si qua hujusmodi; in his certe omnibus in illo opere versantibus corporibus, sive animatis sive inanimatis, quæcumque moverentur, attererentur, repararentur, exterminarentur, reformarentur, alio atque alio modo locis et temporibus affecta mutarentur, num alia esset istorum omnium visibilium et mutabilium factorum caussa, nisi illa invisibilis et incommutabilis voluntas Dei per animam justam, sicut sedem Sapientiæ, cunctis utens, et malis et irrationalibus animis, et postremo corporibus, sive quæ illis B inspirarentur et animarentur, sive omni sensu carentibus, cum primitus uteretur ipsa bona anima et sancta, quam sibi ad pium et religiosum obsequium subdidisset?

9. Quod ergo de uno sapiente, quamvis adhuc mortale corpus gestante, quamvis ex parte vidente, posuimus exempli gratia, hoc de aliqua domo, ubi aliquorum talium societas est, hoc de civitate vel etiam de orbe terrarum licet cogitare, si penes sapientes sancteque ac perfecte Deo subditos sit principatus, et regimen rerum humanarum.

* CAPUT IV.

* Sed hoc (b) quia nondum est: (oportet enim nos in hac peregrinatione prius mortaliter exerceri, et per vires mansuetudinis et patientiæ in flagellis erudiri:) illam ipsam supernam atque cœlestem, unde peregrinamur, patriam cogitemus.

b Deus omnibus creaturis utitur ut vult, et visibilia facit ad se ipsum demonstrandum.

C Illic enim Dei voluntas, qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem, Psal. 103. 4. in spiritibus summa pace atque amicitia copulatis, et in unam voluntatem quodam spiritali caritatis igne conflatis, tamquam in excelsa et sancta et secreta sede præsidens, velut in domo sua et in templo suo, inde se, quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primo spiritalibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, et utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive incorporeis sive corporeis rebus, sive rationalibus sive irrationalibus spiritibus, sive bonis per ejus gratiam sive malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur: ita D omnia corpora per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium et justum, et ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per Creatorem suum, ex quo et per quem et in quo etiam condita atque instituta est: Gal. 1. 16. ac per hoc voluntas Dei est prima et summa caussa omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi imperatoris aut jubeatur, aut permittatur, se-

(a) Plures MSS. *carnalium voluntatum*. Duo, *voluptatum*.

(b) Editio Lov. *Sed hoc quidem nondum est:* ac post verbum *erudiri*, addita particula, *ut*, sic connectit sequentia, *ut illam ipsam* etc. Castigatur ex MSS.

cundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.

10. Si ergo apostolus Paulus, quamvis adhuc portaret sarcinam corporis, quod corrumpitur et aggravat animam (Sap. 9. 15.), quamvis adhuc ex parte atque in ænigmate videret, optans dissolvi et esse cum Christo (1. Cor. 13. 12. Phil. 1. 23.), et in semetipso ingemiscens, adoptionem exspectans redemptionem corporis sui (Rom. 8. 23.), potuit tamen significando prædicare Dominum Jesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis et sanguinis ejus: (nec linguam quippe ejus, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus; sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis: quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei, cum hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitus invisibilia ministrorum, sive animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes:) quid mirum si etiam in creatura cœli et terræ, maris et aeris, facit Deus quæ vult sensibilia atque visibilia, ad se ipsum in eis sicut oportere ipse novit significandum et demonstrandum, non ipsa sua qua est apparente substantia, quæ omnino incommutabilis est, omnibusque spiritibus, quos creavit, interius secretiusque sublimior?

CAPUT V. Miracula cur non consueta opera.

11. Ut enim divina totam spiritalem corporalemque administrante creaturam, omnium annorum certis diebus advocantur aquæ maris, et effunduntur super faciem terræ. Sed cum hoc orante sancto Elia factum est, quia præcesserat tam continua et tam longa serenitas, ut deficerent fame homines, nec ea hora qua ille Dei servus oravit (3. Reg. 18. 45.), aer ipse aliqua humida facie mox futuræ pluviæ signa prætulerat, consecutis tantis et tam velociter imbribus apparuit vis divina, quibus illud dabatur dispensabaturque miraculum. Ita Deus operatur sollemnia fulgura atque tonitrua: sed quia in monte Sina inusitato modo fiebant (Exodi 19. 16.), vocesque illæ non strepitu confuso edebantur, sed eis quædam signa dari certissimis indiciis apparebat, miracula erant. Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum, et vinum facit, nisi Deus, qui et homine plantante et rigante incrementum dat (1. Cor. 3. 7.)? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est (Joan. 2. 9.), etiam stultis fatentibus vis divina declarata est. Quis arbusta fronde ac flore vestit sollemniter, nisi Deus? Verum cum floruit virga sacerdotis Aaron (Num. 17. 8.), collocuta est quodammodo cum dubitante humanitate divinitas. Et lignis certe omnibus et omnium animalium carnibus gignendis atque formandis communis est terrena materies: et quis ea facit, nisi qui dixit ut hæc terra produceret (Gen. 1. 24.), et in eodem verbo suo quæ creavit, regit, atque agit? Sed cum eamdem materiam ex virga Moysis in carnem serpentis proxime ac velociter vertit (Exodi 4. 3.), miraculum fuit, rei quidem mutabilis, sed tamen inusitata mutatio. Quis autem animat quæque viva nascentia, nisi qui et illum serpentem ad horam, sicut opus fuerat, animavit?

CAPUT VI. Sola varietas facit miraculum.

Et quis reddidit cadaveribus animas suas, cum resurgerent mortui (Ezech. 37. 8.), nisi qui animat carnes in uteris matrum, ut oriantur morituri? (a) Sed cum fiunt illa continuato quasi quodam fluvio labentium manantiumque rerum, et ex occulto in promptum, atque ex prompto in occultum, usitato itinere transeuntium naturalia dicuntur: cum vero admonendis hominibus inusitata mutabilitate ingeruntur, magnalia nominantur.

CAPUT VII. Miracula magna per magicas artes.

12. Hic video quid infirmæ cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant: nam et magi Pharaonis similiter serpentes fecerunt, et alia similia (Exodi 7. 12.). Sed illud amplius est admirandum, quomodo magorum illa potentia, quæ serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas ventum est, omnino defecit (Exodi 8. 18.). Scynipes enim musculæ sunt brevissimæ, qua tertia plaga superbus populus Ægyptiorum cædebatur. Ibi certe deficientes magi dixerunt, *Digitus Dei est* (b) *hoc*. Unde intelligi datur, nec ipsos quidem transgressores angelos et aereas potestates, in imam istam caliginem, tamquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis æthereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægyptios, et in ipsos etiam magos data est, ut in eorum spirituum seductione viderentur admirandi a quibus fiebant, a Dei veritate damnandi; vel ad admonendos fideles ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis Scripturæ auctoritate sunt prodita; vel ad exercendam, probandam, manifestandamque justorum patientiam. Neque enim parva visibilium miraculorum potentia, Job cuncta quæ habebat amisit, et filios, et ipsam corporis sanitatem (Job 2.).

CAPUT VIII. Solus Deus creat etiam illa quæ magicis artibus transformantur.

13. Nec ideo putandum est istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo hæc potestas datur, quantum in sublimi et spiritali sede incommutabilis judicat. Nam et damnatis iniquis etiam in metallo servit aqua, et ignis et terra, ut faciant inde quod volunt, sed quantum sinitur. Nec sane creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos Magi resistentes famulo Dei ranas et serpentes fecerunt (Exodi 8. 7. et 7. 12.): non enim ipsi eas creaverunt. Omnium quippe rerum quæ corpo-

(a) Hic Editi addunt: *Similiter et de communi materia, quæ in caussis mundialibus consistit, subito ad tempus prodire arietem et columbam constituit, quibus unus rigor carneus et in tempore et ex tempore accessionis et recessionis, non dispar, sed inusitatus apparuit.* Abest ab omnibus prope MSS.

(b) Editi, *est hic*. At MSS. *est hoc*, juxta Græc. LXX.

A raliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus et animantibus; alia vero illa occulta istorum seminum semina, unde jubente Creatore produxit aqua prima natatilia et
a volatilia, terra autem prima (*a*) sui generis ger-
Gen. 1. 20. mina, et prima sui generis animalia. Neque enim
b tunc (*b*) in hujuscemodi fœtus ita producta sunt, ut in eis quæ producta sunt vis illa consumpta sit: sed plerumque desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus erumpant, et species suas peragant. Ecce enim brevissimus surculus semen est, nam convenienter mandatus terræ arborem facit. Hujus autem surculi subtilius se-
c men aliquod ejusdem generis granum est, et (*c*)
B huc usque nobis visibile. Jam vero hujus etiam grani semen quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen conjicere possumus: quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerumque nascerentur ex terra quæ ibi seminata non essent; nec animalia tam multa, nulla marium fœminarumque commixtione præcedente, sive in terra, sive in aqua, quæ tamen crescunt et coeundo alia pariunt, cum illa nullis coeuntibus parentibus orta sint. Et certe apes semina filiorum non coeundo concipiunt, sed tamquam sparsa per terras ore colligunt. Invisibilium enim seminum creator, ipse creator est omnium rerum: quoniam quæcumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, et incrementa debitæ
C magnitudinis distinctionesque formarum ab originalibus tamquam regulis sumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur: ita non solum malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, si pro subtilitate sui sensus et corporis, semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, et ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Sed nec boni hæc, nisi quantum Deus jubet, nec mali hæc injuste faciunt, nisi quantum juste ipse permittit. Nam iniqui malitia volun-
d tatem (*d*) suam habet injustam, potestatem au-
D tem non nisi juste accipit, sive ad pœnam suam, sive ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.

14. Itaque apostolus Paulus discernens interius Deum creantem atque formantem, ab operibus creaturæ quæ admoventur extrinsecus, et de agricultura similitudinem assumens ait, *Ego*
1. Cor. 3. 6. *plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Sicut ergo in ipsa vita nostram mentem justificando formare non potest nisi Deus, præ-

A dicare autem Evangelium extrinsecus et homines possunt, non solum boni per veritatem, sed
etiam mali per occasionem: ita creationem re- Phil. 1. 18.
rum visibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes sive bonorum sive malorum, vel angelorum vel hominum, sive etiam quorumcumque animalium, secundum imperium suum et a se impertitas distributiones potestatum et appetitiones commoditatum, ita rerum naturæ adhibet in qua creat omnia, quemadmodum
terræ agriculturam. Quapropter ita non possum Exodi 7. 12.
dicere angelos malos magicis artibus evocatos, Ibid. 8. 7.
creatores fuisse ranarum atque serpentium, sicut non possum dicere homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam video exortam.

B 15. Sicut nec Jacob creator colorum in peco- Gen. 30. 41.
ribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus variatas virgas quas intueretur apposuit. Sed
nec ipsæ pecudes creatrices fuerunt varietatis De hoc vide infra lib. 11. c. 2. et lib. De civitate Dei 12. cap. 25. et lib. 18. cap. 5.
prolis suæ, quia inhæserat animæ illarum discolor phantasia ex contuitu variarum virgarum per oculos impressa, quæ non potuit nisi corpus quod sic affectu spiritu animabatur, ex compassione commixtionis afficere, unde teneris fœtuum
primordiis (*e*) colore tenus adspergeretur. Ut e
enim sic ex semetipsis afficiantur, vel anima ex
corpore vel corpus ex anima, (*f*) congruæ ra- f
tiones id faciunt, quæ incommutabiliter vivunt in ipsa summa Dei sapientia, quam nulla spatia locorum capiunt, et cum ipsa sit incommutabilis, nihil eorum quæ vel commutabiliter sunt de-
C serit, quia nihil eorum nisi per ipsam creatum est. Ut enim de pecoribus non virgæ, sed pecora nascerentur, fecit hoc incommutabilis et invisibilis ratio sapientiæ Dei, per quam creata sunt omnia: ut autem de varietate virgarum, pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima gravidæ pecudis per oculos affecta forinsecus, et interius secum pro suo modulo formandi regulam trahens, quam de intima potentia sui Creatoris accepit. Sed quanta sit vis animæ ad afficiendam atque mutandam materiam corporalem, (cum tamen creatrix corporis dici non possit, quia omnis caussa mutabilis sensibilisque substantiæ, omnisque modus et numerus et pondus ejus unde efficitur ut et sit, et natura ita vel ita sit, ab intelligibili et incommutabili vita, quæ
D super omnia est, exsistit; et pervenit usque ad extrema atque terrena,) multus sermo est, ne-
que nunc necessarius. Verum propterea factum Gen. 30. 41.
Jacob de pecoribus commemorandum arbitratus sum, ut intelligeretur, si homo qui virgas illas sic posuit, dici non potest creator colorum in agnis et hœdis; nec ipsæ matrum animæ, quæ conceptam per oculos corporis phantasiam varietatis, seminibus carne conceptis, quantum natura passa est, adsperserunt, multo minus dici

(a) Quidam MSS. hoc priore loco prætereunt, *sui generis*.
(b) Editi, *tunc hujuscemodi fœtus ita producti sunt*. At MSS. *tunc in hujuscemodi fœtus* (id est, ad gignendos fœtus sui generis) *ita producti sunt*.
(c) In multis MSS. et hoc usque.

(d) Sic plerique ac meliores MSS. Editi vero, *voluntatem habent injustam, potestatem autem nonnisi juste accipiunt*.
(e) Duo tantum MSS. *color exterius adspergeretur*.
(f) Plerique MSS. *congruentiæ rationis*.

posse ranarum serpentiumque creatores angelos malos, per quos magi Pharaonis tunc illa fecerunt.

CAPUT IX. Caussa originalis omnium a Deo.

16. Aliud est enim ex intimo ac summo caussarum cardine condere atque administrare creaturam, quod qui facit, solus creator est Deus: aliud autem pro distributis ab illo viribus et facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc sic vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt; sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est caussis nascentium: quæ in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit. Adhibere autem forinsecus (a) accedentes caussas, quæ tametsi non sunt naturales, tamen secundum naturam adhibentur, ut ea quæ secreto naturæ sinu abdita continentur, erumpant et foris creentur quodam modo explicando mensuras et numeros et pondera sua quæ in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit (Sap. 11. 21.) non solum mali angeli, sed etiam mali homines possunt, sicut exemplo agriculturæ supra docui.

17. Sed ne de animalibus quasi diversa ratio moveat, quod habent spiritum vitæ cum sensu appetendi quæ secundum naturam sunt vitandique contraria; etiam hoc est videre quam multi homines noverunt, ex quibus herbis, aut carnibus, aut quarumcumque rerum quibuslibet succis aut humoribus, vel ita positis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, quæ animalia nasci soleant: quorum se quis tam demens audeat dicere creatorem? Quid ergo mirum, si quemadmodum potest nosse quilibet nequissimus homo, unde illi vel illi vermes muscæque nascantur; ita mali angeli pro subtilitate sui sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde ranæ serpentesque nascantur, et hæc per certas et notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo faciant creari, non creant? Sed illa homines quæ solent ab hominibus fieri, non mirantur. Quod si quisquam celeritates incrementorum forte miratur, quod illa animantia tam cito facta sunt; attendat quemadmodum et ista pro modulo facultatis humanæ ab hominibus procurentur. Unde enim fit ut eadem corpora citius vermescant æstate quam hyeme, citius in calidioribus quam in frigidioribus locis? Sed hæc ab hominibus tanto difficilius adhibentur, quanto desunt sensuum subtilitates, et corporum mobilitates in membris terrenis et pigris. Unde qualibuscumque angelis vicinas caussas ab elementis contrahere, quanto facilius est, tanto mirabiliores in hujusmodi operibus eorum exsistunt celeritates.

18. Sed non est creator, nisi qui principaliter ista format. Nec quisquam hoc potest, nisi ille penes quem primitus sunt omnium quæ sunt mensuræ, numeri, et pondera: et ipse est unus creator Deus, ex cujus ineffabili potentatu fit etiam ut quod possent hi angeli si permitterentur, ideo non possint quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt (Exodi 8. 18. et 7. 12.), nisi quia major aderat dominatio (b) prohibentis Dei per spiritum-sanctum, quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes, *Digitus Dei est hoc* (Exodi 8. 19.). Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens, *Alii dijudicatio spirituum* (1. Cor. 12. 10.). Novimus enim hominem posse ambulare, et neque hoc posse si non permittatur, volare autem non posse etiamsi permittatur. Sic et illi angeli quædam possunt facere, si permittantur ab angelis potentioribus ex imperio Dei: quædam vero non possunt, nec si ab eis permittantur; quia ille non permittit, a quo illis est talis naturæ modus, qui etiam per angelos suos et illa plerumque non permittit, quæ concessit ut possint.

19. Exceptis igitur illis, quæ usitatissimo transcursu temporum in rerum naturæ ordine corporaliter fiunt, sicuti sunt ortus occasusque siderum, generationes et mortes animalium, seminum et germinum innumerabiles diversitates, nebulæ et nubes, nives et pluviæ, fulgura et tonitrua, fulmina et grandines, venti et ignes, frigus et æstus, et omnia talia: exceptis etiam illis quæ in eodem ordine rara sunt, sicut defectus luminum, et species insolitæ siderum, et monstra, et terræ motus, et similia: exceptis ergo istis omnibus, quorum quidem prima et summa caussa non est nisi voluntas Dei: unde et in Psalmo, cum quædam hujus generis essent commemorata, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis* (Psal. 148. 8.); ne quis ea vel fortuitu, vel caussis tantummodo corporalibus, vel etiam spiritalibus, tamen præter voluntatem Dei exsistentibus agi crederet, continuo subjecit, *Quæ faciunt verbum ejus*. * Sed his, ut dicere cœperam, exceptis, alia sunt illa quæ quamvis ex eodem materia corporali, ad aliquid tamen divinitus annuntiandum nostris sensibus admoveantur, quæ proprie miracula et signa dicuntur, nec in omnibus quæ nobis a Domino Deo annuntiantur, ipsius Dei persona suscipitur. Cum autem suscipitur, aliquando in angelo demonstratur, aliquando in ea specie quæ non est quod angelus, quamvis per angelum disposita ministretur: rursum cum in ea specie suscipitur quæ non est quod angelus, aliquando jam erat ipsum corpus, et ad hoc demonstrandum in aliquam mutationem assumitur; aliquando ad hoc exoritur, et re peracta rursus absumitur. Sicut etiam cum homines annuntiant, aliquando ex sua persona ver-

* CAPUT X. Quot modis creatura assumitur ad significandum.

(a) Sic MSS. At Editi, *accidentes*.

(b) Sic MSS. At editi, *prohibendi*: omisso, *Dei*.

ba Dei loquuntur, sicuti cum præmittitur, *Dixit Dominus;* aut, *Hæc dicit Dominus;* aut tale aliquid: aliquando autem nihil tale præmittentes, ipsam Dei personam in se suscipiunt, sicuti est, *Intellectum tibi dabo, et constituam te in via qua ingredieris.* Sic non solum in dictis, verum etiam in factis, Dei persona significanda imponitur Prophetæ, ut eam gerat in ministerio prophetiæ; sicut ejus personam gerebat qui vestimentum suum divisit in duodecim partes, et ex eis decem servo regis Salomonis dedit, regi futuro Israel: aliquando etiam res quæ non erat quod Propheta, et erat jam in terrenis rebus, in hujusmodi significationem assumpta est; sicut somnio viso Jacob evigilans fecit de lapide, quem dormiens habebat ad caput: aliquando ad hoc fit eadem species, vel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in eremo, sicut possunt et litteræ; vel peracto ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur.

Jerem. 31. 1. — Psal. 31. 8. — 3. Reg. 11. 31. — Gen. 28. 18. — Num. 21. 9. — Eucharistia.

20. Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt. Itaque illa quæ per angelos fiunt, quo difficiliora et ignotiora, eo mirabiliora sunt nobis: illis autem tamquam suæ actiones notæ atque faciles. Loquitur ex persona Dei angelus homini, dicens, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob;* cum Scriptura prædixisset, *Visus est ei angelus Domini:* loquitur et homo ex persona Domini, dicens, *Audi populus meus, et loquar tibi, Israel, et testificabor tibi; Deus Deus tuus ego sum.* Assumpta est virga ad significationem, et in serpentem angelica facultate mutata est: quæ facultas cum desit homini, assumptus est tamen et ab homine lapis ad talem aliquam significationem. Inter factum angeli et factum hominis plurimum distat: illud et mirandum et intelligendum est, hoc autem tantummodo intelligendum. Quod ex utroque intelligitur, fortassis unum est; at illa ex quibus intelligitur, diversa sunt: tamquam si nomen Domini et auro et atramento scribatur illud est pretiosius, illud vilius; quod tamen in utroque significatur, idipsum est. Et quamvis idem significaverit ex virga Moysi serpens, quod lapis Jacob melius tamen aliquid lapis Jacob, quam serpentes magorum. Nam sicut unctio lapidis Christum in carne, in qua unctus est oleo exsultationis præ participibus suis; ita virga Moysi conversa in serpentem, ipsum Christum factum obedientem usque ad mortem crucis. Unde ait, *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, sic oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habet vitam æternam:* sicut intuentes illum serpentem exaltatum in eremo, serpentum morsibus non peribant. *Vetus* enim *homo noster confixus est cruci cum illo, ut evacuaretur corpus peccati.* Per serpentem enim intelligitur mors, quæ facta est a serpente in paradiso, modo locutionis per efficientem id quod efficitur demonstrante. Ergo virga in serpentem, Christus in mortem: et serpens rursus in virgam, Christus in resurrectionem totus cum corpore suo, quod est Ecclesia quod in fine temporis erit, quem serpentis cauda significat, quam Moyses tenuit, ut rediret in virgam. Serpentes autem magorum tamquam mortuis sæculi, nisi credentes in Christum tamquam devorati in corpus ejus intraverint, resurgere in illo non poterunt. Lapis ergo Jacob, ut dixi, melius aliquid significavit quam serpentes magorum: at enim factum magorum multo mirabilius. Verum hæc ita non præjudicant rebus intelligendis, tamquam si hominis nomen scribatur auro, et Dei atramento.

Exodi 3. 6. — Psal. 80. 9. — Exodi 7. 10. — Gen. 28. 18. — Exodi 4. 3. — Gen. 28. 8. — Exodi 7. 12. — Psal. 44. 8. — Phil. 2. 8. — Johan. 3. 14. — Num. 21. 9. — Rom. 6. 6. — Gen. 3. 5. — Infra c. 11. — Col. 1. 21. — Exodi 4. 4. — Exodi 7. 12. — Gen. 28. 18.

21. Illas etiam nubes et ignes quomodo fecerint vel assumpserint angeli ad significandum quod annuntiabant, etiam si Dominus vel Spiritus-sanctus illis corporalibus formis ostendebatur, quis novit hominum? sicut infantes non noverunt quod in altari ponitur et peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur. Et si numquam discant experimento vel suo vel aliorum, et numquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cujus corpus et sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, et de latere tali percusso, liquorem illum omnino fluxisse. Mihi autem omnino utile est, ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam ut et ipsi meminerint suarum, ne ultra quam tutum est humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hæc faciant angeli, vel potius Deus quemadmodum hæc faciat per angelos suos et quantum fieri velit etiam per angelos malos, sive sinendo, sive jubendo, sive cogendo, ex occulta sede altissimi imperii sui, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus hinc loquar ad omnia quæ requiri de his rebus possunt, quam si essem angelus, aut propheta, aut apostolus, *Cogitationes enim mortalium timidæ et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in perspectu sunt, invenimus cum labore: quæ in cœlis sunt autem, quis investigabit?* Sed quia sequitur et dicit, *Sensum autem tuum quis scit, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum-sanctum tuum de altissimis:* quæ in cælis sunt quidem, non investigamus, quo rerum genere et corpora angelica secundum propriam dignitatem, et eorum quædam corporalis actio continetur; secundum spiritum tamen Dei missum nobis de altissimis et impartitam ejus gratiam mentibus nostris, audeo fiducialiter dicere, nec Deum Patrem, nec Verbum ejus, nec Spiritum ejus, quod Deus unus est, per id quod est, atque idipsum est, ullo modo esse mutabilem, ac per hoc multo minus esse visibilem.

Eucharistia — Johan. 19. 14. — Sap. 9. 14. — Ibid. 17.

Quoniam sunt quædam quamvis mutabilia, non tamen visibilia, sicut nostræ cogitationes, et memoriæ, et voluntates, et omnis incorporea creatura: visibile autem quidquam non est, quod non sit mutabile. * Quapropter substantia, vel si melius dicitur, essentia Dei, ubi pro modulo nostro ex quantulacumque particula intelligimus Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, quandoquidem nullo modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per semetipsam esse visibilis.

* CAPUT XI. Essentia Dei numquam per se apparuit.

Angelorum ministerio factæ divinæ Patribus apparitiones.

22. Proinde illa omnia quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet quomodo ea ministris angelis fecerit, per angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plus sapere, sed sapimus ad temperantiam, sicut Deus nobis partitus est mensuram fidei, et credimus, propter quod et loquimur. Exstat enim auctoritas divinarum Scripturarum, unde mens nostra deviare non debet, nec relicto solidamento divini eloquii per suspicionum suarum abrupta præcipitari, ubi nec sensus corporis regit, nec perspicua ratio veritatis elucet. Apertissime quippe scriptum est in epistola ad Hebræos, cum dispensatio novi Testamenti a dispensatione veteris Testamenti secundum congruentiam sæculorum ac temporum distingueretur, non tantum illa visibilia, sed ipsum etiam sermonem per angelos factum. Sic enim dicit: *Ad quem autem angelorum dixit aliquando, Sede ad dexteram meam, quo usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt ministri spiritus, ad ministrationem missi, propter eos qui futuri sunt hereditate possidere salutem?* Hinc ostendit illa omnia non solum per angelos facta, sed etiam propter nos facta, id est, propter populum Dei, cui promittitur hæreditas vitæ æternæ. Sicut ad Corinthios etiam scriptum est: *Omnia hæc in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit.* Deinde quia tunc per angelos, nunc autem per Filium sermo factus est, consequenter aperteque demonstrans: *Propterea*, inquit, *abundantius oportet attendere nos ea quæ audivimus, ne forte defluamus: si enim qui per angelos dictus est, sermo factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia justam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus tantam negligentes salutem?* Et quasi quæreres quam salutem, ut ostenderet se de novo Testamento jam dicere, id est, sermone qui non per angelos sed per Dominum factus est: *Quæ cum initium accepisset*, inquit, *ut enarraretur per Dominum, ab iis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti divisionibus secundum suam voluntatem.*

Rom. 3.

Hebr. 1. 13.

1. Cor. 10. 11.

Heb. 2. 1.

Objectio ex loquendi modo ducta diluitur.

23. Sed ait aliquis, cur ergo scriptum est, *Dixit Dominus, ad Moysen*: et non potius, Dixit angelus ad Moysen? Quia cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in Gestis; Ille præco dixit; sed, Ille judex: sic etiam loquente Propheta sancto, etsi dicamus, Propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixisse intelligi volumus. Et si dicamus, Dominus dixit, Prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit admonemus. Et illa quidem scriptura sæpe aperit angelum esse (a) Dominum, quo loquente identidem dicitur, Dominus dixit, sicut jam demonstravimus. Sed propter eos, qui cum Scriptura illic angelum nominat, ipsum per se ipsum Filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternæ ac suæ voluntatis a propheta dictus est angelus: propterea voluit ex hac epistola manifestius testimonium dare, ubi non dictum est, per angelum; sed *per angelos*.

24. Nam et Stephanus in Actibus Apostolorum eo more narrat hæc, quo etiam in libris veteribus conscripta sunt, *Viri fratres et patres audite*, inquit: *Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro, cum esset in Mesopotamia*. Ne quis autem arbitraretur tunc Deum gloriæ, per id quod in se ipso est, cujusquam oculis apparuisse mortalium, in consequentibus dicit, quod Moysi angelus apparuerit. *Fugit*, inquit, *Moyses verbo isto et factus est inquilinus in terra Madiam, ubi genuit filios duos. Et completis illic quadraginta annis apparuit illi in deserto montis Sina angelus Domini in flamma ignis in rubo. Moyses autem videns mirabatur visum. Qui cum accederet considerare, facta est vox Domini dicens, Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. Dixitque illi Dominus, Solve calciamentum pedum tuorum etc.* Hic certe et angelum et Dominum dicit eumdemque Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob, sicut in Genesi scriptum est.

Act. 7. 2.

Gen. 12. 1.

Exod. 2. 15.

Exod. 3. 2.

Apparitionem Dei ipsi Abrahæ perinde ac Moysi, per angelos factam esse.

25. An forte quisquam dicturus est, quod Moysi per angelum apparuit Dominus, Abrahæ vero per se ipsum? At hoc a Stephano non quæramus; ipsum librum unde Stephanus ista narravit, interrogemus. Numquid enim quia scriptum est, *Et dixit Dominus Deus ad Abraham*: et paulo post, *Et visus est Dominus Deus Abrahæ*: propterea ista non per angelos facta sunt? Cum alio loco similiter dicat, *Visus est autem ei Deus ad ilicem Mambre, sedenti ad ostium tabernaculi sui meridie*: et tamen consequenter adjungat, *Respiciens autem oculis suis vidit, et ecce tres viri stabant (b) super eum*; de quibus jam diximus. Quomodo enim poterunt isti, qui vel a verbis ad intellectum nolunt assurgere, vel facile se ab intellectu in verba præcipitant, quomodo poterunt explicare visum esse Deum in viris tribus, nisi eos, sicut etiam consequentia docent, angelos fuisse fateantur? An quia non dictum est, Angelus ei loquutus est vel apparuit; propterea dicere audebunt, Moysi quidem illam visionem ac vocem per angelum factam, quia ita scriptum

Gen. 12. 1.

Gen. 17. 1.

Gen. 18.

(a) Plerique MSS. Domini.

(b) Er. et Lov. hoc loco habent, propter eum. Sed constanter MSS. ut supra lib. 2. contra Maximinum cap. 26. n. 5. super eum: Græc. apud LXX, ἐπάνω αὐτοῦ.

est: Abrahæ autem, quia commemoratio angeli non est facta, per substantiam suam Deum apparuisse atque sonuisse? Quid quod nec apud Abraham de Angelo tacitum est? Nam ita legi-
a tur, cum immolandus filius ejus (*a*) præcipere-
Gen. 22. 1. tur: *Et factum est post hæc verba, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum, Abraham, Abraham. Et ille dixit, Ecce ego. Et dixit ei, Accipe filium tuum dilectum, quem diligis, Isaac, et vade in terram excelsam, et offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem tibi dixero.* Certe hic Deus, non angelus, commemoratus est: paullo post vero ita se habet Scriptura, *Exten-*
Ibid. 10. *dens autem Abraham manum suam, sumpsit gla-*
b *dium,* (*b*) *occidere filium suum: et vocavit eum angelus Domini de cœlo, et dixit ei, Abraham, Abraham. Et dixit, Ecce ego. Et dixit, Ne injicias manum tuam super puerum, neque facias ei quidquam.* Quid ad hoc respondentur? an dicturi sunt Deum jussisse ut occideretur Isaac, et angelum prohibuisse; porro ipsum patrem adversum Dei præceptum, qui jusserat ut occideret? obtemperasse angelo ut parceret? Ridendus et abjiciendus hic sensus est. Sed neque huic
c tam (*c*) crasso et abjecto ullum locum Scriptura esse permittit, continuo subjungens, *Nunc enim cognovi quia timens Deum tu, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Quid est, *propter me*, nisi propter eum qui occidi jusserat? Idem igitur Deus Abrahæ qui angelus, an potius per angelus Deus? Accipe sequentia: certe jam hic angelus manifestissime expressus est: adtende tamen quid contexatur: *Respiciens Abraham oculis suis vidit, et ecce aries unus tenebatur in arbore sabech cornibus, et abiit Abraham, et accepit arietem, et obtulit eum holocaustum pro Isaac filio suo. Et cognominavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, ut dicant hodie quod in monte Dominus visus est:* sicut paullo ante quod dixit Deus per Angelum, *Nunc enim cognovi quia times Deum;* non quia tunc Deus cognovisse intelligendus est, sed egisse ut per Deum ipse Abraham cognosceret quantas haberet vires cordis ad obediendum Deo usque ad immolationem unici filii: illo modo locutionis quo significatur per efficientem id quod efficitur, sicut dicitur frigus pigrum, quod pigros facit; ut ideo cognovisse diceretur, quia ipsum Abraham cognoscere fecerat, quem poterat latere fidei suæ firmitas, nisi tali experimento probaretur. Ita et hic cognominavit Abraham nomen loci illius, *Dominus vidit*: id est, quod videri se fecit. Nam continuo secutus ait, *Ut dicant hodie quod in monte Dominus visus est.* Ecce idem angelus Dominus dicitur: quare, nisi quia per angelum Dominus? Jam vero in eo quod sequitur, prophetice omnino loquitur angelus, et prorsus aperit quod
Gen. 22. 15. per angelum Deus loquatur. *Et vocavit*, inquit, *angelus Domini Abraham iterum de cœlo, dicens,*
A *Per me juravi, dicit Dominus, pro eo quod fecisti hoc verbum et non pepercisti filio tuo dilecto propter me, etc.* Hæc certe verba ut dicat ille per quem loquitur Dominus, *Hæc dicit Dominus*, etiam Prophetæ solent habere. An Filius Dei de Patre ait, *Dicit Dominus*, et Ipse est ille angelus Patris? Quid ergo, de illis tribus viris nonne respiciunt quomodo urgeantur, qui visi sunt Abra-
hæ, cum prædictum esset, *Visus est ei Dominus:* Gen. 18. 1.
An quia viri dicti sunt, non erant angeli? Da- Dan. 9. 21.
nielem legant dicentem, *Ecce vir Gabriel.*

26. Sed quid ultra differimus ora eorum evi- Idem probatur ex lege data Moysi per angelos.
dentissimo atque gravissimo alio documento oppilare, ubi non angelus singulariter, nec viri pluraliter, sed omnino angeli dicuntur, per quos sermo non quilibet factus, sed lex ipsa data ma-
B nifestime ostenditur, quam certe nullus fidelium dubitat Deum dedisse Moysi ad subjugandum populum Israel, sed tamen per angelos datam.
Ita Stephanus loquitur: *Dura cervice*, inquit, *et* Act. 7. 51.
non circumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui-sancto restitistis, sicut et patres vestri. Quem Prophetarum non persecuti sunt Patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus nunc vos proditores et interfectores fuistis, qui accepistis legem in edictis angelorum, nec custodistis. Quid hoc evidentius, quid tanta auctoritate robustius? In edictis quidem angelorum lex illi populo data est: sed Domini Jesu Christi per eam disponebatur et prænuntiabatur adventus; et Ipse tamquam Verbum Dei miro et ineffabili modo erat in angelis, in quo-
C rum edictis lex ipsa dabatur. Unde dicit in Evan-
gelio, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi, de* Johan. 5. 46.
me enim ille scripsit. Per angelos ergo tunc Do- 1. Tim. 2. 5.
minus loquebatur, per angelos Filius Dei, mediator Dei et hominum futurus ex semine Abrahæ suum disponebat adventum, ut inveniret a quibus reciperetur confitentes se reos, quos lex non impleta fecerat transgressores. Unde et A-
postolus ad Galatas dicit, *Quid ergo lex? Trans-* Gal. 3. 19.
gressionis gratia (*d*) *posita est, donec veniret se-* d
men cui promissum est (*e*) *dispositum per ange-* e
los in manu mediatoris: hoc est, dispositum per angelos in manu sua. Non enim natus est per conditionem, sed per potestatem. Quod autem non aliquem ex angelis dicit mediatorem, sed ipsum Dominum Jesum Christum, in quantum ho-
D mo fieri dignatus est, habes alio loco: *Unus*, in- 1. Tim. 2. 5.
quit, *Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Hinc illud Pascha in inter-
fectione agni: hinc illa omnia quæ de Christo ven- Exodi 12. 5.
turo in carne atque passuro, sed et resurrecturo in lege figurantur, quæ data est in edictis ange-
lorum, in quibus angelis erat utique et Pater, Act. 6. 51.
et Filius, et Spiritus-sanctus; et aliquando Pater, Gal. 3. 19.
aliquando Filius, aliquando Spiritus-sanctus, aliquando sine ulla distinctione personæ Deus per illos figurabatur, etsi visibilibus et sensibilibus

(a) Plerique MSS. *peteretur.*
(b) Editi, *volens occidere.* Abest, *volens* MSS. et a Græco LXX.
(c) In MSS. *tam grosso.*

(d) Plures MSS. *proposita est.* Græce est προσετέθη.
(e) Editi, *disposita.* At Plerique MSS. *dispositum:* referendo ad semen.

formis apparens, per creaturam tamen suam, non per substantiam cui videndæ corda mundantur per hæc omnia quæ oculis videntur, et auribus audiuntur.

Quid dictum in hoc libro, quid dicendum in sequenta.

27. Sed jam satis quantum existimo, pro captu nostro disputatum et demonstratum est, quod in hoc libro susceperamus ostendere: constititque et probabilitate rationis quantum homo vel potius quantum ego potui, et firmitate auctoritatis quantum de Scripturis sanctis divina eloquia patuerunt, quod antiquis patribus nostris ante incarnationem Salvatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ ac species corporales per angelos factæ sunt; sive ipsis loquentibus vel agentibus aliquid ex persona Dei, sicut etiam Prophetas solere ostendimus; sive assumentibus ex creatura quod ipsi non essent, ubi Deus figurate demonstraretur hominibus, quod genus significationum nec Prophetas omisisse, multis exemplis docet Scriptura. Superest igitur jam ut videamus, cum et nato per virginem Domino, et corporali specie sicut columba descendente Spiritu-sancto visisque igneis linguis sonitu facto de cælo die Pentecostes post adscensionem Domini, non ipsum Dei Verbum per substantiam suam qua Patri æquale atque coæternum est, nec Spiritus Patris et Filii per suam substantiam qua ipse utrisque æqualis atque coæternus est, sed utique (*a*) creatura quæ illis modis formari et exsistere potuit corporeis atque mortalibus sensibus apparuerit, quid inter illas demonstrationes et has proprietates Filii Dei et Spiritus-sancti, quamvis per creaturam visibilem factas, intersit: quod ab alio volumine comodius ordiemur.

Matth. 3. 16.
Act. 2. 3.

LIBER QUARTUS

Explicat ad quid missus sit Filius Dei. Christo videlicet pro peccatoribus moriente persuadendum nobis fuisse in primis et quantum nos dilexerit Deus, et quales dilexerit. Opportune etiam ut ad contemplandum Deum et cohærendum Deo mundaremur. Verbum in carne venisse. Ipsius morte una et simplici duplicem nostram solutam esse; ubi edisserit quemadmodum simplum Salvatoris nostri duplo nostro concinat ad salutem, et de perfectione numeri senarii, in quem numerum ipsa simpli ad duplum ratio deducitur, fusius agit. Docet colligi omnes ex multis in unum per unum mediatorem vitæ Christum, per quem solum vera fit animæ purgatio. Cæterum Filium Dei, quamquam missione factus sit minor propter formam servi quam suscepit, non tamen ideo minorem Patre secundum formam Dei quia ab ipso missus est, eamdemque de Spiritus-sancti missione rationem esse demonstrat.

Proœmium. Scientia Dei a Deo petenda.

SCIENTIAM terrestrium cælestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum: in quo profecto meliores sunt qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos; laudabiliorque est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta, vias siderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse qua ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam. Qui vero jam evigilavit in Deum, Spiritus-sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se viluit, adeumque intrare volens nec valens, eoque sibi lucente adtendit in se, invenitque se, suamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non posse cognovit; flere dulce habet, eumque deprecari, ut etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam, et precari eum fiducia, jam accepto gratuito pignore salutis, per ejus unicum Salvatorem hominis et illuminatorem: hunc ita (*b*) agentem et dolentem scientia non inflat, quia caritas ædificat: præposuit enim scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam, magis quam scire mundi mœnia, fundamenta terrarum, et fastigia cælorum: et hanc apponendo scentiam, apposuit dolorem; dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, et conditoris ejus beati Dei sui. In hoc genere hominum, in familia Christi tui, Domine Deus meus, si inter pauperes tuos gemo, da mihi de pane tuo respondere hominibus, qui non esuriunt et sitiunt justitiam, sed satiati sunt et abundant. Satiavit autem illos phantasma eorum, non veritas tua, quam repellendo resiliunt, et in suam vanitatem cadunt. Ego certe sentio quam multa figmenta pariat cor humanum: et quid est cor meum, nisi cor humanum? Sed hoc oro Deum cordis mei, ut nihil ex eis figmentis pro solido vero eructuem in has litteras, sed inde veniat in eas quidquid per me venire potuerit, unde mihi, quamvis projecto a facie oculorum suorum, et de longinquo redire conanti, per viam quam stravit (*c*) humanitate divinitas Unigeniti sui, aura veritatis ejus adspergitur. Quam in tantum licet mutabilis haurio, in quantum in ea nihil mutabile video, nec locis et temporibus, sicut corpora; nec solis temporibus et quasi locis, sicut spirituum nostrorum cogitationes; nec solis temporibus, et nulla vel imagine locorum, sicut quædam nostrarum mentium ratiocinationes. Omnino enim Dei essentia, qua est, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate: quia æterna ibi est veritas, æterna caritas; et vera ibi est caritas, vera æternitas; et cara ibi est æternitas, cara veritas.

1. Cor. 8. 1.
Eccle. 1. 18.
Matth. 5. 6.
Psal. 30. 23.

CAPUT I. Per agnitionem infirmitatis nostræ perficimur.

2. Sed quoniam exultavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus et temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus: (nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus:) missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur, non hic esse quod quærimus, sed

(a) Ita MSS. Editi vero, *sed utique per creaturam.*
(b) Omnes prope MSS. *ita egentem.*
(c) Editi, *humanitati.* Melius MSS. *humanitate.*

a illuc (*a*) ab ista esse redeundum, unde nisi peregeremus, hic ea non quæreremus. Ac primum nobis persuadendum fuit, quantum nos diligeret Deus, ne desperatione non auderemus erigi in eum. Quales autem dilexerit, ostendi oportebat, ne tamquam de meritis nostris superbientes, magis ab eo resiliremus et in nostra fortitudine magis deficeremus: ac per hoc egit nobiscum, ut per ejus fortitudinem potius proficeremus, atque ita in infirmitate humilitatis perficeretur virtus caritatis. Hoc significat in Psalmo, ubi ait, *Plu-* Psal. 67. 10. *viam voluntariam segregans Deus hereditati tuæ, et infirmata est, tu vero perfecisti eam.* Pluviam quippe voluntariam nonnisi gratiam vult intelligi, non meritis redditam, sed gratis datam, unde et gratia nominatur: dedit enim eam, non quia digni eramus, sed quia voluit. Hoc cognoscentes, non fidentes in nobis erimus, et hoc est infirmari. Ipse vero perficit nos, qui etiam Pau- 2. Cor. 12. 9. lo apostolo dixit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Persuadendum ergo erat homini quantum nos dilexerit Deus, et quales dilexerit: quantum, ne desperaremus; quales, ne superbiremus. Hunc locum Aposto- Rom. 5. 8. lus pernecessarium sic explicat: *Commendat autem*, inquit, *suam caritatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Rom. 8. 31. Item alio loco: *Quid ergo*, inquit, *dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non et cum illo nobis omnia donavit?* Quod autem factum nobis annuntiatur, hoc futurum ostendebatur et antiquis justis, ut per eamdem fidem etiam ipsi humiliati infirmarentur, et infirmati perficerentur.

Verbum incarnatum tenebras nostras pellit. 3. Quia igitur unum Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia, quod est incommutabilis veritas, (*b*) ibi principaliter atque incommutabiliter sunt omnia simul, non solum quæ nunc sunt in b hac universa creatura, verum etiam quæ fuerunt et quæ futura sunt. Ibi autem nec fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt, et omnia vita sunt, et omnia unum sunt, et magis unum est et una vita est. Sic enim omnia per ipsum facta sunt, ut quidquid factum est in his, in illo vita sit, et facta non sit: quia in principio non Johan. 1. 1. factum est Verbum, sed erat Verbum apud Deum, et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt: nec per ipsum omnia facta essent, nisi ipsum esset ante omnia, factumque non esset. In iis autem quæ per ipsum facta sunt, etiam corpus quod vita non est, per ipsum non fieret, nisi in illo ante quam fieret vita esset. Quod enim factum est, jam in illo vita erat, et non A qualiscumque vita: nam et anima vita est corporis, sed et hæc facta est, quia mutabilis est; et per quid facta est, nisi per Dei Verbum incommutabile? *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quod ergo *factum est*, jam *in illo vita erat*, et non qualiscumque vita, sed *vita erat lux hominum:* lux utique rationalium mentium, per quas homines a pecoribus differunt, et ideo sunt homines. Non ergo lux corporea, quæ lux est carnium, sive de cælo fulgeat, sive terrenis ignibus accendatur, nec humanarum tantum carnium, sed etiam belluinarum et usque ad minutissimos quosque vermiculos. Omnia enim hæc vident istam lucem: at illa vita lux hominum erat; nec longe posita ab unoquoque nostrum: In illo enim vivimus et movemur Act. 17. 27. B et sumus.

CAPUT II. Quomodo per Verbum incarnatum reddimur habiles percipiendæ veritati.

4. Sed *lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Tenebræ autem sunt stultæ mentes hominum, prava cupiditate atque infidelitate cæcatæ. Has ut curaret atque sanaret Verbum, per quod facta sunt omnia, caro factum est, et habitavit in nobis. Illuminatio quippe nostra participatio Verbi est, illius scilicet vitæ Johan. 1. 5. quæ lux est hominum. Huic autem participationi prorsus inhabiles, et minus idonei eramus, propter immunditiam peccatorum. Mundandi ergo eramus. Porro iniquorum et superborum una mundatio est sanguis justi, et humilitas Dei: ut ad contemplandum Deum quod natura non sumus, per eum mundaremur factum quod natura sumus, et quod peccato non sumus. Deus enim C natura non sumus: homines natura sumus, justi peccato non sumus. Deus itaque factus homo justus, intercessit Deo pro homine peccatore. Non enim congruit peccator justo, sed congruit homini homo. Adjungens ergo nobis similitudinem humanitatis suæ, abstulit (*c*) dissimilitudinem iniquitatis nostræ, et factus particeps mor- c talitatis nostræ, fecit nos participes divinitatis suæ. Merito quippe mors peccatoris veniens ex damnationis necessitate, soluta est per mortem justi venientem ex misericordiæ voluntate, dum simplum ejus congruit duplo nostro. Hæc enim congruentia, sive convenientia, vel concinentia, vel consonantia, vel si quid commodius dicitur, quod unum est ad duo, in omni compaginatione, vel si melius dicitur, coaptatione creaturæ, D valet plurimum. Hanc enim coaptationem, sicut mihi nunc occurit, dicere volui, quam Græci ἁρμονίαν vocant. Neque nunc locus est, ut ostendam quantum valeat consonantia simpli ad duplum, quæ maxima (*d*) in nobis reperitur, et sic d nobis insita naturaliter: (a quo utique, nisi ab eo qui nos creavit?) ut nec imperiti possint eam non sentire, sive ipsi cantantes, sive alios audientes: per hanc quippe voces acutiores gravioresque concordant, ita ut quisquis ab ea dissonuerit, non scientiam, cujus expertes sunt plu-

(*a*) Editi, *ad ipsa*. At MSS. *ab ista*, scilicet peregrinatione.

(*b*) Sic MSS. Plerique At editi, *ubi principaliter*: et rursum paullo post, *Ubi autem*, pro *Ibi autem*.

(*c*) Sic MSS. At Editi, *similitudinem iniquitatis nostræ*.

(*d*) Hic Aliquot MSS. omittunt, *in nobis*. Post, *reperitur*, editi ferebant, *ut si nobis*: corrupto.

rimi, sed ipsum sensum auditus nostri vehementer offendat. Sed hoc ut demonstretur, longo sermone opus est: ipsis autem auribus exhiberi potest ab eo qui novit in regulari monochordo.

CAPUT III. *Una mors et resurrectio corporis Christi, duplici nostræ morti et resurrectioni corporis et animæ concinit ad salutem.*

5. VERUM quod instat in præsentia, quantum donat Deus, edisserendum est, quemadmodum simplum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi duplo nostro congruat, et quodam modo concinat ad salutem. Nos certe, quod nemo Christianus ambigit, et anima et corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati, ac per hoc et corpore propter peccatum. Utrique autem rei nostræ, id est, et animæ et corpori, medicina (a) et resurrectione opus erat, ut in melius renovaretur, quod erat in deterius commutatum. Mors autem animæ impietas est, et mors corporis corruptibilitas, per quam fit et animæ a corpore abscessus. Sicut enim anima Deo deserente, sic corpus anima deserente moritur: unde illa fit insipiens, hoc exanime. Resuscitatur enim anima per pœnitentiam, et in corpore adhuc mortali renovatio vitæ inchoatur a fide, qua creditur in eum qui justificat impium [Rom. 4. 5.], bonisque moribus augetur et roboratur de die in diem [2. Cor. 4. 16.], cum magis magisque renovatur interior homo. Corpus vero tamquam homo exterior, quanto est hæc vita diuturnior, tanto magis magisque corrumpitur, vel ætate, vel morbo, vel variis afflictionibus, donec veniat ad ultimam * quæ ab omnibus mors vocatur. Ejus autem resurrectio differtur in finem: cum et ipsa justificatio nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est [1. Joh. 3. 2.]. Nunc vero quamdiu corpus quod corrumpitur aggravat animam [Sap. 9. 15.], et vita humana super terram tota tentatio est [Job. 7. 1.], non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens [Psal. 142. 2.], in comparatione justitiæ qua æquabimur angelis, et gloriæ quæ revelabitur in nobis. De morte autem animæ a morte corporis distiguenda, quid plura documenta commemorem, cum Dominus in una sententia Evangelica utramque mortem cuivis facile discernendam posuerit, ubi ait, *Sine mortuos sepelire mortuos suos* [Matth. 8. 22.]. Sepeliendum quippe corpus mortuum erat: sepultores autem ejus per (b) infidelitatis impietatem in anima mortuos intelligi voluit, quales excitantur cum dicitur, *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus* [Ephes. 5. 14.]. Detestatur autem quamdam mortem Apostolus, dicens de vidua, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* [1. Tim. 5. 6.]. Anima igitur jam pia, quæ fuit impia, propter justitiam fidei dicitur ex morte revixisse atque vivere. Corpus autem non tantum moriturum propter animæ abscessum qui futurus est, sed propter tantam infirmitatem carnis et sanguinis, quodam in loco in Scripturis etiam mortuum dicitur, loquente Apostolo: *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam* [Rom. 8. 10.]. Hæc vita ex fide facta est: quoniam *justus ex fide vivit* [Ibid. 1. 17.; Abac. 2. 4.]. Sed quid sequitur? *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitem Spiritum ejus in vobis* [Rom. 8. 11.].

Duplæ morti nostræ quomodo simpla mors Christi impensa.

6. Huic ergo duplæ morti nostræ Salvator noster impendit simplam suam: et ad faciendam utramque resuscitationem nostram, in sacramento et exemplo præposuit et proposuit unam suam. Neque enim fuit peccator aut impius, ut ei tamquam spiritu mortuo in interiore homine renovari opus esset, et tamquam resipiscendo ad vitam justitiæ revocari: sed indutus carne mortali, et sola moriens, sola resurgens, ea sola nobis ad utrumque concinuit, cum in ea fieret interioris hominis sacramentum, exterioris exemplum. Interioris enim hominis nostri sacramento data est illa vox, pertinens ad mortem animæ nostræ significandam, non solum in Psalmo, verum etiam in cruce: *Deus meus Deus meus; ut quid me dereliquisti?* [Psal. 21. 1.; Matth. 27. 46.] Cui voci congruit Apostolus, dicens, *Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato* [Rom. 6. 6.]. Crucifixio quippe interioris hominis pœnitentiæ dolores intelliguntur, et continentiæ quidam salubris cruciatus, per quam mortem mors impietatis perimitur, in qua nos (c) reliquit Deus. Et ideo per talem crucem evacuatur corpus peccati, ut jam non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato [Rom. 6. 13.]. Quia et interior homo si utique renovatur de die in diem [2. Cor. 4. 16.], profecto vetus est ante quam renovetur. Intus namque agitur quod idem Apostolus dicit: *Exuite vos veterem hominem, et induite novum* [Ephes. 4. 22.]. Quod ita consequenter exponit: *Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Ubi autem deponitur mendacium, nisi intus, ut inhabitet in monte sancto Dei qui loquitur veritatem in corde suo? [Psal. 14. 1.] Resurrectio vero corporis Domini ad sacramentum interioris resurrectionis nostræ pertinere ostenditur, ubi postquam resurrexit, ait mulieri. *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum* [Johan. 20. 17.]. Cui mysterio congruit Apostolus dicens, *Si autem consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt sapite* [Col. 3. 1.]. Hoc est enim Christum non tangere, nisi cum adscenderit ad Patrem, non de Christo sapere carnaliter. Jam vero ad exemplum mortis exterioris hominis nostri Dominicæ carnis mors pertinet, quia per talem passionem maxime hortatus est servos suos, ut non timeant eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere [Matth. 10. 28.]. Propter quod dicit Apostolus: *Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea* [Col. 1. 24.]. Et ad exemplum resurrectionis exterioris hominis nostri pertinere invenitur resurrectio corporis Domini, quia discipulis ait, *pal-*

(a) Plures MSS. *medicina ex resurrectione.*

(b) Am. et omnes fere MSS. *per infidelitatem impietatis.*

(c) Editi, *in qua nos non dereliquit Deus.* At melioris notæ MSS. *in qua nos reliquit* (sive *relinquit*) *Deus*: id est, in morte et crucifixione interioris hominis nostri, doloribus videlicet pœnitentiæ ac continentiæ cruciatu.

* subaud. afflictionem

Lucæ 24. 39. — *pate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et unus ex discipulis etiam cicatrices ejus contrectans, exclamavit dicens, *Dominus meus et Deus meus*. (Johan. 20. 28.) Et cum illius carnis tota integritas appareret, demonstratum est in ea quod suos exhortans dixerat: *Capillus capitis vestri non peribit*. (Lucæ 21. 18.) Unde enim primo, *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum*; (Johan. 20. 17.) et unde ante quam adscendat ad Patrem a discipulis tangitur, nisi quia illic insinuabatur interioris hominis sacramentum, hic præbebatur exterioris exemplum? An forte quisquam ita est absurdus atque aversus a vero ut audeat dicere a viris eum tactum ante quam adscenderet, a mulieribus autem cum adscendisset? Propter hoc exemplum futuræ nostræ resurrectionis in corpore, quod præcessit in Domino, dicit Apostolus, *Initium Christus, deinde qui sunt Christi*. (1. Cor. 15. 23.) De corporis enim resurrectione illo loco agebatur, propter quam etiam dicit, (a) *Transfiguravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ*. (Phil. 3. 21.) Una ergo mors nostri Salvatoris duabus mortibus nostris saluti fuit. Et una ejus resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit, cum corpus ejus in utraque re, id est, et in morte et in resurrectione, et sacramento interioris hominis nostri, et exemplo exterioris, medicinali quadam convenientia ministratum est.

CAPUT IV. — Ratio simpli ad duplum ex perfectione senarii numeri.

7. Hæc autem ratio simpli ad duplum oritur quidem a ternario numero; unum quippe ad duo, tria sunt: sed hoc totum quod dixi, ad senarium pervenit; unum enim et duo et tria sex fiunt. Qui numerus propterea perfectus dicitur quia partibus suis completur: habet enim illas tres, sextam, tertiam, dimidiam; nec ulla pars alia, quæ dici possit quota sit, invenitur in eo. Sexta ergo ejus unum est, tertia duo, dimidia tria. Unum autem et duo et tria consummant eumdem senarium.

Senarii perfectio in Scripturis commendata. Gen. 1. 27.

Cujus perfectionem nobis sancta Scriptura commendat, in eo maxime quod Deus sex diebus perfecit opera sua, et sexto die factus est homo ad imaginem Dei. Et sexta ætate generis humani, Filius Dei venit et factus est filius hominis, ut nos reformaret ad imaginem Dei. Ea quippe nunc ætas agitur, sive milleni anni singulis distribuantur ætatibus, sive in divinis litteris memorabiles atque insignes quasi articulos temporum vestigemus, ut prima ætas inveniatur ab Adam usque ad Noe, inde secunda usque ad Abraham: et deinceps sicut Matthæus Evangelista distinxit, ab Abraham usque ad David, a David usque ad transmigrationem in Babyloniam, atque inde usque ad virginis partum. Quæ tres ætates conjunctæ illis duabus, quinque faciunt. Proinde sextam inchoavit nativitas Domini, quæ nunc agitur usque ad occultum temporis finem. Hunc senarium numerum quamdam temporis gerere figuram, etiam in illa ratione tripartitæ distributionis agnoscimus, qua unum tempus computamus ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia. In quo tempore sacramentum renovationis accepimus: ut in fine temporis etiam resurrectione carnis omni ex parte renovati, ab universa, non solum animæ, verum etiam corporis infirmitate sanemur. Unde intelligitur illa mulier in typo Ecclesiæ a Domino sanata et erecta, (Lucæ 13. 11.) quam curvaverat infirmitas alligante satana. De talibus enim occultis hostibus plangit illa vox Psalmi: *Curvaverunt animam meam*. (Psal. 56. 7.) Hæc autem mulier decem et octo annos habebat in infirmitate, quod est ter seni. Menses autem annorum decem et octo inveniuntur in numero solidi quadrati senarii, quod est sexies seni, et hoc sexies. Juxta quippe est in eodem Evangelii loco, (Lucæ 13. 6.) arbor quoque illa ficulnea, cujus miseram sterilitatem etiam tertius annus arguebat, sed ita pro illa intercessum est, ut dimitteretur illo anno, ut si fructum ferret, bene; sin aliter, excideretur. Nam et tres anni ad eamdem tripartitam distributionem pertinent, et menses trium annorum quadratum senarium faciunt, quod est sexies seni.

Annus senario numero pollet.

8. Annus etiam unus, si duodecim menses integri considerentur, quos triceni dies complent, (talem quippe mensem veteres observaverunt, quem circuitus lunaris ostendit,) senario numero pollet. Quod enim valent sex in primo ordine numerorum, qui constat ex unis ut perveniatur ad decem hoc valent sexaginta in secundo ordine, qui constat ex denis ut perveniatur ad centum. Sexagenarius ergo numerus dierum, sexta pars anni est. Proinde per senarium primi versus (b) multiplicatur, tamquam senarius secundi versus, et fiunt sexies sexageni trecenti et sexaginta dies, qui sunt integri duodecim menses. Sed quoniam sicut mensem circuitus lunæ ostendit hominibus, sic annus circuitu solis animadversus est; restant autem quinque dies et quadrans diei, ut sol impleat cursum suum annumque concludat: quatuor enim quadrantes faciunt unum diem, quem necesse est intercalari excurso quadriennio, quod bissextum vocant, ne temporum ordo turbetur: etiam ipsos dies quinque et quadrantem si consideremus, senarius numerus in eis plurimum valet. Primum, quia sicut fieri solet ut a parte totum computetur, non sunt jam dies quinque, sed potius sex, ut quadrans ille accipiatur pro die. Deinde quia in ipsis quinque diebus sexta pars mensis est ipse autem quadrans sex horas habet. Totus enim dies, id est, cum sua nocte, vigintiquatuor horæ sunt, quarum pars quarta, quæ est quadrans diei, sex horæ inveniuntur: ita in anni cursu senarius numerus plurimum valet.

CAPUT V. — Senarius in ædificatione corporis Christi ac templi Jerosolymitani commendatus.

9. Nec immerito in ædificatione corporis Dominici, in cujus figura templum a Judæis destructum triduo se resuscitaturum esse dicebat, numerus ipse senarius pro anno positus intelligitur: Dixerunt enim, *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum*. Et quadragies sexies seni, fiunt ducenti septuaginta sex. Qui numerus

(a) Aliquot MSS. *Transfigurabit*.
(b) Editi, *multiplicantur*. Melius MSS. *multiplicatur*: numerus videlicet senarius.

[Johan. 2. 19.] dierum complet novem menses et sex dies, qui tamquam decem menses parientibus fœminis imputantur: non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perveniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas. Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo et passus: ita monumento novo, quo sepultus est, [Johan. 19. 41.] ubi nullus erat mortuorum positus, nec ante, nec postea, congruit uterus virginis quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium. Natus autem traditur octavo Kalendas Januarias. Ab illo ergo die usque ad istum computati, ducenti-septuaginta et sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies habent. Quo numero annorum templum ædificatum est, quia eo numero senariorum corpus Domini perfectum est, quod mortis passione destructum, triduo resuscitavit. Dicebat enim hoc de templo corporis sui, sicut evidentissimo et robustissimo Evangelii testimonio declaratur, quo ait, [Johan. 2. 21. Matth. 12. 40.] *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.*

[CAPUT VI. Triduum resurrectionis, in quo etiam apparet ratio simpli ad duplum.]

40. Ipsum autem triduum non totum et plenum fuisse, Scriptura testis est: sed primus dies a parte extrema totus annumeratus est; dies vero tertius a parte prima, et ipse totus; medius autem inter eos, id est, secundus dies absolute totus viginti-quatuor horis suis, duodecim nocturnis et duodecim diurnis. Crucifixus est enim [Johan. 19. 14. Matth. 27. 50. Marci 15. 42.] primo Judæorum vocibus hora tertia, cum esset dies sexta sabbati. Deinde in ipsa cruce suspensus est hora sexta, et spiritum tradidit hora nona. Sepultus est autem cum jam sero factum esset, sicut sese habent verba Evangelii, quod intelligitur in fine diei. Unde libet ergo incipias, etiam si alia ratio reddi potest, quomodo non sit contra Evangelium Johannis, ut hora tertia ligno suspensus intelligatur: (a) totum diem primum non comprehendis. Ergo a parte extrema totus computabitur, sicut tertius a parte prima. Nox enim usque ad diluculum, quo Domini resurrectio declarata est, ad tertium diem pertinet, quia Deus qui dixit de tenebris lucem [2. Cor. 4. 6.] clarescere, ut per gratiam novi Testamenti et participationem resurrectionis Christi audiremus, [Ephes. 5. 8.] *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* insinuat nobis quodam modo quod [Gen. 1.] a nocte dies sumat initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem; ita isti propter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur. Ab hora ergo mortis usque ad diluculum resurrectionis horæ sunt quadraginta, ut etiam ipsa hora nona connumeretur. Cui numero congruit etiam vita ejus super terram post resurrectionem in quadraginta diebus. Et est iste numerus frequentissimus in Scripturis ad insinuandum mysterium perfectionis in quadripartito (b) mundo. Habent enim quamdam perfectionem decem, et ea quater multiplicata faciunt quadraginta. A vespere autem sepulturæ usque ad diluculum resurrectionis triginta-sex horæ sunt, qui est quadratus senarius. Refertur autem ad illam rationem simpli ad duplum; ubi est coaptationis maxima consonantia. Duodecim enim ad viginti quatuor simplo ad duplum conveniunt, et fiunt triginta sex: nox tota cum die toto et nocte tota, neque hoc sine illo sacramento quod supra memoravi. Non absurde quippe spiritum diei comparamus, corpus autem nocti. Dominicum enim corpus in morte ac resurrectione, et spiritus nostri figuram, et corporis gerebat exemplum. Etiam sic ergo apparet illa ratio simpli ad duplum in horis triginta-sex, cum duodecim conferuntur ad viginti-quatuor. Et horum quidem numerorum caussas, cur in Scripturis sanctis (c) positi sint, potest alius alias indagare, vel quibus istæ quas ego reddidi, præponendæ sint, vel æque probabiles, vel istis etiam probabiliores: frustra tamen eos esse in Scripturis positos, et nullas caussas esse mysticas, cur illic isti numeri commemorentur, nemo tam stultus ineptusque contenderit. Ego autem quas reddidi, vel ex Ecclesiæ auctoritate a majoribus (d) traditas, vel ex divinarum testimonio Scripturarum, vel ex ratione numerorum similitudinumque collegi. Contra rationem nemu sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.

[CAPUT VII. Quomodo per unum Mediatorem ex multis colligamur in unum.]

41. Hoc sacramentum, hoc sacrificium, hic sacerdos, hic Deus, ante quam missus veniret, factus ex fœmina, omnia quæ sacrate atque mystice patribus nostris per angelica miracula apparuerunt, sive quæ per ipsos facta sunt, similitudines hujus fuerunt, ut omnis creatura factis quodam modo loqueretur unum futurum in quo esset salus universorum a morte reparandorum. Quia enim ab uno vero Deo et summo per impietatis iniquitatem resilientes et dissonantes defluxeramus, et evanueramus in multa, discissi per multa et inhærentes in multis: oportebat nutu et imperio Dei miserantis, ut ipsa multa venturum conclamarent unum, et a multis conclamatus veniret unus, et multa contestarentur venisse unum; et a multis exonerati veniremus ad unum; et multis peccatis in anima mortui, et propter peccatum in carne morituri, amaremus sine peccato mortuum in carne pro nobis unum: et in resuscitatum credentes, et cum illo per fidem spiritu resurgentes, justificaremur in uno justo facti unum: nec in ipsa carne nos resurrecturos desperaremus, cum multa membra intueremur præcessisse nos caput unum: in quo nunc per fidem mundati, et tunc per speciem redintegrati, et per Mediatorem Deo reconciliati hæreamus uni, fruamur uno, permaneamus unum.

[CAPUT VIII. Quomodo]

42. Sic ipse Filius Dei, Verbum Dei, et idem ipse mediator Dei et hominum filius hominis, æ-

(a) Lov. *si totum diem.* Abest *si* ab aliis libris, et abesse debet.

(b) Editi, *in quadripartito modo:* mendose.

(c) Sic MSS. At editi, *positæ sint.*

(d) Plures MSS. *tradita.*

Christus vult omnes in se unum esse.

qualis Patri per divinitatis unitatem, et particeps (*a*) noster per humanitatis susceptionem, Patrem interpellans pro nobis per id quod homo erat, nec tamen tacens quod Deus cum Patre unum erat, inter cetera ita loquitur: *Non pro his autem rogo*, inquit, *tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*

1. Tim. 2. 5. Rom. 8. 34. Johan. 17. 20.

* CAPUT IX.

Non dixit, Ego et ipsi unum; quamvis per id quod Ecclesiæ caput est et corpus ejus Ecclesia, posset dicere, ego et ipsi, non unum, sed unus, quia caput et corpus unus est Christus: sed divinitatem suam consubstantialem Patri ostendens, (*b*) (propter quod et alio loco dicit, *Ego et Pater unum sumus*,) in suo genere, hoc est, in ejusdem naturæ consubstantiali paritate, vult esse suos unum, sed in ipso; quia in se ipsis non possent, dissociati ab invicem per diversas (*c*) voluptates et cupiditates et immunditias peccatorum: unde mundantur per Mediatorem, ut sint in illo unum: non tantum per eamdem naturam qua (*d*) omnes ex hominibus mortalibus æquales angelis fiunt, sed etiam per eamdem (*e*) in eamdem beatitudinem conspirantem concordissimam voluntatem, in unum spiritum quodam modo igne caritatis (*f*) conflatam. Ad hoc enim valet quod ait, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*: ut quemadmodum Pater et Filius, non tantum æqualitate substantiæ, sed etiam voluntate unum sunt; ita et ii inter quos et Deum mediator est Filius, non tantum per id quod ejusdem naturæ sunt, sed etiam per eamdem dilectionis societatem unum sint. Deinde idipsum quod Mediator est, per quem reconciliamur Deo, sic indicat, *Ego*, inquit, *in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

Ephes. 1. 22. Johan. 10. 30. Johan. 17. 2. 1. Tim. 2. 5. Johan. 17. 23.

CAPUT X. Ut Christus mediator vitæ; ita diabolus mediator mortis.

13. Hæc est vera pax, et cum Creatore nostro nobis firma connexio, purgatis et reconciliatis per Mediatorem vitæ, sicut maculati et alienati ab eo recesseramus per mediatorem mortis. Sicut enim diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem; ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam: quia sicut ille elatus cecidit, et dejecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit, et erexit credentem. Quia enim non pervenerat diabolus quo ipse perduxerat, (mortem quippe spiritus in impietate gestabat, sed mortem carnis non subierat, quia nec indumentum susceperat,) magnus homini videbatur princeps in legionibus dæmonum, per quos fallaciarum regnum exercet, sic hominem per elationis typhum, potentiæ quam justitiæ cupidiorem, aut per falsam philosphiam magis inflans; aut per sacra sacrilega irretiens, in quibus etiam magicæ fallaciæ, curiosiores superbioresque animas deceptas illusasque (*g*) præcipitans, subditum tenet; pollicens etiam purgationem animæ, per eas quas τελετάς appellant, transfigurando se in angelum lucis per multiformem machinationem in signis et prodigiis mendacii.

CAPUT XI. Miracula quæ a dæmonibus fiunt, spernenda.

14. Facile est enim spiritibus nequissimis per aerea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggravatæ, etiam melioris affectus. Si enim corpora ipsa terrena nonnullis artibus et exercitationibus modificata, in spectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent, ut ii qui numquam viderunt talia narrata, vix credant: quid magnum est diabolo et angelis ejus, de corporeis elementis per aerea corpora facere quæ caro miretur; aut etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormientesve decipiat, vel furentes exagitet? Sed sicut fieri potest ut homo vita ac moribus melior, spectet nequissimos homines, vel in fune ambulantes, vel multimodis motibus corporum multa incredibilia facientes, nec ullo modo facere talia concupiscat, nec eos propterea sibi præponendos existimet: sic anima fidelis et pia, non solum si videat, verum etiam si propter fragilitatem carnis exhorreat miracula dæmonum, non ideo tamen aut non se posse talia dolebit, aut ob hoc illos meliores esse judicabit; cum (*h*) sit præsertim in societate sanctorum, qui per virtutem Dei cui cuncta subjecta sunt, et minime fallacia, et multo majora fecerunt, sive homines, sive angeli boni.

CAPUT XII. Diabolus mortis, Christus vitæ mediator.

15. Nequaquam igitur per sacrilegas similitudines et impias curiositates et magicas consecrationes animæ purgantur et reconciliantur Deo: quia falsus mediator non trajicit ad superiora, sed potius obsidens intercludit viam per affectus, quos tanto maligniores, quanto superbiores suæ (*i*) societati inspirat: qui non possunt ad evolandum pennas nutrire virtutum, sed potius ad demergendum pondera exaggerare vitiorum, tanto gravius anima ruitura, quanto sibi videtur evecta sublimius. Proinde sicut Magi fecerunt divinitus moniti, quos ad humilitatem Domini adorandam stella perduxit: ita et nos, non qua venimus, sed per aliam viam in patriam redire debemus, quam rex humilis docuit, et quam rex superbus humili regi adversarius obsidere non possit. Et nobis enim, ut adoremus humilem Christum, cæli enarraverunt gloriam Dei, cum in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Via nobis fuit ad mortem per peccatum in Adam. *Per unum* quippe *hominem peccatum*

Matth. 2. 12. Psal. 18. 5. Rom. 5. 12.

(a) Sic Am. et plerique MSS. At Er. et Lov. *particeps nostri.*
(b) Editi, *ostendens hoc ait.* Abest hoc ait a MSS.
(c) Plures MSS. *voluntates.*
(d) Editi, *homines ex hominibus*: minus bene.
(e) Sic MSS. Editi autem, *per eamdem caritatem in eamdem beatitudinem conspirantes concordissima voluntate.*
(f) Quidam MSS. *conflati.*
(g) Sic Plures MSS. Alii vero cum Am. *præcipitant, subditum tenens.* Er. et Lov. *præcipitat, subditum tenens*
(h) Editi, *cum sint.* At MSS. *cum sit*: anima scilicet pia.
(i) Er. et plerique MSS. *societatis.*

intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Hujus viæ mediator diabolus fuit, persuasor peccati, et præcipitator in mortem. Nam et ipse ad operandam duplam mortem nostram, simplam attulit, suam. Per impietatem namque mortuus est in spiritu, carne utique mortuus non est: nobis autem et impietatem persuasit, et (*a*) per hanc ut in mortem carnis venire mereremur effecit. Unum ergo appetivimus iniqua suasione, alterum nos secutum est justa damnatione; propterea quippe scriptum est, Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit*, quia caussa mortis ipse non fuit; sed tamen per ejus retributionem (*b*) justissima mors irrogata est peccatori. Sicut supplicium judex irrogat reo, caussa tamen supplicii non est justitia judicis, sed meritum criminis. Quo ergo nos mediator mortis transmisit, et ipse non venit, id est, ad mortem carnis; ibi nobis Dominus Deus noster medicinam emendationis inseruit, quam ille non meruit, occulta et nimis arcana ordinatione divinæ altæque justitiæ. Rom. 5. 11. Ut ergo sicut per unum hominem mors, ita et per unum hominem fieret resurrectio mortuorum, quia magis vitabant homines quod evitare non poterant, mortem carnis, quam mortem spiritus, id est, magis pœnam quam meritum pœnæ: (nam non peccare, aut non curatur, aut parum curatur; non mori autem quamvis non obtineatur, vehementer satagitur:) vitæ Mediator ostendens, quam non sit mors timenda, quæ per humanam conditionem jam evadi non potest, sed potius impietas, quæ per fidem caveri potest, occurrit nobis ad finem quo venimus, sed non qua venimus. Nos enim ad mortem per peccatum venimus, ille per justitiam: et ideo cum sit mors nostra pœna peccati, mors illius facta est hostia pro peccato.

CAPUT XIII. Mors Christi spontanea.

16. Quapropter cum spiritus corpori præponatur, morsque sit spiritus a Deo deseri, mors autem corporis a spiritu deseri; eaque sit pœna in morte corporis, ut spiritus quia volens deseruit Deum, deserat corpus invitus; ut cum spiritus Deum deseruerit quia voluit, deserat corpus etiam si noluerit; nec deserat cum voluerit, nisi aliquam sibi vim, qua ipsum corpus perimatur, intulerit: demonstravit spiritus Mediatoris, quam nulla pœna peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus (*c*) hinc ait, Johan. 10. 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me, et iterum sumo eam.* Et hoc maxime mirati sunt, sicut Evangelium loquitur, qui præsentes erant, cum post illam vocem, in qua figuram peccati nostri edidit, continuo tradidit spiritum. Longa enim morte cruciabantur ligno suspensi. Unde latronibus, ut jam morerentur, et de ligno ante sabbatum deponerentur, crura confracta sunt. Ille autem quia mortuus inventus est, miraculo fuit. Johan. 19. 32. Hoc etiam Pilatum legimus fuisse miratum, cum ab ipso sepeliendum corpus Domini peteretur. Marci 15. 44.

Quomodo vitæ mediator mediatorem mortis expugnavit.

17. Ille itaque deceptor, qui fuit homini mediator ad mortem, falsoque se opponit ad vitam nomine purgationis per sacra et sacrificia sacrilega, quibus superbi seducuntur, quia nec participationem mortis nostræ habere potuit, nec resurrectionem suæ, simplam suam mortem ad duplam nostram potuit adferre: simplam vero resurrectionem, in qua et sacramentum esset renovationis nostræ, et ejus quæ in fine futura est evigilationis exemplum, non utique potuit. Ille proinde qui spiritu vivus carnem suam mortuam resuscitavit, verus vitæ Mediator, illum spiritu mortuum et mortis mediatorem a spiritibus in se credentium foras misit, ut non regnaret intrinsecus, sed forinsecus oppugnaret: nec tamen expugnaret. Cui se ipse quoque tentandum præbuit, Matth. 4. 2. ut ad superandas etiam tentationes ejus mediator esset, non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum. At ille primitus ubi per omnes aditus ad interiora moliens irrepere, expulsus est, post baptisma in eremo completa omni tentatione illecebrosa, quia vivum spiritu mortuus non invasit, quoquomodo avidus mortis humanæ convertit se ad faciendam mortem quam potuit, et permissus est in illud quod ex nobis mortale (*d*) vivus Mediator acceperat. Et ubi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte devictus est; et unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior ejus potestas qua nos tenebat occisa est. Factum est enim ut vincula peccatorum multorum in multis mortibus, per unius unam mortem quam peccatum nullum præcesserat, solverentur. Quam propterea Dominus pro nobis indebitam reddidit, ut nobis debita non noceret. Neque enim jure cujusquam potestatis exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui posset non mori si nollet, procul dubio, quia voluit mortuus est: et ideo principatus et potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eas in semetipso. Col. 2. 15. Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit; et sua resurrectione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit. Rom. 8. 30. Ita diabolus hominem, quem per consensionem seductum, tamquam jure integro possidebat, et ipse nulla corruptione carnis et sanguinis septus, per istam corporis mortalis fragilitatem, nimis egeno et infirmo, tanto superbior, quanto velut ditior et fortior, quasi pannoso et ærumnoso dominabatur, in ipsa morte carnis amisit. Quo enim cadentem non secutus impulit peccatorem, illuc

(a) Omnes prope MSS. et propter hanc.
(b) Sic plerique MSS. Editi vero justissima mors.
(c) Sic MSS. Editi vero, commixtus est homo. Hinc ait male.
(d) Duo e Vaticanis MSS. vitæ Mediator.

A descendentem persecutus compulit Redemptorem. Sic in mortis consortio Filius Dei nobis fieri dignatus est amicus, quo non perveniendo meliorem se nobis atque majorem putabat inimicus. Dicit enim Redemptor noster, *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* (Johan. 15. 13) Quocirca etiam ipso Domino se credebat diabolus superiorem, in quantum illi Dominus in passionibus cessit; quia et de ipso intellectum est quod in Psalmo legitur, *Minuisti eum paullo minus ab angelis:* (Psal. 8. 6) ut ab iniquo velut æquo jure adversum nos agente, ipse occisus innocens eum jure æquissimo superaret, atque ita captivitatem propter peccatum factam captivaret (Ephes 4. 8), nosque liberaret a captivitate propter peccatum justa, suo (a) justo sanguine injuste fuso mortis chirographum delens, et justificandos redimens peccatores. a B

Quomodo diabolus suos inducat in contemptum mortis Christi.

18. Hinc etiam diabolus adhuc suos illudit, quibus se per sua sacra velut purgandis, et potius implicandis atque mergendis, falsus mediator opponit, quod superbis facillime persuadet irridere atque contemnere mortem Christi, a qua ipse quanto est alienior, tanto ab eis creditur sanctior atque divinior. Qui tamen apud eum paucissimi remanserunt, agnoscentibus gentibus et pia humilitate bibentibus pretium suum, ejusque fiducia deserentibus hostem suum, et concurrentibus ad redemptorem suum. Nescit enim diabolus quomodo illo et insidiante et furente utatur ad salutem fidelium suorum excellentissima sapientia Dei, a fine superiore, quod est initium spiritalis creaturæ, usque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens (Sap. 8. 1) fortiter et disponens omnia suaviter. Adtingit enim ubique propter suam munditiam, et nihil inquinatum in eam incurrit (Sap. 7. 24). A morte autem carnis alieno diabolo, unde nimium superbus incedit, mors alterius generis præparatur in æterno igne tartari, quo non solum cum terrenis, sed etiam cum aereis corporibus excruciari spiritus possint. Superbi autem homines, quibus Christus, quia mortuus est, viluit, ubi nos tam magno emit (1. Cor. 6. 10), et istam mortem reddunt cum hominibus conditioni ærumnosæ naturæ, quæ trahitur a primo peccato, et in illam cum illo præcipitabuntur. Quem propterea Christo præposuerunt, quia eos in istam dejecit, quo per distantem naturam ipse non cecidit, et quo propter eos per ingentem misericordiam ille descendit: et tamen se dæmonibus esse meliores non dubitant credere, eosque maledictis omnibus insectari detestarique non cessant, quos certe alienos ab hujus mortis passione noverunt, propter quam Christum contemnunt. Nec sic volunt considerare, quam fieri potuerit, ut in se manens, nec per se ipsum ex ulla parte mutabile Dei Verbum, per inferioris tamen naturæ susceptionem aliquid inferius pati posset, quod immundus dæmon, quia terrenum corpus non habet, pati non C D A possit. Sic cum sint ipsi dæmonibus meliores, tamen quia carnem portant, mori sic possunt, quemadmodum mori dæmones; qui non eam portant, nun utique possunt.

19. Et cum de (b) mortibus sacrificiorum suorum multum præsumant, quæ se fallacibus superbisque spiritibus immolare non sentiunt, aut si (c) jam sentiunt, aliquid sibi prodesse arbitrantur perfidorum et invidorum amicitiam, quorum intentionis nullum negotium est, nisi impeditio reditus nostri. Non intelligunt ne ipsos quidem superbissimos spiritus honoribus sacrificiorum gaudere potuisse, nisi uni vero Deo pro quo coli volunt, verum sacrificium deberetur: * neque id posse rite offerri, nisi per sacerdotem sanctum et justum; nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certe omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus et sanctus sacerdos, quam unicus Filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat. b c B C

* CAPUT XIV. Christus perfectissima victima pro mundandis vitiis nostris.

In omni sacrificio quatuor consideranda.

CAPUT XV. Superbi putantes se propria virtute posse purgari ad videndum Deum.

20. Sunt autem quidam qui se putant ad contemplandum Deum et inhærendum Deo virtute propria posse purgari: quos ipsa superbia maxime maculat. Nullum enim vitium est, cui magis divina lege resistatur, et in quod (d) majus accipiat dominandi jus ille superbissimus spiritus, ad ima mediator, ad summa interclusor: nisi occulte insidians alia via devitetur; aut per populum deficientem, quod interpretatur Amalec (Exodi 17. 8), aperte sæviens, et ad terram promissionis repugnando transitum negans, per crucem Domini quæ Moysi manibus extensis est præfigurata, superetur. Hinc enim purgationem sibi isti virtute propria pollicentur, quia nonnulli eorum potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transmittere, et lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere: quod Christianos multos ex fide interim sola viventes, nondum potuisse derident. Sed quid prodest superbienti, et ob hoc erubescenti lignum con- d D

(a) Sic MSS. At editi, *suo proprio sanguine .... justificando redimens peccatores.*
(b) Editi, *et de ritibus sacrificiorum suorum.*

(c) In MSS. *aut si etiam.*
(d) In editis, *magis accipiat.*

scendere, de longinquo prospicere patriam transmarinam? Aut quid obest humili de tanto intervallo non eam videre, in illo ligno ad eam venienti, quo dedignatur ille portari.

CAPUT XVI. Philosophi veteres de resurrectione ac rebus futuris non consulendi. Rom. I. 20.

21. Hi etiam resurrectionem carnis nos credere reprehendunt, sibique potius etiam de his rebus credi volunt. Quasi vero quia præcelsam incommutabilemque substantiam per illa quæ facta sunt intelligere potuerunt, propterea de conversione rerum mutabilium, aut de contexto sæculorum ordine consulendi sunt. Numquid enim quia verissime disputant, et documentis certissimis persuadent, æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere quot sint animalium genera, quæ semina singulorum in exordiis, qui modus in incrementis, qui numeri per conceptus, per ortus, per ætates, per occasus, qui motus in appetendis quæ secundum naturam sunt, fugiendisque contrariis? Nonne ista omnia, non per illam incommutabilem sapientiam, sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt, et ab aliis experta atque conscripta crediderunt? Quos minus mirandum est, nullo modo eos potuisse prolixiorum sæculorum seriem vestigare, et quamdam metam hujus excursus, quo tamquam fluvio genus decurrit humanum, atque inde conversionem ad suum cuique debitum terminum. Ista enim nec historici scribere potuerunt longe futura et a nullo experta atque narrata. Nec isti philosophi ceteris meliores in illis summis æternisque rationibus intellectu talia contemplati sunt: alioquin non ejusdem generis præterita quæ potuerunt (a) historici inquirerent, sed potius et futura prænoscerent; quod qui potuerunt, ab eis vates, a nostris prophetæ appellati sunt.

CAPUT XVII. Futura quot modis præsciantur.

22. Quamquam et prophetarum nomen non omnino alienum est a litteris eorum: sed plurimum interest, utrum experimento præteritorum futura conjiciantur; sicut medici multa prævidendo, etiam litteris mandaverunt, quæ ipsi experta notaverunt; sicut denique agricolæ vel etiam nautæ multa prænuntiant; (talia enim si ex longis intervallis temporum fiant, divinationes putantur:) an vero jam ventura (b) processerint, et longe visa venientia nuntientur pro acuto sensu videntium, quod cum faciunt aereæ potestates divinare creduntur; tamquam si quisquam de montis vertice aliquem longe videat venientem, et proxime in campo habitantibus ante nuntiet; an ab Angelis sanctis quibus ea Deus per Verbum Sapientiamque suam indicat, ubi et futura et præterita stant, vel quibusdam prænuntientur hominibus, vel ab eis audita rursus ad alios homines transmittantur: an ipsorum hominum quorumdam mentes in tantum evehantur Spiritu-sancto, ut non per Angelos, sed per se ipsas futurorum (c) stantes caussas in ipsa summa rerum arce conspiciant. Audiunt enim ista et aereæ potestates, sive Angelis ea nuntiantibus, sive hominibus: et tantum audiunt, quantum opus esse ille judicat, cui subjecta sunt omnia. Multa etiam prædicuntur instinctu quodam et (d) impulsu spiritu nescientium: sicut Caiphas nescivit quid dixit, sed cum esset Pontifex prophetavit. Joban. 11. 51.

Philosophi nec illi qui inter antiquos excelluerunt, consulendi sunt de resurrectione mortuorum. Act. 17. 28. Rom. 1. 20.

23. Ergo de successionibus sæculorum et de resurrectione mortuorum philosophos nec illos consulere debemus, qui Creatoris æternitatem, in quo vivimus, movemur et sumus, quantum potuerunt intellexerunt. Quia per ea quæ facta sunt cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et cum idonei non essent, in æternitatem spiritalis incommutabilisque naturæ aciem mentis tam constanter infingere, ut in ipsa sapientia Creatoris atque Rectoris universitatis viderent volumina sæculorum, quæ ibi jam essent et semper essent, hic autem futura essent ut non essent; atque ut ibi viderent conversiones in melius, non solum animorum, sed etiam corporum humanorum usque ad sui modi perfectionem: cum ergo ad hæc ibi videnda nullo modo essent idonei, ne ad illud quidem digni habiti sunt, ut eis ista per sanctos Angelos nuntiarentur; sive forinsecus per sensus corporis, sive interioribus revelationibus in spiritu expressis: sicut patribus nostris vera pietate præditis hæc demonstrata sunt, qui ea prædicantes, vel de præsentibus signis vel de proximis rebus, ita ut prædixerant, factis fidem facientes, auctoritatem cui de longe futuris usque in sæculi finem crederetur, habere meruerunt. Potestates autem aereæ superbæ atque fallaces, etiam si quædam de societate et civitate sanctorum et de vero Mediatore a sanctis Prophetis vel Angelis audita per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent. Deus autem per nescientes id egit, ut veritas undique resonaret, fidelibus in adjutorium, impiis in testimonium.

CAPUT XVIII. Filius Dei incarnatus est ut per fidem mundati evehamur ad incommutabilem veritatem.

24. Quia igitur ad æterna capessenda idonei non eramus, sordesque peccatorum nos prægravabant temporalium rerum amore contractæ, et de propagine mortalitatis tamquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgari autem ut contemperaremur æternis, non nisi per temporalia possemus, qualibus jam contemperati tenebamur. Sanitas enim a morbo plurimum distat: sed (e) media curatio, nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. Inutilia temporalia decipiunt ægrotos, utilia temporalia suscipiunt sanandos, et trajiciunt ad æterna sanatos. Mens

(a) Editis, *historice* Melius MSS. *historici*.

(b) Sola fere editio Lov. *præsenserint, et longe visa venientia nuntient*: minus bene.

(c) Editi, *instantes caussas*. Melius MSS. *stantes caussas*. Ex his Vaticanus quidam postea habet, *in ipsa summa rerum arte conspiciant*.

(d) Plures MSS. *impulsu spiritus*.

(e) Editi, *medici curatio*. Castigantur ex MSS.

autem rationalis sicut purgata contemplationem debet rebus æternis, sic purganda temporalibus fidem. Dixit qnidam et illorum qui quondam apud Græcos sapientes habiti sunt : Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Et profecto est vera sententia. Quod enim nos temporale dicimns, hoc ille quod ortum est appellavit. Ex quo genere etiam nos sumns, non tantum secundum corpus, sed etiam secundum animi mutabilitatem. Non enim proprie vocatur æternum, quod aliqua ex parte mutatur. In quantum igitur mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus. Promittitur autem nobis vita æterna per veritatem, a cujus perspicuitate rursus tantum distat fides nostra, quantum ab æternitate mortalitas. Nunc ergo adhibemus fidem rebus temporaliter gestis propter nos, et per ipsam mundamur, et cum ad speciem venerimus, quemadmodum succedit fidei veritas, ita mortalitati succedat æternitas. Quapropter quoniam fides nostra fiet veritas, cum ad id quod nobis credentibns promittitur pervenerimus; promittitur autem nobis vita æterna; et dixit Veritas, non quæ fiet sicut futura est fides nostra, sed quæ semper est Veritas, quia ibi est æternitas; dixit ergo Veritas, *Hæc*
Johan. 17.3. *est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum:* cum fides nostra videndo fiet veritas, tunc mortalitatem nostram commutatam tenebit æternitas. Qnod donec fiat, et ut fiat, quia rebus ortis accommodamus fidem credulitatis, sicut in æternis speramus veritatem contemplationis, ne fides mortalis vitæ dissonaret a veritate æternæ vitæ,
Psal. 84, 12. ipsa Veritas Patris coæterna de terra orta est, cum Filins Dei sic venit ut fieret filius hominis, et ipse in se exciperet fidem nostram, qua nos perduceret ad veritatem suam, qui sic suscepit mortalitatem nostram, ut non amitteret æternitatem suam. Quantum enim ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Ita ergo nos purgari oportebat, ut ille nobis fieret
a ortus qui maneret æternus, (a) ne alter nobis esset in fide, alter in veritate. Nec ab eo quod orti snmus ad æterna transire possemus, nisi æterno per ortum nostrum nobis sociato ad æternitatem ipsius trajiceremur. Nunc itaque illuc quodam modo secuta est fides nostra, quo adscendit in quem credidimus, ortus, mortuus, resuscitatus, assumptus. Horum quatuor, duo priora noveramus in nobis; scimus enim homines et oriri et mori : duo autem reliqua, id est resuscitari et assumi, juste in nobis futura speramus, quia in illo facta credidimus. Itaque in illo quia et id quod ortum erat transiit ad æternitatem, transiturum est et nostrum, cum fides pervenerit ad veritatem. Jam enim credentibus, ut in verbo fidei manerent, et inde ad veritatem, ac per hoc ad æternitatem perducti a morte li-
Johan. 8.31. berarentur, ita loquitur: *Si manseritis in verbo*

A

B

C

D

meo, vere discipuli mei (b) *eritis.* Et quasi quæ- b
rerent, Quo fructu? secutus ait, *Et cognoscetis veritatem.* Et rursus quasi dicerent, Quid prodest mortalibus veritas? *Et veritas*, inquit, *liberabit vos.* Unde, nisi a morte, a corruptione, a mutabilitate? Veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet. Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas; vera incommutabilitas, ipsa est æternitas.

CAPUT XIX. Filius quomodo missus et prænuntiatus.

25. Ecce ad quod missus est Filius Dei, immo vero ecce quid est missum esse Filium Dei? Quæcumque propter faciendam fidem, qua mundaremur ad contemplandam veritatem, in rebus ortis ab æternitate prolatis et ad æternitatem relatis temporaliter gesta sunt, aut testimonia missionis hujus fuerunt, aut ipsa missio Filii Dei. Sed testimonia quædam venturum prænuntiaverunt, quædam venisse testata sunt. Factum quippe creaturam per quem facta est omnis creatura, omnem creaturam testem habere oportebat. Nisi enim multis missis prædicaretur unus, non multis dimissis teneretur unus. Et nisi talia essent testimonia quæ parvis magna esse viderentur, non crederetur, (c) magnos faceret ma- c
gnus, qui ad parvos missus est parvus. Incomparabiliter enim majora Filii Dei facta sunt cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, quia omnia per ipsum facta sunt, quam signa et portenta quæ in ejus testimonium proruperunt. Sed tamen homines ut hæc magna per eum facta parvi crederent, illa parva tamquam magna tremuerunt.

Quomodo missione nativitatis in carne factus minor sine detrimento æqualitatis cum Patre.

26. Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege; usque adeo parvum, ut factum; eo itaque missum, quo factum. Si ergo major mittit minorem, fatemur, et nos factum minorem, et in tantum minorem in quantum factum, et in tantum factum in quantum missum. Misit enim Gal. 4. 4.
Filium suum factum ex muliere, per quem tamen quia facta sunt omnia, non solum prius quam factus mitteretur, sed prius quam essent omnia, eumdem mittenti confitemur æqualem, quem dicimus missum minorem. Quomodo ergo ante istam plenitudinem temporis, qua eum mitti oportebat, prius quam missus esset videri a Patribus potuit, cum eis angelica quædam visa demonstrarentur, quando nec jam missus sicut æqualis est Patri videbatur? Unde enim dicit Philippo, a quo utique sicut a ceteris, et ab ipsis a quibus crucifixus est in carne videbatur,
Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis Johan. 14.9.
me; Philippe, qui me vidit, vidit et Patrem: nisi quia videbatur, et non videbatur? Videbatur Johan. 1. 3.
sicut missus factus fuerat, non videbatur sicut per eum omnia facta erant. Aut unde etiam illud dicit, *Qui habet mandata mea et servat ea,* Johan. 14. 21.
ipse est qui diligit me; et qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum; cum esset manifestus ante

(a) Lov. *nec alter.*
(b) In MSS. *estis.*

(c) Post, non, *crederetur*, editi addunt *ille ita magnus*; quod merito abest a MSS.

oculos hominum: nisi quia carnem, quod Verbum in plenitudine temporis factum erat, (*a*) suscipiendam nostræ fidei porrigebat, ipsum autem Verbum per quod omnia facta erant, purgatæ per fidem menti contemplandum in æternitate servabat?

CAPUT XX. Mittens, et missus æqualis.

27. Si autem secundum hoc missus a Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit ut credamus æqualem Patri esse Filium et consubstantialem et coæternum, et tamen a Patre missum Filium. Non quia ille major est, ille minor; sed quia ille Pater, ille Filius; ille genitor, ille genitus; ille a quo est qui mittitur, ille qui est ab eo qui mittit. Filius enim a Patre est, non Pater a Filio. Secundum hoc jam potest intelligi, non tantum ideo dici missus Filius quia Verbum caro factum est, (Johan. 1, 14.) sed ideo missus ut Verbum caro fieret, et per præsentiam corporalem illa quæ scripta sunt operaretur; id est, ut non tantum homo missus intelligatur quod Verbum (*b*) factum est, sed et Verbum missum ut homo fieret: quia non secundum imparem potestatem vel substantiam vel aliquid quod in eo Patri non sit æquale missus est: sed secundum id quod Filius a Patre est, non Pater a Filio. Verbum enim Patris est Filius, quod et Sapientia ejus dicitur. Quid ergo mirum si mittitur non quia inæqualis est Patri, sed quia est *manatio quædam claritatis omnipotentis Dei* (*c*) *sincera?* Ibi autem quod manat et de quo manat unius ejusdemque substantiæ est. Neque enim sicut aqua de foramine terræ aut lapidis manat; sed sicut lux de luce. Nam quod dictum est, *Candor est enim lucis æternæ:* quid aliud dictum est, quam lux est lucis æternæ? Candor quippe lucis, quid nisi lux est? Et ideo coæterna luci, de qua lux est. Maluit autem dicere, *candor lucis*, (Sap. 7, 26.) quam lux lucis; ne obscurior putaretur ista quæ manat quam illa de qua manat. Cum enim auditur candor ejus esse ista, facilius est ut per hanc lucere illa, quam hæc minus lucere credatur. Sed quia cavendum non erat, ne minor lux illa putaretur quæ istam genuit: (hoc enim nullus umquam hæreticus ausus est dicere, nec credendum est aliquem ausurum:) illi cogitationi occurrit Scriptura, qua posset videri obscurior lux ista quæ manat, quam illa de qua manat: quam suspicionem tulit, cum ait, *Candor est illius* id est, lucis æternæ; atque ita ostendit æqualem. Si enim hæc minor est, obscuritas illius est, non candor illius. Si autem major est, non ex ea manat: non enim vinceret de qua genita est. Quia ergo ex illa manat, non est major quam illa: quia vero non obscuritas illius, sed candor illius est, non est minor; æqualis est ergo. Neque hoc movere debet, quia dicta est *manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera:* tamquam ipsa non sit omnipotens, sed omnipotentis manatio. Mox enim de illa dicitur, (Sap. 7, 27.) *Et cum sit una, omnia potest.* Quis est autem omnipotens, nisi qui omnia potest? Ab illo itaque mittitur, a quo emanat. Sic enim (*d*) expetitur ab illo, qui amabat eam et desiderabat. *Emitte*, inquit, *illam de sanctis cælis tuis, et mitte illam a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret*, (Sap. 9, 10.) id est, doleat me laborare, ne laborem. Labores enim ejus virtutes sunt (*e*). Sed aliter mittitur ut sit cum homine, aliter missa est ut ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei et Prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos Angelos, et omnia talibus ministeriis congrua per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, (Galat. 4, 4.) missa est, non ut impleret Angelos, nec ut esset Angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod et ipsius erat; nec ut esset cum hominibus aut in hominibus, hoc enim et antea in Patribus et Prophetis; sed ut ipsum Verbum caro fieret, (Johan. 1, 14.) id est, homo fieret: in quo futuro revelato sacramento, etiam eorum sapientium atque sanctorum salus esset, qui prius quam ipse de virgine nasceretur, de mulieribus nati sunt, et in quo facto atque prædicato salus sit omnium credentium, sperantium, diligentium. Hoc enim *magnum pietatis est sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* (1. Tim. 3, 16.)

Filius cur dicitur missus a Patre.

28. Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cujus est Verbum; ab illo mittitur de quo natum est: mittit qui genuit, mittitur quod genitum est. Et tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis. Non ergo eo ipso quo de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dicit, *Exivi a Patre, et veni in hunc mundum:* (Johan. 16, 28.) vel eo quod ex tempore cujusquam mente percipitur, sicut dictum est, *Mitte illam, ut mecum sit, et mecum laboret.* Quod ergo natum est ab æterno, æternum est: *Candor est enim lucis æternæ.* (Sap. 7, 26.) Quod autem mittitur ex tempore, a quoquam cognoscitur. Sed cum in carne manifestatus est Filius Dei, (1. Tim. 3, 16.) in hunc mundum missus est, in plenitudine temporis, factus ex fœmina. (Gal. 4, 4.) Quia enim in sapientia Dei non poterat mundus cognoscere per sapientiam Deum; (1. Cor. 1, 21.) quoniam lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt: (Johan. 1, 5.) placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes; ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis. Cum autem ex tempore cujusque profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum: neque enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus præsto est. Quia et nos secundum quod mente aliquid æternum quantum possumus capimus, non in hoc mundo sumus: et omnium justorum spi-

(*a*) In MSS. *suscipienda*.
(*b*) Er. et Lov. *caro factum est*. Abest *caro* ab aliis libris.
(*c*) MSS. hic et infra constanter habent, *sinceris*.
(*d*) Am. et MSS. *Sic enim et petitur*.
(*e*) Hic apud Lov. additur, *de quibus jam dictum est*.

ritus, etiam adhuc in hac carne viventium, in quantum divina sapiunt, non sunt in hoc mundo. Sed Pater cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo (a) sit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit, *Ego ex ore Altissimi prodivi*. Et de Spiritu-sancto dicitur, *a Patre procedit*: Pater vero a nullo.

Eccli. 24. 5. — Johan. 15. 26.

29. Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est: ita Pater misit, Filius missus est. Sed quemadmodum qui genuit et qui genitus est, ita et qui misit et qui missus est unum sunt; quia Pater et Filius unum sunt. Ita etiam Spiritus-sanctus unum cum eis est; quia hæc tria unum sunt. Sicut enim natum esse est Filio, a Patre esse; ita mitti est Filio, cognosci quod ab illo sit. Et sicut Spiritui-sancto donum Dei esse, est a Patre procedere; ita mitti, est cognosci quia ab illo procedat. Nec possumus dicere quod Spiritus-sanctus et a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans (b) in faciem discipulorum ait, *Accipite Spiritum sanctum*. Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus-sancti fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum-sanctum. Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse Spiritum quem sufflans dedit, et alium quem post adscensionem suam misit? Unus enim est Spiritus Dei, Spiritus Patris et Filii, Spiritus-sanctus, qui operatur omnia in omnibus. Sed quod bis datus est, dispensatio certe significationis fuit, de qua suo loco quantum Dominus dederit disseremus. Quod ergo ait Dominus, *Quem ego mittam vobis a Patre*: ostendit Spiritum et Patris et Filii. Quia etiam cum dixisset, *Quem mittet Pater*, addidit, *in nomine meo*; non tamen dixit, Quem mittet Pater a me: quemadmodum dixit, *Quem ego mittam vobis a Patre*: videlicet ostendens quod totius divinitatis, vel si melius dicitur, deitatis, principium Pater est. Qui ergo a Patre procedit et Filio, ad eum refertur a quo natus est Filius. Et quod dicit Evangelista, *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*: quomodo intelligitur, nisi quia certa illa Spiritus-sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat, qualis numquam antea fuerat. Neque enim antea nulla erat, sed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus-sanctus non dabatur, quo impleti Prophetæ locuti sunt? cum aperte Scriptura dicat, et multis locis ostendat, Spiritu-sancto eos locutos fuisse: cum et de Johanne Baptista dictum sit, *Spiritu-sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ*: et Spiritu-sancto repletus Zacharias invenitur pater ejus, ut de illo talia diceret; et Spiritu-sancto Maria, ut talia de Domino quem gestabat utero prædicaret: Spiritu-sancto Simeon et Anna, ut magnitudinem

De missione Spiritus-sancti, quomodo et a quo missus sit. — Johan. 10. 30. — Johan. 20. 22. — Act. 2. 2. — 1. Cor. 12. 6. — Johan. 15. 26. — Pater totius deitatis principium. — Johan. 7. 39. — Lucæ 1. 15. — Ibidem. 67. — Lucæ 1. 46.

A Christi parvuli agnoscerent: quomodo ergo Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus, nisi quia illa datio, vel donatio, vel missio Spiritus sancti habitura erat quamdam proprietatem suam in ipso adventu, qualis antea numquam fuit? Nusquam enim legimus, linguis quas non noverant homines locutos, veniente in se Spiritu-sancto, sicut tunc factum est, cum oporteret ejus adventum signis sensibilibus demonstrari, ut ostenderetur totum orbem terrarum atque omnes gentes in linguis variis constitutas, credituras in Christum per donum Spiritus-sancti; ut impleretur quod in Psalmo canitur, *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*.

Lucæ 2. 25. — Act. 2. 4. — Psal. 18. 4.

B 30. Verbo itaque Dei ad unitatem personæ copulatus, et quodam modo commixtus est homo, cum veniente plenitudine temporis missus est in hunc mundum factus ex fœmina Filius Dei, ut esset et filius hominis propter filios hominum. Hanc personam angelica natura figurare antea potuit, ut prænuntiaret; non expropriare, ut ipsa esset. * De sensibili autem demonstratione Spiritus-sancti, sive per columbæ speciem, sive per linguas igneas, cum ejus substantiam Patri et Filio coæternam pariterque incommutabilem subdita et serviens creatura temporalibus motibus et formis ostenderet, cum ad ejus personæ unitatem, sicut caro quod Verbum factum est, non copularetur, non audeo dicere nihil tale C factum esse antea. Sed plane fidenter dixerim; Patrem et Filium et Spiritum-sanctum unius ejusdemque substantiæ, Deum creatorem, Trinitatem omnipotentem inseparabiliter operari: sed ita non posse per longe imparem maximeque corpoream creaturam inseparabiliter demonstrari, sicut per voces nostras, quæ utique corporaliter sonant, non possunt Pater et Filius et Spiritus-sanctus, nisi suis et propriis intervallis temporum certa separatione distinctis, quæ suæ cujusque vocabuli syllabæ occupant, nominari. In sua quippe substantia qua sunt, tria unum sunt, Pater et Filius et Spiritus-sanctus, nullo temporali motu super omnem creaturam idipsum sine ullis intervallis temporum vel locorum, et simul unum atque idem ab æternitate in æternitatem, tamquam ipsa æternitas quæ sine ve- D ritate et caritate non est: in meis autem vocibus separati sunt Pater et Filius et Spiritus-sanctus, nec simul dici potuerunt, et in litteris visibilibus sua separatim locorum spatia tenuerunt. Et quemadmodum cum memoriam meam et intellectum et voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim horum trium nominum est, quod non et memoria et intellectus et voluntas mea simul operata sint: ita Trinitas simul operata est et vocem Patris, et carnem Filii, et columbam Spi-

Galat. 4. 4. — * CAPUT XXI. De sensibili demonstratione sancti Spiritus, et de coæternitate Trinitatis. — Matth. 3. 16. — Act. 2. 3. — Johan. 1. 14. — Matth. 3. 16.

(a) Editi, *de quo missus sit*. Abest *missus* a MSS.

(b) MSS. non habent, *in faciem discipulorum*.

ritus-sancti, cum ad personas singulas singula hæc referantur. Qua similitudine ubicumque cognoscitur inseparabilem in se ipsa Trinitatem per visibilis creaturæ speciem separabiliter demonstrari, et inseparabilem Trinitatis operationem etiam in singulis esse rebus, quæ vel ad Patrem, vel ad Filium, vel ad Spiritum-sanctum demonstrandum proprie pertinere dicuntur.

31. Si ergo a me quæritur, quomodo factæ sint vel voces vel sensibiles formæ atque species ante incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum præfigurarent: per Angelos ea Deum operatum esse respondeo; quod etiam Scripturarum sanctarum testimoniis, quantum existimo, satis ostendi. Si autem quæritur, ipsa incarnatio quomodo facta sit: ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est, hominem factum, non tamen in

Johan. 1.14.

B hoc quod factum est conversum atque mutatum, ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur, magis magisque abstinendo a peccatis, et bene operando, et orando cum gemitu desideriorum sanctorum, ut per divinum adjutorium proficiendo, et intelligat, et amet. Si autem quæritur, post incarnationem Verbi, quomodo facta sit vel vox Patris, vel species corporalis qua Spiritus-sanctus demonstratus est: per creaturam quidem facta ista non dubito; sed utrum tantummodo corporalem atque sensibilem, an adhibito spiritu

C etiam rationali vel intellectuali, (hoc enim quibusdam placuit appellare, quod Græci dicunt *νοερόν*) non quidem ad unitatem personæ, (quis enim hoc dixerit, ut quidquid illud est creaturæ

A per quod sonuit vox Patris, ita sit Deus Pater, aut quidquid illud est creaturæ in quo per columbæ speciem vel per igneas linguas Spiritus-sanctus demonstratus est, ita sit Spiritus-sanctus, sicut est Dei Filius homo ille, qui ex virgine factus est?) sed tantummodo ad ministerium peragendæ significationis, sicut oportuisse Deus judicavit: an aliquid aliud intelligendum sit, invenire difficile est, et temere affirmare non expedit. Quomodo tamen ista sine rationali vel intellectuali creatura potuerint fieri, non video. Neque adhuc locus est explicare cur ita sentiam, quantum vires Dominus dederit. Prius enim sunt discutienda et refellenda hæreticorum argumenta, quæ non ex divinis libris, sed ex rationibus suis proferunt, quibus se vehementer

B cogere arbitrantur, testimonia Scripturarum quæ de Patre et Filio et Spiritu-sancto sunt, ita esse intelligenda ut ipsi volunt.

32. Nunc autem non ideo minorem Filium quia missus est a Patre, nec ideo minorem Spiritum-sanctum quia et Pater eum misit et Filius, sufficienter quantum arbitror demonstratum est.

Quid dictum sit et quid dicendum restet.

Sive enim propter visibilem creaturam, sive potius propter principii commendationem, non propter inæqualitatem vel imparilitatem vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis hæc posita intelliguntur: quia etiam si voluisset Deus Pater per subjectam creaturam visibiliter apparere, absurdissime tamen aut a Filio quem genuit, aut a Spiritu-sancto qui de illo procedit, missus diceretur. Iste igitur sit hujus voluminis modus:

C deinceps in ceteris, adjuvante Domino, illa hæreticorum versutissima argumenta qualia sint, et quemadmodum redarguantur videbimus.

LIBER QUINTUS

Venit ad hæreticorum argumenta illa quæ non ex divinis libris, sed ex rationibus suis proferunt: et eos refellit, quibus ideo videtur non eamdem Patris ac Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant; et propterea et gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas; demonstrans, non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur; sed dici etiam relative, id est non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est, sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem: ubi si quid relative, id est ad aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est, *Domine refugium factus es nobis*; nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere.

CAPUT I. Quid a Deo, quid a lectore auctor exposcat.

Hinc jam exordiens ea dicere, quæ dici ut cogitantur vel ab homine aliquo, vel certe a nobis non omni modo possunt: quamvis et ipsa nostra cogitatio, cum de Deo Trinitate cogitamus, longe se illi de quo cogitat, imparem sentiat, neque ut est eum capiat, sed ut scriptum est, etiam a tantis quantus Paulus apostolus hic erat, per speculum et in ænigmate videatur: primum ab ipso Domino Deo nostro, de quo semper cogitare debemus, et de quo digne cogitare non possumus, cui laudando reddenda est omni tempore benedictio, et cui enuntiando nulla competit dictio, et adjutorium ad intelligenda atque explicanda quæ intendo, et veniam precor sicubi offendo. Memor sum enim,

1. Cor. 13. 12.

Psal. 33. 1.

D non solum voluntatis, verum etiam infirmitatis meæ. Ab his etiam qui ista lecturi sunt, ut ignoscant peto, ubi me magis voluisse quam potuisse dicere adverterint, quod vel ipsi melius intelligunt, vel propter mei eloquii difficultatem non intelligunt: sicut ego eis ignosco, ubi propter suam tarditatem intelligere non possunt.

2. Facilius autem nobis invicem ignoscimus, si noverimus, aut certe credendo firmum tenuerimus, ea quæ de natura incommutabili et invisibili summeque vivente ac sibi sufficiente dicuntur, non ex consuetudine visibilium atque mutabilium et mortalium vel egenarum rerum esse metienda. Sed cum in his etiam quæ nostris corporalibus adjacent sensibus, vel quod

In Deo nihil mutabilis et corporei cogitandum.

nos ipsi in interiore homine sumus, scientia comprehendendis laboremus, nec sufficiamus: non tamen impudenter in illa quæ supra sunt divina et ineffabilia, pietas fidelis ardescit; non quam suarum virium inflat arrogantia, sed quam gratia ipsius Creatoris et Salvatoris inflammat. Nam quo intellectu Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum quo eum vult capere nondum capit? Si autem hunc jam capit, adtendat diligenter nihil eo esse in sua natura melius, et videat utrum ibi videat ulla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis distentionem, aliquas per locorum intervalla motiones, vel quid ejusmodi. Nihil certe istorum invenimus in eo, quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est, in nostro intellectu, quo sapientiam capimus quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, quod longe melius est meliore nostro: ut sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus; sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ (a) præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihil patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omni modo invenire quid sit; pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit.

CAPUT II. Deus sola incommutabilis essentia.

3. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur, essentia, quam Græci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere dicta est sapientia, et ab eo quod est scire dicta est scientia, ab eo quod est esse dicta est essentia. Et quis magis est, quam ille qui dixit famulo suo Moysi, *Ego sum qui sum: et dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos?* (Exodi 3. 14.) Sed aliæ quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio: Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest; et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia, qui Deus est, cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur, non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse: ac per hoc illud solum quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit quod verissime dicatur esse.

CAPUT III. Arianorum argumentum ex voce geniti et ingeniti desumptum diluitur.

4. Quamobrem ut jam etiam de iis quæ nec dicuntur ut cogitantur, nec cogitantur ut sunt, respondere incipiamus fidei nostræ adversariis: inter multa quæ Ariani adversus catholicam fidem solent disputare, hoc sibi maxime callidissimum machinamentum proponere videntur, cum dicunt: Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse Patri secundum substantiam est, et genitum esse Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse: diversa est ergo substantia Patris et Filii. Quibus respondemus. Si quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur; ergo quod dictum est, *Ego et Pater unum sumus*, secundum substantiam dictum est. (Johan. 10. 30.) Una est igitur substantia Patris et Filii. Aut si hoc non secundum substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de Deo non secundum substantiam; et ideo jam non cogimur secundum substantiam intelligere ingenitum et genitum. Item dictum est de Filio, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*: (Phil. 2. 6.) quærimus secundum quid æqualis? Si enim non secundum substantiam dicitur æqualis, admittunt ut dicatur aliquid de Deo, non secundum substantiam: admittant ergo non secundum substantiam dici ingenitum et genitum. Quod si propterea non admittunt, quia omnia de Deo secundum substantiam dici volunt, secundum substantiam Filius æqualis est Patri.

CAPUT IV. Accidens arguit semper aliquam rei mutationem.

5. Accidens autem non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei cui accidit amitti potest. Nam etsi quædam dicuntur accidentia inseparabilia, quæ Græce appellantur ἀχώριστα sicut est plumæ corvi color niger: amittit eum tamen non quidem quamdiu pluma est, sed quia non semper est pluma. Quapropter ipsa materies mutabilis est, et ex eo quod desinit esse illud animal vel illa pluma totumque illud corpus in terram mutatur et vertitur, amittit utique etiam illum colorem. Quamvis et accidens quod separabile dicitur, non separatione sed mutatione amittatur; sicuti est capillis hominum nigritudo, quoniam dum capilli sunt possunt albescere, separabile accidens dicitur: sed diligenter intuentibus satis apparet, non separatione quasi emigrare aliquid a capite dum canescit, ut nigritudo inde candore succedente discedat et aliquo eat, sed illam qualitatem coloris ibi verti atque mutari. Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amissibile. Quod si et illud dici accidens placet, quod licet non amittatur, minuitur tamen vel augetur, sicuti est animæ vita: nam et quamdiu anima est, tamdiu vivit, et quia semper anima est, semper vivit; sed quia magis vivit cum sapit, minusque cum desipit, fit etiam hic aliqua mutatio, non ut desit vita, sicuti deest insipienti sapientia, sed ut minus sit: nec tale aliquid in Deo fit, quia omnino incommutabilis manet.

In Deo nihil secundum accidens dicitur, sed secundum substantiam aut secundum relationem.

6. Quamobrem nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. In rebus enim creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur: omnia enim accidunt eis, quæ vel amitti possunt vel minui, et magnitudines et qualitates, et quod dicitur ad aliquid, sicut amicitiæ, propinquitates, servitutes, similitudines, æqualitates, et si qua hujusmodi, et

(a) Sic MSS. At editi, præsentem.

situs et habitus, et loca et tempora, et opera atque passiones. * In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quo non est accidens: quia et ille semper Pater, et ille semper Filius; et non ita semper quasi ex quo natus est Filius, ut ex eo quod numquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater; sed ex eo quod semper natus est Filius, nec cœpit umquam esse Filius. Quod si aliquando esse cœpisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundum, accidens diceretur. Si vero quod dicitur Pater, ad se ipsum diceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad se ipsum diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius: sed quia et Pater non dicitur Pater nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur; quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur: neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, æternum atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia quia (a) hoc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.

* CAPUT V.

CAPUT VI. Occurrit hæreticorum cavillationibus in eadem voce geniti et ingeniti.

7. Si autem huic si putant resistendum esse sermoni, quod Pater quidem ad Filium dicitur et Filius ad Patrem, ingenitus tamen et genitus ad se ipsos dicuntur, non ad alterutrum: non enim hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere; quia et si Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum: et si gignat quisque filium, non ex eo ipse ingenitus est; quia geniti homines ex aliis hominibus gignunt et ipsi alios. Inquiunt ergo: Pater ad Filium dicitur, et Filius ad Patrem, ingenitus autem ad se ipsum, et genitus ad se ipsum dicitur. Et ideo si quidquid ad se ipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, diversum est autem ingenitum esse et genitum esse: diversa igitur substantia est. Hoc si dicunt, non intelligunt de ingenito quidem aliquid se dicere, quod diligentius pertractandum sit, quia nec ideo quisque pater quia ingenitus, nec ingenitus ideo quia pater, et propterea non ad aliquid, sed ad se dici putatur ingenitus: genitum vero mira cæcitate non advertunt dici non posse, nisi ad aliquid. Ideo quippe filius quia genitus, et quia filius utique genitus. Sicut autem filius ad patrem, sic genitus ad genitorem refertur; et sicut pater ad filium, ita genitor ad genitum. Ideoque alia notio est qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. Nam quamvis de Patre Deo utrumque dicatur, illud tamen ad genitum, id est, ad Filium dicitur; quod nec illi negant: hoc autem quod ingenitus dicitur, A ad se ipsum dici perhibent. Dicunt ergo: Si aliquid ad se ipsum dicitur Pater, quod ad se ipsum dici non potest Filius, et quidquid ad se ipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, et ad se ipsum dicitur ingenitus, quod dici non potest Filius; ergo secundum substantiam dicitur ingenitus, quod Filius quia dici non potest, non ejusdem est substantiæ. Cui versutiæ respondetur ita, ut ipsi cogantur dicere secundum quid sit æqualis Patri Filius, utrum secundum id quod ad se dicitur, an secundum id quod ad Patrem dicitur. Non enim secundum id quod ad Patrem dicitur, quoniam ad patrem filius dicitur, ille autem non filius, sed pater est. Quia non sic ad se dicuntur pater et filius, quomodo amici aut vicini. Relative quippe amicus dicitur ad B amicum; et si æqualiter se diligunt, eadem in utroque amicitia est: et relative vicinus dicitur ad vicinum; et quia æqualiter sibi vicini sunt, (quantum enim iste illi, tantum et ille huic vicinatur,) eadem in utroque vicinitas. Quia vero Filius non ad Filium relative dicitur, sed ad Patrem; non secundum hoc quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri: restat ut secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quidquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur: restat ergo ut secundum substantiam sit æqualis. Eadem est igitur utriusque substantia. Cum vero ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur. Cum autem relativum negatur, non secundum substantiam negatur, quia ipsum relativum non secundum substan- C tiam dicitur.

CAPUT VII. Negatio addita non mutat prædicamentum.

8. Hoc exemplis planum faciendum est. Ac primum videndum est hoc significari cum dicitur genitus, quod significatur cum dicitur filius. Ideo enim filius, quia genitus; et quia filius, utique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quod non sit filius: sed genitus et ingenitus commode dicuntur; filius autem Latine dicitur, sed infilius ut dicatur non admittit loquendi consuetudo. Nihil tamen intellectui demitur, si dicatur non filius; quemadmodum etiam si dicatur non genitus, pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur. Sic enim et vicinus et amicus relative dicuntur, nec tamen potest invicinus dici quomodo dicitur inimicus. Quamobrem non est in rebus considerandum quid vel sinat vel non sinat dici usus sermonis nostri, D sed quis rerum ipsarum intellectus eluceat. Non ergo jam dicamus ingenitum, quamvis dici Latine possit; sed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet. Num ergo aliud dicimus quam non filium? Negativa porro ista particula non id efficit, ut quod sine illa relative dicitur, eadem præposita substantialiter dicatur; sed id tantum negatur, quod sine illa ajebatur, sicut in ceteris prædicamentis. Velut cum dicimus, Homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit, Non homo est, non aliud genus prædicamenti enuntiat, sed tantum illud negat. Sicut

(a) Editi, *hæc* At MSS, *hoc*.

ergo secundum substantiam aio, Homo est, sic secundum substantiam nego, cum dico: Non homo est. Et cum quæritur, quantus sit; et aio, Quadrupedalis est, id est quatuor pedum, secundum quantitatem aio: qui dicit, Non quadrupedalis est, secundum quantitatem negat. Candidus est, secundum qualitatem aio; Non candidus est, secundum qualitatem nego. Proquinquus est, secundum relativum aio: Non propinquus est, secundum relativum nego. Secundum situm aio, cum dico, Jacet: secundum situm nego, cum dico, Non jacet. Secundum habitum aio, cum dico, Armatus est: secundum habitum nego, cum dico, Non armatus est. Tantumdem autem valet si dicam, Inermis est. Secundum tempus aio, cum dico, Hesternus est: secundum tempus nego, cum dico, Non hesternus est. Et cum dico, Romæ est, secundum locum aio: et secundum locum nego, cum dico, Non Romæ est. Secundum id quod est facere aio, cum dico, Cædit: si autem dicam, Non cædit, secundum id quod est facere nego, ut ostendam non hoc facere. Et cum dico, Vapulat, secundum prædicamentum aio quod pati vocatur: et secundum id nego, cum dico, Non vapulat. Et omnino nullum prædicamenti genus est, secundum quod aliquid aiere volumus, nisi ut secundum idipsum prædicamentum negare convincamur, si præponere negativam particulam voluerimus. Quæ cum ita sint, si substantialiter aierem, dicendo, Filius; substantialiter negarem, dicendo, Non filius. Quia vero relative aio, cum dico, Filius est; ad patrem enim refero: relative nego, si dicam, Non filius est; ad parentem enim eamdem negationem refero, volens ostendere quod ei parens non sit. At si quantum valet quod dicitur filius, tantumdem valet quod dicitur genitus, sicut prælocuti sumus; tantumdem ergo valet quod dicitur non genitus, quantum valet quod dicitur non filius. Relative autem negamus dicendo, non filius: relative igitur negamus dicendo, non genitus. Ingenitus porro quid est nisi non genitus? Non ergo receditur a relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore sit: ita cum dicitur ingenitus, non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod Relativum vocatur, utraque significatio vertitur: quod autem relative pronuntiatur, non indicat substantiam: ita quamvis diversum sit genitus et ingenitus, non indicat diversam substantiam: quia sicut filius ad patrem, et non filius ad non patrem refertur; ita genitus ad genitorem, et non genitus ad non genitorem referatur necesse est.

CAPUT VIII. Quidquid substantialiter de Deo dicitur, de singulis personis

9. Quapropter illud præcipue teneamus quidquid ad se dicitur præstantissima illa et divina sublimitas substantialiter dici; quod autem ad aliquid non substantialiter, sed relative: tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu-sancto, ut quidquid de singulis

A ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Quemadmodum enim Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus-sanctus Deus est, quod secundum substantiam dici nemo dubitat: non tamen tres deos, sed unum Deum dicimus eam ipsam præstantissimam Trinitatem. Ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus-sanctus: non tamen tres magni, sed unus magnus. Non enim de Patre solo, sicut illi perverse sentiunt; sed de Patre et Filio et Spiritu-sancto scriptum est, *Tu es Deus solus magnus*. Et bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus-sanctus: nec tres boni, sed unus est bonus, de quo dictum est, *Nemo bonus nisi unus Deus*. Etenim Dominus Jesus, ne ab illo qui dixerat, *Magister bone*, tamquam hominem compellans, secundum hominem tantummodo

singulariter et simul de ipsa Trinitate dicitur.

Psal. 85. 10.

Luc. 18. 19.

B intelligeretur, ideo non ait, Nemo bonus nisi solus Pater; sed, *Nemo bonus nisi unus Deus*. In Patris enim nomine, ipse per se Pater pronuntiatur: in Dei vero et ipse et Filius et Spiritus-sanctus, quia Trinitas unus Deus. Situs vero, et habitus, et loca, et tempora, non proprie, sed translate ac per similitudines dicuntur in Deo. Nam et sedere super Cherubim dicitur; quod ad situm dicitur: et abyssum tamquam vestimentum amictus; quod ad habitum; et, *Anni tui non deficient;* quod ad tempus: et, *Si adscendero in cœlum, tu ibi es;* quod ad locum. Quod autem ad faciendum adtinet, fortassis de solo Deo verissime dicatur: solus enim Deus facit et ipse non fit, neque patitur quantum ad ejus sub-

Psal. 79. 2.

Psal. 103. 6.

Psal. 101. 28.

Psal. 138. 8.

C stantiam pertinet qua Deus est. Itaque omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus-sanctus: nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, *ex quo omnia*, *per quem omnia*, *in quo omnia*, *ipsi gloria*. Quidquid ergo ad se ipsum dicitur Deus, et de singulis personis (a) singulariter dicitur, id est, de Patre, et Filio, et Spiritu-sancto, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse: propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam et unam magnitudinem. Essentiam dico, quæ οὐσία Græce dicitur, quam usitatius substantiam vocamus.

Rom. 11. 36.

a

D 10. Dicunt quidem et illi hypostasim; sed nescio quid volunt interesse inter usiam et hypostasim: ita ut plerique nostri qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueverint, μίαν οὐσίαν τρεῖς ὑποστάσεις quod est Latine, unam essentiam, tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam: non audemus dicere unam essentiam, tres substantias; sed unam essentiam vel substantiam, tres autem personas, quemadmodum multi Latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem

In Deo una essentia, tres Græcis hypostases, Latinis tres personæ.

CAPUT IX. Personæ tres non proprie dictæ.

(a) Plures MSS. *similiter dicitur*. Nonnulli, *ter dicitur*.

non invenirent, quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant. Re vera enim cum Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus-sanctus ille qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit nec Filius, tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est, *Ego et Pater unum sumus*. Non enim dixit, unum est, quod Sabelliani dicunt; sed, *unum sumus*. Tamen cum quæritur quid tres, magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.

Johan. 10. 30.

CAPUT X. Quæ Deo absolute conveniunt ut essentiæ, de Trinitate singulariter dicuntur, non pluraliter.

11. Sicut ergo non dicimus tres essentias; ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos. In rebus enim quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, et magnus mons et magnus animus; in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non hoc est magnitudo quod est magna domus. Sed illa est vera magnitudo, qua non solum magna est domus quæ magna est, et qua magnus est mons quisquis magnus est; sed etiam qua magnum est quidquid aliud magnum dicitur: ut aliud sit ipsa magnitudo, aliud ea quæ ab illa magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitus magna est, multoque excellentius quam ea quæ participatione ejus magna sunt. Deus autem quia non ea magnitudine magnus est quæ non est quod est ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus cum magnus est; alioquin illa erit major magnitudo quam Deus, Deo autem non est aliquid majus: ea igitur magnitudine magnus est qua ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines: hoc est enim Deo esse, quod est magnum esse. Eadem causa nec magnos tres dicimus, sed unum magnum: quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Hoc et de bonitate, et de æternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiari, quod ad se ipsum dicitur, non translate ac per similitudinem, sed proprie: si tamen de illo proprie aliquid dici ore hominis potest.

CAPUT XI. Quid in Trinitate relative dicatur.

a 12. (a) Quod autem proprie singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad se ipsa, sed ad invicem, aut ad creaturam dicuntur; et ideo relative, non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus Deus dicitur, magnus, bonus, æternus, omnipotens, idemque ipse sua sic dici potest deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia: non sic potest dici Trinitas Pater, nisi forte translate ad creaturam propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est*, non utique excepto Filio, aut excepto Spiritu-sancto oportet intelligi, quem unum Dominum Deum nostrum recte dicimus etiam patrem nostrum per gratiam suam nos regenerantem. Trinitas autem Filius nullo modo dici potest. Spiritus vero sanctus secundum id quod scriptum est, *Quoniam Deus Spiritus est*, potest quidem universaliter dici, quia et Pater Spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus. Itaque Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quoniam unus Deus, et utique Deus sanctus est, et Deus spiritus est, potest appellari Trinitas et Spiritus-sanctus. Sed tamen ille Spiritus-sanctus qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus-sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia Spiritus-sanctus et Patris et Filii et spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem cum dicitur donum Dei: donum enim est Patris et Filii, quia et a Patre procedit, sicut Dominus dicit; et quod Apostolus ait, *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, de ipso utique sancto Spiritu ait. Donum ergo donatoris, et donator doni, cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus. Ergo Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris Filiique communio; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter: quia et Pater spiritus et Filius spiritus et Pater sanctus et Filius sanctus. Ut ergo ex nomine quod utrique convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus-sanctus. Et hæc Trinitas unus Deus, solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens: ipse sibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, æternitas, omnipotentia.

Deut. 6. 4. Marci 12. 29. Johan. 4. 24. Act. 8. 20. Johan. 15. 26. Rom. 8. 9.

CAPUT XII. In relativis mutuis interdum desunt vocabula.

13. Nec movere debet quoniam diximus relative dici Spiritum sanctum, non ipsam Trinitatem, sed eum qui est in Trinitate, quia non ei videtur vicissim respondere vocabulum ejus ad quem refertur. Non enim, sicut dicimus servum domini et dominum servi, filium patris et patrem filii, quoniam ista relative dicuntur, ita etiam hic possumus dicere. Dicimus enim Spiritum-sanctum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus-sancti, ne Filius ejus intelligatur Spiritus-sanctus. Item dicimus Spiritum-sanctum Filii, sed non dicimus Filium Spiritus-sancti, ne pater ejus intelligatur Spiritus sanctus. In multis enim relativis hoc contingit, ut non inveniatur vocabulum, quo sibi vicissim respondeant quæ ad se referuntur. Quid enim tam manifeste relative dicitur quam pignus? Ad id quippe refertur cujus est pignus, et semper pignus alicujus rei pignus est. Num ergo cum dicimus pignus Patris, et Filii, possumus vicissim dicere Patrem pignoris aut Filium pignoris? At vero cum dicimus donum Patris et Filii, non quidem dicere possumus Patrem doni, aut Filium doni; sed ut hæc sibi vicissim respondeant, dicimus donum donatoris, et donatorem doni: quia hic potuit inveniri usitatum vocabulum, illic non potuit.

2. Cor. 5. 5. Ephes. 1. 14.

CAPUT XIII. Principium

14. Dicitur ergo relative Pater, idemque relative dicitur principium, et si quid forte aliud:

(a) Sola fere editio Lov. *Quæ*.

quomodo in Trinitate relative dicatur. sed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia quæ ab ipso sunt. Item dicitur relativè Filius, relative dicitur et Verbum et Imago; et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur: nihil autem horum Pater dicitur. Et principium dicitur Filius: cum enim diceretur ei, *Tu quis es?* respondit, *Principium quod et loquor vobis.* Sed numquid Patris principium? Creatorem se quippe ostendere voluit, cum se dixit esse principium; sicut et Pater principium est creaturæ, eo quod ab ipso sunt omnia. Nam et creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum. Et ideo cum dicimus, et Patrem principium, et Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus; quia et Pater et Filius simul ad creaturam unum principium est, sicut unus creator, sicut unus Deus. Si autem quidquid in se manet et gignit aliquid vel operatur, principium est ei rei quam gignit, vel ei quam operatur, non possumus negare etiam Spiritum-sanctum rectè dici principium; quia non eum separamus ab appellatione creatoris: et scriptum est de illo quod operetur, et in se utique manens operatur: non enim in aliquid eorum quæ operatur, ipse mutatur et vertitur. Et quæ operatur, vide: *Unicuique autem*, inquit, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri autem fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii dijudicatio spirituum, alii genera linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult*, utique sicut Deus. Quis enim tanta illa potest operari nisi Deus? *Idem autem qui operatur omnia in omnibus.* Nam et sigillatim si interrogemur de Spiritu-sancto, verissime respondemus, quod Deus sit; et cum Patre et Filio simul unus Deus est. Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo vel tria principia.

Johan. 8. 25.

Johan. 5. 36.

1. Cor. 12. 7.

Ibidem 6.

CAPUT XIV. Pater et Filius unicum principium Spiritus-sancti.

15. An se autem invicem in Trinitate, si gignens ad id quod gignit principium est, Pater ad Filium principium est, quia (*a*) gignit eum. Utrum autem et ad Spiritum-sanctum principium sit Pater, quoniam dictum est, *De Patre procedit*, non parva quæstio est. Quia si ita est, non jam principium ei tantum rei erit quam gignit aut facit, sed etiam ei quam dat. Ubi et illud elucescit, ut potest, quod solet multos movere, cur non filius sit etiam Spiritus-sanctus, cum et ipse a Pater exeat, sicut in Evangelio legitur. Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus; et ideo non dicitur filius, quia neque natus est sicut Unigenitus, neque factus ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos. Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur cum dicitur Filius, et ideo Filius Patris, non et noster: quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit; itaque Spiritus-sanctus, non tantum Patris et Filii qui dederunt, sed etiam noster dicitur qui accepimus: sicut dicitur. Domini salus qui dat salutem, eadem etiam nostra salus est qui accepimus. Spiritus ergo et Dei est qui dedit, et noster qui accepimus. Non ille spiritus noster quo sumus, quia ipse spiritus est hominis qui in ipso est: sed alio modo iste noster est, quo dicimus et, *Panem nostrum da nobis.* Quamquam et illum spiritum qui hominis dicitur, utique accepimus. *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti?* Sed aliud est quod accepimus ut essemus, aliud quod accepimus ut sancti essemus. Unde scriptum est et de Johanne, quod in spiritu et virtute Eliæ veniret: dictus est Eliæ spiritus, scilicet Spiritus-sanctus quem acceperat Elias. Hoc et de Moyse intelligendum est, cum ait ei Dominus, *Tollam de spiritu tuo, et dabo eis:* hoc est, dabo illis de Spiritu-sancto, quem jam tibi dedi. Si ergo et quod datur, principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit; fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus-sancti, non duo principia: sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum-sanctum unum principium: ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus-sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus.

Johan. 15. 26.

Psal. 3. 9.

Matth. 6. 11.

1. Cor. 4. 7.

Lucæ 1. 17.

Num. 11. 17.

CAPUT XV. An Spiritus sanctus esset donum et antequam daretur.

16. (*b*) Ulterius autem quæritur, utrum quemadmodum Filius non hoc tantum habeat nascendo ut Filius sit, sed omnino ut sit; sic et Spiritus-sanctus eo quo datur habeat, non tantum ut donum sit, sed omnino ut sit: utrum ergo erat ante quam daretur, sed nondum erat donum, an eo ipso quo daturus erat eum Deus, jam donum erat et ante quam daretur. Sed si non procedit nisi cum datur, nec procederet utique prius quam esset cui daretur; quomodo jam erat ipsa substantia, si non est nisi quia datur: sicut Filius non tantum ut sit Filius, quod relative dicitur, sed omnino ut sit (*c*) ipsam substantiam nascendo habet? An semper procedit Spiritus-sanctus et non ex tempore, sed ab æternitate procedit: sed quia sic procedebat ut esset donabile, jam donum erat, et ante quam esset cui daretur? Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et ante quam detur; donatum autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest.

CAPUT XVI. Quod de Deo ex tempore dicitur, relative dicitur, non accidentaliter.

17. Nec moveat quod Spiritus-sanctus cum sit coæternus Patri et Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum diximus. Nam sempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam et si dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo: non enim sempiterna creatura est, cujus est ille dominus. Quomodo ergo obtinebimus nec ipsa relativa esse accidentia, quoniam nihil accidit Deo temporaliter, quia non est mutabilis, sicut in exordio hujus disputationis tractavimus. Ecce Dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur

(*a*) In MSS. *quia genuit eum.*

(*b*) Am. et plures MSS. *Interius.* Tres alii MSS. *Interim.*

(*c*) Plerique MSS. *ipsa substantia.*

etiam sempiternam creaturam dicere, quia ille sempiterne non dominaretur, nisi etiam ista sempiterne famularetur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum, sic nec dominus qui non habet servum. Et quisquis exstiterit qui æternum quidem Deum solum dicat, tempora autem non esse æterna propter varietatem et mutabilitatem, sed tempora tamen non in tempore esse cœpisse; (non enim erat tempus ante quam inciperent tempora, et ideo non in tempore accidit Deo ut Dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quæ utique non in tempore esse cœperunt:) quid respondebit de homine, qui in tempore factus est, cujus utique Dominus non erat ante quam esset cui esset? Certe vel ut Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo: et ut omnis auferri videatur controversia, certe ut tuus Dominus esset, aut meus, qui modo esse cœpimus, ex tempore accidit Deo. Aut si et hoc propter obscuram quæstionem animæ videtur incertum, quid ut esset Dominus populi Israel? Quia etsi jam erat animæ natura, quam ille populus habebat, quod modo non quærimus; tamen ille populus nondum erat, et quando esse cœpit apparet. Postremo ut Dominus esset hujus arboris et hujus segetis, ex tempore accidit, quæ modo esse cœperunt. Quia etsi materies ipsa jam erat, aliud est tamen dominum esse materiæ, aliud esse dominum jam factæ naturæ. Alio enim tempore est etiam homo dominus ligni, et alio tempore dominus est arcæ, quamvis ex ipso ligno fabricatæ, quod utique non erat, cum ligni dominus jam esset. Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur, accidunt. Sicut amicus relative dicitur: neque enim esse incipit, nisi cum amare cœperit: fit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse cœpit pretium: neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione totiens dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma qua nummus est mutationis fiat; quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur. *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis*. (Psal. 89. 1.) Refugium ergo nostrum Deus relative dicitur, ad nos enim refertur, et tunc refugium nostrum fit, cum ad eum refugimus: numquid tunc fit aliquid in ejus natura, quod ante quam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo sit aliqua mutatio: deteriores enim fuimus ante quam ad eum refugeremus, et efficimur ad eum refugiendo meliores: in illo autem nulla. Sic et pater noster esse incipit, cum per ejus gratiam regeneramur, quoniam dedit nobis potestatem filios Dei fieri. (Johan. 1. 12.) Substantia itaque nostra mutatur in melius, cum filii ejus efficimur: simul et ille pater noster esse incipit, sed nulla commutatione suæ substantiæ. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici: non tamen secundum accidens Dei quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens ejus ad quod dici aliquid Deus incipit relative. Et quod amicus Dei justus esse incipit, ipse mutatur: Deus autem absit ut temporaliter (a) aliquem diligat, quasi nova dilectione quæ in illo ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, et futura jam facta sunt. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinavit: (Ephes. 1. 4.) sed cum convertuntur et inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, ut eo modo dicatur, quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur, et placidus bonis, illi mutantur, non ipse: sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum scilicet mutatione, non sua.

LIBER SEXTUS

In quo proposita quæstione, quomodo dictus sit Christus ore Apostolico, *Dei virtus et Dei sapientia*, disputatur utrum Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ Pater, an sapientia sapientiam genuerit: et dilata paulisper solutione, probatur unitas et æqualitas Patris et Filii ac Spiritus-sancti: et non Deum triplicem, sed Trinitatem credi oportere. Illud postremo loco explicatur Hilarii dictum: *Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.*

CAPUT I. Filius secundum Apostolum virtus et sapientia Dei Patris.

ÆQUALITATEM Patris et Filii et Spiritus-sancti putant nonnulli ex hoc impediri quo minus intelligatur, quia scriptum est: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam:* (1. Cor. 1. 24.) ut ideo non videatur æqualitas, quia non est Pater ipse virtus et sapientia, sed genitor virtutis et sapientiæ. Et re vera non mediocri intentione quæri solet, quomodo dicatur Deus virtutis et sapientiæ Pater. Ait enim Apostolus *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Et hinc nonnulli nostri adversum Arianos hoc modo ratiocinati sunt, eos dumtaxat qui prius se adversum catholicam fidem extulerunt. Nam ipse Arius dixisse fertur. Si filius est, natus est; si natus est, erat tempus quando non erat filius: non intelligens etiam natum esse Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est illi, et esset coæternus, si esset ignis æternus. Unde quidam posteriores Ariani abjecerunt istam sententiam, fas-

(a) Sic MSS. Editi autem, *aliquando diligat.*

atque sunt, non ex tempore cœpisse Filium Dei.

Hinc ratiocinatio Catholicorum contra priores Arianos.

Sed inter disputationes quas habebant nostri adversum eos, qui dicebant. Erat tempus quando non erat Filius, hanc etiam nonnulli ratiocinationem inserebant: Si Dei Filius virtus et sapientia Dei est, nec umquam Deus sine virtute et sapientia fuit, coæternus est Deo Patri Filius: dicit autem Apostolus *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*, et Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere: non igitur erat tempus quando non erat Filius.

Difficultas an Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ Pater.

2. Quæ ratiocinatio ad id cogit, ut dicamus Deum Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam quam genuit, non exsistendo per se Pater (a) ipsa sapientia. Deinde si ita est, Filius quoque ipse sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, videndum est utrum possit sapientia dici; si non est Deus Pater ipsa sapientia, sed tantum genitor sapientiæ. Quod si tenemus, cur non et magnitudinis suæ et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentiæ suæ genitor sit, ut non ipse sit sua magnitudo, et sua bonitas, et sua æternitas, et sua omnipotentia, sed ea magnitudine magnus sit quam genuit, et ea bonitate bonus, et ea æternitate æternus, et ea omnipotentia omnipotens quæ de illo nata est, sicut non (b) ipse sua sapientia est, sed ea sapientia sapiens est quæ de illo nata est. Nam illud non est formidandum, ne cogamur multos filios Dei dicere, præter adoptionem creaturæ, coæternos Patri, si magnitudinis suæ genitor est, et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentiæ. Huic enim calumniæ facile respondetur, sic non effici, quia multa nominata sunt, ut ille multorum filiorum coæternorum sit pater: quemadmodum non efficitur, ut duorum sit, cum dicitur Christus Dei

1. Cor. 1. 24.

virtus et Dei sapientia. Eadem quippe virtus quæ sapientia, et eadem sapientia quæ virtus est: (c) ita igitur etiam de ceteris, ut eadem sit magnitudo quæ virtus, et si qua alia, quæ vel supra commemorata sunt, vel commemorari adhuc possunt.

CAPUT II. Quæ de Patre et Filio simul dicuntur, quæ non.

3. Sed si non dicitur in se ipso nisi quod ad Filium dicitur, id est, pater, vel genitor, vel principium ejus; si etiam gignens ei quod de se gignit, consequenter principium est; quidquid (d) autem aliud dicitur, cum Filio dicitur vel potius in Filio, sive magnus ea magnitudine quam genuit, sive justus ea justitia quam genuit, sive bonus ea bonitate quam genuit, sive potens ea potentia vel virtute quam genuit, sive sapiens ea sapientia quam genuit: magnitudo autem ipsa non dicitur Pater, sed magnitudinis generator: Filius vero sicut in se ipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, sed ad Patrem, non sic et in se ipso magnus, sed cum Patre cujus ipse magnitudo est: sic et sapiens cum Patre dicitur, cujus ipse sapientia est; sicut ille sapiens cum Filio, quia ea sapientia sapiens est quam genuit; quidquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero, id est, quidquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Si hæc ita sunt, jam ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre, sed ambo simul Deus. Et quod dictum est. *In principio erat Verbum;* in Patre erat Verbum, intel-

Johan. 1. 1.

ligitur: aut si *in principio* sic dictum est, ac si diceretur, ante omnia; quod sequitur. *Et Verbum erat apud Deum*, Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater et Filius, tamquam ambo unum Verbum: (Sic enim verbum quomodo imago, non autem Pater et Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris, quemadmodum et Filius; non enim ambo simul filius.) Quod vero adjungitur, *Et Verbum erat apud Deum;* multum est ut sic intelligatur, Verbum, quod solus est Filius, erat apud Deum, quod non solus est Pater, sed Pater et Filius simul Deus. Sed quid mirum, si in duabus quibusdam rebus longe inter se diversis potest hoc dici? Quid enim tam diversum, quam animus et corpus? Potest tamen dici, Animus erat apud hominem, id est, in homine: cum animus non sit corpus, homo autem animus simul et corpus sit. Ut etiam quod consequenter scriptum est, *Et Deus erat Verbum*, sic intelligatur: Verbum quod non est Pater, Deus erat simul cum Patre. Itane ergo dicimus, ut Pater sit generator magnitudinis, hoc est generator virtutis, vel generator sapientiæ suæ: Filius autem magnitudo, virtus et sapientia: Deus vero magnus, omnipotens, sapiens ambo simul? Quomodo ergo Deus de Deo, lumen de lumine? Non enim simul ambo Deus de Deo, sed solus Filius de Deo, scilicet Patre: nec ambo simul lumen de lumine, sed solus Filius de lumine Patre. Nisi forte ad insinuandum et brevissime inculcandum quod coæternus est Patri Filius, ita dictum est, Deus de Deo et lumen de lumine, et si quid hoc modo dicitur, ac si diceretur, Hoc quod non est Filius sine Patre, de hoc quod non est Patre sine Filio, id est, hoc lumen quod lumen non est sine Patre, de hoc lumine Patre quod lumen non est sine Filio: ut cum dicitur, Deus quod non est Filius sine Patre, et de Deo quod non est Pater sine Filio, perfecte intelligatur quod non præcessit genitor illud quod genuit. Quod si ita est, hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt. Sicut Verbum de verbo dici non potest, quia non simul ambo verbum, sed solus Filius: nec imago de imagine, quia non simul ambo imago: nec Filio de filio, quia non simul ambo filius, secundum quod dicitur, *Ego et Pater unum sumus. Unum sumus*

Johan. 10. 30.

enim dictum est, Quod ille, hoc et ego secundum essentiam, non secundum relativum.

CAPUT III. Unitatem essentiæ Patris et

4. Et nescio utrum inveniatur in Scripturis dictum, *unum sunt*, quorum est diversa natura. Si autem aliqua plura ejusdem naturæ sint, et diversa sentiant, non sunt unum in quantum di-

(a) Plures MSS. *ipse*.
(b) Aliquot MSS. *sicut non ipse ipsa sua sapientia est.*
(c) Editi, *Itane igitur*. Castigantur ex MSS.

(d) Huc revocamus particulam *autem*, quæ in ante editis temere expuncta fuerat.

Filii haberi ex verbis Unum sumus.

versa sentiunt. Nam si jam unum essent ex eo quod homines erant, non diceret, *Ut sint unum, sicut nos unum*, cum suos discipulos Patri commendaret. (Johan. 17. 22.) At vero Paulus et Apollo, quia et ambo homines, et idem sentiebant: *Qui plantat*, inquit, *et qui rigat unum sunt*. (1. Cor. 3. 8.) Cum ergo sic dicitur unum, ut non addatur quid unum, et plura unum dicantur, eadem natura atque essentia, non dissidens nec dissentiens significatur. Cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diversis natura. Sicut anima et corpus non sunt utique unum; quid enim tam diversum? nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est, unus homo, aut unum animal. Inde Apostolus: *Qui adhæret meretrici*, inquit, *unum corpus est*: (1. Cor. 6. 16.) B non dixit, unum sunt, aut unum est; sed addidit, *corpus*, tamquam ex duobus diversis masculino et fœminino unum corpus adjunctione compositum. Et, *Qui adhæret Domino*, inquit, *unus spiritus est*: (Ibidem 17.) non dixit, Qui adhæret Domino, unus est, aut unum sunt; sed addidit, *spiritus*. Diversi sunt enim natura, spiritus hominis, et Spiritus (a) Dei; sed inhærendo fit unus spiritus ex diversis duobus, ita ut sine humano spiritu beatus sit Dei spiritus atque perfectus, beatus autem hominis spiritus non nisi cum Deo. Nec frustra, ut existimo, cum tanta in Evangelio secundum Johannem et totiens diceret Dominus de ipsa unitate, vel sua cum Patre, vel nostra invicem nobiscum; nusquam dixit, Ut nos et ipsum unum: sed, *Ut unum sint, sicut et nos unum sumus*. (Johan. 17. 20.) C Pater ergo et Filius unum sunt, utique secundum unitatem substantiæ, et unus Deus est, et unus magnus, et unus sapiens, sicut tractatum est.

Filius et in sapientia et in ceteris æqualis Patri.

5. Unde ergo major Pater? Si enim major, magnitudine major: cum autem magnitudo Filius ejus sit, nec ille utique major est eo qui se genuit, nec ille major est ea magnitudine qua magnus est: ergo æqualis. Nam unde æqualis, si non eo quo est, cui non est aliud esse, et aliud magnum esse? Aut si æternitate Pater major est, non est æqualis Filius quacumque re. Unde enim æqualis? Si magnitudine dixeris, non est par magnitudo, quæ minus æterna est, atque ita cetera. An forte in virtute æqualis est, in sapientia vero non est æqualis? Sed quomodo est æqualis virtus quæ minus sapit? An in sapientia æqualis est, in virtute autem non est æqualis? Sed quomodo æqualis est sapientia, quæ minus potens est. Restat ergo ut si in ulla re æqualis non D est, in omnibus non sit æqualis. At Scriptura clamat, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*. (Philip. 2. 6.) Cogitur ergo quivis adversarius veritatis, qui (b) modo tenetur Apostolica auctoritate, in qualibet vel una re æqualem Deo Filium confiteri. Eligat quam voluerit: hinc ei ostendetur in omnibus esse æqualem, quæ de substantia ejus dicuntur.

CAPUT IV.

6. Sic enim virtutes quæ sunt in animo hu- A mano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem, ut quicumque fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine, æquales sint et prudentia, et temperantia, et justitia. Si enim dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prudentia; sequitur ut hujus fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quando est illius fortitudo prudentior. Atque ita de ceteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras. Non enim de viribus corporis agitur, sed de animi fortitudine. Quanto ergo magis in illa incommutabili æternaque substantia incomparabiliter simpliciore quam est animus humanus, hæc ita se habent? Humano quippe animo non hoc est esse quod est fortem B esse, aut prudentem, aut justum, aut temperantem: potest enim esse animus, et nullam istarum habere virtutem. Deo autem hoc est esse quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur. Quamobrem sive ita dicatur Deus de Deo, ut et singulis hoc nomen conveniat, non tamen ut ambo simul duo dii, sed unus Deus sit. Ita enim sibi cohærent (c), quemadmodum et in distantibus diversisque substantiis fieri Apostolus testis est. Nam et solus Dominus spiritus est, et solus hominis spiritus utique spiritus est, tamen si hæreat Domino unus spiritus est: (1. Cor. 6. 17.) quanto magis ibi, ubi est omnino inseparabilis atque æterna connexio, ne absurde C dici videatur quasi filius amborum, cum dicitur Filius Dei, si id quod dicitur Deus, non nisi de ambobus dicitur simul: sive quidquid de Deo dicitur quod substantiam ejus indicet, non nisi de ambobus simul, immo de ipsa simul Trinitate dicitur. Sive ergo hoc, sive illud sit, quod diligentius discutiendum est, nunc satis agitur satis est videre, nullo modo Filium æqualem esse Patri, si in aliquo scilicet quod pertineat ad significandam ejus substantiam inæqualis invenitur, sicut jam ostendimus. Apostolus autem dixit æqualem. (Philip. 2. 6.) In omnibus ergo æqualis est Patri Filius, et est unius ejusdemque substantiæ.

CAPUT V. *Spiritus-sanctus etiam Patri et Filio æqualis in omnibus.*

7. Quapropter etiam Spiritus-sanctus in eadem unitate substantiæ et æqualitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, D sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, et ideo caritas quia sanctitas, manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicujus, sed suo proprio servantes unitatem spiritus in vinculo pacis. (Ephes. 4. 3.) Quod imitari per gratiam, et ad Deum, et ad nos ipsos jubemur. In quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ. (Matth. 22. 40.) Ita sunt illa tria, Deus unus, solus, magnus, sapiens, sanctus, beatus. Nos autem ex ipso, et per ipsum, et in ipso beati: quia ipsius munere

(a) Plures MSS. *et Spiritus Deus*.

(b) Editi, *qui aliquo modo*. At MSS. *qui modo*, id est saltem.

(c) Plerique MSS. *quod etiam in distantibus*.

inter nos unum, cum illo autem unus spiritus, quia adglutinatur anima nostra post eum. Et nobis hærere Deo bonum est, quia perdet omnem qui fornicatur ab eo. (Psal. 72. 28.) Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris et Filii, quidquid illud est. At ipsa communio, consubstantialis et coæterna: quæ si amicitia convenienter dici potest, dicatur; sed aptius dicitur caritas. Et hæc quoque substantia, quia Deus substantia, et *Deus caritas*, sicut scriptum est. (1. Johan. 4. 16.) Sicut autem substantia simul cum Patre et Filio, ita simul magna, et simul bona, et simul sancta, et quidquid aliud ad se dicitur; quoniam non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse vel bonum esse, et cetera, sicut supra ostendimus. Si enim minus magna est ibi caritas quam sapientia, minus quam est diligitur sapientia: æqualis est igitur, ut quanta est sapientia tantum diligatur: est autem sapientia æqualis Patri, sicut supra disputavimus: æqualis est igitur etiam Spiritus-sanctus; et si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius quam tria sunt, unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio. Quæ si nihil est, quomodo *Deus dilectio est?* (1. Johan. 4. 16.) Si non est substantia, quomodo Deus substantia est.

CAPUT VI. Quomodo Deus substantia simplex et multiplex.

8. Si autem quæritur quomodo simplex et multiplex sit illa substantia: animadvertenda est primo creatura quare sit multiplex, nullo autem modo vere simplex. Et prius corpus universum utique partibus constat; ita ut sit ibi alia pars major, alia minor, et majus sit universum quam pars quælibet aut quantalibet. Nam et cælum et terra partes sunt universæ mundanæ molis: et sola terra, et solum cælum innumerabilibus partibus constat, et in tertia sui parte minor est quam in cetera, et in dimidia minor quam in tota; et totum mundi corpus quod duabus plerumque partibus appellari solet, id est, cælum et terra, utique majus est quam solum cælum aut sola terra. Et in unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim et diminuta magnitudine manere idem color et eadem figura, et colore mutato manere eadem figura et eadem magnitudo, et figura eadem non manente tam magnum esse et eodem modo coloratum: et quæcumque alia simul dicuntur de corpore possunt et simul et plura sine ceteris commutari. Ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo. Creatura quoque spiritalis, sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplicior: sine comparatione autem corporis multiplex est, etiam ipsa non simplex. Nam ideo simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, et in toto tota est, et in qualibet ejus parte tota est; et ideo cum fit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet: sed tamen etiam in anima cum aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud

A acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia, possintque et alia sine aliis, et alia magis, alia minus, innumerabilia et innumerabiliter in animæ natura inveniri; manifestum est non simplicem; sed multiplicem esse naturam: nihil enim simplex mutabile est, omnis autem creatura mutabilis.

*CAPUT VII.

* Deus vero multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur: sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia; non enim mole magnus est, sed virtute: et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas quæ illa omnia: et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.

Deus Trinitas, sed non triplex.

B 9. Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius. Quamquam non inveniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus; cum semper atque inseparabiliter et ille cum Filio sit, et ille cum Patre; non ut ambo sint Pater, aut ambo Filius; sed quia semper in invicem, neuter solus. Quia vero dicimus et Deum solum ipsam Trinitatem, quamvis semper sit cum spiritibus et animabus sanctis; sed solum dicimus quod Deus est, quia non et illi cum illo Deus sunt: ita solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur a Filio, sed quia non simul ambo Pater sunt.

*CAPUT VIII.

* Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus-sanctus, quantus est simul Pater et C Filius et Spiritus-sanctus, nullo modo triplex dicendus est. Corpora quippe adjunctione sua crescunt. Quamvis enim qui adhæret uxori suæ, unum corpus sit: majus tamen corpus fit, quam si solius viri esset, aut solius uxoris. In rebus autem spiritalibus, cum minor majori adhærescit, sicut creatura Creatori, illa fit major quam erat, non ille. In iis enim quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse quod est melius esse. Melior autem fit spiritus alicujus creaturæ, cum adhæret Creatori, quam si non adhæreat; et ideo etiam major quia melior. *Qui* ergo *adhæret Domino, unus spiritus est;* (1. Cor. 6. 17.) sed tamen Dominus non ideo fit major, quamvis fiat ille qui adhæret Domino. In ipso igitur Deo cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus-sanctus Patri D et Filio æqualis, non fit major Deus quam singuli eorum; quia non est quo crescat illa perfectio. Perfectus autem sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, et perfectus Deus Pater et Filius et Spiritus-sanctus: et ideo Trinitas potius quam triplex.

CAPUT IX. An una vel tres simul personæ dicantur solus *Deus*.

10. Et quoniam ostendimus quomodo possit dici solus Pater, quia non nisi ipse ibi Pater; consideranda est illa sententia qua dicitur, Deum verum solum non esse Patrem solum, sed Patrem et Filium et Spiritum-sanctum. Si quis enim interroget, Pater solus utrum sit Deus: quomodo respondebitur non esse, nisi forte ita dicamus, esse quidem Patrem Deum, sed non eum esse solum Deum: esse autem solum Deum, Patrem

A et Filium et Spiritum-sanctum? Sed quid agimus de illo testimonio Domini; Patri enim dicebat, et Patrem nominaverat ad quem loquebatur, cum ait, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum*. (Johan. 17. 3.) Quod quidem Ariani sic solent accipere, quasi non sit Filius verus Deus. (Græce est μόνον.) Quibus exclusis videndum est an intelligere cogamur, cum dictum est Patri, *Ut cognoscant te unum verum Deum;* tamquam hoc insinuare voluerit, quia et solus Pater Deus verus est, ne non intelligeremus Deum, nisi ipsa tria simul, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum. Num ergo ex Domini testimonio, et Patrem unum verum Deum dicimus, et Filium unum verum Deum, et Spiritum-sanctum unum verum Deum, et simul Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, id est, simul ipsam Trinitatem, non tres veros Deos, sed unum verum Deum? An B quoniam addidit, *Et quem misisti Jesum Christum;* subaudiendum est, unum verum Deum; et ordo verborum est, *Ut te et quem misisti Jesum Christum, cognoscant unum verum Deum?* Cur ergo tacuit de Spiritu-sancto? An quoniam consequens est, ut ubicumque nominatur unum tanta pace uni adhærens, ut per hanc utrumque unum sit, jam ex hoc intelligatur etiam ipsa pax, quamvis non commemoretur? Nam et illo loco Apostolus videtur quasi prætermittere Spiritum-sanctum, et tamen etiam ibi intelligitur, ubi ait, *Omnia sunt vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei.* (1. Cor. 11. 3.) Et iterum: *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus*. Sed rursus si Deus non nisi omnia simul C tria, quomodo caput Christi Deus, id est, caput Christi Trinitas, cum in Trinitate sit Christus ut sit Trinitas? An quod est Pater cum Filio, caput est ei quod est solus Filius? Cum Filio enim Pater Deus, solus autem Filius Christus est: maxime quia jam Verbum caro factum loquitur, secundum quam (a) humilitatem ejus etiam major est Pater, sicut dicit, *Quoniam Pater major me est:* (Johan. 14. 28.) ut hoc ipsum Deum esse, quod illi cum Patre unum est, caput sit hominis Mediatoris, quod ipse solus est. (1. Tim. 2. 5.) Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est, tamquam caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo, cur non multo congruentius, multoque magis Verbum cum Patre quod simul Deus est, caput est Christi, quamvis D Christus homo nisi cum Verbo quod caro factum est, intelligi non possit? Sed hoc, ut jam diximus, aliquanto diligentius postea considerabimus. Nunc autem æqualitas Trinitatis et una eademque substantia, quantum breviter potuimus, demonstrata est, ut quoquo modo se habeat ista quæstio, quam discutiendam acriore intentione distulimus, nihil impediat quo minus fateamur summam æqualitatem Patris et Filii et Spiritus-sancti.

CAPUT X. Attributa per Hilarium singulis personis, in lib. 2. de Trinit.

11. Quidam cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria, *Æternitas*, inquit, *in Patre, species in Imagine, usus in Munere.* Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, et assertione fidei vir exstitit, Hilarius enim hoc in libris suis posuit, horum verborum, id est, Patris, et Imaginis, et Muneris, æternitatis, et speciei, et usus, abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo, non eum secutum arbitror in æternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est ut sit, atque ut illi coæternus sit. Imago enim si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. In qua imagine speciem nominavit, credo, propter pulchritudinem, ubi jam est tanta congruentia, et prima æqualitas, et prima similitudo, nulla in re dissidens, et nullo modo inæqualis, et nulla ex parte dissimilis; sed ad identidem respondens ei cujus imago est. Ubi est prima et summa vita, cui non est aliud vivere et aliud esse, sed idem est esse et vivere: et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia: tamquam Verbum perfectum, cui non deest aliquid, et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium (b) incommutabilium; et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipsam, et ideo cum decedant et succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiæ Dei. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt: ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris et Imaginis non est sine (c) perfruitione, sine caritate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce digne dicitur, usus ab illo appellatus est breviter, et est in Trinitate Spiritus-sanctus, non genitus, sed genitoris, genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant et locis suis adquiescant.

Trinitas in rebus factis repræsentatur.

12. Hæc igitur omnia, quæ arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem, et ordinem. Quidquid enim horum est, et unum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, et ingenia animarum, et aliqua specie formatur, sicut sunt figuræ vel qualitates corporum, ac doctrinæ vel artes animarum; et ordinem aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, atque amores aut delectationes animarum. Oportet igitur ut Creatorem per ea quæ facta sunt intellectum conspicientes, Trinitatem intelligamus, cujus in creatura quomodo dignum est apparet vestigium. In illa enim Trinitate summa origo est rerum omnium et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio. Itaque illa tria, et (d) ad se invicem determinari videntur, et in se infinita sunt.

(a) Ita Plerique MSS. At editi, *humanitatem*.
(b) Plures MSS. *et incommutabilium*.

(c) In MSS. *perfectione*, vel *perfunctione*.
(d) MSS. *a se invicem*.

Sed hic in rebus corporeis, non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duæ quam una res: ceterum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ quam una. Et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum et in ænigmate, gaudeat (1. Cor. 13. 12.)

A cognoscens Deum, et sicut Deum honoret, et gratias agat: qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. Nec confuse accipiendum est, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia:* nec diis multis, sed *ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* (Rom 11. 36.)

LIBER SEPTIMUS

In quo superioris libri quæstio, quæ dilata fuerat, explicatur, quod videlicet Deus Pater qui genuit Filium virtutem et sapientiam, non solum sit virtutis et sapientiæ Pater, sed etiam ipse virtus et sapientia: similiter et Spiritus-sanctus. Nec tamen tres esse virtutes aut tres sapientias, sed unam virtutem et unam sapientiam, sicut unum Deum et unam essentiam, ostenditur. Deinde quæritur quomodo dicatur in Deo, a Latinis *una essentia, tres personæ*, a Græcis una essentia, *tres substantiæ vel hypostases:* et utrumque elocutionis necessitate dici demonstratur, ut ne omnino taceremus interrogati quid tres sint, quos tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum-sanctum.

CAPUT I. *Redit ad quæstionem an quælibet Trinitatis persona per se sit sapientia.*

Jam nunc quæramus diligentius, quantum dat Deus, quod paullo ante distulimus, Utrum et singula quæque in Trinitate persona possit et per se ipsam non cum ceteris duabus dici Deus, aut magnus, aut sapiens, aut verus, aut omnipotens, aut justus, et si quid aliud dici de Deo potest, non relative, sed ad se ipsum; an vero non dicantur ista, nisi cum Trinitas intelligitur. Hoc enim quæstionem facit, quia scriptum est, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam:* (1. Cor. 1. 24.) utrum ita sit pater sapientiæ atque virtutis suæ, ut hac sapientia sapiens sit quam genuit, et hac virtute potens quam genuit: et quia semper potens et sapiens, semper genuit virtutem et sapientiam. Dixeramus enim si ita est, cur non et magnitudinis suæ pater sit qua magnus est, et bonitatis qua bonus, et justitiæ qua justus, et alia si qua sunt. Aut si hæc omnia pluribus vocabulis in eadem sapientia et virtute intelliguntur, ut ea sit magnitudo quæ virtus, ea bonitas quæ sapientia, et ea rursus sapientia quæ virtus, sicut jam tractavimus, meminerimus, cum aliquid horum nomino, sic accipiendum esse, ac si omnia commemorem. Quæritur ergo an Pater etiam singulus sit sapiens, atque ipsa sibi ipse sapientia, an ita sit sapiens quomodo dicens. Verbo enim quod genuit dicens est: non verbo quod profertur, et sonat, et transit; (Johan. 1. 1.) sed Verbo quod erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt: Verbo æquali sibi quo semper atque incommutabiliter dicit se ipsum. Non est enim ipse verbum, sicut nec filius, nec imago. Dicens autem exceptis illis temporalibus vocibus Dei, quæ in creatura fiunt; nam sonant, et transeunt: dicens ergo illo coæterno Verbo, non singulus intelligitur, sed cum ipso Verbo, sine quo non est utique dicens. Itane et sapiens sicut dicens, ut ita sit sapientia, sicut Verbum, et hoc sit Verbum esse quod est esse sapientiam; hoc etiam esse virtutem, ut virtus et sapientia et Verbum idem sit, et relative dicatur, sicut filius et imago: atque ille non singulus potens, vel sapiens, sed

B cum ipsa virtute et sapientia quam genuit; sicut non singulus dicens, sed eo Verbo, et cum eo Verbo quod genuit; atque ita magnus ea et cum ea magnitudine quam genuit? Et si non alio magnus, alio Deus, sed eo magnus quo Deus, quia non aliud illi est magnum esse, aliud Deum esse: consequens est, ut nec Deus singulus, sed ea et cum ea deitate quam genuit, ut sic sit Filius deitas Patris, sicut sapientia et virtus Patris, et sicuti est Verbum et imago Patris. Et quia non aliud illi est esse, aliud Deum esse, ita sit etiam essentia Patris Filius, sicuti est Verbum et imago ejus. Ac per hoc etiam excepto eo quod Pater est, non sit aliquid Pater, nisi quia est ei Filius: ut non tantum id quod dicitur Pater, quod manifestum est eum non ad se ipsum, sed ad Filium relative

C dici, et ideo Patrem quia est ei Filius; sed omnino ut sit quod ad se ipsum est, ideo sit quia genuit essentiam suam. Sicut enim magnus est, non nisi ea quam genuit magnitudine: ita et est non nisi ea quam genuit essentia; quia non est aliud illi esse, aliud magnum esse. Itane igitur pater est essentiæ suæ, sicut pater est magnitudinis suæ, sicut pater est virtutis ac sapientiæ suæ? Eadem quippe ejus magnitudo quæ virtus, et eadem essentia quæ magnitudo.

2. Hæc disputatio nata est ex eo quod scriptum est, *Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam.* (*Quam difficile, quave ratione solvatur quæstio proposita.* 1. Cor. 1. 24.) Quapropter in eas angustias sermo coarctatur, cum ineffabilia fari cupimus, ut aut dicamus Christum non esse Dei virtutem et Dei sapientiam, atque ita impudenter et impie resi-

D stamus Apostolo: aut Christum quidem Dei virtutem et Dei sapientiam esse fateamur, sed ejus Patrem non esse patrem virtutis et sapientiæ suæ, quod non minus impium est; sic enim nec Christi erit pater, quia Christus Dei virtus et Dei sapientia est: aut non esse Patrem virtute sua potentem, neque sapientia sua sapientem, quod quis audeat dicere? aut aliud in Patre intelligi esse, aliud sapientem esse, ut non hoc ipso sit quo sapiens est, quod de anima intelligi solet, quæ alias insipiens, alias sapiens est, ve-

lut natura mutabilis, et non summe perfecteque simplex : aut Patrem non esse aliquid ad se ipsum, et non solum quod Pater est, sed omnino quod est, ad Filium relative dici. Quomodo ergo ejusdem essentiæ Filius cujus Pater, quandoquidem ad se ipsum nec essentia est, nec omnino est ad se ipsum, sed etiam esse ad Filium illi est ? At enim multo magis unius ejusdemque essentiæ, quia una eademque essentia Pater et Filius : quandoquidem Patri non ad se ipsum a est ipsum esse, sed ad Filium, (a) quam essentiam genuit, et qua essentia est quidquid est. Neuter ergo ad se est, et utrumque ad invicem relative dicitur : an Pater solus non solum quod Pater dicitur, sed omnino quidquid dicitur relab tive ad Filium dicitur : ille autem dicitur (b) et ad se ? et si ita est, quid dicitur ad se ? an ipsa B essentia ? Sed Patris essentia est Filius, sicut Patris virtus et sapientia, sicut Verbum Patris et imago Patris : aut si essentia dicitur ad se Filius, Pater autem non est essentia, sed genitor essentiæ, non est autem ad se ipsum, sed hac ipsa essentia quam genuit, sicut hac ipsa magnitudine magnus quam genuit; ergo et magnitudo dicitur ad se filius, ergo et virtus, et sapientia, et Verbum, et imago. Quid autem absurdius quam imaginem ad se dici ? Aut si non idipsum est imago et Verbum, quod est virtus et sapientia, sed illa relative dicuntur, hæc autem ad se, non ad aliud; incipit non ea sapientia quam genuit, sapiens esse Pater, quia non potest ipse ad eam relative dici, et illa ad eum relative non dici. Omnia enim quæ relative dicun- C tur, ad invicem dicuntur. Restat itaque ut etiam essentia Filius relative dicatur ad Patrem. Ex quo conficitur inopinatissimus sensus, ut ipsa essentia non sit essentia; vel certe cum dicitur essentia, non essentia, sed relativum indicetur. Quomodo cum dicitur dominus, non essentia indicatur, sed relativum quod refertur ad servum; cum autem homo dicitur, vel aliquid tale, quod ad se, non ad aliud dicitur, tunc indicatur essentia. Homo ergo cum dominus dicitur, ipse homo essentia est, dominus vero relative dicitur; homo enim ad se dicitur, dominus ad servum; hoc autem unde agimus, si essentia ipsa relative dicitur, essentia ipsa non est essentia. Huc accedit, quis omnis essentia quæ relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo: sicut D homo dominus et homo servus, et equus jumentum, et nummus arrha; homo et equus et nummus ad se dicuntur, et substantiæ sunt vel essentiæ; dominus vero et servus et jumentum et arrha, ad aliquid relative dicuntur. Sed si non esset homo, id est aliqua substantia, non esset qui relative dominus diceretur : et si non esset equus quædam essentia, non esset quod jumentum relative diceretur: ita si nummus non esset

A aliqua substantia, nec arrha posset relative dici. Quapropter si et Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino qui relative dicatur ad aliquid. Non enim sicut ad aliquid coloratum refertur color ejus, nec omnino ad se dicitur color, sed semper alicujus colorati est; illud autem cujus color est, etiam si eo quod coloratum dicitur ad colorem refertur, tamen id quod corpus dicitur, ad se dicitur: ullo modo ita putandum est Patrem non dici aliquid ad se ipsum, se quidquid dicitur, ad Filium dici; eumdem vero Filium (c) et ad se ipsum dici, et ad Patrem, c cum dicitur magnitudo magna et virtus potens, utique ad se ipsum, et magnitudo atque virtus magni et potentis Patris, qua Pater magnus et potens est. Non ergo ita, sed utrumque substan- B tia, et utrumque una substantia. Sicut autem absurdum est dicere candidum non esse candorem; sic absurdum est dicere, sapientem non esse sapientiam : et sicut candor ad se ipsum candidus dicitur, ita et sapientia ad se ipsam dicitur sapiens. Sed candor corporis non est essentia; quoniam ipsum corpus essentia est, et illa ejus qualitas : unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non hoc est esse quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color; et utrumque non in se ipso, sed in aliqua mole, quæ moles nec forma, nec color est, sed formata et colorata. Sapientia vero et sapiens est, et se ipsa sapiens est. Et quoniam quæcumque anima participatione sapientiæ fit sapiens, si rursus desipiat, manet tamen in se sapientia, C nec cum anima fuerit in * stultitiam commutata, illa mutatur : non ita est in eo qui ex ea fit sapiens, quemadmodum candor in corpore quod ex illo candidum est. Cum enim corpus in alium colorem fuerit mutatum, non manebit candor ille, sed omnino esse desinet. Quod et si Pater qui genuit sapientiam, ex ea fit sapiens, neque hoc est illi esse quod sapere, qualitas ejus est Filius, non proles ejus, et non ibi erit jam summa simplicitas. Sed absit ut ita sit, quia vere ibi est summe simplex essentia: hoc ergo est ibi esse quod sapere. Quod si hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam quam genuit sapiens est Pater; alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quid enim aliud dicimus, cum dicimus, hoc illi est esse quod sapere, nisi eo est quo sapiens est? Quapropter quæ caussa illi D est ut sapiens sit, ipsa illi caussa est ut sit : proinde si sapientia quam genuit, caussa illi est ut sapiens sit, etiam ut sit ipsa illi caussa est. Quod fieri non potest, nisi gignendo eum aut faciendo. Sed neque genitricem, neque conditricem patris ullo modo quisquam dixerit sapientiam. Quid enim insanius ? Ergo et Pater (d) d ipse sapientia est: et ita dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris : id est,

* f. in stultitiam.

(a) Duo MSS. *quem.*
(b) Editi, *ad Patrem et ad se ? et si ita est, quid dicitur in Filio ad se ?* At MSS. carent verbis, *ad Patrem et in Filio.*
(c) Apud Er. et Lov. corrumpitur sensus addita particula *ergo*: et prava inducta vocum interpunctione in hunc modum: *et ad se ipsum dici, et ad Patrem. Cum ergo dicitur magnitudo magna*
(d) Sic bene multi MSS. At editi, *ipsa.*

ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen; sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia: ergo et una essentia; quia hoc est ibi esse quod sapere. Quod enim est sapientiæ sapere, et potentiæ posse, et æternitati æternam esse, justitiæ justam esse, magnitudini magnam esse, hoc est essentiæ ipsum esse. Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia est quæ essentia.

CAPUT II. Pater et Filius simul una sapientia, sicut una essentia tametsi non simul unum Verbum.

3. PATER igitur et Filius simul una essentia, et una magnitudo, et una veritas, et una sapientia; sed non Pater et Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur: ita et Verbum ad eum cujus Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, et eo Verbum quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul non utique unus Filius, consequens est ut Pater et Filius simul non amborum unum Verbum. Et propterea non eo Verbum quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem: sapientia vero eo quo essentia. Et ideo quia una essentia, una sapientia. Quoniam vero et Verbum (a) sapientia est, sed non eo Verbum quo sapientia; Verbum enim relative, sapientiæ essentialiter intelligitur: ut dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit Filius et imago. Et hæc duo cum dicuntur, id est, *nata*, *sapientia*, in uno eorum eo quod est, *nata* et Verbum, et imago, et Filius intelligatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur: at in altero quod est *sapientia*, quoniam et ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur, et hoc ejus esse quod sapere. Unde Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Quapropter, non quia Pater non est Filius, et Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non una essentia: quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Uterque autem simul una sapientia, et una essentia, ubi hoc est esse quod sapere: non autem simul uterque Verbum aut Filius, quia non hoc est esse quod Verbum aut Filium esse: sicut jam satis ostendimus ista relative dici.

CAPUT III. Sapientiæ nomine cur Filius potissimum insinuetur in Scripturis, cum et Pater et Spiritus-sanctus sit sapientia. Johan. I. 14.

4. Cur ergo in Scripturis numquam fere de sapientia quidquam dicitur, nisi ut ostendatur a Deo genita vel creata? genita scilicet, per quam facta sunt omnia: creata vero vel facta, sicut in hominibus, cum ad eam quæ non creata et facta, sed genita est, convertuntur et illustrantur; in ipsis enim fit aliquid quod vocetur eorum sapientia: vel illud Scripturis prænuntiantibus aut narrantibus, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; hoc modo enim Christus facta sapientia est, quia factus est homo. An propterea non loquitur in illis libris sapientia, vel de illa dicitur aliquid, nisi quod eam de Deo natam ostendat, aut factam, quamvis sit et Pater (b) ipse sapientia, quia illa nobis sapientia commendanda erat et imitanda, cujus imitatione formamur. Pater enim eam dicit, ut Verbum ejus sit; non quomodo profertur ex ore verbum sonans, aut ante pronuntiationem cogitatur; spatiis enim temporum hoc completur, illud autem æternum est, et illuminando dicit nobis et de se et de Patre, quod dicendum est hominibus. Ideoque ait, *Nemo novit Filium nisi Pater, et nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*: (Matth. XI. 27.) quia per Filium revelat Pater, id est, per Verbum suum. Si enim hoc verbum quod nos proferimus temporale et transitorium, et se ipsum ostendit, et illud de quo loquimur: quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia? Quod ita ostendit Patrem sicuti est Pater: quia et ipsum ita est, et hoc est quod Pater, secundum quod sapientia est et essentia. Nam secundum quod Verbum, non hoc est, quod Pater: quia Verbum non est Pater, et Verbum relative dicitur, sicut Filius, quod utique non est Pater. Et ideo Christus virtus et sapientia Dei, (I. Cor. I. 24.) quia de Patre virtute et sapientia etiam ipse virtus et sapientia est, sicut lumen (c) de Patre lumine, et fons vitæ apud Deum Patrem, utique fontem vitæ. *Quoniam apud te*, inquit, *est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*: (Psal. XXXV. 10.) quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso*: (Johan. V. 26.) et *erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, (Johan. I. 9.) et lumen hoc *Verbum erat apud Deum*; sed et *Deus erat Verbum*. *Deus autem lumen est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*: (I. Johan. I. 5.) lumen vero non corporale, sed spiritale; neque ita spiritale, ut illuminatione factum sit, quemadmodum dictum est Apostolis, *Vos estis lumen mundi*; (Matth. V. 14.) sed lumen quod illuminat omnem hominem, ea ipsa et summa sapientia Deus, unde nunc agimus. Sapientia ergo Filius de sapientia Patre, sicut lumen de lumine, et Deus de Deo, ut et singulus Pater lumen, et singulus Filius lumen; et singulus Pater Deus, et singulus Filius Deus: ergo et singulus Pater sapientia, et singulus Filius sapientia. Et sicut utrumque simul unum lumen, et unus Deus, sic utrumque una sapientia. Sed Filius *factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio*, (I. Cor. I. 30.) quia temporaliter nos ad eum convertimus, id est, ex aliquo tempore, ut cum illo maneamus in æternum. Et ipse ex quodam tempore *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. (Johan. I. 14.)

5. Propterea igitur cum pronuntiatur in Scripturis, aut enarratur aliquid de sapientia, sive dicente ipsa, sive cum de illa dicitur Filius nobis potissimum insinuatur. Cujus imaginis exemplo et nos non discedamus a Deo, quia et nos imago Dei sumus: non quidem æqualis, facta quippe a Patre per Filium, non nata de Patre sicut illa. Et nos (d) quia illuminamur lumine,

(a) Hic apud Lov. additum, *et*.
(b) Sola fere editio Lov. *ipsa*.
(c) Lov. *lumen Dei*. Abest *Dei* ab aliis libris.
(d) Unus e Vaticanis MSS. *Et nos lumen, quia*.

illa vero quia lumen illuminans: et ideo ille sine exemplo nobis exemplum est. Neque enim imitatur præcedentem aliquem ad Patrem a quo numquam est omnino separabilis, quia idipsum est quod ille de quo est. Nos autem nitentes imitamur manentem, et sequimur stantem, et in ipso ambulantes tendimus ad ipsum: quia factus est nobis via temporalis per (a) humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per divinitatem. Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei et Deo æqualis et Deus præbet exemplum; ut se idem exemplum redeunti etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum pœnamque mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, non mutando divinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo; et formam servi accipiens, venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est; ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominem factum sequeretur simul, et quem sentire poterat, et quem sequi debebat. Amemus ergo eum et inhæreamus illi, caritate diffusa in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Non igitur mirum, si propter exemplum quod nobis ut reformemur ad imaginem Dei præbet imago æqualis Patri, cum de sapientia Scriptura loquitur, de Filio loquitur, quem sequimur vivendo sapienter; quamvis et Pater sit sapientia, sicut lumen et Deus.

Phil. 2. 7. — 1. Tim. 1. 15. — Johan. 1. 10. — Coloss. 2. 18. — Rom. 5. 5.

Spiritum sanctum simul cum Patre et Filio unam sapientiam esse.

6. Spiritus quoque sanctus sive sit summa caritas utrumque conjungens nosque subjungens, quod ideo non indigne dicitur quia scriptum est, *Deus caritas est:* quomodo non est etiam ipse sapientia; cum sit lumen, quoniam *Deus lumen est?* sive alio modo essentia Spiritus-sancti singillatim ac proprie nominanda est; quoniam Deus est, utique lumen est: et quoniam lumen est, utique sapientia est: Deum autem esse Spiritum-sanctum, Scriptura clamat apud Apostolum qui dicit, *Nescitis quia templum Dei estis?* Statimque subjicit, *et Spiritus Dei habitat in vobis.* Deus enim habitat in templo suo. Non enim tamquam minister habitat Spiritus Dei in templo Dei, cum alio loco evidentius dicat, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate ergo Deum in corpore vestro.* Quid est autem sapientia, nisi lumen spiritale et incommutabile? Est enim et sol iste lumen, sed corporale est; et spiritalis creatura lumen, sed non incommutabile. Lumen ergo Pater, lumen Filius, lumen Spiritus-sanctus: simul autem non tria lumina, sed unum lumen. Et ideo sapientia Pater, sapientia Filius, sapientia Spiritus-sanctus; et simul non tres sapientiæ, sed una sapientia: et quia hoc est ibi esse quod sapere, una essentia Pater et Filius et Spiritus-sanctus. Nec aliud est ibi esse quam Deum esse; unus ergo Deus Pater et Filius et Spiritus-sanctus.

1. Johan. 4. 8. — 1. Johan. 1. 5. — 1. Cor. 3. 16. — 1. Cor. 6. 19.

CAPUT IV. Qua necessitate Græci tres hypostases dixerint, Latini tres personas.

7. ITAQUE loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Græcis una essentia, tres substantiæ: a Latinis autem una essentia, vel substantia, tres personæ; quia sicut jam * diximus non aliter in sermone nostro, id est, Latino, essentia quam substantia solet intelligi. Et dum intelligatur saltem in ænigmate quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid cum quæreretur, quid tria sint, quæ tria esse fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum-sanctum quod est donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium. Cum ergo quæritur quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale vel generale nomen, quo complectamur hæc tria, neque occurrit animo, quia excedit supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur. Cum enim dicimus non eumdem esse Jacob qui est Abraham, Isaac autem nec Abraham esse nec Jacob, tres esse utique fatemur, Abraham, Isaac et Jacob. Sed cum quæritur quid tres respondemus tres homines, nomine speciali eos pluraliter appellantes, generali autem, si dicamus tria animalia: homo enim sicut veteres definierunt, animal est rationale, mortale: aut sicut Scripturæ nostræ loqui solent, tres animas, cum a parte meliore totum appellari placet, id est, ab anima, (et corpus et animam, quod est totus homo). Ita quippe dictum est in Ægyptum descendisse cum Jacob animas septuaginta-quinque, pro tot hominibus. Item cum dicimus equum tuum non eum esse qui meus est, et tertium alicujus alterius nec meum esse nec tuum, fatemur tres esse: et interroganti quid tres, respondemus tres equos nomine speciali, generali autem tria animalia. Item cum dicimus bovem non esse equum, canem vero nec bovem esse nec equum, tria quædam dicimus, et percontantibus quid tria, non jam speciali nomine dicimus tres equos, aut tres boves, aut tres canes, quia non eadem specie continentur: sed generali tria animalia, sive superiore genere tres substantias, vel tres creaturas, vel tres naturas. Quæcumque autem plurali numero enuntiantur, specialiter uno nomine, etiam generaliter enuntiari possunt uno nomine. Non autem omnia quæ generaliter uno nomine appellantur, etiam specialiter appellare uno nomine possumus. Nam tres equos, quod est nomen speciale, etiam animalia tria dicimus: equum vero et bovem et canem, ani-

* Lib. 5. cap. 2. et 8. — Gen. 46. 27. — Deut. 10. 22.

(a) Lov. ad marginem, al. humanitatem.

A malia tria tantum dicimus vel substantias quæ sunt generalia nomina, et si quid aliud de his generaliter dici potest; tres vero equos, aut boves, aut canes, quæ specialia vocabula sunt, non ea, possumus dicere. Ea quippe uno nomine quamvis pluraliter enuntiamus quæ communiter habent illud quod eo nomine significatur. Abraham quippe et Isaac et Jacob commune habent id quod est homo; itaque dicuntur tres homines: equus quoque et bos et canis, commune habent id quod est animal; dicuntur ergo tria animalis. Ita tres aliquas lauros, etiam tres arbores dicimus; laurum vero et myrtum et oleam, tantum tres arbores vel tres substantias, aut tres naturas: atque ita tres lapides, etiam tria corpora; lapidem vero et lignum et ferrum, tantum tria corpora, vel si quo etiam superiore B generali nomine dici possunt. Pater ergo et Filius et Spiritus-sanctus, quoniam tres sunt, quæramus quid tres sint, et quid commune habeant. Non enim commune illis est id quod Pater est, ut invicem sibi sint patres; sicut amici, cum relative ad alterutrum dicantur, possunt dici tres amici, quod invicem sibi sunt. Non autem hoc ibi, quia tantum Pater ibi pater; nec duorum pater, se unici Filii. Nec tres filii, cum Pater ibi non sit filius, nec Spiritus-sanctus. Nec tres Spiritus-sancti, quia et Spiritus-sanctus propria significatione qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater nec Filius. Quid igitur tres? Si enim tres personæ, commune est eis id quod persona est: ergo speciale hoc aut generale nomen est eis, si consuetudinem loquendi re-C spicimus. Sed ubi est naturæ nulla diversitas, ita generaliter enuntiantur aliqua plura, ut etiam specialiter enuntiari possint. Naturæ enim differentia facit, ut laurus et myrtus et olea, aut equus et bos et canis, non dicantur speciali nomine, istæ tres lauri, aut illi tres boves; sed generali, et istæ tres arbores, et illa tria animalia. Hic vero ubi nulla est essentiæ diversitas, oportet ut speciale nomen habeant hæc tria, quod tamen non invenitur. Nam persona generale nomen est, in tantum ut etiam homo possit hoc dici, cum tantum intersit inter hominem et Deum.

8. Deinde in ipso generali vocabulo, si propterea dicimus tres personas, quia commune est eis id quod persona est: (alioquin nullo modo D possunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres filii, quia non commune est eis id quod est filius:) cur non etiam tres deos dicimus? Certe enim quia Pater persona, et Filius persona, et Spiritus-sanctus persona, ideo tres personæ, quia ergo Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus-sanctus Deus, cur non tres dii? Aut quoniam propter ineffabilem conjunctionem hæc tria simul unus Deus; cur non etiam una persona, ut ita non possimus dicere tres personas, quamvis singulam quamque appellemus personam, quemadmodum non possumus dicere tres deos, quamvis quemque singulum appellemus Deum, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum-sanctum? An quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres personas alicubi Scripturam commemorare invenimus. An quia nec tres, nec unam personam Scriptura dicit hæc tria, (legimus enim personam Domini, non personam Dominum,) propterea licuit loquendi et disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit? Si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura dicens, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*. Cur ergo et tres essentias non licet dicere, quod similiter Scriptura, sicut non dicit, ita nec contradicit? Nam essentia si speciale nomen est commune tribus, cur non dicantur tres essentiæ, sicut Abraham, Isaac, et Jacob, tres homines, quia homo speciale nomen est commune omnibus hominibus? Si autem speciale nomen non est essentia, sed generale, quia homo, et pecus, et arbor, et sidus et angelus essentia dicitur; cur non dicuntur istæ tres essentiæ, sicut tres equi dicuntur tria animalia, et tres lauri dicuntur tres arbores, et tres lapides tria corpora? Aut si propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres essentiæ, sed una essentia; cur non propter eamdem unitatem Trinitatis non dicuntur tres substantiæ vel tres personæ, sed una substantia et una persona? Quam enim est illis commune nomen essentiæ, ita ut singulus quisque dicatur essentia, tam illis commune est vel substantiæ vel personæ vocabulum. Quod enim de personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Græcorum consuetudinem, ea quæ dicimus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas, essentiam vel substantiam.

Scriptura nulubi dicit tres personas in Deo.

Deut. 6. 4.

9. Quid igitur restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate (a) parta hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversum insidias vel errores hæreticorum? Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore suo, sive per piam fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæresim lapsus est. Certissime quippe de Scripturis cognoscitur quod pie credendum est, et (b) adspectu mentis indubitata perceptione perstringitur, et Patrem esse, et Filium et Spiritum-sanctum, nec Filium esse eumdem qui Pater est, nec Spiritum-sanctum eumdem esse vel Patrem vel Filium. Quæsivit quid tria diceret: et dixit substantias sive personas, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit; ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo quod dicitur una essentia, sed et trinitas ex eo quod dicuntur tres substantiæ

(a) Aliquot MSS. *partita*.

(b) Sic MSS. Editi autem, *et aspectus mentis*.

vel personæ. Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendæ tres substantiæ, ut non dicuntur tres essentiæ: quemadmodum quia hoc est Deo esse quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi est Deum esse quod est esse, tam tres essentias quam tres deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium et Dominus ad servientem creaturam dicitur: relativo ergo subsistit, sicut relative gignit et relative dominatur. Ita jam substantia non erit substantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus. Absurdum est autem, ut substantia relative dicatur: omnis enim res ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus?

CAPUT V. In Deo substantia abusive dicitur, essentia proprie.

10. Si tamen dignum est ut Deus dicatur subsistere: de his enim rebus recte intelligitur, in quibus subjectis sunt ea quæ in aliquo subjecto esse dicuntur, sicut color aut forma in corpore. Corpus enim subsistit, et ideo substantia est: illa vero in subsistente atque subjecto corpore, quæ non substantiæ sunt, sed in substantia; et ideo si esse desinat, vel ille color, vel illa forma, non adimunt corpori esse corpus, quia non hoc ei est esse, quod illam vel illam formam coloremve retinere. Res ergo mutabiles neque simplices, proprie dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subjecto, et non a est simplex, cui hoc sit esse quod illi est (a) quidquid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, et si quid hujusmodi de Deo non incongrue dicitur: nefas est autem dicere ut subsistat ut subsit Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas, sed in illo sit tamquam in subjecto: unde manifestum est Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur; ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum famulo suo Moysi enuntiavit cum ait, *Ego sum qui sum: et dices ad eos, Qui est, misit me ad vos.* (Exodi 3, 14.) Sed tamen sive essentia dicatur quod proprie dicitur, sive substantia quod abusive, utrumque ad se dicitur, non relative ad aliquid. Unde hoc est Deo esse quod subsistere, et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia. Fortassis igitur commodius dicuntur tres personæ, quam tres substantiæ.

CAPUT VI. Cur in Trinitate non dicatur una persona, et tres essentiæ.

b 11. SED ne nobis (b) videar suffragari, hoc quoque requiramus. Quamquam et illi, si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere tres personas, tria prosopa. Illud autem maluerunt, quod forte secundum linguæ suæ consuetudinem aptius diceretur. Nam et in personis eadem ratio est: non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Nam si esse ad se dicitur, persona vero relative; sic dicamus tres personas, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod sint ad invicem, non quod unusquisque eorum sit ad se ipsum. Quapropter quilibet ex eis amicus est duorum ceterorum, aut propinquus aut vicinus, quia hæc nomina relativam significationem habent. Quid ergo? num placet ut dicamus Patrem personam esse Filii et Spiritus-sancti, aut Filium personam esse Patris et Spiritus-sancti, aut Spiritum-sanctum personam esse Patris et Filii? Sed neque persona ita dici alicubi solet, neque in hac Trinitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris. Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris, non aliud quam ipse Pater est: ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum-sanctum: sicut ad se dicitur Deus et magnus, et bonus, et justus, et si quid aliud hujusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse; ita hoc illi est esse, quod personam esse. Cur ergo non hæc tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed tres dicimus personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum (c) servire huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cum tres esse fateremur? Nam si genus est essentia, species autem substantia sive persona, ut nonnulli sentiunt, omitto illud quod jam dixi, oportere appellari tres essentias, ut appellantur tres substantiæ vel personæ, sicut appellantur tres equi, eademque animalia tria, cum sit species equus, animal genus. Neque enim species ibi pluraliter dicta est, et genus singulariter, tamquam diceretur tres equi unum animal: sed sicut tres equi speciali nomine, ita tria animalia generali nomine. Quod si dicunt substantiæ vel personæ nomine non speciem significari, sed aliquid singulare atque individuum; ut substantia vel persona non ita dicatur sicut dicitur homo, quod commune est omnibus hominibus, sed quomodo dicitur hic homo, velut Abraham, velut Isaac, velut Jacob, vel si quis alius qui etiam digito præsens demonstrari possit: sic quoque illos eadem ratio consequetur. Sicut enim dicuntur Abraham, Isaac et Jacob tria individua, ita tres homines, et tres animæ. Cur ergo et Pater et Filius et Spiritus-sanctus, si secundum genus et speciem et individuum etiam ista disserimus, non ita dicuntur tres essentiæ, ut tres substantiæ seu personæ? Sed hoc, ut dixi, omitto: illud dico, si essentia genus est, una essentia jam non habet species; sicut quia genus est animal, unum animal jam

(a) Editi, et quidquid aliud. Abest et a MSS.
(b) Sic Am. Er. et aliquot MSS. At Lov, videat. Nonnulli MSS. videatur.
(c) Plures MSS. servare.

non habet species. Non sunt ergo tres species unius essentiæ, Pater et Filius et Spiritus-sanctus. Si autem species est essentia, sicut species est homo, tres vero illæ quas appellamus substantias sive personas, sic eamdem speciem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac et Jacob speciem quæ homo dicitur, communiter habent, non sicut homo subdividitur in Abraham, Isaac et Jacob, ita unus homo et in aliquos singulos homines subdividi potest; omnino enim non potest, quia unus homo jam singulus homo est. Cur ergo una essentia in tres substantias, vel personas subdividitur. Nam si essentia species est sicut homo, sic est una essentia sicut unus homo: an sicut dicimus aliquos tres homines ejusdem sexus, ejusdem temperationis corporis, ejusdemque animi, unam esse naturam; tres enim sunt homines, sed una natura: sic etiam, ibi dicimus tres substantias unam essentiam, aut tres personas unam substantiam vel essentiam? Hoc vero utcumque simile est, quia et veteres qui Latine locuti sunt, ante quam haberent ista nomina, quæ non diu est ut in usum venerunt, id est essentiam vel substantiam, pro his naturam dicebant. Non itaque secundum genus et species ista dicimus; sed quasi secundum communem eamdemque materiam. Sicut ex eodem auro si fierent tres statuæ, diceremus tres statuas unum aurum, nec tamen diceremus genus aurum, species autem statuas; nec aurum speciem, statuas vero individua. Nulla quippe species individua sua transgreditur, aut aliquid extra comprehendat. Cum enim definiero quid sit homo, quod est nomen speciale, singuli quique homines qui sunt individua eadem definitione continentur, nec aliquid ad eam pertinet quod homo non sit. Cum vero aurum definiero non solæ statuæ, si aureæ fuerint, sed et annuli; et si quid aliud de auro fuerit, ad aurum pertinebit, et si nihil inde fiat, aurum dicitur, quia etiam si non sint aureæ, non ideo non erunt statuæ. Item nulla species excedit definitionem generis sui. Cum enim definiero animal, quoniam generis hujus species est equus, omnis equus animal est, non autem statua omnis aurum est. Ideo quamvis in tribus statuis aureis, recte dicamus tres statuas unum aurum; non tamen ita dicimus, ut genus aurum, species vero statuas intelligamus. Nec sic ergo Trinitatem dicimus tres personas vel substantias, unam essentiam et unum Deum, tamquam ex una materia tria quædam subsistant, etiam si quidquid illud est, in his tribus explicatum sit. Non enim aliquid aliud ejus essentiæ est præter istam Trinitatem: tamen tres personas ejusdem essentiæ, vel tres personas unam essentiam dicimus: tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona; sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere; aliud enim illuc est esse aurum, aliud esse statuas. Et cum

A dicuntur tres homines una natura, vel tres homines ejusdem naturæ, possunt etiam dici tres homines ex eadem natura, quia ex eadem natura et alii tres tales homines possunt exsistere: in illa vero essentia Trinitatis, nullo modo alia quælibet persona ex eadem essentia potest exsistere. Deinde in his rebus non tantum est unus homo, quantum tres homines simul: et plus sunt aliquid homines duo, quam unus homo: et in statuis æqualibus plus auri est tres simul quam singulæ, et minus auri est una quam duæ. At in Deo non ita est: non enim major essentia est Pater et Filius et Spiritus-sanctus simul, quam solus Pater aut solus Filius; sed tres simul illæ substantiæ sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis: quod animalis homo non B percipit. Non enim potest cogitare nisi moles et spatia, vel minuta vel grandia, volitantibus in animo ejus phantasmatibus tamquam imaginibus corporum.

De Trinitate quid credere debet qui supra dicta non capit.

12. Ex qua immunditia donec purgetur, credat in Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, unum Deum, solum, magnum, omnipotentem, bonum, justum, misericordem, omnium visibilium et invisibilium conditorem, et quidquid de illo pro humana facultate digne vereque dici potest. Neque cum audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium, aut Spiritum-sanctum; cum eo quippe solus Deus, cum quo et unus Deus est; quia et Filium cum audimus solum Deum, sine ulla separatione Patris aut Spiritus-sancti oportet accipere. Atque ita dicat unam essen-C tiam, ut non existimet aliud alio, vel majus, (a) a vel melius, vel aliqua ex parte diversum. Non tamen ut Pater ipse sit et Filius et Spiritus-sanctus, et quidquid aliud ad alterutrum singula dicuntur; sicut Verbum quod non dicitur nisi Filius, aut Donum quod non dicitur nisi Spiritus-sanctus: propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Evangelio scriptum est: *Ego et Pater unum sumus.* Et *unum dixit*, et *sumus: unum*, secundum essentiam, quod idem Deus; *sumus*, secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius. Aliquando et tacetur pluralitas essentiæ, et sola pluraliter relativa commemorantur. *Venimus ad eum ego et Pater, et habitabimus apud eum. Veniemus et habitabimus*, pluralis numerus est, quia prædictum est, *Ego* D *et Pater*, id est Filius et Pater, quæ relative ad invicem dicuntur. Aliquando latenter omnino, sicut in Genesi: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et *faciamus*, et *nostram*, pluraliter dictum est, et nisi ex relativis accipi non (b) oportet. Non enim ut facerent dii, aut ad imaginem et similitudinem deorum, sed ut facerent Pater et Filius et Spiritus-sanctus, ad imaginem Patris et Filii et Spiritus-sancti, ut subsisteret homo imago Dei. Deus autem Trinitas. Sed quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tamquam non ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significandæ caussa,

Johan. 10. 30.

Johan. 14. 23.

Gen. 1. 26.

b

Homo et ad imaginem et imago Dei.

(a) Quidam MSS. loco, *vel melius:* substituunt, *vel minus.* Plures vero utrumque habent, *vel minus vel melius*

(b) Sic MSS. Editi vero, non potest.

ita imago est ut ad imaginem sit: id est, non æquatur parilitate sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum intervallis, sed similitudine acceditur ad Deum, et dissimilitudine receditur ab eo. Sunt enim qui ita distinguunt, ut imaginem velint esse Filium: hominem vero non imaginem, sed ad imaginem. Refellit autem eos Apostolus dicens, *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei:* Non dixit, ad imaginem; sed *imago*. Quæ tamen imago, cum alibi dicitur, *Ad imaginem*, non quasi ad Filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri, alioquin non diceret *ad imaginem nostram*. Quomodo enim *nostram* cum Filius solius Patris imago sit? Sed propter imparem, ut diximus, similitudinem dictus est homo *ad imaginem:* et ideo *nostram*, ut imago Trinitatis esset homo; non Trinitati æqualis sicut Filius Patri, sed accedens, ut dictum est, quadam similitudine; sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cujusdam imitationis. Ad hoc enim et dicitur *Reformamini in novitate mentis vestræ*. Quibus item dicit, *Estote itaque imitatores Dei, sicut filii carissimi*. Novo enim homini dicitur, *Qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum*. Aut si jam placet propter disputandi necessitatem, etiam exceptis nominibus relativis, pluralem numerum admittere, ut uno nomine respondeatur, cum quæritur, quid tria, et dicere tres substantias sive tres personas, nullæ moles aut intervalla cogitentur, nulla distantia quantulæcumque dissimilitudinis, (*a*) ut ibi intelligatur aliud alio vel paullo minus, quocumque modo minus esse aliud alio potest, ut neque personarum sit confusio, nec talis distinctio qua sit impar aliquid. Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille qui ait per Prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis*.

1. Cor. 11. 7. — Gen. 1. 26. — Rom. 12. 2. — Ephes. 5. 1. — Coloss. 3. 10. — Isai. 7. 9.

LIBER OCTAVUS

In quo ratione reddita monstrat, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam Spiritum-sanctum, nec quoslibet duos simul in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, nec omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos. Deinde agit ut et ex veritatis intellectione, et ex notitia summi boni, et ex insito amore justitiæ propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, intelligatur ipsa natura Dei: maxime vero admonet ut Dei cognitio quæratur per caritatem, quæ in Scripturis Deus dicitur; qua in caritate etiam Trinitatis vestigium quoddam inesse observat.

Proœmium. Epilogus superius dictorum.

Diximus alibi, ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, quæ relative dicuntur ad invicem, sicut Pater et Filius, et utriusque Donum Spiritus-sanctus: non enim Pater Trinitas, aut Filius Trinitas, aut Trinitas Donum. Quod vero ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter tres, sed (*b*) unum ipsam Trinitatem: sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus; et bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus-sanctus; et omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus-sanctus: nec tamen tres dii, aut tres boni, aut tres omnipotentes; sed unus Deus, bonus, omnipotens ipsa Trinitas; et quidquid aliud non ad invicem relative, sed ad se singuli dicuntur. Hoc enim secundum essentiam dicuntur, quia hoc est ibi esse quod magnum esse, quod bonum esse, quod sapientem esse, et quidquid aliud ad se unaquæque ibi persona, vel ipsa Trinitas dicitur. Ideoque dici tres personas, vel tres substantias, non ut aliqua intelligatur diversitas essentiæ, sed ut vel uno aliquo vocabulo responderi possit, cum dicitur quid tres, vel quid tria; tantumque esse æqualitatem in ea Trinitate; ut non solum Pater non sit major quam Filius, quod adtinet ad divinitatem, sed nec Pater et Filius simul majus aliquid sint quam Spiritus-sanctus, aut singula quæque personа quælibet trium minus aliquid sit quam ipsa Trinitas. Dicta sunt hæc, et si sæpius versando repetantur, familiarius quidem innotescunt: sed et modus aliquis adhibendus est, Deoque supplicandum devotissima pietate, ut intellectum aperiat, et studium contentionis absumat, quo possit mente cerni essentia veritatis, sine ulla mole, sine ulla (*c*) mobilitate. Nunc itaque, in quantum ipse adjuvat Creator mire misericors, attendamus hæc, quæ (*d*) modo interiore quam superiora tractabimus, cum sint eadem: servata illa regula, ut quod intellectui nostro nondum eluxerit, a firmitate fidei non dimittatur.

Regula in difficilioribus fidei quæstionibus servanda.

CAPUT I. In Deo non esse majus quid tres quam unam personam, ratione monstratur.

2. Dicimus enim non esse in hac Trinitate majus aliquid duas aut tres personas quam unam earum, quod non capit consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera quæ creata sunt sentit ut potest; veritatem autem ipsam qua creata sunt non potest intueri: nam si posset, nullo modo esset lux ista corporea manifestior quam hoc quod diximus. In substantia quippe veritatis, quoniam sola vere est, non est major aliqua, nisi quæ (*e*) verius est. Quidquid autem intelligibile atque incommutabile est, non aliud alio verius est, quia æque incommutabiliter æternum est: nec quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum est, quam eo (*f*) quo vere est. Qua-

(*a*) Plures MSS. *aut ibi: et quidam, aut ubi.*
(*b*) Sic Plerique MSS. At editi, *sed unam ipsam Trinitatem.*
(*c*) In MSS. *mutabilitate.*
(*d*) Editi, *quæ modo jam interioræ.* At MSS. *quæ modo interiore;* id est, ratione magis intima atque subtiliore. Remensis codex habet, *quæ modo interiore quam superiore.*
(*e*) Quatuor MSS. *verior est.*
(*f*) Plerique MSS. *quod vere est.*

propter ubi magnitudo ipsa veritas est, quidquid plus habet magnitudinis, necesse est ut plus habeat veritatis: quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porro quidquid plus habet veritatis, profecto verius est, sicut majus est quod plus habet magnitudinis: hoc ergo ibi est quod majus quod verius. Non autem verius est Pater et Filius simul, quam singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul, quam singulum eorum. Et quoniam æque vere est etiam Spiritus-sanctus, nec Pater et Filius simul majus aliquid est quam ipse, quia nec verius est. Pater quoque et Spiritus-sanctus simul, quoniam veritate non superant Filium, non enim verius sunt; nec magnitudine superant. Atque ita Filius et Spiritus-sanctus simul tam magnum aliquid sunt quam Pater solus, quia tam vere sunt. B Sic et ipsa Trinitas tam magnum est, quam unaquæque ibi persona. Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis, hoc est verum esse quod est esse; et hoc est esse quod est magnum esse, hoc est ergo magnum esse, quod verum esse. Quod igitur ibi æque verum est, etiam æque magnum sit necesse est.

CAPUT II. Respuenda omnis corporalis cogitatio, ut Deus capiatur quomodo Deus est veritas.

3. In corporibus autem fieri potest, ut æque verum sit hoc aurum atque illud, sed majus hoc sit quam illud, quia non eadem ibi est magnitudo quæ veritas; aliudque illi est aurum esse, aliud magnum esse. Sic et in animi natura, secundum quod dicitur magnus animus, non secundum hoc dicitur verus animus. C Animum enim verum habet etiam qui non est magnanimus: quandoquidem corporis et animi essentia, non est ipsius veritatis essentia, sicut est Trinitas Deus unus, solus, magnus, verus, verax, veritas. Quem si cogitare conamur, quantum sinit et donat, nullus cogitetur per locorum spatia contactus aut complexus, quasi trium corporum; nulla compago juncturæ, sicut tricorporem Geryonem fabulæ ferunt: sed quidquid animo tale occurrerit, ut majus sit in tribus quam in singulis, minusque in uno quam in duobus, sine ulla dubitatione respuatur: ita enim respuitur omne corporeum. In spiritalibus autem omne mutabile quod occurrerit, non putetur Deus. Non enim parvæ notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si ante quam scire possimus quid sit Deus, D possumus jam scire quid non sit. Non est enim certe, nec terra, nec cælum, nec quasi terra et cælum, nec tale aliquid quale videmus in a cælo, nec (a) quidquid tale non videmus et est fortassis in cælo. Nec si augeas imaginatione cogitationis lucem solis, quantum potes, sive quo sit major, sive quo sit clarior, millies tantum, aut innumerabiliter, neque hoc est Deus. Nec * sicut cogitantur Angeli mundi spiritus cælestia corpora inspirantes, atque ad arbitrium

* f. si cogitentur.

A quo serviunt Deo mutantes atque versantes, nec si omnes, cum sint millia millium, in unum collati unus fiant, nec tale aliquid Deus est. Nec si eosdem spiritus sine corporibus cogites, quod quidem carnali cogitationi difficillimum est. Ecce vide, si potes, o anima prægravata corpore quod corrumpitur, et onusta terrenis cogitationibus multis et variis; ecce vide, si potes: Deus veritas est. Hoc enim scriptum est: *Quoniam Deus lux est*: non quomodo isti oculi vident, sed quomodo videt cor, (b) cum audis, Veritas est. Noli quærere quid sit veritas, statim enim se opponent caligines imaginum corporalium et nubila phantasmatum, et perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem Veritas. Ecce in ipso primo ictu quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur Veritas, mane si potes: sed non potes; relaberis in ista solita atque terrena. Quo tandem pondere, quæso, relaberis, nisi sordium contractarum cupiditatis visco et peregrinationis erroribus?

Apoc. 5. 11. Sap. 9. 15. 1. Johan. 1. 5. b

CAPUT III. Quomodo cognoscatur Deum esse summum bonum.

4. Ecce iterum vide, si potes. Non amas certe nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium et temperamento collium et planitie camporum, et bonum prædium amœnum ac fertile, et bona domus paribus membris disposita et ampla et lucida, et bona animalia animata corpora, et bonus aer modestus et salubris, et bonus cibus suavis atque aptus valetudini, et bona valetudo sine doloribus et lassitudine, et bona facies hominis dimensa pariliter et affecta hilariter et luculenter colorata, et bonus animus amici consensionis dulcedine et amoris fide, et bonus vir justus, et bonæ divitiæ, quia facile expediunt, et bonum cælum cum sole et luna et stellis suis, et boni angeli sancta obedientia, et bona locutio suaviter docens et congruenter (c) monens audientem, et bonum carmen canorum numeris et sententiis grave. Quid plura et plura? Bonum hoc et bonum illud: tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius cum vere judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid, et aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed cui hæreat amando: et quid hoc nisi Deus? Non bonus animus, aut bonus angelus, aut bonum cælum; sed bonum bonum. Sic enim forte facilius advertitur quid velim dicere. Cum enim audio, verbi gratia, quod dicitur animus bonus, sicut duo verba sunt, ita ex eis verbis duo quædam intelligo: aliud quo animus est, aliud quo bonus. Et quidem ut animus esset, non egit ipse aliquid; non enim jam erat quod ageret ut esset: ut autem sit bonus

c

(a) Sic Am. et MSS. At Er. et Lov. *nec tale aliquid quidquid non videmus.*

(b) Editi, *cum audit.* At MSS. *cum audis*, Germanensis cod. *Cum enim audis.*

(c) Plures MSS. *movens.*

animus, video agendum esse voluntate: non quia idipsum quo animus est, non est aliquid boni, nam unde jam dicitur et verissime dicitur corpore melior? sed ideo nondum dicitur bonus animus, quoniam restat ei actio voluntatis, qua sit præstantior; quam si neglexerit, jure culpatur, recteque dicitur non bonus animus. Distat enim ab eo qui hoc agit: et quia ille laudabilis, profecto iste qui hoc non agit, vituperabilis est. Cum vero agit hoc studio, et fit bonus animus, nisi se ad aliquid convertat quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quo se autem convertat ut fiat bonus animus, nisi ad bonum, cum hoc amat et appetit et adipiscitur? Unde se si rursus avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quo se avertit a bono, nisi maneat in se illud bonum unde se avertit, non est quo se iterum, si voluerit emendare, convertat.

[Animus nonnisi conversione ad Deum fit bonus.]

5. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum. Cum itaque audis bonum hoc et bonum illud, quæ possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum cujus participatione bona sunt; simul enim et ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum: si ergo potueris illis detractis per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuo beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum unde bona sunt. Illud etiam, quod animus, tantum quia est animus, et jam nondum eo modo bonus quo se convertit ad incommutabile bonum, sed ut dixi, tantum animus, cum ita nobis placet ut eum omni etiam luci corporeæ cum bene intelligimus præferamus, non in se ipso nobis placet, sed in illa arte qua factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus. Hæc est veritas, et simplex bonum, non enim est aliud aliquid quam ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui vel augeri bonum potest, nisi quod ex alio bono bonum est. Ad hoc se igitur animus convertit ut bonus sit, a quo habet ut animus sit. Tunc ergo voluntas naturæ congruit
8 ut perficiatur in bono animus, cum (a) illud bonum diligitur conversione voluntatis, unde est et illud quod non amittitur nec aversione voluntatis. Avertendo enim se a summo bono, amittit animus ut sit bonus animus; non autem amittit ut sit animus, cum et hoc jam bonum sit corpore melius: hoc ergo amittit voluntas, quod voluntas adipiscitur. Jam enim erat animus, qui converti ad id vellet a quo erat: qui autem vellet esse ante quam esset nondum erat. Et hoc est bonum nostrum, ubi videmus utrum esse debuerit aut debeat, quidquid esse debuisse aut debere comprehendimus; et ubi videmus esse non potuisse nisi esse debuisset, quidquid etiam quomodo esse debuerit (b) non comprehendimus. Hoc ergo bonum non longe positum est ab unoquoque nostrum: in illo enim vivimus, et movemur, et sumus. [Act. 17, 27.]

[CAPUT IV. Deus prius fide non errante cognoscendus ut amari possit.]

6. Sed dilectione standum est ad illud et inhærendum illi, ut præsente perfruamur a quo sumus, quo absente nec esse possemus. Cum enim *per fidem adhuc ambulamus, non per speciem*, nondum utique videmus Deum, sicut idem ait, *facie ad faciem*: quem tamen nisi nunc jam diligamus, nunquam videbimus. Sed quis diligit quod ignorat? Sciri enim aliquid et non diligi potest: diligi autem quod nescitur, quæro utrum possit; quia si non potest, nemo diligit Deum ante quam sciat. Et quid est Deum scire, nisi eum mente conspicere, firmeque percipere? Non enim corpus est, ut carneis oculis inquiratur. Sed et prius quam valeamus conspicere atque percipere Deum, sicut conspici et percipi potest, quod mundicordibus licet; *Beati enim mundicordes, quia ipsi Deum videbunt:* nisi per fidem diligatur, non poterit cor mundari, quo ad eum videndum sit aptum et idoneum. Ubi sunt enim illa tria, propter quæ in animo ædificanda omnium divinorum librorum machinamenta consurgunt, fides, spes, caritas, nisi in animo credente quod nondum videt, et sperante atque amante quod credit? Amatur ergo et qui ignoratur; sed tamen creditur. Nimirum autem cavendum est, ne credens animus id quod non videt, fingat sibi aliquid quod non est, et speret diligatque quod falsum est. Quod si fit, non erit caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta: quæ finis præcepti est, sicut idem Apostolus dicit.

[2. Cor. 5, 7. — 1. Cor. 13, 12. — Matth. 5, 8. — 1. Cor. 13, 13. — 1. Tim. 1, 5.]

7. Necesse est autem cum aliqua corporalia lecta vel audita quæ non vidimus, credimus, fingat sibi aliquid animus in lineamentis formisque corporum, sicut occurrerit cogitanti, quod aut verum non sit, aut etiam si verum est, quod rarissime potest accidere: non hoc tamen fide ut teneamus quidquam prodest, sed ad aliud aliquid utile, quod per hoc insinuatur. Quis enim legentium vel audientium quæ scripsit apostolus Paulus, vel quæ de illo scripta sunt, non fingat animo et ipsius Apostoli faciem, et omnium quorum ibi nomina commemorantur? Et cum in tanta hominum multitudine quibus illæ litteræ notæ sunt, alius aliter lineamenta figuramque illorum corporum cogitet, quis propinquius et similius cogitet, utique incertum est. Neque ibi occupatur fides nostra, qua facie corporis fuerint illi homines; sed tantum quia per Dei gratiam ita vixerunt, et ea gesserunt, quæ Scriptura illa testatur: hoc et utile est credere, et non desperandum, et appetendum. Nam et ipsius Dominicæ facies carnis, innumerabilium cogitationum diversitate variatur et fingitur, quæ tamen una erat, quæcumque erat. Neque in fide nostra quam de Domino Jesu Christo habemus, illud salubre est quod sibi animus fingit, longe fortasse aliter quam res se habet, sed illud quod secundum speciem de homine cogitamus: habe-

(a) Aliquot MSS. *ad illud bonum dirigitur.*
(b) Editi, *non comprehendimus*, omissa particula negante, quæ reperitur in MSS.

mus enim quasi regulariter infixam humanæ naturæ notitiam, secundum quam quidquid tale adspicimus, statim hominem esse cognoscimus

CAPUT V.

vel hominis formam. * Secundum hanc notitiam cogitatio nostra informatur, cum credimus pro nobis Deum hominem factum, ad humilitatis exemplum, et ad demonstrandam erga nos dilectionem Dei. Hoc enim nobis potest credere, et firmum atque inconcussum corde retinere, humilitatem qua natus est Deus ex fœmina et a mortalibus per tantas contumelias perductus ad mortem, summum esse medicamentum quo superbiæ nostræ sanaretur tumor, et altum sacramentum quo peccati vinculum solveretur. Sic et virtutem miraculorum ipsius et resurrectionis ejus, quoniam novimus quid sit omnipotentia, de omnipotente Deo credimus, et secundum species et genera rerum vel natura insita vel experientia collecta, de factis hujuscemodi cogitamus, ut non ficta sit fides nostra. Neque enim novimus faciem virginis Mariæ, ex qua ille a viro intacta neque in ipso partu corrupta mirabiliter natus est. Nec quibus membrorum lineamentis fuerit Lazarus, nec Bethaniam, nec sepulcrum lapidemque illum quem removeri jussit cum eum resuscitaret vidimus, nec monumentum novum excisum in petra unde ipse resurrexit, nec montem Oliveti unde adscendit in cælum: neque omnino scimus, quicumque ista non vidimus, an ita sint ut ea cogitamus; immo vero probabilius existimamus non esse ita. Namque cum alicujus facies vel loci vel hominis vel cujuslibet corporis eadem occurrerit oculis nostris, quæ occurrebat animo, cum eam prius quam videremus cogitabamus, non parvo miraculo movemur; ita raro et pene numquam accidit: et tamen ea firmissime credimus, quia secundum specialem generalemque notitiam quæ certa nobis est, cogitamus. Credimus enim Dominum Jesum Christum natum de virgine quæ Maria vocabatur.

Lucæ 2, 7.

Quid sit autem virgo, et quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus. Utrum autem illa facies Mariæ fuerit quæ occurrerit animo cum ista loquimur aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus. Itaque hic salva fide licet dicere, forte talem habebat faciem, forte non talem: forte autem de virgine natus est Christus, nemo salva fide Christiana dixerit.

Quomodo Trinitas diligatur incognita.

8. Quamobrem quoniam Trinitatis æternitatem, et æqualitatem, et unitatem, quantum datur, intelligere cupimus, prius autem quam intelligamus credere debemus, vigilandumque nobis est, ne ficta sit fides nostra: eadem quippe Trinitate fruendum est, ut beate vivamus; si autem falsum de illa crediderimus, inanis erit spes, et non casta caritas: quomodo igitur eam Trinitatem quam non novimus, credendo diligimus? An secundum specialem generalemve notitiam, secundum quam diligimus apostolum Paulum? Qui etiam si non ea facie fuit quæ nobis occurrit de illo cogitantibus, et hoc penitus ignoramus, novimus tamen quid sit homo. Ut

A enim longe non eamus, hoc sumus: et illum hoc fuisse, et animam ejus corpori copulatam mortaliter vixisse manifestum est. Hoc ergo de illo credimus, quod invenimus in nobis, juxta speciem vel genus, quo humana omnis natura pariter continetur. Quid igitur de illa excellentia Trinitatis sive specialiter sive generaliter novimus, quasi multæ sint tales trinitates, quarum aliquas experti sumus, ut per regulam similitudinis impressam vel specialem vel generalem notitiam, illam quoque talem esse credamus; atque ita rem quam credimus et nondum novimus, ex parilitate rei quam novimus diligamus? Quod utique non ita est. An quemadmodum diligimus in Domino Jesu Christo, quod resurrexit a mortuis, quamvis inde neminem umquam B resurrexisse viderimus, ita Trinitatem quam non videmus, et qualem nullam umquam vidimus, possumus credendo diligere? Sed quid sit mori, et quid sit vivere, utique scimus: quia et vivimus et mortuos ac morientes aliquando vidimus et experti sumus. Quid est autem aliud resurgere, nisi reviviscere, id est, ex morte ad vitam redire? Cum ergo dicimus et credimus esse Trinitatem, novimus quid sit Trinitas, quia novimus quid sint tria; sed non hoc diligimus. Nam id ubi volumus, facile habemus, ut alia omittam, vel micando digitis tribus. An vero diligimus, non quod omnis trinitas, sed quod Trinitas Deus? Hoc ergo diligimus in Trinitate, quod Deus est: sed Deum nullum alium vidimus, aut novimus; quia unus est Deus, ille solus C quem nondum vidimus, et credendo diligimus. Sed ex qua rerum notarum similitudine vel comparatione credamus, quo etiam nondum notum Deum diligamus, hoc quæritur.

Micare digitis.

CAPUT VI. Quomodo nondum justus justum cognoscat quem diligit.

9. Redi ergo mecum, et consideremus cur diligamus Apostolum. Numquid-nam propter humanam speciem, quam notissimam habemus, eo quod credimus eum hominem fuisse? Non utique: alioquin nunc non est quem diligamus, quandoquidem homo ille jam non est; anima enim ejus a corpore separata est. Sed id quod in illo amamus, etiam nunc vivere credimus: amamus enim animum justum. Ex qua ergo generali aut speciali regula, nisi quia scimus, et quid sit animus, et quid sit justus. Et animus quidem quid sit, non incongrue nos dicimus ideo nosse quia et nos habemus animum. D Neque enim umquam oculis vidimus, et ex similitudine visorum plurium notionem generalem specialemve percepimus; sed potius, ut dixi, quia et nos habemus. Quid enim tam intime scitur, seque ipsum esse sentit, quam id quo etiam cetera sentiuntur, id est, ipse animus? Nam et motus corporum, quibus præter nos alios vivere sentimus, ex nostra similitudine agnoscimus: quia et nos ita movemus corpus vivendo, sicut illa corpora moveri advertimus. Neque enim cum corpus vivum movetur, aperitur ullis via oculis nostris ad videndum animum, rem quæ oculis videri non potest: sed illi moli aliquid inesse sentimus, quale nobis inest ad movendum similiter molem nostram,

quod est vita et animæ. Neque quasi humanæ prudentiæ rationisque proprium est. Et bestiæ quippe sentiunt vivere, non tantum se ipsas, sed etiam se invicem atque alterutrum, et nos ipsos. Nec animas nostras vident, sed ex motibus corporis, idque statim et facillime quadam conspiratione naturali. Animum igitur cujuslibet et ex nostro novimus, et ex nostro credimus quem non novimus. Non enim tantum sentimus animum, sed etiam scire possumus quid sit animus consideratione nostri: habemus enim animum. Sed quid sit justus, unde novimus? Dixeramus enim nos Apostolum non alia caussa diligere, nisi quod sit justus animus. Novimus ergo et quid sit justus sicut et quid sit animus. Sed quid sit animus, ut dictum est novimus ex nobis: inest enim animus nobis. Quid autem sit justus unde novimus, si justi non sumus? Quod si nemo novit quid sit justus nisi qui justus est, nemo diligit justum nisi justus: non enim potest diligere quem justum esse credit, ob hoc ipsum quia justum esse credit, si quid sit justus ignorat; secundum quod superius demonstravimus, neminem diligere quod credit et non videt, nisi ex aliqua regula notitiæ generalis sive specialis. Ac per hoc si non diligit justum nisi justus, quomodo volet quisque justus esse qui nondum est? Non enim vult quisquam esse quod non diligit. Ut autem sit justus qui nondum est, volet utique justus esse: ut autem velit, diligit justum. Diligit ergo justum et qui nondum justus est. Diligere autem justum non potest, qui quid sit justus, ignorat. Proinde novit quid sit justus, etiam qui nondum est: ubi ergo novit? num oculis vidit? An ullum corpus justum, velut album, aut nigrum, aut quadrum, aut rotundum? quis hoc dixerit? At oculis non vidit nisi corpora. Justus autem in homine non est, nisi animus: et cum homo justus dicitur, ex animo dicitur, non ex corpore. Est enim quædam pulchritudo animi justitia, qua pulchri sunt homines, plerique etiam qui corpore distorti atque deformes sunt. Sicut autem animus non videtur oculis, ita nec pulchritudo ejus. Ubi ergo novit quid sit justus, qui nondum est, atque ut sit diligit justum? An signa quædam per motum corporis emicant, quibus ille aut ille homo esse justus apparet? Sed unde novit illa signa esse animi justi, nesciens quid omnino sit justus? Novit ergo. Sed ubi novimus quid sit justus, etiam cum justi nondum sumus? Si extra nos novimus, in corpore aliquo novimus. Sed non est ista res corporis. In nobis igitur novimus quid sit justus. Non enim alibi hoc invenio cum quæro ut hoc eloquar, nisi apud me ipsum: et si interrogem alium quid sit justus, apud se ipsum quærit quid respondeat; et quisquis hinc verum respondere potuit, apud se ipsum quid responderet invenit. Et Carthaginem quidem cum eloqui volo, apud me ipsum quæro ut eloquar, et apud me ipsum invenio phantasiam Carthaginis: sed eam per corpus accepi, id est per corporis sensum, quoniam præsens in ea corpore fui, et eam vidi atque sensi, memoriaque retinui, ut apud me invenirem de illa verbum, cum eam vellem dicere. Ipsa enim phantasia ejus in memoria mea verbum ejus, non sonus iste trisyllabus cum Carthago nominatur, vel etiam tacite nomen ipsum per spatia temporum cogitatur; sed illud quod in animo meo cerno, cum hoc trisyllabum voce profero, vel antequam proferam. Sic et Alexandriam cum eloqui volo quam nunquam vidi, præsto est apud me phantasma ejus. Cum enim a multis audissem et credidissem magnam esse illam urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem ejus quam potui: et hoc est apud me verbum ejus, cum eam volo dicere ante quam voce quinque syllabas proferam, quod nomen ejus fere omnibus notum est. Quam tamen imaginem si ex animo meo proferre possem ad oculos hominum qui Alexandriam noverunt, profecto aut omnes dicerent, non est ipsa; aut si dicerent, ipsa est, multum mirarer, atque intuens in animo meo ipsam, id est imaginem quasi picturam ejus, ipsam tamen esse nescirem, sed eis crederem qui visam tenerent. Non autem ita quæro quid sit justus, nec ita invenio, nec ita intueor, cum id eloquor; nec ita probor, cum audior; nec ita probo, cum audio; quasi tale aliquid oculis viderim, aut ullo corporis sensu didicerim, aut ab eis qui ita didicissent audierim. Cum enim dico et sciens dico, Justus est animus qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, non aliquam rem absentem cogito, sicut Carthaginem, aut fingo ut possum, sicut Alexandriam, sive ita sit, sive non ita: sed præsens quiddam cerno, et cerno apud me, etsi non sum ipse quod cerno, et multi si audiant approbabunt. Et quisquis me audit atque scienter approbat, apud se et ipse hoc idem cernit, etiam si non sit et ipse quod cernit. Justus vero cum id dicit, id quod ipse est cernit et dicit. Et ubi etiam ipse cernit, nisi apud se ipsum? Sed hoc mirum non est: ubi enim se cerneret, nisi apud se ipsum? Illud mirabile est ut apud se animus videat quod alibi nusquam vidit, et verum videat, et ipsum verum justum animum videat, et sit ipse animus et non sit justus animus, quem apud se ipsum videt. Num est alius animus justus in animo nondum justo? Aut si non est quem ibi videt, cum videt et dicit quid sit animus justus, nec alibi quam in se ipso videt, cum ipse non sit animus justus? An illud quod videt, veritas est interior præsens animo qui eam valet intueri? Neque omnes valent: et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur non omnes sunt, hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit justus animus. Quod unde esse (a) potuerunt, nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur et sint justi animi, non tantum cernentes et dicentes justum esse animum qui

(a) Editi, potuerunt. Melius MSS. poterunt.

scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam ut ipsi juste vivant justeque morati sint, sua cuique distribuendo, ut nemini quidquam debeant, nisi ut invicem diligant. Et unde inhæreretur illi formæ, nisi amando? Rom. 13. 8. Cur ergo illum diligimus quem credimus justum, et non diligimus ipsam formam ubi videmus quid sit justus animus, ut et nos justi esse possimus? An vero nisi et istam diligeremus nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista, sed dum justi non sumus, minus eam diligimus quam ut justi esse valeamus? Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma et veritate diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit: ipsa vero forma et veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cum incognita est credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale adspexeris, ipsa est: et non est quidquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est. Qui ergo amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim et semetipsum amare debet, ut quia justus est, aut ut justus sit: sic enim diligit proximum tamquam se ipsum sine ullo periculo. Qui enim aliter se diligit, injuste se diligit, quoniam se ad hoc diligit ut sit injustus: ad hoc ergo ut sit malus, ac per hoc jam non se diligit. Psal. 10. 6. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.*

CAPUT VII. De vera dilectione, per quam ad Trinitatis cognitionem pervenitur.

10. Quapropter non est præcipue videndum in hac quæstione, quæ de Trinitate nobis est, et de cognoscendo Deo, nisi quid sit vera dilectio, immo vero quid sit dilectio. Ea quippe dilectio dicenda est, quæ vera est; alioquin cupiditas est, atque ita cupidi abusive dicuntur diligere, quemadmodum cupere abusive dicuntur qui diligunt. Hæc est autem vera dilectio, ut inhærentes veritati juste vivamus: et ideo contemnamus omnia (a) mortalia præ amore hominum, quo eos volumus juste vivere. Ita enim et mori pro fratribus utiliter parati esse poterimus, quod nos Dominus Jesus Christus exemplo suo docuit. Cum enim duo præcepta sint in quibus tota Lex pendet et Prophetæ, Matth. 22. 40. dilectio Dei et dilectio proximi; non immerito plerumque Scriptura pro utroque unum ponit: sive tantum Dei, sicuti est illud, Rom. 8. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* 1. Cor. 8. 3. et iterum, *Quisquis autem diligit Deum, hic cognitus est ab illo:* et illud Rom. 5. 5. *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis:* et alia multa; quia et qui diligit Deum, consequens est ut faciat quod præcipit Deus, et intantum diligit in quantum facit: consequens ergo est ut et proximum diligat, quia hoc præcepit Deus: sive tantum proximi dilectionem Scriptura commemorat, sicut est illud, Gal. 6. 2. *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi:* Gal. 5. 14. et illud, *Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo quod scriptum est, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum:* et in Evangelio, Matth. 7. 12. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis; hæc enim est Lex et Prophetæ.* Et pleraque alia reperimus in litteris sanctis, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, et taceri de dilectione Dei; cum in utroque præcepto Lex pendeat et Prophetæ. Sed et hoc ideo, quia et qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam præcipue dilectionem diligat. 1. Johan. 4. 16. *Deus autem dilectio est, et qui manet in dilectione, in Deo manet.* Consequens ergo est ut præcipue Deum diligat.

Quærendus Deus, non exterius, appetendo mira facere cum angelis: sed interius, imitando bonorum angelorum pietatem.

11. Quapropter qui quærunt Deum per istas Potestates, quæ mundo præsunt vel Partibus mundi, auferuntur ab eo longeque jactantur; non intervallis locorum, sed diversitate affectuum: exterius enim conantur ire, et interiora sua deserunt, quibus interior est Deus. Itaque etiam si aliquam sanctam cœlestem Potestatem vel audierint, vel utcumque cogitaverint, facta magis ejus appetunt quæ humana miratur infirmitas, non imitantur pietatem qua divina requies comparatur. Malunt enim superbe hoc posse quod angelus, quam devote hoc esse quod angelus. Non enim sanctus quisquam potestate sua gaudet, sed ejus a quo habet posse quidquid congruenter potest: et novit potentius esse conjungi Omnipotenti pia voluntate, quam propria (b) potestate et voluntate posse, quod contremiscant qui talia non possunt. Itaque ipse Dominus Jesus Christus talia faciens, ut mirantes doceret ampliora, et temporalibus insolitis intentos atque suspensos ad æterna atque interiora converteret, *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et reficiam vos; tollite jugum meum super vos.* Matth. 11. 28. Et non ait, Discite a me quia quatriduanos mortuos suscito: sed ait, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Potentior est enim et tutior solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo. Et ideo sequitur, dicens, *Et invenietis requiem animabus vestris.* 1. Cor. 13. 4. *Dilectio enim non inflatur:* 1. Johan. 4. 8. et *Deus dilectio est:* et *fideles in dilectione adquiescent illi*, Sap. 3. 9. revocati a strepitu qui foris est ad (c) gaudia silentia. Ecce *Deus dilectio est:* ut quid imus et currimus in sublima cœlorum et ima terrarum, quærentes eum qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum?

CAPUT VIII. Quod qui fratrem diligit, Deum diligat, quia amat ipsam dilectionem quæ ex Deo est, et Deus est.

12. Nemo dicat, Non novi quid diligam. Diligat fratrem, et diliget eamdem dilectionem. Magis enim novit dilectionem qua diligit, quam fratrem quem diligit. Ecce jam potest notiorem Deum habere quam fratrem: plane notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem; notiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum, et dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio quæ omnes bonos angelos, et omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis, nosque et illos conjungit invicem nobis, et subjungit sibi. Quanto igitur saniores sumus a tumore superbiæ, tanto sumus dilectione pleniores: et quo, nisi Deo plenus est, qui plenus est dilectione?

(a) In MSS. *temporalia.*
(b) In ante editis omissum erat, *potestate et.*

(c) Editi, *ad gaudia silentii.* At MSS. plures, *ad gaudia silentia.* Alii, *ad gaudii silentia.*

At enim caritatem video, et quantum possum eam mentem conspicio, et credo Scripturæ dicenti, quoniam *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet:* sed cum illam video, non in
1. Johan. 4. 16. ea video Trinitatem. Immo vero vides Trinitatem, si caritatem vides. Sed commonebo: si potero, ut videre te videas: adsit tantum ipsa, ut moveamur caritate ad aliquod bonum. Quia cum diligimus caritatem, aliquid diligentem diligimus, propter hoc ipsum quia diligit aliquid. Ergo quid diligit caritas, ut possit etiam ipsa caritas diligi? Caritas enim non est, quæ nihil diligit. Si autem se ipsum diligit, diligat aliquid
a oportet, ut (*a*) caritatem se diligat. Sicut enim verbum indicat aliquid, indicat etiam se ipsum, sed non se verbum indicat, nisi se aliquid indicare indicet: sic et caritas diligit quidem se, sed nisi se aliquid diligentem diligat, non caritatem se diligit. Quid ergo diligit caritas, nisi quod caritate diligimus? Id autem, ut a proximo provehamur, frater est. Dilectionem autem fraternam quantum commendent Johannes apostolus, at-
1. Johan. 2. 10. tendamus: *Qui diligit*, inquit, *fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est*. Manifestum est quod justitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit: nam in quo scandalum non est, utique perfectus est. Et tamen videtur dilectionem Dei tacuisse: quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertissime enim in eadem epi-
1. Johan. 4. 7. stola paulo post ita dicit: *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est, et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non cognovit Deum quia Deus dilectio est*. Ista contextio satis aperteque declarat, eamdem ipsam fraternam dilectionem, (nam fraterna dilectio est, qua diligimus invicem,) non
b solum ex Deo, sed etiam Deum esse (*b*) tanta auctoritate prædicari. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem: nec fieri potest ut eamdem dilectionem non præcipue diligamus, qua fratrem diligimus. Unde colligitur, duo illa præcepta non posse esse sine invicem. Quoniam quippe *Deus dilectio est;* Deum certe diligit qui diligit dilectionem: dilectionem autem necesse est ut diligat, qui diligit fratrem.
1. Johan. 4. 20. Et ideo paulo post ait, *Non potest Deum diligere quem non videt, qui fratrem quem videt non diligit:* quia hæc illi caussa est non videndi Deum, quod non diligit fratrem. Qui enim non diligit fratrem, non est in dilectione: et qui non est in dilectione, non est in Deo, quia Deus dilectio est. Porro qui non est in Deo, non est in lu-
1. Johan. 1. 5. mine: quia *Deus lumen est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*. Qui ergo non est in lumine, quid mirum si non videt lumen, id est, non videt Deum, quia in tenebris est? Fratrem autem videt humano visu, quo videri Deus non potest. Sed si eum quem videt humano visu, spiritali caritate diligeret, videret Deum qui est ipsa caritas visu interiore quo videri potest. Itaque qui fratrem
A quem videt non diligit, Deum quem propterea non videt, quia Deus dilectio est, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere? Nec illa jam quæstio moveat, quantum fratri caritatis debeamus impendere, quantum Deo: incomparabiliter plus quam nobis Deo, fratri autem quantum nobis ipsis: nos autem ipsos tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum. Ex una igitur eademque caritate Deum proximumque diligimus: sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum.

CAPUT IX. In dilectionem justorum accendimur ex ipsa dilectione incommutabilis formæ justitiæ.

13. Quid enim est, quæso, quod exardescimus, cum audimus et legimus, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nullam in quoquam dantes offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum; sed in omnibus commen-*
B *dantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu-sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores, et veraces; ut qui ignoramur, et cognoscimur; quasi morientes, et ecce vivimus; ut coerciti, et non mortificati; ut tristes semper autem gaudentes; sicut egeni, multos autem ditantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes?* (2. Cor. 6. 2.) Quid est quod accendimur in dilectionem Pauli apostoli, cum ista legimus, nisi quod credimus
C eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus diligimus. Et nisi hanc formam, quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipue diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam, cum in carne viveret, huic formæ coaptatam et congruentem fuisse, fide retinemus. Sed nescio quomodo amplius et in ipsius formæ caritatem excitamur per fidem, qua credimus vixisse sic aliquem, et spem, qua nos quoque ita posse vivere, qui homines sumus, ex eo quod aliqui homines ita vixerunt, minime desperamus, ut hoc et desideremus ardentius, et fidentius pre-
D cemur. Ita et ipsorum vitam facit a nobis diligi formæ illius dilectio, secundum quam vixisse creduntur, et illorum vita credita in eamdem formam flagrantiorem excitat caritatem: ut quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius sereniusque videamus: quia in Deo conspicimus incommutabilem formam justitiæ, secundum quam hominem vivere oportere judicamus. Valet ergo fides ad cognitionem et ad dilectionem Dei, non tamquam omnino incogniti, aut omnino non dilecti; sed quo cognoscatur manifestius, et quo firmius diligatur.

CAPUT X.

14. Quid est autem dilectio vel caritas, quam

(a) Sola fere editio Lov. *ut caritate*.
(b) Editi, post *Deum esse*, inserunt, *quem videmus*, Sed hæ voces a MSS. absunt.

Tria quædam in caritate, velut vestigium Trinitatis.

tantopere Scriptura divina laudat et prædicat, nisi amor boni? Amor autem alicujus amantis est, et amore aliquid amatur. Ecce tria sunt, amans, et quod amatur, et amor. Quid est ergo amor, nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod

B amatur? Et hoc etiam in (a) externis carnalibusque amoribus ita est: sed ut aliquid purius et liquidius hauriamus, calcata carne adscendamus ad animum. Quid amat animus in amico, nisi

A animum? Et illic igitur tria sunt, amans et quod amatur, et amor. Restat etiam hinc adscendere, et superius ista quærere quantum homini datur, sed hic paululum requiescat intentio, non ut se jam existimet invenisse quod quærit, sed sicut solet inveniri locus, ubi quærendum est aliquid, nondum illud inventum est, sed jam inventum est ubi quæratur: ita hoc dixisse suffecerit, ut tamquam ab articulo alicujus exordii cetera contexamus.

LIBER NONUS

Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quamdam inesse, mentem scilicet, et notitiam qua se novit, et amorem quo se notitiamque suam diligit; atque hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ.

CAPUT I. *De Trinitate quomodo inquirendum.*

Trinitatem certe quærimus, non quamlibet, B sed illam Trinitatem, quæ Deus est, verusque ac summus et solus Deus. Expecta ergo quisquis hæc audis: adhuc enim quærimus, et talia quærentem nemo juste reprehendit; si tamen in fide firmissimus quærat, quod aut nosse aut eloqui difficillimum est. Affirmantem vero cito justeque reprehendit, quisquis melius vel videt vel docet. *Quærite*, inquit, *Deum, et vivet anima vestra* (Psal. 68. 33). Et ne quisquam se tamquam apprehendisse temere gaudeat: *Quærite*, inquit *faciem ejus semper* (Psal. 104. 4). Et Apostolus: *Si quis se*, inquit, *putat aliquid scire, nondum scit quemadmodum scire oporteat. Quisquis autem diligit Deum, hic cognitus est ab illo* (1. Cor. 8. 2). Nec sic quidem dixit, cognovit illum; quæ periculosa præsumptio est: sed, *cognitus est ab illo*. Sic et alibi cum C dixisset, *Nunc autem cognoscentes Deum:* statim corrigens, *immo cogniti*, inquit, *a Deo* (Galat. 4. 9); maximeque illo loco, *Fratres*, inquit, *ego me ipsum non arbitror apprehendisse: unum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus* (Philip 3. 13). Perfectionem in hac vita dicit, non aliud quam ea quæ retro sunt oblivisci, et in ea quæ ante sunt extendi secundum intentionem. Tutissima est enim quæ tendis intentio, donec apprehendatur illud quo tendimus et quo extendimur. Sed ea recta intentio est, quæ proficiscitur a fide. Certa enim fides utcumque inchoat cognitionem: cognitio vero certa non perficietur, nisi post hanc vitam, cum videbimus facie D ad faciem (1. Cor. 13. 12). Hoc ergo sapiamus, ut noverimus tutiorem esse affectum vera quærendi, quam incognita pro cognitis præsumendi. Sic ergo quæramus tamquam inventuri: et sic inveniamus, tamquam quæsituri. *Cum enim consummaverit homo, tunc incipit* (Eccli. 18. 6). De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis auctoritas tenenda est, in his veritas exquirenda. Quod ergo ad istam quæstionem attinet, credamus Patrem et Filium et Spiritum-sanctum esse unum Deum, universæ creaturæ conditorem atque rectorem: nec Patrem esse Filium, nec Spiritum-sanctum vel Patrem esse vel Filium: sed Trinitatem relatarum ad invicem personarum, et unitatem æqualis essentiæ. Hoc autem quæramus intelligere, ab eo ipso quem intelligere volumus, auxilium precantes, et quantum tribuit quod intelligimus explicare tanta cura et sollicitudine pietatis cupientes, ut etiam si aliquid aliud pro alio dicimus, nihil tamen indignum dicamus. Ut si quid, verbi gratia, de Patre dicimus, quod Patri proprie non conveniat; aut Filio conveniat, aut Spiritui-sancto, aut ipsi Trinitati: et si quid de Filio, quod Filio proprie non congruat, saltem congruat Patri, aut Spiritui-sancto, aut Trinitati: item si quid de Spiritu-sancto, quod proprietatem Spiritus-sancti non deceat, non tamen alienum sit a Patre aut a Filio, aut ab uno de ipsa Trinitate. Velut nunc cupimus videre utrum illa excellentissima caritas proprie Spiritus-sanctus sit: quod si non est, aut Pater est caritas, aut Filius, aut ipsa Trinitas; quoniam resistere non possumus certissimæ fidei, et validissimæ auctoritati Scripturæ dicentis, *Deus caritas est:* (1. Johan. 4. 16) non tamen debemus deviare sacrilego errore, ut aliquid de Trinitate dicamus quod non Creatori, sed creaturæ potius conveniat, aut inani cogitatione fingatur.

CAPUT II. *Consideranda tria illa quæ reperiuntur in caritate.*

2. Quæ cum ita sint, attendamus ista tria, quæ invenisse nobis videmur. Nondum de supernis loquimur, nondum de Deo Patre et Filio et Spiritu-sancto; sed de hac impari imagine, attamen imagine, id est homine: familiarius enim eam et facilius fortassis intuetur mentis nostræ infirmitas. Ecce ego qui hoc quæro, cum aliquid amo tria sunt, ego, et quod amo, et ipse amor. Non enim amo amorem, nisi amantem amem: nam non est amor, ubi nihil amatur. Tria ergo sunt, amans, et quod amatur, et amor. Quid si non amem nisi me ipsum, nonne duo erunt, quod amo, et amor? Amans enim et quod amatur, hoc idem est, quando se ipse amat: sicut amare et amari, eodem modo idipsum est, cum se quisque amat. Eadem quippe res bis dicitur, cum dicitur, amat se, et amatur a se. Tunc enim non est

(a) Am. Er. et MSS. in extremis.

aliud atque aliud, amare et amari; sicut non est alius atque alius, amans et amatus. At vero amor, et quod amatur, etiam sic duo sunt. Non enim cum quisque se amat amor est, nisi cum amatur ipse amor. Aliud est autem amare se, aliud est amare amorem suum. Non enim amatur amor, nisi jam aliquid amans: quia ubi nihil amatur, nullus est amor. Duo ergo sunt, cum se quisque amat, amor et quod amatur. Tunc enim amans et quod amatur unum est. Unde videtur non esse consequens, ut ubicumque amor fuerit, jam tria intelligantur. Auferamus enim ab hac consideratione cetera quæ multa sunt, quibus homo constat: atque ut hæc quæ nunc requirimus, quantum in his rebus possumus, liquido reperiamus, de sola mente tractemus. Mens igitur cum amat se ipsam, duo quædam ostendit, mentem et amorem. Quid est autem amare se, nisi sibi præsto esse velle ad fruendum se? Et cum tantum se vult esse, quantum est, par menti voluntas est, et amanti amor æqualis. Et si aliqua substantia est amor, non est utique corpus, sed spiritus: nec mens corpus, sed spiritus, est. Neque tamen amor et mens duo spiritus, sed unus spiritus; nec essentiæ duæ, sed una: et tamen duo quædam unum sunt, amans et amor; sive sic dicas, quod amatur et amor. Et hæc quidem duo relative ad invicem dicuntur. Amans quippe ad amorem refertur, et amor ad amantem. Amans enim aliquo amore amat, et amor alicujus amantis est. Mens vero et spiritus non relative dicuntur, sed essentiam demonstrant. Non enim quia mens et spiritus alicujus hominis est, ideo mens et spiritus (a) est. Retracto enim eo quod homo est, quod adjuncto corpore dicitur; retracto ergo corpore, mens et spiritus manet: retracto autem amante, nullus est amor; et retracto amore, nullus est amans. Ideoque quantum ad invicem referuntur, duo sunt: quod autem ad se ipsa dicuntur, et singula spiritus, et simul utrumque unus spiritus; singula mens, et simul utrumque una mens. Ubi ergo Trinitas? Attendamus quantum possumus, et invocemus lucem sempiternam, ut illuminet tenebras nostras, et videamus in nobis quantum sinimur imaginem Dei.

CAPUT III. Trinitatis imago in mente hominis noscentis se et amantis.

3. Mens enim amare seipsam non potest, nisi etiam se noverit: nam quomodo amat quod nescit? Aut si quisquam dicit ex notitia generali vel speciali mentem credere se esse talem, quales alias experta est, et ideo amare se ipsam, insipientissime loquitur. Unde enim mens aliquam mentem novit, si se non novit? Neque enim ut oculus corporis videt alios oculos, et se non videt; ita mens novit alias mentes, et ignorat semetipsam.

Mens se ipsam per se ipsam novit.

Per oculos enim corporis corpora videmus; quia radios qui per eos emicant et quidquid cernimus tangunt, refringere ac retorquere in ipsos non possumus, nisi cum specula intuemur. Quod subtilissime obscurissimeque disseritur, donec apertissime demonstretur, vel ita se rem habere, vel non ita. Sed quoquo modo se habet vis, qua per oculos cernimus: ipsam certe vim, sive sint radii, sive aliud aliquid, oculis cernere non valemus, sed mente quærimus, et si fieri potest, etiam hoc mente comprehendimus. Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo et semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea. Nam si non se novit, non se amat.

CAPUT IV. Tria unum et æqualia, mens ipsa, et amor, et notitia ejus.

4. Sicut autem duo quædam sunt mens et amor ejus, cum se amat: ita quædam duo sunt, mens et notitia ejus, cum se novit. Igitur ipsa mens et amor et notitia ejus, tria quædam sunt, et hæc tria unum sunt: et cum perfecta sunt, æqualia sunt. Si enim minus se amat quam est, ut verbi gratia, tantum se amet hominis mens, quantum amandum est corpus hominis; cum plus sit ipsa quam corpus; peccat, et non est perfectus amor ejus. Item si amplius se amat quam est, velut si tantum se amet, quantum amandus est Deus, cum incomparabiliter minus sit ipsa quam Deus; etiam sic nimium peccat, et non perfectum habet amorem sui. Majore autem perversitate et iniquitate peccat, cum corpus tantum amat, quantum amandus est Deus. Item notitia si minor est, quam est illud quod noscitur, et plene nosci potest, perfecta non est. Si autem major est, jam superior est natura quæ novit, quam illa quæ nota est: sicut major est notitia corporis, quam ipsum corpus quod ea notitia notum est. Illa enim vita quædam est in ratione cognoscentis: corpus autem non est vita. Et vita quælibet quolibet corpore major est, non mole, sed vi. Mens vero cum se ipsa cognoscit, non se superat notitia sua; quia ipsa cognoscit, ipsa cognoscitur. Cum ergo se totam cognoscit, neque secum quidquam aliud, par illi est cognitio sua: quia neque ex alia natura est ejus cognitio, cum se ipsam cognoscit. Et cum se totam nihilque amplius percipit, nec minor nec major est. Recte igitur diximus, hæc tria cum perfecta sunt, esse consequenter æqualia.

Tria eadem substantialiter esse, ac relative dici.

5. Simul etiam admonemur, si utcumque videre possumus, hæc in anima exsistere, et tamquam involuta evolvi ut sentiantur et dinumerentur substantialiter, vel, ut ita dicam, essentialiter, non tamquam in subjecto, ut color, aut figura in corpore, aut ulla alia qualitas aut quantitas. Quidquid enim tale est, non excedit subjectum in quo est. Non enim color iste aut figura hujus corporis potest esse et alterius corporis. Mens autem amore quo se amat, potest amare et aliud præter se. Item non se solam cognoscit mens, sed et alia multa. Quamobrem non amor et cognitio tamquam in subjecto insunt menti; sed substantialiter etiam ista sunt, sicut ipsa mens: quia etsi relative dicuntur ad invicem, in sua tamen sunt singula quæque substantia. Nec sicut color et coloratum relative ita dicuntur ad invicem, ut color in subjecto colorato

(a) Sic MSS. At Editi, *et spiritus manet*.

sit, non habens in se ipso propriam substantiam; quoniam coloratum corpus substantia est. Ille autem in substantia: sed sicut duo amici etiam duo sunt homines, quæ sunt substantiæ; cum homines non relative dicantur, amici autem relative.

Tria eadem esse inseparabilia.

6. Sed item quamvis substantia sit amans vel sciens, substantia sit scientia, substantia sit amor, sed amans et amor, aut sciens et scientia relative ad se dicantur, sicut amici; mens vero aut spiritus non sint relativa, sicut nec homines relativa sunt: non tamen sicut amici homines possunt seorsum esse ab invicem, sic amans et amor, aut sciens et scientia. Quamquam et amici corpore videntur separari posse, non animo, in quantum amici sunt: verumtamen fieri potest, ut amicus amicum etiam odisse incipiat, et eo ipso amicus esse desinat, nesciente illo, et adhuc amante. Amor autem quo se mens amat, si esse desinat, simul et illa desinet esse amans. Item notitia qua se mens novit, si esse desinat, simul et illa nosse se desinet. Sicut caput capitati alicujus utique caput est, et relative ad se dicuntur, quamvis etiam substantiæ sint: nam et caput corpus est, et capitatum et si non sit (a) caput, nec capitatum erit. Sed hæc præcisione ab invicem separari possunt, illa non possunt.

Tria eadem non partium instar juncta et commixta esse sed esse unius essentiæ, ac relativa.

7. Quod si sunt aliqua corpora, quæ secari omnino et dividi nequeunt: tamen nisi partibus suis constarent, corpora non essent. Pars ergo ad totum relative dicitur; quia omnis pars alicujus totius pars est, et totum omnibus partibus totum est. Sed quoniam et pars corpus est, et totum; non tantum ista relative dicuntur, sed etiam substantialiter sunt. Fortassis ergo mens totum est, et ejus quasi partes amor quo se amat, et scientia qua se novit, quibus duabus partibus illud totum constat? An tres sunt æquales partes, quibus totum unum completur? Sed nulla pars totum, cujus pars est, complectitur: mens vero cum se totam novit, hoc est perfecte novit, per totum ejus est notitia ejus; et cum se perfecte amat, totam se amat, et per totum ejus est amor ejus. Num ergo sicut ex vino et aqua et melle una fit potio, et singula per totum sunt, et tamen tria sunt (nulla enim pars est potionis, quæ non habeat hæc tria; non enim juncta, velut si aqua et oleum essent, sed omnino commixta sunt; et substantiæ sunt omnes, et totus ille liquor una quædam est ex tribus confecta substantia:) tale aliquid arbitrandum est esse simul hæc tria, mentem, amorem, notitiam? Sed non unius substantiæ sunt aqua, vinum, et mel, quamvis ex eorum commixtione fiat una substantia potionis. Quomodo autem illa tria non sint ejusdem substantiæ, non video; cum mens ipsa se amet, atque ipsa se noverit; atque ita sint hæc tria, ut non alteri alicui rerum mens vel amata vel nota sit. Unius ergo ejusdemque essentiæ necesse est hæc tria sint: et ideo si tamquam commixtione confusa essent; nullo modo essent tria, nec referri ad invicem possent. Quemadmodum si ex uno eodemque auro tres annulos similes facias, quamvis connexos sibi, referuntur ad invicem, quod similes sunt; omnis enim similis alicui similis est; et trinitas annulorum est, et unum aurum; at si misceantur sibi, et per totam singuli massam suam conspergantur, intercidet illa trinitas, et omnino non erit; ac non solum unum aurum dicetur, sicut in illis tribus annulis dicebatur, sed jam nulla aurea tria.

CAPUT V. En tria esse singula in se ipsis, et invicem tota in totis.

8. At in illis tribus, cum se novit mens et amat se, manet trinitas, mens, amor, notitia; et nulla commixtione confunditur: quamvis et singula sint in semetipsis, et invicem tota in totis, sive singula in binis, sive bina in singulis. Itaque omnia in omnibus. Nam et mens est utique in se ipsa, quoniam ad se ipsam mens dicitur: quamvis noscens, vel nota, vel noscibilis ad suam notitiam relative dicatur; amans quoque et amata vel amabilis ad amorem referatur, quo se amat. Et notitia quamvis referatur ad mentem cognoscentem vel cognitam, tamen et ad se ipsam nota et noscens dicitur: non enim sibi est incognita notitia, qua se mens ipsa cognoscit. Et amor quamvis referatur ad mentem amantem, cujus amor est, tamen et ad se ipsum est amor, ut sit etiam in se ipso: quia et amor amatur, nec alio nisi amore amari potest, id est se ipso. Ita sunt hæc singula in se ipsis. In alternis autem ita sunt, quia et mens amans in amore est, et amor in amantis notitia, et notitia in mente noscente. Singula in binis ita sunt, quia mens quæ se novit et amat, in amore et notitia sua est; et amor amantis mentis seseque scientis, in mente notitiaque ejus est; et notitia mentis se scientis et amantis in mente atque in amore ejus est, quia scientem se amat, et amantem se novit. Ac per hoc et bina in singulis, quia mens quæ se novit et amat, cum sua notitia est in amore, et cum suo amore in notitia: amor (b) quoque ipse et notitia simul sunt in mente, quæ se amat et novit. Tota vero in totis quemadmodum sint, jam supra ostendimus, cum se totam mens amat, et totam novit, et totum amorem suum novit, totumque amat notitiam suam, quando tria ista ad se ipsa perfecta sunt. Miro itaque modo tria ista inseparabilia sunt a semetipsis, et tamen eorum singulum quodque substantia est, et simul omnia una substantia vel essentia, cum relative dicantur ad invicem.

CAPUT VI. Alia notitia rei in ipsa re, alia in ipsa æterna veritate.

9. Sed cum se ipsam novit humana mens, et amat se ipsam, non aliquid incommutabile novit et amat: aliterque unusquisque homo loquendo enuntiat mentem suam, quid in se ipso agatur attendens; aliter autem humanam mentem speciali aut generali cognitione definit. Itaque cum mihi de sua propria loquitur, utrum intelligat hoc aut illud, an non intelligat, et utrum velit an nolit hoc aut illud, credo: cum vero de humana specialiter aut generaliter verum dicit,

(a) Editi, *et si non sit corpus*. At MSS. *caput*.

(b) Editi, *amor quippe*. Concinnius MSS. *amor quoque*.

agnosco et approbo. Unde manifestum est, aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat: aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri: quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili æternitate consistere. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam: sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfecte, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.

Quod ex æternæ veritatis regulis judicium de rebus etiam corporeis fiat.

10. Unde etiam phantasias rerum corporalium per corporis sensum haustas, et quodam modo infusas memoriæ, ex quibus etiam ea quæ non visa sunt, ficto phantasmate cogitantur, sive aliter quam sunt, sive fortuitu sicuti sunt, aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos, vel improbare convincimur, cum recte aliquid approbamus aut improbamus. Nam et cum recolo Carthaginis mœnia quæ vidi, et cum fingo Alexandriæ * quæ non vidi, easdemque imaginarias formas quasdam quibusdam præferens, rationabiliter præfero, viget et claret desuper judicium veritatis, ac sui juris incorruptissimis regulis firmum est: et si corporalium imaginum quasi quodam nubilo subtexitur, non tamen involvitur atque confunditur.

* Subaudi mœnia

11. Sed interest utrum ego sub illa vel in illa caligine, tamquam a cœlo perspicuo secludar; an sicut in altissimis montibus accidere solet, inter utrumque aere libero fruens et serenissimam lucem supra, et densissimas nebulas subter adspiciam. Nam unde in me fraterni amoris inflammatur ardor, cum audio virum aliquem pro fidei pulchritudine et firmitate acria tormenta tolerasse? Et si mihi digito ostendatur ipse homo, studeo mihi conjungere, notum facere, amicitia colligare. Itaque si facultas datur, accedo, alloquor, sermonem confero, affectum meum in illum quibus verbis possum exprimo, vicissimque in eo fieri quem in me habeat atque exprimi volo, spiritalemque complexum credendo molior, quia pervestigare tam cito et cernere penitus ejus interiora non possum. Amo itaque fidelem et fortem virum amore casto atque germano. Quod si mihi inter nostras loquelas fateatur, aut (a) incautus aliquo modo sese indicet, quod vel de Deo credat incongrua, atque in illo quoque carnale aliquid desideret, et pro tali errore illa pertulerit, vel speratæ pecuniæ cupiditate, vel inani aviditate laudis humanæ; statim amor ille, quo in eum ferebar, offensus, et quasi repercussus, atque ab indigno homine ablatus, (b) in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaveram. Nisi forte ad hoc amo jam, ut talis sit, cum talem non esse comperero. At in illo homine nihil mutatum est: mutari tamen potest, ut fiat quod eum jam esse credideram. In mente autem mea mutata est utique ipsa existimatio, quæ de illo aliter se habebat, et aliter habet: idemque amor ab intentione perfruendi ad intentionem consulendi, incommutabili desuper justitia jubente deflexus est. Ipsa vero forma inconcussæ ac stabilis veritatis, et in qua fruerer homine bonum eum credens, et in qua consulo ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimæque rationis et meæ mentis adspectum, et illam phantasiæ nubem, quam desuper cerno, cum eumdem hominem quem videram cogito, imperturbabili (c) æternitate perfundit. Item cum arcum pulchre ac æquabiliter intortum, quem vidi, verbi gratia, Carthagine, animo revolvo, res quædam menti nuntiata per oculos, memoriæque transfusa, imaginarium conspectum facit. Sed aliud mente conspicio, secundum quod mihi opus illud placet; unde etiam, si displiceret, corrigerem. Itaque de istis secundum illam * judicamus, et illam cernimus rationalis mentis intuitu. Ista vero aut præsentia sensu corporis tangimus, aut imagines absentium fixas in memoria recordamur, aut ex earum similitudine talia fingimus, qualia nos ipsi, si vellemus atque possemus, etiam opere moliremur: aliter figurantes animo imagines corporum, aut per corpus corpora videntes; aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulcram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes.

* Subaudi formam æternæ veritatis.

CAPUT VII.

Verbum intus ex rebus in æterna veritate conspectis concipimus et gignimus.

12. In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis adspicimus: atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tamquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus: nec a nobis nascendo discedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicujus signi corporalis, ut per quamdam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit. Nihil itaque agimus per membra corporis in factis dictisque nostris, quibus vel approbantur vel improbantur mores hominum, quod non verbo apud nos intus edito prævenimus. Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit.

Verbum amore concipitur sive creaturæ sive Creatoris.

13. Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. * Ergo aut cupiditate, aut caritate: non quo non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed caritas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura. Tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. Cum ergo aut par nobis, aut inferior creatura sit, inferiore utendum est ad Deum, pari

* CAPUT VIII.

Cupiditas et caritas quo differunt.

(a) Apud Lov. incautius.
(b) Editi, non in ea forma permanet, addita contra mentem Augustini particula negante, quæ nostri omnes carebant MSS.
(c) Sic Am. et MSS, magno consensu. At Er. Lov. æquitate perfundit.

autem fruendum, sed in Deo. Sicut enim te ipso, non in te ipso frui debes, sed in eo qui fecit te; sic etiam illo quem diligis tamquam te ipsum. Et nobis ergo et fratribus in Domino fruamur, et inde nos nec ad nosmetipsos remittere, et quasi relaxare deorsum versus audeamus. Nascitur autem verbum, cum excogitatum placet, aut ad peccandum, aut ad recte faciendum. Verbum ergo nostrum et mentem de qua gignitur, quasi medius amor conjungit, seque cum eis tertium complexu incorporeo, sine ulla confusione constringit.

CAPUT IX. In amore spiritalium verbum natum idem quod conceptum: secus in amore carnalium.

14. Conceptum autem verbum et natum idipsum est, cum voluntas in ipsa notitia conquiescit, quod fit in amore spiritalium. Qui enim, verbi gratia, perfecte novit, perfecteque amat justitiam, jam justus est, etiam si nulla existat secundum eam forinsecus per membra corporis operandi necessitas. In amore autem carnalium temporaliumque rerum, sicut in ipsis animalium fœtibus, alius est conceptus verbi, alius partus. Illic enim quod capiendo concipitur, adipiscendo nascitur. Quoniam non sufficit avaritiæ nosse et amare aurum, nisi et habeat, neque nosse et amare vesci, aut concumbere, nisi etiam id agat; neque nosse et amare honores et imperia, nisi proveniant. Quæ tamen omnia, nec adepta sufficiunt.
Johan. 4. 13. *Qui enim biberit ex hac*, inquit, *aqua, sitiet iterum.* Ideoque et in Psalmo, *Concepit*,
Psal. 7. 15. inquit, *dolorem, et peperit iniquitatem.* Dolorem vel laborem dicit concipi, cum ea concipiuntur quæ nosse ac velle non sufficit, et inardescit atque ægrotat animus indigentia, donec ad ea perveniat et quasi pariat ea. Unde eleganter in Latina lingua parta dicuntur et reperta atque comperta, quæ verba quasi a partu ducta resonant.
Jacob. 1. 15. Quia *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Unde Dominus clamat, *Venite ad me o-*
Matth. 11. 28. *mnes qui laboratis et onerati estis.* Et alio loco,
Matth. 24. 19. *Væ prægnantibus et mammantibus in illis diebus.* Cum itaque ad partum verbi referret omnia
Matth. 12. 37. vel recte facta vel peccata: *Ex ore*, inquit, *tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis:* os volens intelligi, non hoc visibile, sed interius invisibile cogitationis et cordis.

CAPUT X. An sola notitia amata sit verbum mentis.

15. Recte ergo quæritur, utrum omnis notitia verbum, an tantum amata notitia. Novimus enim et ea quæ odimus: sed nec concepta, nec parta dicenda sunt animo, quæ nobis displicent. Non enim omnia quæ quoquo modo tangunt concipiuntur: (a) sed alia ut tantum nota sint, non tamen verba dicantur; sicut ista de quibus nunc agimus. Aliter enim dicuntur verba quæ spatia temporum syllabis tenent, sive pronuntientur, sive cogitentur; aliter omne quod notum est, verbum dicitur animo impressum, quamdiu de memoria proferri et definiri potest, quamvis res ipsa displiceat; aliter cum placet quod mente concipitur. Secundum quod genus verbi acci-
1. Cor. 12. 3. piendum est quod ait Apostolus, *Nemo dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu-sancto:* cum secun-

(a) In editis male omissum erat, *sed alia.*

A dum aliam verbi notionem dicant hoc et illi, de quibus ipse Dominus ait, *Non omnis qui dicit* Matth. 7. 21.
mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Verumtamen cum et illa, quæ odimus, recte displicent, recteque improbantur, approbatur eorum improbatio, et placet, et verbum est. Neque vitiorum notitia nobis displicet, sed ipsa vitia. Nam placet mihi quod novi et definio quid sit intemperantia; et hoc est verbum ejus. Sicuti sunt in arte nota vitia, et recte approbatur eorum notitia, cum discernit cognitor speciem privationemque virtutis, sicut aiere et negare, esse et non esse: attamen virtute privari atque in vitium deficere, damnabile est. Et definire intemperantiam, verbumque ejus dicere, pertinet ad artem morum: esse autem intempe-
B rantem, ad id pertinet quod illa arte culpatur. Sicut nosse ac definire quid sit solœcismus, pertinet ad artem loquendi: facere autem, vitium est quod eadem arte reprehenditur. Verbum est igitur, quod nunc discernere ac insinuare volumus, cum amore notitia. Cum itaque se mens novit et amat, jungitur ei amore verbum ejus. Et quoniam amat notitiam et novit amorem, et verbum in amore est, et amor in verbo, et utrumque in amante atque dicente.

Mentis seipsam noscentis imaginem seu verbum genitum ipsi æquale esse.

16. Sed omnis secundum speciem notitia, similis est ei rei quam novit. Est enim alia notitia secundum privationem, quam cum improbamus, loquimur. Et hæc privationis improbatio speciem laudat, ideoque approbatur. * Habet ergo animus nonnullam speciei notæ similitudi-

*CAPUT XI.

C nem, sive cum ea placet, sive cum ejus privatio displicet. Quocirca in quantum Deum novimus, similes sumus: sed non ad æqualitatem similes, quia nec tantum eum novimus, quantum ipse se. Et quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est: non enim omnino ipsa corpora in animo sunt, cum ea cogitamus; sed eorum similitudines: itaque cum eas pro illis approbamus, erramus; error namque est pro alio alterius approbatio: melior est tamen imaginatio corporis in animo, quam illa species corporis, in quantum hæc in meliore natura est, id est in substantia vitali, sicuti animus est: ita cum Deum novimus, quamvis meliores efficiamur quam eramus ante quam nosse-
D mus, maximeque cum eadem notitia etiam placita digneque amata verbum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia; tamen inferior est, quia in inferiore natura est; creatura quippe animus, Creator autem Deus. Ex quo colligitur, quia cum se mens ipsa novit atque approbat, sic est eadem notitia verbum ejus, ut ei sit par omnino et æquale, atque identidem: quia neque inferioris essentiæ notitia est, sicut corporis; neque superioris, sicut Dei. Et cum habeat notitia similitudinem ad eam rem quam novit, hoc est, cujus notitia est; hæc habet perfectam et æqualem, qua mens ipsa, quæ novit, est nota.

A Ideoque et imago et verbum est, quia de illa exprimitur, cum cognoscendo eidem coæquatur, et est gignenti æquale quod genitum est.

CAPUT XII. *Cur sicut notitia mentis est proles, non etiam amor partus ejusdem sit.*

17. Quin ergo amor? non erit imago? non verbum? non genitus? Cur enim mens notitiam suam gignit, cum se novit; et amorem suum non gignit, cum se amat? Nam si propterea est notionis suæ caussa, quia noscibilis est: amoris etiam sui caussa est, quia est amabilis. Cur utrumque itaque non genuerit, difficile est dicere. Hæc enim quæstio etiam de ipsa summa Trinitate, omnipotentissimo creatore Deo, ad cujus imaginem homo factus est, solet movere homines, quos veritas Dei per humanam locutionem invitat ad fidem, cur non Spiritus quoque sanctus a Patre Deo genitus vel creditur vel intelligitur, ut filius etiam ipse dicatur? B Quod nunc in mente humana utcumque investigare conamur, ut ex inferiore imagine, in qua nobis familiarius natura ipsa nostra, quasi interrogata, respondet, exercitatiorem mentis aciem ab illuminata creatura ad lumen incommutabile dirigamus: si tamen veritas ipsa persuaserit, sicut Dei Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat, ita caritatem esse Spiritum-sanctum. Ergo ad imaginem illam, quæ creatura est, hoc est, ad rationalem mentem diligentius de hac re interrogandam considerandamque redeamus, ubi temporaliter existens nonnullarum rerum notitia, quæ antea non erat, et aliquarum rerum amor, quæ antea non amabantur, distinctius nobis aperit quid dicamus: quia et ipsi locutioni temporaliter (a) dirigendæ, C facilior est ad explicandum res, quæ in ordine temporum comprehenditur.

Solutio quæstionis.

18. Primo itaque manifestum sit, posse fieri, ut sit aliquid scibile, id est, quod sciri possit, et tamen nesciatur: illud autem fieri non posse, ut sciatur quod scibile non fuerit. Unde liquido tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito. Itaque mens cum se ipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ: et cognitum enim et cognitor ipsa est. Erat autem sibi ipsa noscibilis, et ante quam se nosset: sed notitia sui non erat in ea, cum se ipsa non noverat. Quod ergo cognoscit se, parem sibi notitiam sui gignit: quia non minus se novit quam est, nec alterius essentiæ est notitia ejus, non solum quia D ipsa novit, sed etiam quia se ipsam, sicut supra diximus. Quid ergo de amore dicendum est, cur non etiam cum se amat, ipsum quoque amorem A sui genuisse videatur? Erat enim amabilis sibi, et ante quam se amaret, quia poterat se amare: sicut erat sibi noscibilis, et ante quam se nosset, quia poterat se nosse. Nam si non sibi esset noscibilis, numquam se nosse potuisset: ita si non sibi esset amabilis, numquam se amare potuisset. Cur itaque amando se non genuisse dicatur amorem suum: sicut cognoscendo se genuit notitiam suam? (b) An eo quidem manifeste ostenditur hoc amoris esse principium, unde procedit: ab ipsa quippe mente procedit, quæ sibi est amabilis ante quam se amet; atque ita principium est amoris sui, quo se amat: sed ideo non recte dicitur genitus ab ea, sicut notitia sui qua se novit, quia notitia jam inventum est, quod partum vel repertum dicitur, quod sæpe B præcedit inquisitio eo fine quietura? Nam inquisitio est appetitus inveniendi, quod idem valet si dicas, reperiendi. Quæ autem reperiuntur, quasi pariuntur: unde proli similia sunt, ubi nisi in ipsa notitia? Ibi enim quasi expressa formantur. Nam etsi jam erant res quas quærendo invenimus, notitia tamen ipsa non erat, quam sicut prolem nascentem deputamus. Porro appetitus ille, qui est in quærendo, procedit a quærente, et pendet quodam modo, neque requiescit fine quo intenditur, nisi id quod quæritur inventum quærenti copuletur. Qui appetitus, id est, inquisitio, quamvis amor esse non videatur, (c) quo id quod notum est, amatur; hoc enim adhuc ut cognoscatur agitur: tamen ex eodem genere quiddam est. Nam voluntas jam dici potest, C quia omnis qui quærit invenire vult; et si id quæritur quod ad notitiam pertineat, omnis qui quærit nosse vult. Quod si ardenter atque instanter vult, studere dicitur: quod maxime in assequendis atque adipiscendis quibusque doctrinis dici solet. Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus quærendo et inveniendo, nascitur proles ipsa notitia: ac per hoc appetitus ille quo concipitur pariturque notitia, partus et proles recte dici non potest idemque appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ, fit amor cognitæ, dum tenet atque amplectitur placitam prolem, id est, notitiam, gignentique conjungit. Et est quædam imago Trinitatis, ipsa mens, et notitia ejus, quod est proles ejus ac de se ipsa verbum ejus, et amor D tertius, et hæc tria unum atque una substantia. Nec minor proles, dum tantam se novit mens quanta est: nec minor amor dum tantum se diligit quantum novit et quanta est.

Trinitatis imago mens cum sua ipsius notitia et amore.

(a) Plerique MSS. *digerendæ.*
(b) Editi, *in eo quidem.* Emendantur ex MSS.

(c) Plures MSS. *quia quod notum est, amatur.*

LIBER DECIMUS

In quo Trinitatem aliam in hominis mentem inesse ostenditur, eamque longe evidentiorem apparere in memoria, intelligentia et voluntate.

CAPUT I. *Amorem studentis animi, id est scire cupientis, non esse amorem ejus rei quam nescit.*

Nunc ad ea ipsa consequenter enodatius explicanda limatior accedat intentio. Ac primum quia rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest, diligenter intuendum est cujusmodi sit amor studentium, id est, non jam scientium, sed adhuc scire cupientium quamque doctrinam. Et in his quippe rebus in quibus non usitate dicitur studium, solent exsistere amores ex auditu, dum cujusque pulcritudinis fama ad videndam ac fruendum animus accenditur, quia generaliter novit corporum pulchritudines, ex eo quod plurimas vidit, inest intrinsecus unde approbetur, cui forinsecus inhiatur. Quod cum fit, non rei penitus incognitæ amor excitatur, cujus genus ita notum est. Cum autem virum bonum amamus, cujus faciem non vidimus, ex notitia virtutum amamus, quas novimus in ipsa veritate. Ad doctrinas autem cognoscendas, plerumque nos laudantium atque prædicantium accendit auctoritas, et tamen nisi breviter impressam cujusque doctrinæ haberemus in animo notionem, nullo ad eam discendam studio flagraremus. Quis enim sciendæ, verbi gratia, Rhetoricæ ullam curam et operam impenderet, nisi ante sciret eam dicendi esse scientiam? Aliquando etiam ipsarum doctrinarum fines auditos expertosve miramur, et ex hoc inardescimus facultatem comparare discendo, qua ad eos pervenire possimus. Tamquam si litteras nescienti dicatur quamdam esse doctrinam, qua quisque valeat, quamvis longe absenti, verba mittere manu facta in silentio; quæ rursus ille cui mittuntur, non auribus, sed oculis colligat, idque fieri videat; nonne, dum concupiscit nosse quo id possit, omni studio circa illum finem movetur, quem jam notum tenet? Sic accenduntur studia discentium: nam quod quisque prorsus ignorat, amare nullo pacto potest.

2. Ita etiam signum si quis audiat incognitum, veluti verbi alicujus sonum, quo quid significetur ignorat, cupit scire quidnam sit, id est, sonus ille cui rei commemorandæ institutus sit: veluti si audiat cum dicitur temetum, et ignorans quid sit requirat. Jam itaque oportet ut noverit signum esse, id est, non esse inanem illam vocem, sed aliquid ea significari: alioquin jam notum est hoc trisyllabum, et articulatam speciem suam impressit animo per sensum aurium: quid amplius in eo requiratur (a) quo magis innotescat, cujus omnes litteræ omniaque soni spatia nota sunt; nisi quia simul innotuit signum esse, movitque sciendi cupiditatem, cujus rei signum sit? Quo igitur amplius notum est, sed non plene notum est, eo cupit animus de illo nosse quod reliquum est. Si enim tantummodo esse istam vocem nosset, eamque alicujus rei signum esse non nosset, nihil jam quæreret, sensibili re, quantum poterat, sentiendo percepta. Quia vero non solum esse vocem, sed et signum esse jam novit, perfecte id nosse vult. Neque ullum perfecte signum noscitur, nisi cujus rei signum sit cognoscatur. Hoc ergo qui ardenti cura quærit ut noverit, studioque accensus insistit, num potest dici esse sine amore? Quid igitur amat? Certe enim amari aliquid nisi notum non potest. Neque enim ille istas tres syllabas amat, quas jam notas habet. Quod si hoc in eis amat, quia scit eas significare aliquid; non inde nunc agitur, non enim hoc nosse quærit: sed in eo quod scire studet, quid amet inquirimus, quod profecto nondum novit: et propterea miramur cur amet, quoniam firmissime novimus amari nisi nota non posse. Quid ergo amat, nisi quia novit atque intuetur in rationibus rerum quæ sit pulchritudo doctrinæ, qua continentur notitiæ signorum omnium; et quæ sit utilitas in ea peritia, qua inter se humana societas sensa communicat, ne sibi hominum cœtus deteriores sint quavis solitudine, si cogitationes suas colloquendo non misceant. Hanc ergo speciem decoram, et utilem cernit anima, et novit, et amat; eamque in se perfici studet, quantum potest, quisquis vocum (b) significantium quæcumque ignorat, inquirit. Aliud est enim quod eam in veritatis luce conspicit, aliud quod in sua facultate concupiscit. Conspicit namque in luce veritatis quam magnum et quam bonum sit omnes omnium gentium linguas intelligere ac loqui, nullamque ut (c) alienigena audire, et a nullo ita audiri. Cujus notitiæ decus cogitatione jam cernitur, amaturque res nota; quæ ita conspicitur, atque inflammat studia discentium, ut circa eam moveantur, eique inhient in omni opera, quam impendunt consequendæ tali facultati, ut etiam usu amplectantur quod ratione prænoscunt: atque ita quisque, cui facultati spe propinquat, ei ferventius amore inardescit. Eis doctrinis quippe studetur vehementius, quæ capi posse non desperantur. Nam cujus rei adipiscendæ spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat. Quocirca quia omnium linguarum scientia fere ab omnibus desperatur, suæ gentis quisque maxime studet, ut noverit. Quod si et illi ad perfectum percipiendæ se non sufficere sentit, nemo tamen tam desidiosus est hujus notitiæ, qui non, cum audierit incognitum verbum, velit nosse quid illud sit, et si potest,

(a) Aliquot MSS. *quod*.
(b) Sic Am. Er. et MSS. At Lov. *significantium quæcumque ignorat*.
(c) Ita Am. et MSS. At Er. et Lov. ut *alienigenam* is legendum, *nullumque ut alienigenam*.

quærat ac discat. Quod dum quærit, utique in studio discendi est, et videtur amare rem incognitam, quod non ita est. Species namque illa tangit animum, quam novit et cogitat, in qua elucet decus consociandorum animorum in vocibus notis audiendis atque reddendis: eaque accendit studio quærentem quidem quod ignorat, sed notam formam, quo id pertineat, intuentem et amantem. Itaque si quærenti verbi gratia, quid sit temetum, (hoc enim exempli caussa posueram,) dicatur, Quid ad te pertinet? respondebit, Ne forte audiam loquentem, et non intelligam; aut uspiam forte id legam, et quid scriptor senserit, nesciam. Quis tandem huic dicat, Noli intelligere quod audis, noli esse quod legis? Omnibus enim fere animis rationalibus in promptu est ad videndum hujus peritiæ pulchritudo, qua hominum inter se cogitata, significantium vocum enuntiatione noscuntur: propter hoc notum decus; et ob hoc amantum quia notum, studiose quæritur verbum illud ignotum. Itaque cum audierit atque cognoverit temetum a veteribus vinum appellatum, sed jam ex usu loquendi quem nunc habemus, hoc vocabulum emortuum, propter nonnullos fortasse veterum libros sibi necessarium deputabit. Si autem et illos supervacaneos habet, forte jam nec dignum quod memoriæ commendet existimat, quia videt ad illam speciem doctrinæ quam notam mentem intuetur atque amat, minime pertinere.

3. Quamobrem omnis amor studentis animi, hoc est volentis scire, quod nescit, non est amor ejus rei quam nescit, sed ejus quam scit, propter quam vult scire quod nescit. Aut si tam curiosus est, ut non propter caussam aliam notam, sed solo amore rapiatur incognita sciendi; discernendus quidem est a studiosi nomine iste curiosus; sed nec ipse amat incognita, immo congruentius dicitur, odit incognita, quæ nulla esse vult, dum vult omnia cognita. Sed ne quisquam nobis difficiliorem referat quæstionem, asserens tam non posse quemquam odisse quod nescit, quam non potest amare quod nescit, non resistimus (a) veris: sed intelligendum est, non hoc idem dici cum dicitur, amat scire incognita, ac si diceretur, amat incognita. Illud enim fieri potest, ut amet quisque scire incognita: ut autem amet incognita, non potest. Non enim frustra ibi est positum scire: quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat. Quod nisi haberet cognitum, neque scire se quisquam posset fidenter dicere, neque nescire. Non solum enim qui dicit scio, et verum dicit, necesse est ut quid sit scire sciat: sed etiam qui dicit nescio, idque fidenter et verum dicit, et scit verum se dicere, scit utique quid sit scire; quia et discernit a sciente nescientem, cum veraciter se intuens dicit nescio: et cum id se scit verum dicere, unde sciret, si quid sit scire nesciret?

CAPUT II.

4. Quilibet igitur studiosus, quilibet curiosus non amat incognita, etiam cum ardentissimo appetitu instat scire quod nescit. Aut enim jam genere notum habet quod amat, idque nosse expetit, etiam in aliqua re singula, vel singulis rebus, quæ illi nondum notæ forte laudantur, fingitque animo imaginariam formam qua excitetur in amorem. Unde autem fingit, nisi ex iis quæ jam noverat? Cujus tamen formæ animo figuratæ atque in cogitatione notissimæ, si eam quæ laudabatur dissimilem invenerit, fortasse non amabit. Quod si amaverit, ex illo amare incipiet ex quo didicit. Paulo ante quippe alia erat quæ amabatur, quam sibi animus formans exhibere consueverat. Si autem illi formæ similem invenerit quam fama prædicaverat, cui vere possit dicere, Jam te amabam, nec tunc utique amabat incognitam, quam in illa similitudine noverat. Aut in specie sempiternæ rationis videmus aliquid et ibi amamus, quod cum expressum in aliqua rei temporalis effigie, illis qui experti sunt laudantibus et credimus, et amamus, non aliquid amamus incognitum, unde jam supra satis disseruimus: aut aliquid notum amamus, propter quod ignotum aliquid quærimus: cujus ignoti amor nequaquam nos tenet, sed illius cogniti, quo pertinere novimus, ut illud etiam quod adhuc ignotum quærimus, noverimus: sicut de incognito verbo paulo ante locutus sum. Aut ipsum scire quisque amat, quod nulli scire aliquid cupienti esse incognitum potest. His caussis videntur amare incognita, qui scire aliquid volunt quod nesciunt, et propter ardentiorem quærendi appetitum sine amore esse dici non possunt. Sed quam se res aliter habeat, neque omnino quidquam ametur incognitum, arbitror me persuasisse verum diligenter intuentibus. Sed quia exempla quæ dedimus, eorum sunt, qui aliquid quod ipsi non sunt nosse cupiunt, videndum est ne forte aliquod novum genus appareat, cum se ipsa mens nosse desiderat.

Nemo prorsus amat incognita.

CAPUT III. Quod mens amet se ipsam non incognitam sibi.

5. Quid ergo amat mens, cum ardenter se ipsam quærit ut noverit, dum incognita sibi est? Ecce enim mens semetipsam quærit ut noverit, et inflammatur hoc studio. Amat igitur: sed quid amat? Se ipsam? Quomodo, cum se nondum noverit, nec quisquam possit amare quod nescit? An ei fama prædicavit speciem suam, sicut de absentibus solemus audire? Forte ergo se non amat, sed quod de se fingit, hoc amat, longe fortasse aliud quam ipsa est: aut si se mens sui similem fingit, et ideo cum hoc figmentum amat, se amat ante quam noverit; quia id quod sui simile est intuetur: novit igitur alias mentes ex quibus se fingat, et genere ipso sibi nota est. Cur ergo cum alias mentes novit, se non novit, cum se ipsa nihil sibi possit esse præsentius? Quod si ut oculis corporis magis alii oculi noti sunt, quam ipsi sibi; non se ergo quærat numquam inventura. Numquam enim se oculi præter specula videbunt: nec ullo modo putandum est etiam rebus incorporeis contemplandis tale ali-

(a) Sic plerique MSS. Editi vero, non resistimus verbis.

quid adhiberi, ut mens tamquam in speculo se noverit. An in ratione veritatis æternæ videt quam speciosum sit nosse semetipsam, et hoc amat quod videt, studetque in se fieri? quia quamvis sibi nota non sit, notum tamen ei est quam bonum sit, ut sibi nota sit. Et hoc quidem permirabile est, nondum se nosse, et quam pulchrum sit se nosse, jam nosse. An aliquem finem optimum, id est securitatem et beatitudinem suam videt, per quamdam occultam memoriam, quæ in (a) longinqua eam progressam non deseruit, et credit ad eumdem finem, nisi se ipsam cognoverit, se pervenire non posse? ita dum illud amat, hoc quærit: et notum amat illud, propter quod quærit ignotum. Sed cur memoria beatitudinis suæ potuit, et memoria sui cum ea perdurare non potuit, ut tam se nosset quæ vult pervenire, quam novit illud quo vult pervenire? An cum se nosse amat, non se quam nondum novit, sed ipsum nosse amat; acerbiusque tolerat se ipsam deesse scientiæ suæ, qua vult cuncta comprehendere? Novit autem quid sit nosse, et dum hoc amat quod novit, etiam se cupit nosse. Ubi ergo nosse suum novit, si se non novit? Nam novit quod alia noverit, se autem non noverit: hinc enim novit et quid sit nosse. Quo pacto igitur se aliquid scientem scit, quæ se ipsam nescit? Neque enim alteram mentem scientem scit, sed se ipsam. Scit igitur se ipsam. Deinde cum se quærit ut noverit, quærentem se jam novit. Jam se ergo novit. Quapropter non potest omnino nescire se, quæ dum se nescientem scit, se utique scit. Si autem se nescientem nesciat, non se quærit ut sciat. Quapropter eo ipso quo se quærit magis se sibi notam quam ignotam esse convincitur? Novit enim se quærentem atque nescientem, dum se quærit ut noverit.

Quomodo mens non ex parte, sed totam se cognoscat.

6. Quid ergo dicemus? an quod ex parte se novit, ex parte non novit? Sed absurdum est dicere, non eam totam scire quod scit. Non dico totum scit; sed quod scit, tota scit. Cum itaque aliud de se scit, quod nisi tota non potest, (b) totam se scit. Scit autem se aliquid scientem, nec potest quidquam scire nisi tota. Scit se igitur totam. Deinde quid ejus ei tam notum est, quam se vivere? * Non potest autem et mens esse, et non vivere, quando habet etiam amplius ut intelligat: nam et animæ bestiarum vivunt, sed non intelligunt. Sicut ergo mens tota mens est, sic tota vivit. Novit autem vivere se. Totam se igitur novit. Postremo cum se nosse mens quærit, mentem se esse jam novit: alioquin utrum se quærat ignorat, et aliud pro alio forsitan quærat. Fieri enim potest ut ipsa non sit mens, atque ita dum mentem nosse quærat, non se ipsam quærat. Quapropter quoniam cum quærit mens quid sit mens, novit quod se quærat, profecto novit quod ipsa sit mens. Porro si hoc in se novit quod mens est, et tota mens est, totam se novit. Sed ecce non se noverit esse mentem, cum autem se quærit, hoc tantummodo noverit quod se quærat. Potest enim etiam sic aliud pro alio quærere, si hoc nescit: ut autem non quærat aliud pro alio, procul dubio novit quid quærat. At si novit quid quærat, et se ipsam quærit, se ipsam utique novit. Quid ergo adhuc quærit? Quod si ex parte se novit, ex parte autem adhuc quærit, non se ipsam, sed partem suam quærit. Cum enim ea ipsa dicitur, tota dicitur. Deinde quia novit nondum se a se inventam totam, novit quanta sit tota. Atque ita quærit quod deest, quemadmodum solemus quærere, ut veniat in mentem quod excidit, nec tamen penitus excedit; quia potest recognosci, cum venerit, hoc esse quod quærebatur. Sed quomodo mens veniat in mentem, quasi possit mens in mente non esse? Huc accedit, quia si parte inventa, non se totam quærit, tamen tota se quærit. Tota ergo sibi præsto est, et quid adhuc quæratur non est: hoc enim deest quod quæritur, non illa quæ quærit. Cum itaque tota se quærit, nihil ejus deest. Aut si non tota se quærit, sed pars quæ inventa est quærit partem quæ nondum inventa est; non se ergo mens quærit, cujus se nulla pars quærit. Pars enim quæ inventa est, non se quærit: pars autem quæ nondum inventa est, nec ipsa se quærit, quoniam ab ea quæ jam inventa est parte quæritur. Quocirca quia nec tota se mens quærit, nec pars ejus ulla se quærit, se mens omnino non quærit.

CAPUT IV.

CAPUT V. Animæ cur præceptum ut se cognoscat.

7. Ut quid ergo ei præceptum est, ut se ipsam cognoscat? Credo ut se ipsam cogitet, et secundum naturam suam vivat, id est, ut secundum naturam suam ordinari appetat, sub eo scilicet cui subdenda est, supra ea quibus præponenda est; sub illo a quo regi debet, supra ea quæ regere debet. Multa enim per cupiditatem pravam, tamquam sui sit oblita, sic agit. Vidit enim quædam intrinsecus pulchra, in præstantiore natura quæ Deus est: et cum (c) stare debeat ut eis fruatur, volens ea sibi tribuere, et non ex illo similis illius, sed ex se ipsa esse quod ille est, avertitur ab eo, moveturque et labitur in minus et minus, quod putat amplius et amplius: quia nec ipsa sibi, nec ei quidquam sufficit recedenti ab illo qui solus sufficit; ideoque per egestatem ac difficultatem fit nimis intenta in actiones suas et inquietas delectationes quas per eas colligit: atque ita cupiditate acquirendi notitias ex iis quæ foris sunt, quorum cognitum genus amat et sentit amitti posse, nisi impensa cura teneatur, perdit securitatem, tantoque se ipsam minus cogitat, quanto magis secura est quod se non possit amittere. Ita cum aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare: (neque enim multarum doctrinarum peritum ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medicinæ arte tunc cogitat:) cum ergo aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, tanta vis est amoris, ut ea quæ cum amore diu cogitaverit, eisque curæ glutino inhæserit, attrahat secum etiam cum ad se cogitandam quodam modo redit.

Unde errores mentis de sua ipsius substantia.

(a) Plerique MSS. *in longinquum.*
(b) Nonnulli MSS. *tota se scit.*

(c) Editi, *instare debeat.* At MSS. *stare*: cui verbo mox illud infra respondet, *et labitur in minus.*

A Et quia illa corpora sunt, quæ foris per sensus carnis adamavit, eorumque diuturna quadam familiaritate implicata est, nec secum potest introrsum tamquam in regionem incorporeæ naturæ ipsa corpora inferre, imagines eorum convolvit, et rapit factas in semetipsa de semetipsa. Dat enim eis formandis quiddam substantiæ suæ: servat autem aliquid quo libere de specie talium imaginum judicet, et hoc est magis mens, id est rationalis intelligentia, quæ servatur ut judicet. Nam illas animæ partes quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos communes habere sentimus.

CAPUT VI. Fallax mentis de se ipsa existimatio.

8. Errat autem mens, cum se istis imaginibus tanto amore conjungit, ut etiam se esse aliquid hujusmodi existimet. Ita enim conforma-
B tur eis quodam modo, non id exsistendo, sed putando: non quo se imaginem putet; sed omnino illud ipsum cujus imaginem secum habet. Viget quippe in ea judicium discernendi corpus quod foris relinquit, ab imagine quam de illo secum gerit: nisi cum ita exprimuntur eædem imagines tamquam foris sentiantur, non intus cogitentur, sicut dormientibus, aut furentibus, aut in aliqua ecstasi accidere solet.

CAPUT VII. Philosophorum opiniones de animæ substantia.

9. Cum itaque se tale aliquid putat, corpus esse se putat. Et quia sibi bene conscia est principatus sui quo corpus regit; hinc factum est ut quidam quærerent quid corporis amplius valeret in corpore, et hoc esse mentem, vel omnino totam animam existimarent (a). Itaque alii sanguinem, alii cerebrum, alii cor, non sicut Scri-
C ptura dicit, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*; et, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: hoc enim abutendo vel transferendo vocabulum ducitur a corpore ad animam: sed ipsam omnino particulam corporis quam in visceribus dilaniatis videmus, eam esse putaverunt. Alii ex minutissimis individuisque corpusculis, quas atomos dicunt, concurrentibus in se atque cohærentibus, eam confici crediderunt. Alii aerem, alii ignem substantiam ejus esse dixerunt. Alii eam nullam esse substantiam, quia nisi corpus nullam substantiam poterant cogitare, et eam corpus esse non inveniebant: sed ipsam temperationem corporis nostri vel compagem primordiorum, quibus ista caro tamquam connectitur, esse opinati sunt. Eoque hi omnes eam mortalem esse senserunt, quia sive corpus
D esset, sive aliqua compositio corporis, non posset utique immortaliter permanere. Qui vero ejus substantiam vitam quamdam nequaquam corpoream, quandoquidem vitam omne vivum corpus animantem ac vivificantem esse repererunt; consequenter et immortalem, quia vita carere vita non potest, ut quisque potuit, probare conati sunt. Nam de quinto illo nescio quo corpore, quod notissimis quatuor hujus mundi elementis quidam conjungentes, hinc animam esse dixerunt, hoc loco diu disserendum non puto. Aut enim hoc vocant corpus quod nos, cujus in

Psalm. 9. et 110. et 137. Deut. 6. 5. Matth. 22. 37.

(a) Hic editi addunt, ut *Empedocles et Ericales opinati sunt*: quod omnino abest a MSS.

loci spatio pars toto minor est, et in illis annumerandi sunt qui mentem corpoream esse crediderunt: aut si vel omnem substantiam, vel omnem mutabilem substantiam corpus appellant, cum sciant non omnem locorum spatiis aliqua longitudine et latitudine et altitudine contineri, non cum eis de vocabuli quæstione pugnandum est.

10. In his omnibus sententiis quisquis videt mentis naturam et esse substantiam, et non esse corpoream, id est, non minore sui parte minus occupare loci spatium, majusque majore: simul oportet videat eos qui opinantur esse corpoream, non ob hoc errare, quod mens desit eorum notitiæ; sed quod adjungunt ea, sine quibus nullam possunt cogitare naturam. Sine phantasiis enim corporum quidquid (b) jussi fuerint cogitare, nihil omnino esse arbitrantur. Ideoque non se, tamquam sibi desit, mens requirat. Quid enim tam cognitioni adest, quam id quod menti adest? aut quid tam menti adest, quam ipsa mens? Unde et ipsa quæ appellatur inventio, si verbi originem retractemus, quid aliud resonat, nisi quia invenire est in id venire quod quæritur. Propterea quæ quasi ultro in mentem veniunt, non usitate dicuntur inventa, quamvis cognita dici possint; quia non ea quærendo tendebamus, ut in ea veniremus, hoc est, ea inveniremus. Quapropter sicut ea quæ oculis aut ullo alio corporis sensu requiruntur, ipsa mens quærit; (ipsa enim etiam sensum carnis intendit, tunc autem invenit, cum in ea quæ requiruntur idem sensus venit:) sic alia quæ non corporeo sensu internuntio, sed per se ipsam nosse debet, cum in ea venit, invenit; aut in superiore substantia, id est in Deo, aut in cæteris animæ partibus, sicut de ipsis imaginibus corporum cum judicat; intus enim in anima eas invenit per corpus impressas.

Error opinantium animam esse corpoream, non venit ex eo quod anima eorum notitiæ desit, sed quod alienum quiddam adjungant. b

CAPUT VIII. Quomodo se ipsam anima inquirat.

11. Ergo se ipsam quemadmodum quærat et inveniat, mirabilis quæstio est, quo tendat ut quærat, aut quo veniat ut inveniat. Quid enim tam in mente quam mens est? Sed quia in iis est quæ cum amore cogitat, sensibilibus autem, id est corporalibus, cum amore assuefacta est, non valet sine imaginibus eorum esse in semetipsa. Hinc ei oboritur erroris dedecus, dum rerum sensarum imagines cernere a se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris: et hæc est ejus immunditia, quoniam dum se solam nititur cogitare, hoc se putat esse sine quo se non potest cogitare. Cum igitur ei præcipitur, ut se ipsam cognoscat, non se tamquam sibi detracta sit quærat; sed id quod sibi addidit detrahat. Interior est enim ipsa, non solum quam ista sensibilia quæ manifeste foris sunt, sed etiam quam imagines eorum quæ in parte quadam sunt animæ, quam habent et bestiæ, quamvis intelligentia careant, quæ mentis est propria. Cum ergo sit mens interior, quodam modo exit a semetipsa, cum in hæc quasi vestigia multarum intentio-

Error animæ de se ipsa unde.

(b) Editi, *visi fuerint*. At MSS. *jussi fuerint*.

num exserit amoris affectum. Quæ vestigia tamquam imprimuntur memoriæ, quando hæc quæ foris sunt corporalia sentiuntur, ut etiam cum absunt ista, præsto sint tamen imagines eorum cogitantibus. Cognoscat ergo semetipsam, nec quasi absentem se quærat, sed intentionem voluntatis qua per alia vagabatur, statuat in (*a*) semetipsam, et se cogitet. Ita videbit quod numquam se non amaverit, numquam nescierit: sed aliud secum amando cum eo se confudit et concrevit quodam modo; atque ita dum sicut unum diversa complectitur, unum putavit esse quæ diversa sunt.

CAPUT IX. Mens eo ipso se cognoscit, quo intelligit præceptum se cognoscendi.

12. Non itaque velut absentem se quærat cernere, sed præsentem se curet discernere. Nec se quasi non norit cognoscat sed ab eo (*b*) quod alterum novit dignoscat. Ipsum enim quod audit, Cognosce te ipsam, quomodo agere curabit, si nescit, aut quid sit Cognosce, aut quid sit te ipsam? Si autem utrumque novit, novit et se ipsam: quia non ita dicitur menti, Cognosce te ipsam, sicut dicitur, Cognosce Cherubim et Seraphim: de absentibus enim illis credimus, secundum quod cœlestes quædam potestates esse prædicantur. Neque sicut dicitur, Cognosce voluntatem illius hominis: quæ nobis nec ad sentiendum ullo modo, nec ad intelligendum præsto est, nisi corporalibus signis editis; et hoc ita, ut magis credamus, quam intelligamus. Neque ita ut dicitur homini, Vide faciem tuam: quod nisi in speculo fieri non potest. Nam et ipsa nostra facies absens ab adspectu nostro est, quia non ibi est quo ille dirigi potest. Sed cum dicitur menti, Cognosce te ipsam: eo ictu quo intelligit quod dictum est, te ipsam, cognoscit se ipsam; nec ob aliud quam eo quod sibi præsens est. Si autem quod dictum est non intelligit, non utique facit. Hoc igitur ei præcipitur ut faciat, quod cum ipsum præceptum intelligit, facit.

Mens omnia tria de se ipsa certo scit, intelligere, esse et vivere.

13. Non ergo adjungat aliud ad id quod se ipsam cognoscit, cum audit ut se ipsam cognoscat. Certe enim novit sibi dici, sibi scilicet quæ est, et vivit, et intelligit. Sed est et cadaver, vivit et pecus: intelligit autem nec cadaver, nec pecus. Sic ergo se esse et vivere scit, quomodo est et vivit intelligentia. * cum ergo verbi gratia, mens aerem se putat, aerem intelligere putat, se tamen intelligere scit: aerem autem se esse non scit, sed putat. Secernat quod se putat, cernat quod scit: hoc ei remaneat, unde ne illi quidem dubitaverunt, qui aliud atque aliud corpus esse mentem putaverunt. Neque enim omnis mens aerem se esse existimat, sed aliæ ignem, aliæ cerebrum, aliæque aliud corpus, et aliud aliæ sicut supra commemoravi: omnes tamen se intelligere noverunt, et esse, et vivere; sed intelligere ad id quod intelligunt referunt, esse autem et vivere ad se ipsas. Et nulli est dubium, nec quemquam intelligere qui non vivat, nec quem quam vivere qui non sit. Ergo consequenter et esse et vivere id quod intelligit, non sicuti est cadaver quod non vivit, nec sicuti vivit anima quæ non intelligit, sed proprio quodam eodemque præstantiore modo. Item velle se sciunt, neque hoc posse quemquam qui non sit et qui non vivat, pariter sciunt: itemque ipsam voluntatem referunt ad aliquid, quod ea voluntate volunt. Meminisse etiam se sciunt; simulque sciunt quod nemo meminisset, nisi esset ac viveret: sed et ipsam memoriam ad aliquid referimus, quod ea meminimus. Duobus igitur horum trium memoria et intelligentia multarum rerum notitia atque scientia continentur: voluntas autem adest, per quam fruamur eis vel utamur. Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescit; utimur vero eis quæ ad aliud referimus quo fruendum est. Nec est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens et male fruens. De qua re non est nunc disserendi locus.

* CAPUT X.

14. Sed quoniam de natura mentis agitur, removeamus a consideratione nostra omnes notitias quæ capiuntur extrinsecus per sensus corporis, et ea quæ posuimus omnes mentes de se ipsis nosse certasque esse, diligentius adtendamus. Utrum enim aeris sit vis vivendi, reminiscendi, intelligendi, volendi, cogitandi, sciendi, judicandi, an ignis, an cerebri, an sanguinis, an atomorum, an præter usitata quatuor elementa mundi nescio cujus corporis, an ipsius carnis nostræ compago vel temperamentum hæc efficere valeat, dubitaverunt homines: et alius hoc, aliud affirmare conatus est. Vivere se tamen et meminisse, et intelligere, et velle et cogitare, et scire, et judicare quis dubitet? Quandoquidem etiam si dubitat, vivit, si dubitat unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat non se temere consentire oportere. Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet: quæ si non essent, de ulla re dubitare non posset.

15. Hæc omnia, qui vel corpus vel compositionem seu temperationem corporis esse mentem putant, in subjecto esse volunt videri, ut substantia sit aer, vel ignis, sive aliquod aliud corpus, quod mentem putant; intelligentia vero ita insit huic corpori, sicut qualitas ejus: ut illud subjectum sit, hæc in subjecto; subjectum scilicet mens quam corpus esse arbitrantur in subjecto autem intelligentia, sive quid aliud eorum quæ certa nobis esse commemoravimus. Juxta opinantur etiam illi qui mentem ipsam negant esse corpus, sed compaginem aut temperationem corporis. Hoc enim interest, quod illi mentem ipsam dicunt esse substantiam, in quo subjecto sit intelligentia: isti autem ipsam mentem in subjecto esse dicunt, corpore scilicet cujus compositio vel temperatio est. Unde consequenter etiam intelligentiam quid aliud quam in eodem subjecto corpore existimant?

(a) Plerique MSS. *in se ipsa.*

(b) Sic MSS. At editi, *eo quo.*

46. Qui omnes non advertunt, mentem nosse etiam cum quærit se, sicut jam ostendimus. Nullo modo autem recte dicitur sciri aliqua res, dum ejus ignoratur substantia. Quapropter cum se mens novit, substantiam suam novit; et cum de se certa est, de substantia sua certa est. Certa est autem de se, sicut convincunt ea quæ supra dicta sunt. Nec omnino certa est, utrum aer, an ignis sit, an aliquod corpus, vel aliquid corporis. Non est igitur aliquid eorum: totumque illud quod se jubetur ut noverit, ad hoc pertinet ut certa sit, non se esse aliquid eorum de quibus incerta est, idque solum esse se certa sit, quod solum esse se certa est. Sic enim cogitat ignem aut aerem, et quidquid aliud corporis cogitat. Neque ullo modo fieri posset, ut ita cogitaret id quod ipsa est, quemadmodum cogitat id quod ipsa non est. Per phantasiam quippe imaginariam cogitat hæc omnia, sive ignem, sive aerem, sive illud vel illud corpus, partemve illam, seu compaginem temperationemque corporis; nec utique ista omnia, sed aliquid horum esse, dicitur. Si quid autem horum esset, aliter id quam cetera cogitaret, non scilicet per imaginale figmentum, sicut cogitantur absentia, quæ sensu corporis tacta sunt, sive omnino ipsa, sive ejusdem generis aliqua; sed quadam interiore, non simulata, sed vera præsentia: (non enim quidquam illi est se ipsa præsentius:) sicut cogitat vivere se et meminisse et intelligere et velle se. Novit enim hæc in se, nec imaginatur quasi extra se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur. Ex quorum cogitationibus si nihil sibi affingat, ut tale aliquid esse se putet, quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est.

CAPUT XI. In memoria, intelligentia, et voluntate observatur ingenium, doctrina, et usus.

47. Remotis igitur paulisper ceteris, quorum mens de se ipsa certa est, tria hæc potissimum considerata tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem. In his enim tribus inspici solent etiam ingenia parvulorum cujusmodi præferant indolem. Quando quippe tenacius et facilius puer meminit, quantoque acutius intelligit, et studet ardentius, tanto est laudabilioris ingenii. Cum vero de cujusque doctrina quæritur, non quanta firmitate ac facilitate meminerit, vel quanto acumine intelligat; sed quid meminerit, et quid intelligat quæritur. Et quia non tantum quam doctus sit, consideratur laudabilis animus, sed etiam quam bonus: non tantum quid meminerit et quid intelligat, verum etiam quid velit attenditur: non quanta flagrantia velit, sed quid velit prius, deinde quantum velit. Tunc enim laudandus est animus vehementer amans, cum id quod amat vehementer amandum est. Cum ergo dicuntur hæc tria, ingenium, doctrina, usus, primum horum consideratur in illis tribus, quid possit quisque memoria, (a) intelligentia, et voluntate. Secundum eorum consideratur, quid habeat quisque in memoria, et intelligentia, quo studiosa voluntate pervenerit. Jam vero usus tertius in voluntate est, pertractante illa quæ in memoria et intelligentia continentur, sive ad aliquid ea referat, sive eorum fine delectata conquiescat. Uti enim, est assumere aliquid in facultatem voluntatis: frui est autem, uti cum gaudio, non adhuc spei, sed jam rei. Proinde omnis qui fruitur, utitur; assumit enim aliquid in facultatem voluntatis, cum fine delectionis: non autem omnis qui utitur, fruitur; (b) si id quod in facultatem voluntatis assumit, non propter illud ipsum, sed propter aliud appetivit.

Memoria, intelligentia et voluntas unum sunt essentialiter, et tria relative.

48. Hæc igitur tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens: consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Memoria quippe, quæ vita et mens et substantia dicitur, ad se ipsam dicitur: quod vero memoria dicitur, ad aliquid relative dicitur. Hoc de intelligentia quoque et de voluntate dixerim: et intelligentia quippe et voluntas ad aliquid dicuntur. Vita est autem unaquæque ad se ipsam et mens, et essentia. Quocirca tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia: et quidquid aliud ad se ipsa singula dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria, quo ad se invicem referuntur: quæ si æqualia non essent, non solum singula singulis, sed etiam omnibus singula; non utique se invicem caperent. Neque enim tantum a singulis singula, verum etiam a singulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, et intelligentiam, et voluntatem: intelligo me intelligere, et velle, atque meminisse; volo me velle, et meminisse, et intelligere, totamque meam memoriam, et intelligentiam, et voluntatem simul memini. Quod enim memoriæ meæ non memini, non est in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quam ipsa memoria est. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me scio, et scio me velle quidquid volo: quidquid autem scio memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatem meam memini. Similiter cum hæc tria intelligo, tota simul intelligo. Neque enim quidquam intelligibilium non intelligo, nisi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quidquid itaque intelligibilium non intelligo, consequenter etiam nec memini, nec volo. Quidquid autem intelligibilium memini et volo, consequenter intelligo. Voluntas etiam mea totam intelligentiam totamque memoriam meam capit, dum toto utor quod intelligo et memini. Quapropter quando invicem a singulis et tota omnia capiuntur, æqualia sunt tota singula totis singulis, et tota singula simul omnibus totis, et hæc tria unum, una vita, una mens, una essentia.

CAPUT XII. Mens imago Trinitatis in sui ipsius memoria, intelligen-

49. Jam ne igitur adscendendum est qualibuscumque intentionis viribus ad illam summam et altissimam essentiam, cujus impar imago est humana mens, sed tamen imago? an adhuc eadem tria distinctius declaranda sunt in anima, per illa

(a) Septem MSS. omittunt, intelligentia et voluntate.

(b) Sic MSS. At editi, sed id.

tia et voluntate. quæ extrinsecus sensu corporis capimus, ubi temporaliter imprimitur rerum corporearum notitia? Mentem quippe ipsam in memoria et intelligentia et voluntate suimetipsius talem reperiebamus, ut quoniam semel se nosse semperque se ipsam velle comprehendebatur, simul etiam semper sui meminisse, semperque se ipsam intelligere et amare comprehenderetur; quamvis non semper se cogitare discretam ab eis quæ non sunt, quod ipsa est: ac per hoc difficile in ea dignoscitur memoria sui, et intelligentia sui. Quasi enim non sint hæc duo, sed unum duobus vocabulis appellatur, sic apparet in ea re ubi A valde ista conjuncta sunt, et aliud alio nullo præceditur tempore: amorque ipse non ita sentitur esse, cum eum non prodit indigentia, quoniam (a) semper præsto est quod amatur. Quapropter etiam tardioribus dilucescere hæc possunt, dum ea tractantur quæ ad animum temporè accedunt et quæ illi temporaliter accidunt, cum meminit quod antea non meminerat, et cum videt quod antea non videbat, et cum amat quod antea non amabat. Sed aliud hæc tractatio jam poscit exordium, propter hujus libelli modum. a

LIBER UNDECIMUS

Trinitatis imago quædam monstratur etiam in exteriore homine: primo quidem in his quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis: tametsi hæc tria neque inter se æqualia sint, neque unius substantiæ. Deinde in ipso animo ab his quæ extrinsecus sensa sunt, velut introducta observatur altera trinitas, seu tria quædam unius substantiæ, imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde informatio cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis: quæ nimirum altera trinitas ad exteriorem quoque hominem pertinere dicitur, quod de corporibus illata sit quæ sentiuntur extrinsecus.

CAPUT I. Vestigium Trinitatis etiam in exteriore homine.

Nemini dubium est, sicut interiorem hominem intelligentia, sic exteriorem sensu corporis præditum. Nitamur igitur, si possumus, in hoc quoque exteriore indagare qualecumque vestigium Trinitatis, non quia et ipse eodem modo sit imago Dei. Manifesta est quippe (Col. 3, 10.) Apostoli sententia, quæ interiorem hominem renovari (b) in Dei agnitione declarat secundum b imaginem ejus qui creavit eum: cum et alio loco dicat, *Et si exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem.* (II Cor. 4, 16.) In hoc ergo qui corrumpitur, quæramus quemadmodum possumus, quamdam Trinitatis effigiem, et si non expressiorem, tamen fortassis ad dignoscendum faciliorem. Neque enim frustra et iste homo dicitur, nisi quia inest ei nonnulla interioris similitudo. Et illo ipso ordine conditionis nostræ quo mortales atque carnales effecti sumus, facilius et quasi familiarius visibilia quam intelligibilia pertractamus: cum ista sint exterius, illa interius, et ista sensu corporis sentiamus, illa mente intelligamus; nosque ipsi animi non sensibiles simus, id est, corpora, sed intelligibiles, quoniam vita sumus: tamen, ut dixi tanta facta est in corporibus consuetudo, et ita in hæc miro modo relabens foras se nostra projicit intentio, ut c cum ab incerto corporum ablata fuerit, ut in (c) spiritum multo certiore ac stabiliore cognitione figatur, refugiat ad ista, et ibi appetat requiem unde traxit infirmitatem. Cujus ægritudini congruendum est: ut si quando interiora spiritalia accommodatius distinguere atque facilius insinuare conamur, de corporalibus exterioribus similitudinum documenta capiamus. Sensu igitur corporis exterior homo præditus sentit corpora: et iste sensus, quod facile advertitur, quinque- B pertitus est, videndo, audiendo, olfaciendo, gustando, tangendo. Sed et multum est, et non necessarium, ut omnes hos quinque sensus id quod quærimus interrogemus. Quod enim nobis unus eorum renuntiat, etiam in ceteris valet. Itaque potissimum testimonio utamur oculorum. Is enim sensus corporis maxime excellit, et est visioni mentis pro sui generis diversitate vicinior.

CAPUT II. Trinitas quædam in visione.

2. Cum igitur aliquod corpus videmus, hæc tria, quod facillimum est, consideranda sunt et dignoscenda. Primo ipsa res quam videmus, sive lapidem, sive aliquam flammam, sive quid aliud quod videri oculis potest; quod utique jam esse poterat, et ante quam videretur: deinde visio quæ non erat, prius quam rem illam objectam sensui sentiremus: tertio quod in ea re quæ videtur, quamdiu videtur, sensum detinet oculorum, id est, animi intentio. In his igitur tribus, C non solum est manifesta distinctio, sed etiam discreta natura. (Tria quæ in visione sunt, natura sua differre.) Primum quippe illud corpus visibile longe alterius naturæ est, quam sensus oculorum, quo sibimet incidente fit visio. Ipsaque visio quid aliud, quam sensus ex ea re quæ sentitur informatus apparet? Quamvis re visibili detracta nulla sit, nec ulla omnino esse possit talis visio, si corpus non sit quod videri queat: nullo modo tamen ejusdem substantiæ est corpus quo formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, et ipsa forma quæ ab eodem imprimitur sensui, quæ visio vocatur. Corpus enim (d) visum in sua natura separabile est: sensus autem qui jam erat in animante, etiam prius D quam videret quod videre posset, cum in aliquid visibile incurreret, vel visio quæ fit in sensu ex visibili corpore, cum jam conjunctum sentit et videtur; sensus ergo vel visio, id est sensus for- d

a Editi, *non semper*. Delenda particula negans, quæ abest a MSS.

(b) Nonnulli MSS. *In Dei agnitionem.*

(c) Plerique MSS. ut *in spiritu.*

(d) Codices aliquot, *a visu.*

matur extrinsecus, ad animantis naturam pertinet, omnino aliam quam est illud corpus quod videndo sentimus, quo sensus non ita formatur ut sensus sit, sed ut visio sit. Nam sensus et ante objectum rei sensibilis nisi esset in nobis, non distaremus a cæcis, dum nihil videmus, sive in tenebris, sive clausis luminibus. Hoc autem distamus, quod nobis inest et non videntibus, quo videre possimus, qui sensus vocatur: illis vero non inest; nec aliunde, nisi quod eo carent, cæci appellantur. Itemque illa animi intentio, quæ in ea re quam videmus sensum tenet, atque utrumque conjungit, non tantum ab ea re visibili natura differt, quandoquidem iste animus, illud corpus est: sed ab ipso quoque sensu atque visione: quoniam solius animi est hæc intentio: sensus autem oculorum non ob aliud sensus corporis dicitur, nisi quia et ipsi oculi membra sunt corporis: et quamvis non sentiat corpus exanime; anima tamen commixta corpori per instrumentum sentit corporeum, et idem instrumentum sensus vocatur. Qui etiam passione corporis, cum quisque excæcatur, interceptus exstinguitur, cum idem maneat animus, et ejus intentio, luminibus amissis, non habeat quidem sensum corporis quem videndo extrinsecus corpori adjungat, atque in eo viso figat adspectum, nisu tamen ipso indicet se adempto corporis sensu, nec perire potuisse, nec minui. Manet enim quidam videndi appetitus integer, sive id possit fieri, sive non possit. Hæc igitur tria, corpus quod videtur, et ipsa visio, et quæ utrumque conjungit intentio, manifesta sunt ad dignoscendum, non solum propter propria singulorum, verum etiam propter differentiam naturarum.

Quomodo ex re visibili gignatur visio, seu imago ejus rei quæ videtur.

3. Atque in his cum sensus non procedat ex corpore illo quod videtur, sed ex corpore sentientis animantis, cui anima suo quodam miro modo contemperatur: tamen ex corpore quod videtur, gignitur visio, id est sensus ipse formatur; ut jam non tantum sensus qui etiam in tenebris esse integer potest, dum est incolumitas oculorum, sed etiam sensus informatus sit, quæ visio vocatur. Gignitur ergo ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit et videns. Quocirca ex visibili et vidente gignitur visio, ita sane ut ex vidente sit sensus oculorum, et adspicientis atque intuentis intentio: illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, a solo imprimatur corpore quod videtur, id est, a re aliqua visibili: qua detracta, nulla remanet forma quæ inerat sensui, dum adesset illud quod videbatur: sensus tamen ipse remanet, qui erat et priusquam aliquid sentiretur; velut in aqua vestigium tamdium est, donec ipsum corpus quod imprimitur inest; quo ablato nullum erit, cum remaneat aqua, quæ erat et ante quam illam formam corporis caperet. Ideoque non possumus quidem dicere quod sensum gignat res visibilis: gignit tamen formam velut similitudinem suam, quæ fit in sensu, cum aliquid videndo sentimus. Sed formam corporis quod videmus, et formam quæ ab illa in sensu videntis fit, per eumdem sensum

A non discernimus; quoniam tanta conjunctio est, ut non pateat discernendi locus. Sed ratione colligimus nequaquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis. Neque enim cum annulus ceræ imprimitur, ideo nulla imago facta est, quia non discernitur, nisi cum fuerit separata. Sed quoniam post ceram separatam manet quod factum est ut videri possit, propterea facile persuadetur, quod inerat jam ceræ forma impressa ex annulo et ante quam ab illa separaretur. Si autem liquido humori adjungeretur annulus, eo detracto nihil imaginis appareret; nec ideo tamen discernere ratio non deberet, fuisse in illo humore, ante quam detraheretur, annuli formam factam ex annulo, quæ distinguenda est ab ea forma quæ B in annulo est, unde ista facta est quæ detracto annulo non erit, quamvis illa in annulo maneat unde ista facta est. Sic sensus oculorum non ideo non habet imaginem corporis quod videtur quamdiu videtur, quia eo detracto non remanet. Ac per hoc tardioribus ingeniis difficillime persuaderi potest, formari in sensu nostro imaginem rei visibilis, cum eam videamus, et eamdem formam esse visionem.

Exemplo clarius res demonstratur.

4. Sed qui forte adverterint quod commemorabo non ita in hac inquisitione laborabunt. Plerumque cum diuscule adtenderimus quæque luminaria, et deinde oculos clauserimus, quasi versantur in conspectu quidam lucidi colores varie sese commutantes, et minus minusque fulgentes, donec omnino desistant: quos intelligendum C est reliquias esse formæ illius quæ facta erat in sensu, cum corpus lucidum videretur, paulatimque ei quodam modo gradatim deficiendo variari. Nam et insertarum fenestrarum cancelli, si eos forte intuebamur, sæpe in illis apparuere coloribus: ut manifestum sit, hanc affectionem nostro sensui ex ea re quæ videbatur impressam. Erat ergo etiam cum videremus, et illa erat clarior et expressior; sed multum conjuncta cum specie rei ejus quæ cernebatur, ut discerni omnino non posset; et ipsa erat visio. Quin etiam cum lucernæ flammula modo quodam divaricatis radiis oculorum quasi geminatur, duæ visiones fiunt, cum sit res una quæ videtur. Singillatim quippe afficiuntur idem radii de suo quisque oculo emicantes, dum non sinuntur in illud corpus intuendum pariter conjuncteque concurrere, ut unus fiat ex utroque contuitus. Et ideo si unum oculum clauserimus, non geminum ignem, sed sicuti est unum videbimus. Cur autem sinistro clauso illa species desinit videri quæ ad dextrum erat, vicissimque dextro clauso illa intermoritur quæ ad sinistrum erat, et longum est et rei præsenti non necessarium modo quærere atque disserere. Quod enim ad susceptam quæstionem satis est, nisi fieret in sensu nostro quædam imago simillima rei ejus quam cernimus, non secundum oculorum numerum flammæ species geminaretur, cum quidam cernendi modus adhibitus fuerit, qui possit concursum separare radiorum. Ex uno quippe oculo quolibet mo-

do deducto, aut impresso, aut intorto, si aliter clausus est, dupliciter videri aliquid quod sit unum nullo pacto potest.

Quomodo tria illa in unum coeunt.

5. Quæ cum ita sint, tria hæc quamvis diversa natura, quemadmodum in quamdam unitatem contemperentur meminerimus, id est, species corporis quæ videtur, et impressa ejus imago sensui quod est visio sensusve formatus, et voluntas animi, quæ rei sensibili sensum admovet, in eoque ipsam visionem tenet. Horum primum, id est, res ipsa visibilis non pertinet ad animantis naturam, nisi cum corpus nostrum cernimus. Alterum autem ita pertinet, ut in corpore fiat, et per corpus in anima, fit enim in sensu, qui neque sine corpore est, neque sine anima. Tertium vero solius animæ est, quia voluntas est. Cum igitur horum trium tam diversæ substantiæ sint, tamen in tantam coeunt unitatem, ut duo priora vix intercedente judice ratione discerni valeant; species videlicet corporis quod videtur, et imago ejus quæ fit in sensu, id est, visio. Voluntas autem tantam vim habet copulandi hæc duo, ut et sensum formandum admoveat ei rei quæ cernitur, et in ea formatum teneat. Et si tam violenta est, ut possit vocari amor, aut cupiditas, aut libido, etiam ceterum corpus animantis vehementer afficit: et ubi non resistit pigrior duriorque materies, in similem speciem coloremque commutat. Licet videre corpusculum chamæleontis ad colores quos videt facillima conversione variari. Aliorum autem animalium quia non est ad conversionem facilis corpulentia, fœtus plerumque produnt libidines matrum, quid cum magna delectatione conspexerint. Quanto enim teneriora, atque, ut ita dixerim, formabiliora sunt primordia seminum, tam efficaciter et capaciter sequuntur intentionem maternæ animæ, et quæ in ea facta est phantasiam per corpus quod cupide adspexit. Sunt exempla quæ copiose commemorari possint: sed unum, sufficit de fidelissimis libris, quod fecit Jacob, ut oves et capræ variis coloribus parerent, supponendo eis variata virgulta in canalibus aquarum, quæ potantes intuerentur eo tempore quo conceperant.

Gen. 30. 39.

Trium unitas in cogitatione fit, memoriæ, internæ visionis, et voluntatis utrumque copulantis. *CAPUT III.

6. Sed anima rationalis deformiter vivit, cum secundum trinitatem exterioris hominis vivit, id est, cum ad ea quæ forinsecus sensum corporis formant, non laudabilem voluntatem qua hæc ad utile aliquid referat, sed turpem cupiditatem qua his inhærescat, accommodat. *Quia etiam detracta specie corporis quæ corporaliter sentiebatur, remanet in memoria similitudo ejus, quo rursus voluntas convertat aciem, ut inde formetur intrinsecus, sicut ex corpore objecto sensibili sensus extrinsecus formabatur. Atque ita fit illa trinitas ex memoria, et interna visione, et quæ utrumque copulat voluntate. Quæ tria cum in unum coguntur, ab ipso coactu cogitatio dicitur. Nec jam in his tribus diversa substantia est. Neque enim aut corpus illud sensibile ibi est, quod omnino discretum est ab animantis natura, aut sensus corporis ibi formatur ut fiat visio, aut ipsa voluntas id agit ut formandum sensum sensibili corpori admoveat, in eoque formatum detineat: sed pro illa specie corporis quæ sentiebatur extrinsecus, succedit memoria retinens illam speciem quam per corporis sensum combibit anima; proque illa visione quæ foris erat cum sensus ex corpore sensibili formaretur, succedit intus similis visio, cum ex eo quod memoria tenet, formatur acies animi, et absentia corpora cogitantur, voluntasque ipsa quomodo foris corpori objecto formandum sensum admovebat, formatumque jungebat, sic aciem recordantis animi convertit ad memoriam, ut ex eo quod illa retinuit, ista formetur, et (a) sit in cogitatione similis visio. Sicut autem ratione discernebatur species visibilis qua sensus corporis formabatur, et ejus similitudo quæ fiebat in sensu formato ut esset visio; (alioquin ita erant conjunctæ, ut omnino una eademque putaretur:) sic illa phantasia, cum animus cogitat speciem visi corporis, cum constet ex corporis similitudine quam memoria tenet, et ex ea quæ inde formatur in acie recordantis animi; tamen sic una et singularis apparet, ut duo quædam esse non inveniantur nisi judicante ratione, qua intelligimus aliud esse illud quod in memoria manet, etiam cum aliunde cogitamus, et aliud fieri cum recordamur, id est, ad memoriam redimus, et illic invenimus eamdem speciem. Quæ si jam non ibi esset, ita oblitos nos esse diceremus, ut omnino recolere non possemus. Si autem acies recordantis non formaretur ex ea re quæ erat in memoria, nullo modo fieret visio cogitantis: sed utriusque conjunctio, id est, ejus quam memoria tenet, et ejus quæ inde exprimitur ut formetur acies recordantis, quia simillimæ sunt, veluti unam facit apparere. Cum autem cogitantis acies aversa inde fuerit, atque id quod in memoria cernebatur destiterit intueri, nihil formæ quæ impressa erat in eadem acie remanebit: atque inde formabitur, quo rursus conversa fuerit ut alia cogitatio fiat. Manet tamen illud quod reliquit in memoria, quo rursus cum id recordamur convertatur, et conversa formetur, atque unum cum eo fiat unde formatur.

CAPUT IV.

7. Voluntas vero illa quæ hac atque illac fert et refert aciem formandam, conjungitque formatam, si ad interiorem phantasiam tota confluxerit, atque a præsentia corporum quæ circumjacent sensibus, atque ab ipsis sensibus corporis, animi aciem omnino averterit, atque ad eam quæ intus cernitur imaginem penitus converterit, tanta (b) offenditur similitudo speciei corporalis expressa ex memoria, ut nec ipsa ratio discernere sinatur, utrum foris corpus ipsum videatur, an intus tale aliquid cogitetur. Nam interdum homines nimia cogitatione rerum visibilium vel illecti, vel territi, etiam ejusmodi repente voces ediderunt, quasi re vera in mediis talibus actionibus sive passionibus versarentur. Et memini me audisse a quodam, quod tam ex-

(a) Plerique MSS. et fit.

(b) Plures MSS. offunditur, Et nonnulli, confunditur.

pressam et quasi solidam speciem fœminei corporis in cogitando cernere soleret, ut ei se quasi misceri sentiens, etiam genitalibus flueret. Tantum habet virium anima in corpus suum, et tantum valet ad indumenti qualitatem vertendam atque mutandam, quomodo homo afficiatur indutus, qui cohæret indumento suo. Ex eodem genere affectionis etiam illud est, quod in somnis per imagines ludimur. Sed plurimum differt, utrum sopitis sensibus corporis, sicuti sunt dormientium, aut ab interiore compage turbatis, sicuti sunt furentium, aut alio quodam modo alienatis, sicuti sunt divinantium vel prophetantium, animi intentio quadam necessitate incurrat in eas quæ occurrunt imagines, sive ex memoria, sive alia aliqua occulta vi, per quasdam spiritales mixturas similiter spiritalis substantiæ; an sicut sanis atque vigilantibus interdum contingit, ut cogitatione occupata voluntas se avertat a sensibus, atque ita formet animi aciem variis imaginibus sensibilium rerum, tamquam ipsa sensibilia sentiantur. Non tantum autem cum appetendo in talia voluntas intenditur, fiunt istæ impressiones imaginum; sed etiam cum devitandi et cavendi caussa rapitur animus in ea contuenda quæ fugiat. Unde non solum cupiendo, sed etiam metuendo, infertur vel sensus ipsis sensibilibus, vel acies animi formanda imaginibus sensibilium. Itaque aut metus aut cupiditas quanto vehementior fuerit, tanto expressius formatur acies, sive sentientis ex corpore quod in loco adjacet, sive cogitantis ex imagine corporis quæ memoria continetur. Quod ergo est ad corporis sensum aliquod corpus in loco, hoc est ad animi aciem similitudo corporis in memoria: et quod est adspicientis visio ad eam speciem corporis ex qua sensus formatur, hoc est visio cogitantis ad imaginem corporis in memoria constitutam ex qua formatur acies animi: et quod est intentio voluntatis ad corpus visum visionemque copulandam, ut fiat ibi quædam unitas trium, quamvis eorum sit diversa natura; hoc est eadem voluntatis intentio ad copulandam imaginem corporis quæ est in memoria, et visionem cogitantis, id est, formam quam cepit acies animi rediens ad memoriam: ut fiat et hic quædam unitas ex tribus, non jam naturæ diversitate discretis, sed unius ejusdemque substantiæ; quia hoc totum intus est, et totum unus animus.

Trinitas hominis exterioris, seu visionis externæ, non est imago Dei.

* CAPUT V.

8. Sicut autem cum forma et species corporis interierit, non potest ad eam voluntas sensum revocare cernentis: ita cum imago quam memoria gerit, oblivione deleta est, non erit quo aciem animi formandam voluntas recordando retorqueat. * Sed quia prævalet animus, non solum oblita, verum etiam non sensa nec experta confingere, ea quæ non exciderunt augendo, minuendo, commutando, et pro arbitrio componendo, sæpe imaginatur quasi ita aliquid sit, quod aut scit non ita esse, aut nescit ita esse. In quo genere cavendum est, ne aut mentiatur ut decipiat, aut opinetur ut decipiatur. Quibus duobus malis evitatis, nihil ei obsunt imaginata phantasmata: sicut nihil obsunt experta sensibilia et retenta memoriter, si neque cupide appetantur si juvant, neque turpiter fugiantur si offendunt. Cum autem in his voluntas relictis melioribus avida volutatur, immunda sit: atque ita et cum adsunt perniciose, et cum absunt perniciosius cogitantur. Male itaque vivitur et deformiter secundum trinitatem hominis exterioris: quia et illam trinitatem, quæ licet interius imaginetur, exteriora tamen imaginatur, sensibilium corporaliumque utendorum caussa peperit. Nullus enim eis uti posset etiam bene, nisi sensarum rerum imagines memoria tenerentur: et nisi pars maxima voluntatis in superioribus atque interioribus habitet, eaque ipsa quæ commodatur, sive foris corporibus, sive intus imaginibus eorum, nisi quidquam in eis capit ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine cujus intuitu hæc agenda judicat, adquiescat, quid aliud facimus, nisi quod nos Apostolus facere prohibet, dicens, *Nolite conformari huic sæculo?* Quapropter non ista trinitas imago Dei: ex ultima quippe, id est corporea creatura, qua superior est anima, in ipsa anima fit per sensum corporis. Nec tamen est omnino dissimilis: quid enim non pro suo genere ac pro suo modulo habet similitudinem Dei, quandoquidem Deus fecit omnia bona valde, non ob aliud nisi quia ipse summe bonus est? In quantum ergo bonum est quidquid est? in tantum scilicet, quamvis longe distantem, habet tamen nonnullam similitudinem summi boni; et si naturalem, utique rectam et ordinatam; si autem vitiosam, utique turpem atque perversam. Nam et animæ in ipsis peccatis suis non nisi quamdam similitudinem Dei, superba et præpostera, et, ut ita dicam, servili libertate sectantur. Ita nec primis parentibus nostris persuaderi peccatum posset, nisi diceretur, *Eritis sicut dii.* Non sane omne quod in creaturis aliquo modo simile est Deo, etiam ejus imago dicenda est: sed illa sola qua superior ipse solus est. Ea quippe de illo prorsus exprimitur inter quam et ipsum nulla interjecta natura est.

Rom. 12. 2.

Eccli. 39. 21.

Dei similitudo etiam in peccatis appetitur.

Gen. 3. 5.

9. Visionis igitur illius, id est formæ quæ fit in sensu cernentis, quasi parens est forma corporis ex qua fit. Sed parens illa non vera; unde nec ista vera proles est: neque enim omnino inde gignitur, quoniam aliquid aliud adhibetur corpori, ut ex illo formetur, id est sensus videntis. * Quocirca id amare, alienari est. Itaque voluntas quæ utrumque conjungit quasi parentem et quasi prolem, magis spiritalis, quam utrumlibet illorum. Nam corpus illud quod cernitur, omnino spiritale non est. Visio vero quæ fit in sensu habet admixtum aliquid spiritale, quia sine anima fieri non potest. Sed non totum ita est; quoniam ille qui formatur, corporis sensus est. Voluntas ergo quæ utrumque conjungit, magis ut dixi, spiritale agnoscitur, et ideo tamquam personam Spiritus insinuare incipit in illa trinitate. Sed magis pertinet ad sensum

In externa visione est quasi parens forma corporis, proles visio, ea vero conjungens voluntas insinuat Spiritum sanctum.

* 2. Retract. cap. 15.

formatum, quam ad illud corpus unde formatur. Sensus enim animantis et voluntas animæ est, non lapidis aut alicujus corporis quod videtur. Non ergo ab illo quasi parente procedit; sed nec ab ista quasi prole, hoc est, visione ac forma quæ in sensu est. Prius enim quam visio fieret, jam erat voluntas, quæ formandum sensum cernendo corpori admovit: sed non erat placitum. Quomodo enim placeret, quod nondum erat visum? Placitum autem quieta voluntas est. Ideoque nec quasi prolem visionis possumus dicere voluntatem, quia erat ante visionem; nec quasi parentem, quia non ex voluntate, sed ex visu corpore formata et expressa est.

Requies et finis voluntatis in visione qualis censeri debeat.

10. Finem fortasse voluntatis et requiem possumus recte dicere visionem, ad hoc dumtaxat unum (a). Neque enim propterea nihil aliud volet, quia videt aliquid quod volebat. * Non itaque omnino ipsa voluntas hominis, cujus finis non est nisi beatitudo; sed ad hoc unum interim (b) voluntas videndi finem non habet nisi visionem, sive id referat ad aliud, sive non referat. Si enim non refert ad aliud visionem, sed tantum voluit ut videret: non est disputandum quomodo ostendatur finem voluntatis esse visionem; manifestum est enim. Si autem refert ad aliud, vult utique aliud, nec jam videndi voluntas erit: aut si videndi, non hoc videndi. Tamquam si velit quisque videre cicatricem, ut inde doceat vulnus fuisse; aut si velit videre fenestram, ut per fenestram videat transeuntes: omnes istæ atque aliæ tales voluntates, suos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis qua volumus beate vivere, et ad eam pervenire vitam quæ non referatur ad aliud, sed amanti per se ipsam sufficiat. Voluntas ergo videndi, finem habet visionem: et voluntas hanc rem videndi, finem habet hujus rei visionem. Voluntas itaque videndi cicatricem, finem suum expetit, hoc est visionem cicatricis, et ad eam ultra non pertinet: voluntas enim probandi vulnus fuisse, alia voluntas est, quamvis ex illa religetur, cujus item finis est probatio vulneris. Et voluntas videndi fenestram, finem habet fenestræ visionem: altera est enim quæ ex ista nectitur voluntas, per fenestram videndi transeuntes, cujus item finis est visio transeuntium (c). Rectæ autem sunt voluntates et omnes sibimet religatæ, si bona est illa quo cunctæ referuntur: si autem prava est, pravæ sunt omnes. Et ideo rectarum voluntatum connexio iter est quoddam adscendentium ad beatitudinem, quod certis velut passibus agitur: pravarum autem atque distortarum voluntatum implicatio, vinculum est quo alligabitur qui hoc agit, ut projiciatur in tenebras exteriores. Beati ergo qui factis et moribus cantant canticum graduum: et væ iis qui trahunt peccata, sicut re-

* CAPUT VI.

Isai. 5. 18.

stem longam. Sic est autem requies voluntatis quem dicimus finem, si adhuc refertur ad aliud, quemadmodum possumus dicere requiem pedis esse in ambulando; cum ponitur unde alius innitatur (d) quo passibus pergitur. Si autem aliquid ita placet, ut in eo cum aliqua delectatione voluntas adquiescat; nondum est tamen illud quo tenditur, sed et hoc refertur ad aliud, ut deputetur non tamquam patria civis, sed tamquam refectio, vel etiam mansio viatoris.

CAPUT VII. Trinitas alia in memoria recogitantis de visione.

11. Jam vero in alia trinitate, interiore quidem quam est ista in sensibilibus et sensibus, sed tamen quæ inde concepta est, cum jam non ex corpore sensus corporis, sed ex memoria formatur acies animi, cum in ipsa memoria species inhæserit corporis quod forinsecus sensimus, illam speciem quæ in memoria est, quasi parentem dicimus ejus quæ fit in phantasia cogitantis. Erat enim in memoria et prius quam cogitaretur a nobis, sicut erat corpus in loco et prius quam sentiretur, ut visio fieret. Sed cum cogitatur, ex illa quam memoria tenet, exprimitur in acie cogitantis, et reminiscendo formatur ea species, quæ quasi proles est ejus quam memoria tenet. Sed neque illa vera parens, neque ista vera proles est. Acies quippe animi quæ formatur ex memoria cum recordando aliquid cogitamus, non ex ea specie procedit quam meminimus visam: quandoquidem (e) eorum meminisse non possemus, nisi vidissemus: acies autem animi quæ reminiscendo formatur, erat etiam prius quam corpus quod meminimus videremus, quanto magis prius quam id memoriæ mandaremus? Quamquam itaque forma quæ fit in acie recordantis, ex ea fiat quæ inest memoriæ; ipsa tamen acies non inde exsistit, sed erat ante (f) istam. Consequens est autem, ut si non est illa vera parens, nec ista vera sit proles. Sed et illa quasi parens, et ista quasi proles aliquid insinuant, unde interiora atque veriora exercitatius certiusque videantur.

12. Difficilius jam plane discernitur, utrum voluntas quæ memoriæ copulat visionem, non sit alicujus eorum sive parens sive proles: et hanc discretionis difficultatem facit ejusdem naturæ atque substantiæ parilitas et qualitas. Neque enim sicut foris facile discernebatur formatus sensus a sensibili corpore, et voluntas ab utroque, propter naturæ diversitatem quæ inest ab invicem omnibus tribus, de qua satis supra disseruimus, ita et hic potest. Quamvis enim hæc trinitas, de qua nunc quæritur, forinsecus invecta est animo; intus tamen agitur, et non est quidquam ejus præter ipsius animi naturam. Quo igitur pacto demonstrari potest, voluntatem nec quasi parentem, nec quasi prolem esse, sive corporeæ similitudinis quæ memoria continetur, sive ejus quæ inde cum recordamur exprimitur,

(a) Hic editi addunt, *scilicet videndum corpus*.
(b) Addunt Editi, *scilicet subjectum*: quod a MSS. abest.
(c) Sic MSS. At editi, *Recte autem sunt voluntates omnes sibimet religatæ*.

(d) In MSS. *cum passibus pergitur*.
(e) Lov. *ejus*. At editi alii et MSS. *eorum*: id est corporis visi et speciei memoriæ commendatæ.
(f) Aliquot MSS. *ante ista*.

quando utrumque in cogitando ita copulat, ut A tamquam unum singulariter appareat, et discerni nisi ratione non possit? Atque illud primum videndum est, non esse posse voluntatem reminiscendi, nisi vel totum, vel aliquid rei ejus quam reminisci volumus, in penetralibus memoriæ teneamus. Quod enim omni modo et omni ex parte obliti fuerimus, nec reminiscendi voluntas exoritur: quoniam quidquid recordari volumus, recordati jam sumus in memoria nostra esse vel fuisse. Verbi gratia, Si recordari volo quid heri cœnaverim, aut recordatus jam sum cœnasse me, aut si et hoc nondum, certe circa ipsum tempus aliquid recordatus sum, si nihil aliud, ipsum saltem hesternum diem, et ejus eam partem qua cœnari solet, et quid sit cœnare. Nam si nihil tale recordatus essem, B quid heri cœnaverim, recordari velle non possem. Unde intelligi potest, voluntatem reminiscendi ab iis quidem rebus quæ memoria continentur procedere, adjunctis simul eis quæ inde per recordationem cernendo exprimuntur, id est, ex copulatione rei cujusdam quam recordati sumus, et visionis quæ inde facta est in acie cogitantis cum recordati sumus. Sed ipsa quæ utrumque copulat voluntas, requirit et aliud quod quasi vicinum est atque contiguum recordanti. Tot igitur hujus generis trinitates, quot recordationes, quia nulla est earum ubi non hæc tria sint, illud quod in memoria reconditum est etiam ante quam cogitetur, et illud quod fit in cogitatione cum cernitur, et voluntas utrumque conjungens, et ex utroque ac tertia se ipsa unum C aliquid complens? An potius ita cognoscitur una quædam in hoc genere trinitas, ut unum aliquid generaliter dicamus quidquid corporalium specierum in memoria latet, et rursus unum aliquid generalem visionem animi talia recordantis atque cogitantis, quorum duorum copulationi tertia conjungitur copulatrix voluntas, ut sit hoc totum unum quiddam ex quibusdam tribus;

*CAPUT VIII. * sed quoniam non potest acies animi simul omnia quæ memoria tenet, uno adspectu contueri, alternant vicissim cedendo ac succedendo trinitates cogitationum, atque ita fit ista innumerabiliter numerosissima trinitas: nec tamen infinita, si numerus in memoria reconditarum rerum non excedatur. Ex quo enim cœpit unusquisque sentire corpora quolibet corporis sensu, D etiam si posset adjungere quorum oblitus est, certus ac determinatus profecto numerus foret, quamvis innumerabilis. Dicimus enim innumerabilia, non solum infinita, sed etiam quæ ita finita sunt, ut facultatem numerantis excedant.

13. Sed hinc adverti aliquanto manifestius potest, aliud esse quod reconditum memoria tenet, et aliud quod inde in cogitatione recordantis exprimitur, quamvis cum fit utriusque copulatio, unum idemque videatur: quia meminisse non possumus corporum species, nisi tot quot sensimus, et quantas sensimus, et sicut sensimus: ex corporis enim sensu eas in (a) memoriam combibit animus: visiones tamen illæ cogitantium ex iis quidem rebus quæ sunt in memoria, sed tamen innumerabiliter atque omnino infinite multiplicantur atque variantur. Unum quippe solem memini, quia sicuti est, unum vidi: si voluero autem, duos cogito, vel tres, vel quotquot volo; sed ex eadem memoria qua unum memini formantur acies multos cogitantis. Et tantum memini, quantum vidi. Si enim majorem vel minorem memini, quam vidi, jam non memini quod vidi, et ideo nec memini. Quia vero memini, tantum memini, quantum vidi, vel majorem tamen pro voluntate cogito, vel minorem: et ita memini, ut vidi; cogito autem sicut volo currentem, et ubi volo stantem, unde volo et quo volo venientem. Quadrum etiam mihi cogitare, in prompto est, cum meminerim rotundum; et cujuslibet coloris, cum solem viridem numquam viderim, et ideo nec meminerim: atque ut solem, ita cetera. Hæ autem rerum formæ, quoniam corporales atque sensibiles sunt, errat quidem animus, cum eas opinatur eo modo foris esse, quomodo intus cogitat, vel cum jam interierunt foris, et adhuc in memoria retinentur, vel cum aliter etiam, quod meminimus, non recordandi fide, sed cogitandi varietate formatur.

14. Quamquam sæpissime credamus etiam vera narrantibus, quæ ipsi sensibus perceperunt. Quæ cum in ipso auditu quando narrantur cogitamus, non videtur ad memoriam retorqueri acies, ut fiant visiones cogitantium: neque enim ea nobis recordantibus, sed alio narrante cogitamus: atque illa trinitas non hic videtur expleri, quæ fit cum species in memoria latens et visio recordantis tertia voluntate copulantur. Non enim quod latebat in memoria mea, sed quod audio, cogito, cum aliquid mihi narratur. Non ipsas voces loquentis dico, ne quisquam putet in illam me exisse trinitatem, quæ foris in sensibilibus et in sensibus agitur: sed eas cogito corporum species, quas narrans verbis sonisque significat, quas utique non reminiscens, sed audiens cogito. Sed si diligentius consideremus, nec tunc exceditur memoriæ modus. Neque enim vel intelligere possem narrantem, si ea quæ dicit, et si contexta tunc primum audirem, non tamen generaliter singula meminissem. Qui enim mihi narrat, verbi gratia, aliquem montem silva exutum, et oleis indutum, ei narrat et qui meminerim species et montium et silvarum et olearum; quas si oblitus essem, quid diceret omnino nescirem, et ideo narrationem illam cogitare non possem. Ita fit, ut omnis qui corporalia cogitat, sive ipse aliquid confingat, sive audiat, aut legat, vel præterita narrantem, vel futura prænuntiantem, ad memoriam suam recurrat, et ibi reperiat modum atque mensuram omnium formarum quas cogitans intuetur. Nam neque colorem quem numquam vidit, neque figuram

(a) Nonnulli MSS. in memoria.

corporis, nec sonum quem numquam audivit, nec saporem quem numquam gustavit, nec odorem quem numquam olefecit, nec ullam contrectationem corporis quam numquam sensit, potest quisquam omnino cogitare. At si propterea nemo aliquid corporale cogitat nisi quod sensit, quia nemo meminit corporale aliquid nisi quod sensit, sicut in corporibus sentiendi, sic in memoria est cogitandi modus. Sensus enim accipit speciem ab eo corpore quod sentimus, et a sensu memoria, a memoria vero acies cogitantis.

15. Voluntas porro sicut adjungit sensum corpori, sic memoriam sensui, sic cogitantis aciem memoriæ. Quæ autem conciliat ista atque conjungit, ipsa etiam disjungit ac separat, id est, voluntas. Sed a sentiendis corporibus motu corporis separat corporis sensus, ne aliquid sentiamus, aut ut sentire desinamus: veluti cum oculos ab eo quod videre nolumus, avertimus; vel claudimus: sic aures a sonis, sic nares ab odoribus. Ita etiam vel os claudendo, vel aliquid ex ore respuendo a saporibus aversamur. In tactu quoque vel subtrahimus corpus ne tangamus quod nolumus, vel si jam tangebamus, abjicimus aut repellimus. Ita motu corporis agit voluntas, ne sensus corporis rebus sensibilibus copuletur. Et agit hoc quantum potest: nam cum in hac actione propter conditionem servilis mortalitatis difficultatem patitur, cruciatus est consequens, ut voluntati nihil reliqui fiat, nisi tolerantia. Memoriam vero a sensu voluntas avertit, cum in aliud intenta non ei sinit inhærere præsentia. Quod animadvertere facile est cum sæpe coram loquentem nobis aliquem aliud cogitando non audisse nobis videmur. Falsum est autem: audivimus enim, sed non meminimus, subinde per aurium sensum labentibus vocibus alienato nutu voluntatis, per quem solent infigi memoriæ. Verius itaque dixerimus, cum tale aliquid accidit, non meminimus, quam non audivimus. Nam et legentibus evenit, et mihi sæpissime, ut perlecta pagina vel epistola, nesciam quid legerim, et repetam. In aliud quippe intento nutu voluntatis, non sic est adhibita memoria sensui corporis, quomodo ipse sensus adhibitus est litteris. Ita et ambulantes intenta in aliud voluntate, nesciunt qua transierint: quod si non vidissent, non ambulassent, aut majore intentione palpando ambulassent, præsertim si per incognita pergerent: sed quia facile ambulaverunt, utique viderunt: quia vero non sicut sensus oculorum locis quacumque pergebant, ita ipsi sensui memoria jungebatur, nullo modo id quod viderunt etiam recentissimum meminisse potuerunt. Jam porro ab eo quod in memoria est, animi aciem velle avertere, nihil est aliud quam non inde cogitare.

CAPUT IX. Species a specie vicissim gignitur.

16. In hac igitur distributione cum incipimus a specie corporis, et pervenimus usque ad speciem quæ fit in contuitu cogitantis, quatuor species reperiuntur quasi gradatim natæ altera ex altera: secunda de prima, tertia de secunda, quarta de tertia. A specie quippe corporis quod cernitur, exoritur ea quæ fit in sensu cernentis, et ab hac ea quæ fit in memoria, et ab hac ea quæ fit in acie cogitantis. Quapropter voluntas quasi parentem cum prole ter copulat: primo speciem corporis cum ea quam gignit in corporis sensu; et ipsam rursus cum ea quæ fit ex illa in memoria; atque istam quoque tertio cum ea quæ ex illa paritur in cogitantis intuitu. Sed media copula quæ secunda est, cum sit vicinior, non tam similis est primæ quam (a) tertia. Visiones enim duæ sunt, una sentientis, altera cogitantis: ut autem possit esse visio cogitantis, ideo fit in memoria de visione sentientis simile aliquid, quo se ita convertat in cogitando acies animi, sicut se in cernendo convertit ad corpus acies oculorum. Propterea duas in hoc genere trinitates volui commendare: unam cum visio sentientis formatur ex corpore; aliam cum visio cogitantis formatur ex memoria. Mediam vero nolui, quia ibi non solet visio dici, cum memoriæ commendatur forma, quæ fit in sensu cernentis. Ubique tamen voluntas non apparet, nisi copulatrix quasi parentis et prolis. Et ideo undecumque procedat, nec parens nec proles dici potest.

CAPUT X. Etiam non visis addit imaginatio quæ in aliis vidimus.

17. At enim si non meminimus, nisi quod sensimus, neque cogitamus, nisi quod meminimus, cur plerumque falsa cogitamus, cum ea quæ sensimus non utique falso meminerimus: nisi quia voluntas illa quam conjunctricem ac separatricem hujuscemodi rerum jam quantum potui demonstrare curavi, formandam cogitantis aciem per abscondita memoriæ ducit ut libitum est, et ad cogitanda ea quæ non meminimus, ex eis quæ meminimus, aliud hinc, aliud inde, ut sumat impellit: quæ in unam visionem coeuntia faciunt aliquid quod ideo falsum dicatur, quia vel non est foris in rerum corporearum natura, vel non de memoria videtur expressum, cum tale nihil nos sensisse meminimus? Quis enim vidit cygnum nigrum? et propterea nemo meminit: cogitare tamen quis non potest? Facile est enim illam figuram, quam videndo cognovimus, nigro colore perfundere, quem nihilo minus in aliis corporibus vidimus: et quia utrumque sensimus, utrumque meminimus. Nec avem 2. Retract. 13.
quadrupedem memini, quia non vidi: sed phantasiam talem facillime intueor, dum alicui formæ volatili qualem vidi, adjungo alios duos pedes quales itidem vidi. Quapropter dum conjuncta cogitamus, quæ singillatim sensa meminimus, videmur non id quod meminimus cogitare; cum id agamus moderante memoria, unde sumimus omnia quæ multipliciter ac varie pro nostra voluntate componimus. Nam neque ipsas magnitudines corporum, quas numquam vidimus, sine ope memoriæ cogitamus. Quantum enim spatii solet occupare per magnitudinem mundi noster obtutus, in tantum extendimus

(a) Plures MSS. *quam tertiæ*.

A quaslibet corporum moles, cum eas maximas cogitamus. Et ratio quidem pergit in ampliora, sed phantasia non sequitur. Quippe cum infinitatem quoque numeri ratio renuntiet, quam nulla visio corporalis cogitantis apprehendit. Eadem ratio docet minutissima etiam corpuscula infinite dividi, cum tamen ad eas tenuitates vel minutias perventum fuerit, quas visas meminimus, exiliores minutioresque phantasias jam non possumus intueri, quamvis ratio non desinat persequi ac dividere. Ita nulla corporalia, nisi aut ea quæ meminimus, aut ex iis quæ meminimus, cogitamus.

CAPUT XI. Numerus, pondus, mensura.

18. Sed quia numerose cogitari possunt quæ singillatim sunt impressa memoriæ, videtur ad memoriam mensura, ad visionem vero numerus pertinere. Quia licet innumerabilis sit multiplicitas talium visionum, singulis tamen in memoria præscriptus est intransgressibilis modus. B Mensura igitur in memoria, in visionibus numerus apparet: sicut in ipsis corporibus visibilibus mensura quædam est, cui numerosissime coaptatur sensus (a) videntium, et ex uno visibili multorum cernentium formatur aspectus; ita ut etiam unus propter duorum oculorum numerum plerumque unam rem geminata specie videat, sicut supra docuimus. In his ergo rebus unde visiones exprimuntur, quædam mensura est: in ipsis autem visionibus numerus. Voluntas vero quæ ista conjungit et ordinat, et quadam unitate copulat, nec sentiendi aut cogitandi appetitum nisi in his rebus unde visiones formantur, adquiescens collocat, ponderi similis est. Quapropter hæc tria, mensuram, numerum, pondus, etiam in cæteris omnibus rebus animadvertenda prælibaverim. Nunc interim voluntatem copulatricem rei visibilis atque visionis quasi parentis et prolis, sive in sentiendo, sive in cogitando, nec parentem nec prolem dici posse, quomodo valui et quibus valui demonstravi. Unde tempus admonet, hanc eamdem trinitatem B in interiore homine requirere, atque ab isto de quo tamdiu locutus sum animali atque carnali, qui exterior dicitur, introrsus tendere. Ubi speramus invenire nos posse secundum trinitatem imaginem Dei, conatus nostros illo ipso adjuvante, quem omnia, sicut res ipsæ indicant, ita etiam sancta Scriptura in mensura et numero et pondere disposuisse testatur. Sap. 11. 21.

LIBER DUODECIMUS

In quo præmissa distinctione sapientiæ a scientia, in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quæ inferior est, prius quædam sui generis trinitas ostenditur: quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda vel putanda.

CAPUT I. Homo exterior et interior qualis.

Age nunc videamus ubi sit quasi quoddam hominis exterioris interiorisque confinium. C Quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, recte adhuc dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adjuncta quadam vita sua, qua compages corporis et omnes sensus vigent, quibus instructus est ad exteriora sentienda: quorum sensorum imagines infixæ in memoria, cum recordando revisuntur, res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non distamus a pecore, nisi quod figura corporis non proni, sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est, animo similes pecoribus simus, a quibus corporis erectione distamus. Non ut in ea quæ sublimia sunt in corporibus animum projiciamus; nam vel in talibus quietem voluntatis appetere, prosternere est animum. Sed sicut corpus ad ea quæ sunt excelsa corporum, id est, ad cœlestia naturaliter erectum est, sic animus qui substantia spiritalis est, ad ea quæ sunt in spiritalibus excelsa erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ.

CAPUT II. Æternas rationes in corporalibus homo solus animantium percipit.

2. Possunt autem et pecora et sentire per corporis sensus extrinsecus corporalia, et ea memoriæ fixa reminisci, atque in eis appetere conducibilia, fugere incommoda: verum ea notare, ac non solum naturaliter rapta, sed etiam de industria memoriæ commendata retinere, et in oblivionem jamjamque labentia recordando atque cogitando rursus imprimere, ut quemadmodum ex eo quod gerit memoria cogitatio formatur, sic et hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur: fictas etiam visiones, hinc atque inde recordata quælibet sumendo et quasi assuendo, componere, inspicere, quemadmodum in hoc rerum genere quæ verisimilia sunt discernantur a veris, non spiritalibus, sed ipsis corporalibus: hæc atque hujusmodi quamvis in sensibilibus, atque in eis quæ inde animus per sensum corporis traxit agantur atque versentur, non sunt tamen rationis expertia, nec hominibus pecoribusque communia. D Sed sublimioris rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas: quæ nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profecto non essent, atque (b) his nisi b subjungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus judicare de corporalibus. Judicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum, quam incommutabiliter manere mens novit.

CAPUT III. Ratio superior...

3. Illud vero nostrum quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita ver-

(a) Plerique MSS. *sensus videndi.*

(b) Editi, *in his.* Abest *in* a plerisque MSS.

rior quæ ad contemplationem, et interior quæ ad actionem pertinet, in mente una.

satur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali nostræ mentis substantia, qua subhæremus intelligibili atque incommutabili veritati, tamquam ductum et inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pecoribus non inventum est viro adjutorium simile illi, nisi detractum de illo in conjugium formaretur: ita menti nostræ qua supernam et internam consulimus veritatem, nullum est ad usum rerum corporalium, quantum naturæ hominis satis est, simile adjutorium ex animæ partibus quas communes cum pecoribus habemus. Et ideo quiddam rationale nostrum, non ad unitatis divortium separatum, sed in auxilium societatis quasi derivatum, in sui operis dispertitur (a) officium. Et sicut una caro est duorum in masculo et fœmina, sic intellectum nostrum et actionem, vel consilium et executionem, vel rationem et appetitum rationalem, vel si quo alio modo significantius dici possunt, una mentis natura complectitur: ut quemadmodum de illis dictum est, *Erunt duo in carne una*; sic de his dici possit, duo in mente una. Gen. 2. 24.

CAPUT IV. Trinitas et imago Dei in ea sola parte mentis quæ pertinet ad contemplationem æternorum.

4. Cum igitur disserimus de natura mentis humanæ, de una quadam re disserimus, nec eam in hæc duo quæ commemoravi, nisi per officia geminamus. Itaque cum in ea quærimus trinitatem, in tota quærimus, non separantes actionem rationalem in temporalibus a contemplatione æternorum, ut tertium aliquid jam quæramus quo trinitas impleatur. Sed in tota natura mentis ita trinitatem reperiri opus est, ut si desit actio temporalium, cui operi necessarium sit adjutorium, propter quod ad hæc inferiora administranda derivetur aliquid mentis, in una nusquam dispertita mente trinitas inveniatur: et facta jam ista distributione, in eo solo quod ad contemplationem pertinet æternorum, non solum trinitas, sed etiam imago Dei; in hoc autem quod derivatum est in actione temporalium, etiam si trinitas possit, non tamen imago Dei possit inveniri.

CAPUT V. Opinio fingens imaginem Trinitatis in conjugio masculi et fœminæ ac eorum prole.

5. Proinde non mihi videntur probabilem afferre sententiam, qui sic arbitrantur Trinitatem imaginis Dei in tribus personis, quod attinet ad humanam naturam, posse reperiri, ut in conjugio masculi et fœminæ atque in eorum prole compleatur: quod quasi vir ipse Patris personam intimet, Filii vero quod de illo ita processit ut nasceretur, atque ita (b) tertiam personam veluti Spiritus dicunt esse mulierem, quæ ita de viro processit, ut non ipsa esset filius aut filia, quamvis ea concipiente proles nasceretur. (Gen. 2. 22.) Dixit enim Dominus de Spiritu sancto, quod a Patre procedat, et tamen Filius non est. (Johan. 15. 26.) In hujus igitur opinionis errore, hoc solum probabiliter affertur, quod in origine factæ fœminæ, secundum sanctæ Scripturæ fidem satis ostenditur, non omne quod de aliqua persona ita exsistit, ut personam alteram faciat, filium posse dici; quando quidem de viri persona exstitit persona mulieris, nec tamen ejus filia dicta est. Cetera sane ita sunt absurda, immo vero ita falsa, ut facillime redarguantur. Omitto enim quale sit, Spiritum-sanctum matrem Filii Dei putare et conjugem Patris: fortassis quippe respondeatur hæc in carnalibus habere offensionem, dum corporei conceptus partusque cogitantur. Quamquam et hæc ipsa castissime cogitent, quibus mundis omnia munda sunt: immundis autem et infidelibus, quorum polluta sunt et mens et conscientia, ita nihil est mundum, ut quosdam eorum etiam de virgine secundum carnem natus Christus offendat. (Tit. 1. 15.) Sed tamen in spiritalibus illis summis, ubi non est aliquid violabile aut corruptibile, nec natum ex tempore, nec ex informi formatum, si qua dicuntur talia, ad quorum similitudinem etiam ista inferioris creaturæ genera, quamvis longe remotissime facta sunt, non debent cujusquam sobriam perturbare prudentiam, ne cum vanum devitat horrorem, in perniciosum incurrat errorem. Adsuescat in corporalibus ita spiritalium reperire vestigia, ut cum inde sursum versus duce ratione adscendere cœperit, ut ad ipsam incommutabilem veritatem, per quam facta sunt ista, perveniat, non secum ad summa pertrahat, quod contemnit in infimis. Nec enim erubuit quidam, uxorem sibi eligere sapientiam, quia nomen uxoris in prole gignenda corruptibilem concubitum ingerit cogitanti: aut vero ipsa sapientia sexu (c) fœmina est, quia fœminini generis vocabulo et in Græca et in Latina lingua enuntiatur.

CAPUT VI. Cur illa opinio respuenda.

6. Non ergo propterea respuimus istam sententiam, quia timemus sanctam et inviolabilem atque incommutabilem caritatem, tamquam conjugem Dei Patris, de illo exsistentem, sed non sicut prolem ad gignendum Verbum per quod facta sunt omnia cogitare: sed quia eam falsam divina Scriptura evidenter ostendit. Dixit enim Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. (Gen. 1. 26.) Paulo post autem dictum est, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. (Ibidem. 27.) *Nostram* certe, quia pluralis est numerus, non recte diceretur, si homo ad unius personæ imaginem fieret, sive Patris, sive Filii, sive Spiritus-sancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est, *ad imaginem nostram*. Rursus autem ne in Trinitate credendos arbitraremur tres deos, cum sit eadem Trinitas unus Deus, *Et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei*: pro eo ac si diceret, ad imaginem suam.

7. Sunt enim tales usitatæ in litteris illis locutiones, quas nonnulli etiam catholicam fidem asserunt, non tamen diligenter advertunt, ut putent ita dictum, *Fecit Deus* (d) *ad imaginem Dei*; quasi diceretur, Fecit Pater ad imaginem Filii: sic volentes asserere in Scripturis sanctis Deum dictum etiam Filium, quasi desint alia verissima et manifestissima documenta, ubi non solum Deus, sed etiam verus Deus dictus est Filius. In hoc enim testimonio dum aliud solvere inten-

(a) Omnes prope MSS. *officio*. Quidam, *officia*.
(b) Editi, *ad tertiam*. At MSS. carent particula *ad*.
(c) Editi *fœminea est*.
(d) Hic editi addunt, *hominem*.

dunt, sic se implicant, ut expedire non possint. Si enim Pater fecit ad imaginem Filii, ita ut non sit homo imago Patris, sed Filii, dissimilis est Patri Filius. Si autem pia fides docet, sicut docet, Filium esse ad æqualitatem essentiæ similem Patri, quod ad similitudinem Filii factum est, necesse est etiam ad similitudinem Patris factum sit. Deinde si hominem Pater non ad suum, sed ad Filii fecit imaginem, cur non ait, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem tuam*, sed ait, *nostram;* nisi quia Trinitatis imago fiebat in homine, ut hoc modo esset homo imago unius veri Dei, quia ipsa Trinitas unus verus Deus est? Locutiones autem sunt innumerabiles tales in Scripturis, sed has protulisse sufPsalm. 3. 9. fecerit. Est in Psalmis ita dictum: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua:* quasi alteri dictum sit, non ei de quo dixerat, Psalm. 17. 30. *Domini est salus.* Et iterum: *A te* inquit, *eruar a tentatione, et in Deo meo* (a) *sperans transgrediar murum:* quasi alteri dixerit, *A te eruar a* Psalm. 44. 6. *tentatione.* Et iterum: *Populi sub te cadent in* (b) *corde inimicorum regis:* ac si diceret, In corde inimicorum tuorum. Ei quippe regi dixerat, id est, Domino nostro Jesu Christo, *Populi sub te cadent:* quem regem intelligi voluit, cum diceret, *in corde inimicorum regis.* Rarius ista in novi Testamenti litteris inveniuntur. Sed tamen Rom. 1. 3. ad Romanos Apostolus, *De Filio suo*, inquit, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri:* tamquam de alio supra diceret. Quid est enim Filius Dei prædestinatus ex resurrectione mortuorum Jesu Christi, nisi ejusdem Jesu Christi qui prædestinatus est Filius Dei in virtute? Ergo quomodo hic cum audivimus, *Filius Dei in virtute Jesu Christi*, aut *Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis Jesu Christi*, aut *Filius Dei ex resurrectione mortuorum Jesu Christi;* cum dici potuisset usitate, in virtute sua, aut secundum Spiritum sanctificationis suæ, aut ex resurrectionem mortuorum ejus, vel mortuorum suorum; non cogimur intelligere aliam personam, sed unam eamdemque, scilicet Filii Dei Domini Gen. 1. 27. nostri Jesu Christi. Ita cum audimus, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei:* quamvis posset usitatius dici, ad imaginem suam: non tamen cogimur aliam personam intelligere in Trinitate, sed ipsam unam eamdemque Trinitatem, qui est unus Deus, et ad cujus imaginem factus est homo.

8. Quæ cum ita sint; si eamdem Trinitatis imaginem, non in uno, sed in tribus hominibus acceperimus, patre et matre et filio, non erat ergo ad imaginem Dei factus homo ante quam uxor ei fieret, et ante quam filium propagarent; quia nondum erat trinitas. An dicit aliquis, Jam trinitas erat, quia etsi nondum forma propria, jam tamen originali natura et mulier erat in latere viri, et filius in lumbis patris? Cur ergo cum Scriptura dixisset, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei;* contexuit dicens; *Fecit Deus eum, masculum et fœminam fecit eos, et benedixit eos?* Gen. 1. 27. Vel si ita distinguendum est, *Et fecit Deus hominem;* ut deinde inferatur, *ad imaginem Dei fecit illum;* et tertia subjunctio sit, *masculum et fœminam fecit eos.* Quidam enim timuerunt dicere, Fecit eum masculum et fœminam, ne quasi monstruosum aliquid intelligeretur, sicut sunt quos hermaphroditos vocant: cum etiam sic non mendaciter possit intelligi utrumque in numero singulari, propter id quod dictum est, *Duo in carne una.* Cur ergo, ut dicere cœperam, in natura hominis ad imaginem Dei facta præter masculum et fœminam non commemorat Scriptura? Ad implendam quippe imaginem Trinitatis debuit addere et filium, quamvis adhuc in lumbis patris constitutum, sicut mulier erat in latere. An forte jam facta erat et mulier; et Scriptura brevi complexione constrinxerat, quod postea quemadmodum sit factum, diligentius explicaret; et propterea filius commemorari non potuit, quia nondum erat natus; quasi et hoc non poterat ea brevitate complecti Spiritus-sanctus, suo loco postea natum filium narraturus, sicut mulierem de viri latere assumptam suo postmodum loco narravit, et tamen hic eam nominare non prætermisit. Gen. 2. 22.

CAPUT VII. Homo imago Dei, quomodo.

9. Non itaque ita debemus intelligere hominem factum ad imaginem summæ Trinitatis, hoc est ad imaginem Dei, ut eadem imago in tribus intelligatur hominibus: præsertim cum Apostolus virum dicat esse imaginem Dei, et propterea velamentum ei capitis demat, quod mulieri adhibendum monet, ita loquens: *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei.* 1. Cor. 11. 7. *Mulier autem gloria viri est.* Quid ergo dicemus ad hæc? Si pro sua persona mulier adimplet imaginem Trinitatis, cur ea detracta de latere viri adhuc ille imago dicitur? Aut si et una persona hominis ex tribus potest dici imago Dei, sicut in ipsa summa Trinitate et unaquæque persona Deus est, cur et mulier non est imago Dei? Nam et propterea caput velare præcipitur, quod Ibidem 5. ille quia imago Dei est prohibetur.

An non et mulier imago Dei.

10. Sed videndum est quomodo non sit contrarium quod dicit Apostolus, non mulierem, sed virum esse imaginem Dei, huic quod scriptum est in Genesi, *Fecit Deus hominem, ad imaginem* Gen. 1. 27. *Dei fecit eum, masculum et fœminam fecit eos, et benedixit eos.* Ad imaginem Dei quippe naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexu utroque completur, nec ab intelligenda imagine Dei separat fœminam. Dicto enim quod fecit Deum hominem ad imaginem Dei, *Fecit eum*, inquit *masculum et fœminam;* vel certe alia distinctione *masculum et fœminam fecit eos.* Quomodo ergo per Apostolum audivimus virum esse imaginem Dei, unde caput velare prohibetur, mulierem autem non, et ideo ipsa hoc facere jubetur? nisi, credo, illud quod jam dixi, cum de natura

1. Cor. 11. 7. Dictum Apostoli, quod vir imago Dei sit, mulier autem gloria viri.

(a) Plures MSS. omittunt *sperans*.
(b) Editi, *in corde*. At MSS, *in corde:* et sic Augustinus Enarrat. in eumdem Psal. 44.

quomodo figurate ac mystice intelligendum.

humanæ mentis agerem, mulierem cum viro suo esse imaginem Dei, ut una imago sit tota illa substantia: cum autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam ipsam solam attinet, non est imago Dei; quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est, tam plena atque integra, quam in unum conjuncta muliere. Sicut de natura humanæ mentis diximus, quia et si tota contemplatur veritatem, imago Dei est; et cum ex ea distribuitur aliquid, et quadam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilo minus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est; ex qua vero intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei. Et quoniam quantumcumque se extenderit in id quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, et propterea non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet; ideo vir non debet velare caput. Quia vero illi rationali actioni quæ in rebus corporalibus temporalibusque versatur, periculosa est nimia in inferiora progressio; debet habere potestatem super caput, quod indicat velamentum quo significatur esse cohibenda. Grata est enim sanctis Angelis sacrata et pia significatio. Nam Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi fit in ejus visione atque scientia, cum aliquid temporaliter ac transitorie geritur, sicut inde afficiuntur sensus vel carnales animalium et hominum, vel etiam cœlestes Angelorum.

11. In isto quippe manifesto sexu masculi et fœminæ apostolus Paulus occultioris cujusdam rei figurasse mysterium, vel hinc intelligi potest, quod cum alio loco dicat, veram viduam esse desolatam, sine filiis et nepotibus, et tamen eam sperare debere in Dominum, et persistere in orationibus nocte et die: hic indicat mulierem seductam in prævaricatione factam, salvam fieri per filiorum generationem. Et addidit *Si permanserint in fide et dilectione et sanctificatione cum sobrietate*. Quasi vero possit obesse bonæ viduæ, si vel filios non habuit, vel ii quos habuerit, in bonis operibus permanere noluerint. Sed quia ea quæ dicuntur opera bona, tamquam filii sunt vitæ nostræ, secundum quam quæritur cujus vitæ sit quisque, id est, quomodo agat hæc temporalia, quam vitam Græci non ζωὴν, sed βίον vocant; et hæc opera bona maxime in officiis misericordiæ frequentari solent; opera vero misericordiæ nihil prosunt, sive Paganis, sive Judæis qui Christo non credunt, sive quibuscumque hæreticis vel schismaticis, ubi fides et dilectio et sobria sanctificatio non invenitur: manifestum est quid Apostolus significare voluerit; ideo figurate ac mystice, quia de velando mulieris capite loquebatur, quod nisi ad aliquod secretum sacramenti referatur, inane remanebit.

1. Tim. 5. 5.

1. Tim. 2. 1.

1. Cor. 11. 7.

12. Sicut enim non solum veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundum rationalem mentem. Cogitatio quippe turpiter vana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri. Porro autem nonne idem beatus Apostolus dicit *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem eum qui secundum Deum creatus est?* Et alibi apertius: *Exuentes vos* inquit *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum*. Si ergo spiritu mentis nostræ renovamur, et ipse est novus homo qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animi partem, sed secundum rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus qui creavit eum. Secundum hanc (a) autem renovationem efficimur etiam filii Dei per baptismum Christi, et induentes novum hominem, Christum utique induimus per fidem. Quis est ergo qui ab hoc consortio fœminas alienet, cum sint nobiscum gratiæ coheredes; et alio loco idem Apostolus dicat, *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Numquidnam igitur fideles fœminæ sexum corporis amiserunt? Sed quia ibi renovantur ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, hoc est in spiritu mentis suæ. Cur ergo vir propterea non debet caput velare, quia imago est et gloria Dei; mulier autem debet, quia gloria viri est, quasi mulier non renovetur spiritu mentis suæ, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit illum? Sed quia sexu corporis distat a viro, rite potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis vel consulendis (b) adhærescit, quam non solum masculos, sed etiam fœminas habere manifestum est.

Ephes. 4. 23.

Col. 3. 9.

Gal. 3. 26.

1. Cor. 11. 7.

Deflexus ab imagine Dei.

* CAPUT VIII.

13. Ergo in eorum mentibus communis natura cognoscitur, in eorum vero corporibus ipsius unius mentis distributio figuratur. * Ascendentibus itaque introrsus quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, unde incipit aliquid occurrere, quod non sit nobis commune cum bestiis, inde incipit ratio, ubi homo interior jam possit agnosci. Qui etiam ipse si per illam rationem cui temporalium rerum administratio delegata est, immoderato progressu nimis in exteriora prolabitur, consentiente sibi capite suo, id est, non eam cohibente atque refrenante illa quæ in specula consilii præsidet quasi virili portione, inveteratur inter inimicos suos virtutis invidos dæmones cum suo principe diabolo: æternorumque illa visio ab ipso etiam capite cum conjuge vetitum manducante subtrahitur, ut lumen

Psalm. 6. 8.

(a) Er. et Lov. *Secundum hanc igitur*. At Am. et MSS. *autem constanter*.

(b) Editio Lov. *adhæserit*.

Gen. 3. 6. Psalm. 37. 11. **oculorum ejus non sit cum illo : ac sic ab illa** illustratione veritatis ambo nudati, atque apertis oculis conscientiæ ad videndum quam inhonesti atque indecori remanserint, tamquam folia dulcium fructuum, sed sine ipsis fructibus, ita sine fructu boni operis bona verba contexunt, ut male viventes quasi bene loquendo contegant turpitudinem suam.

CAPUT IX.

Eccli. 10. 15. 14. Potestatem quippe suam diligens anima, a communi universo ad privatam partem prolabitur, et apostatica illa superbia, quod initium peccati dicitur, cum in universitate creaturæ Deum rectorem secuta, legibus ejus optime gubernari potuisset, plus aliquid universo appetens, atque id sua lege gubernare molita, quia nihil est amplius universitate, in curam partilem truditur, et sic aliquid amplius concupiscendo

2. Tim. 6. 10. minuitur; unde et avaritia dicitur radix omnium malorum: totumque illud ubi aliquid proprium contra leges, quibus universitas administratur, agere nititur, per corpus proprium gerit, quod partiliter possidet: atque ita formis et motibus corporalibus delectata, quia intus ea secum non habet, cum eorum imaginibus, quas memoriæ fixit, involvitur, et phantastica fornicatione turpiter inquinatur, omnia officia sua ad eos fines referens, quibus curiose corporalia ac temporalia per corporis sensus quærit, aut tumido fastu aliis animis corporeis sensibus deditis esse affecta excelsior, aut cœnoso gurgite carnalis voluptatis immergitur.

CAPUT X.

15. Cum ergo bona voluntate ad interiora et superiora percipienda, quæ non privatim, sed communiter ab omnibus qui talia diligunt, sine ulla angustia vel invidia casto possidentur amplexu, vel sibi vel aliis consulit; etsi fallatur in aliquo per ignorantiam temporalium, quia et hoc temporaliter gerit, et modum agendi non teneat quem debebat, humana tentatio est. Et magnum est hanc vitam sic degere, quam velut viam redeuntes carpimus, ut tentatio nos non apprehendat nisi humana. Hoc enim peccatum extra

1. Cor. 10. 13.

1. Cor. 6. 18. 2 Retr. 5. n. 3. corpus est, nec fornicationi deputatur, et propterea facillime ignoscitur. Cum vero propter adipiscenda ea quæ per corpus sentiuntur, propter experiendi vel excellendi vel contrectandi cupiditatem, ut in his finem boni sui ponat, aliquid agit, quidquid agit, turpiter agit; et fornicatur in corpus proprium peccans, et corporearum rerum fallacia simulacra introrsus rapiens et vana meditatione componens, ut ei nec divinum aliquid, (a) nisi tale, videatur, privatim avara fœtatur erroribus, et privatim prodiga inanitur viribus. Nec ad tam turpem et miserabilem fornicationem (b) simul ab exordio prosiliret: sed sicut scriptum est, *Qui modica spernit, paullatim decidet*.

Eccli. 19. 1.

CAPUT XI.

16. Quomodo enim coluber non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit; sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat, et incipiens a perverso appetitu similitudinis Dei, pervenit ad similitudinem pecorum. Inde est quod nudati stola prima, pelliceas tunicas mortalitate meruerunt. Honor enim hominis verus est imago et similitudo Dei, quæ non custoditur nisi (c) ad ipsum a quo imprimitur. Tanto magis itaque inhæretur Deo, quanto minus diligitur proprium. Cupiditate vero experiendæ potestatis suæ, quodam nutu suo ad se ipsum tamquam ad medium proruit. Ita cum vult esse sicut ille sub nullo, et ab ipsa sui medietate pœnaliter ad ima propellitur, id est, ad ea quibus pecora lætantur: atque ita cum sit honor ejus similitudo Dei, dedecus autem ejus similitudo pecoris, *homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis*. Qua igitur tam longe transiret a summis ad infima, nisi per medium sui? Cum enim neglecta caritate sapientiæ, quæ semper eodem modo manet, concupiscitur scientia ex mutabilium temporaliumque experimento, inflat, non ædificat: ita prægravatus animus quasi pondere suo a beatitudine expellitur, et per illud suæ medietatis experimentum pœna sua discit, quid intersit inter bonum desertum malumque commissum, nec redire potest effusis ac perditis viribus, nisi gratia Conditoris sui ad pœnitentiam vocantis et peccata donantis. Quis enim infelicem animam liberabit a corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? De qua gratia suo loco, (d) quantum ipse præstiterit, disseremus.

Imago pecudis in homine.

Gen. 3. 21.

Psalm. 48. 13.

1. Cor. 8. 1.

Rom. 7. 24.

CAPUT XII.

Is interiore homine quoddam secretum conjugium.

17. Nunc de illa parte rationis ad quam pertinet scientia, id est, cognitio rerum temporalium atque mutabilium navandis vitæ hujus actionibus necessaria, susceptam considerationem, quantum Dominus adjuvat, peragamus. Sicut enim in illo manifesto conjugio duorum hominum qui primi facti sunt, non manducavit serpens de arbore vetita, sed tantummodo manducandum persuasit: mulier autem non manducavit sola, sed viro suo dedit, et simul manducaverunt; quamvis cum serpente sola locuta, et ab eo sola seducta sit: ita et in hoc quod etiam in homine uno geritur et dignoscitur, occulto quodam secretoque conjugio carnalis, vel, ut ita dicam, qui in corporis sensus intenditur, sensualis animæ motus, qui nobis pecoribusque communis est, seclusus est a ratione sapientiæ. Sensu quippe corporis corporalia sentiuntur: æterna vero et incommutabilia spiritalia ratione sapientiæ intelliguntur. Rationi autem scientiæ appetitus vicinus est: quandoquidem de ipsis corporalibus quæ sensu corporis sentiuntur, ratiocinatur ea quæ scientia dicitur actionis; si bene, ut eam notitiam referat ad finem summi boni; si autem male, ut eis fruatur tamquam bonis talibus in quibus falsa beatitudine conquie-

Gen. 3. 6.

(a) Er. et Lov. *ut ei nec divinum aliquid placeat, nisi tale videatur*. Melius Am. et MSS. verbo *placeat* expuncto, *ut ei nec divinum aliquid, nisi tale*, id est nisi quod ejus generis est de quo dicit, *videatur*.

(b) Sic Am. et plures MSS. Alii vero cum Er. et Lov. *semel*.

(c) Aliquot MSS. *nisi ab ipso*.

(d) PleriqueMSS. et editio Am, *quando*.

scat. Cum ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus et corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est, tamquam bono quodam privato et proprio, non tamquam publico atque communi quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est, superioris vero auctoritate consilii ita membra retinen-
Rom. 6. 13. tur, ut non exhibeantur iniquitatis arma pecca-
Gen. 3. 6. to: sic habendum existimo velut cibum vetitum
a mulier sola comederit. Si autem in (a) consensione male utendi rebus quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur: intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi et illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat et serviat.

Cogitationum delectationes illicitæ.

18. Nec sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volvens libenter quæ statim ut attingerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longe minus quam si et opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum,
Matth. 6. 12. *Dimitte nobis debita nostra*: faciendumque quod sequitur, atque in oratione jungendum, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur; ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur; quasi mulierem sine viro posse damnari: absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.

19. Hæc itaque disputatio qua in mente uniuscujusque hominis quæsivimus quoddam rationale conjugium contemplationis et actionis, officiis per quædam singula distributis, tamen in utroque mentis unitate servata, salva illius ve-
Gen. 3. 24. ritatis historia, quam de duobus primis hominibus viro scilicet ejusque muliere, de quibus propagatum est genus humanum, divina tradit auctoritas, ad hoc tantummodo audienda est, ut
1. Cor. 11. 7. intelligatur Apostolus imaginem Dei viro tantum

A tribuendo, non etiam feminæ, quamvis in diverso sexu duorum hominum, aliquid tamen significare voluisse quod in uno homine quæreretur.

CAPUT XIII. Opinio eorum qui virum mentem, muliere sensum corporis significari senserunt.

20. Nec me fugit, quosdam qui fuerunt ante nos egregii defensores catholicæ fidei et divini eloquii tractatores, cum in homine uno, cujus universam animam bonam quemdam paradisum esse senserunt, duo ista requirerent, virum mentem, mulierem vero dixisse corporis sensum. Et secundum hanc distributionem qua vir ponitur mens, sensus vero corporis mulier, videntur apta omnia convenire, si considerata tractentur: nisi quod in omnibus bestiis et volatilibus scriptum Gen. 2. 20.
est non esse inventum viro adjutorium simile illi, et tunc est ei mulier facta de latere. Propter quod ego non putavi pro muliere sensum corporis esse ponendum, quem videmus nobis et
B bestiis esse communem; sed aliquid volui quod bestiæ non haberent: sensumque corporis magis pro serpente intelligendum existimavi, qui legitur sapientior omnibus pecoribus terræ. In eis quippe naturalibus bonis, quæ nobis et irratio- Gen. 3. 1.
nabilibus animantibus videmus esse communia, vivacitate quadam sensus excellit: non ille de quo scriptum est in Epistola quæ est ad Hebræos, ubi legitur, *perfectorum esse solidum cibum,* Hebr. 5. 14.
qui per habitum exercitatos habent sensus ad separandum bonum a malo; illi quippe sensus naturæ rationalis sunt ad intelligentiam pertinentes; sed iste sensus quinque-pertitus in corpore, per quem non solum a nobis, verum etiam a bestiis corporalis species motusque sentitur.

C 21. Sed sive isto sive illo, sive aliquo alio modo accipiendum sit, quod Apostolus virum dixit imaginem et gloriam Dei, mulierem autem gloriam viri: apparet tamen cum secundum Deum vi- 1. Cor. 11. 7.
vimus, mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, caritate, proficienter debere formari: quiddam vero rationalis intentionis nostræ, hoc est ejusdem mentis, in usum mutabilium corporaliumque rerum, sine quo hæc vita non agitur, dirigendum: non Rom. 12. 2.
ut (b) conformemur huic sæculo, finem consti- b
tuendo in bonis talibus, et in ea detorquendo beatitudinis appetitum; sed ut quidquid in usu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione facimus, per ista transeuntes, illis inhærentes. * Habet enim et * CAPUT XIV.
D scientia modum suum bonum, si quod in ea inflat vel inflare assolet, æternorum caritate vincatur, quæ non inflat, sed ut scimus ædificat. Sine scientia quippe nec virtutes ipsæ, quibus recte vivitur, possunt haberi, per quas hæc vita misera sic gubernetur, ut ad illam quæ vere beata est, perveniatur æternam.

Inter sapientiam et scientiam quid distet.

22. Distat tamen ab æternorum contemplatione actio qua bene utimur temporalibus rebus, et illa sapientiæ, hæc scientiæ deputatur. Quamvis enim et illa quæ sapientia est, possit scientia nuncupari, sicut et Apostolus loquitur ubi dicit, *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam si-* 1. Cor. 13. 12.

(a) Editio Lov. *in consensionem*.

(b) Plures MSS. *conformetur*.

A *cut et cognitus sum;* quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi, quod sanctorum erit præmium summum: tamen ubi dicit,
1. Cor. 12, 8. *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum;* hæc utique duo sine dubitatione distinguit, licet non ibi explicet quid intersit, et unde possit utrumque dignosci. Verum scripturarum sanctarum multiplicem copiam scrutatus, invenio scriptum esse in libro Job, eodem sancto viro loquente,
Job. 28. 28. *Ecce pietas est sapientia, abstinere autem a malis est scientia.* In hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere. Pietatem quippe hoc loco posuit Dei cultum, quæ Græce dicitur θεοσέβεια. Nam hoc verbum habet ista sententia in codicibus Græcis.
B
Cultus Dei, amor ejus. Et quid est in æternis excellentius quam Deus, cujus solius immutabilis est natura? Et quis cultus ejus, nisi amor ejus, quo nunc desideramus eum videre, credimusque et speramus nos esse visuros; et quantum proficimus, videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem in manifestatione? Hoc est enim quod ait apostolus Paulus,
1. Cor. 13. 12. *facie ad faciem*. Hoc etiam quod Johannes,
1. Johan. 3. 2. *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* De his atque hujusmodi (a) sermo ipse mihi videtur esse sermo sapientiæ. a
Job. 28. 28. Abstinere autem a malis, quam Job scientiam dixit esse, rerum procul dubio temporalium est.
C
Quoniam secundum tempus in malis sumus, a quibus abstinere debemus, ut ad illa bona æterna veniamus. Quamobrem quidquid prudenter, fortiter, temperanter et juste agimus, ad eam pertinet scientiam sive disciplinam, qua in evitandis malis bonisque appetendis actio nostra versatur; et quidquid propter exempla vel cavenda vel imitanda, et propter quarumque rerum quæ nostris accomodata sunt usibus necessaria documenta, historica cognitione colligimus.

Quomodo per sapientiam fiat cognitio intellectualis rerum æternarum.

23. De his ergo sermo cum sit, eum scientiæ sermonem puto, discernendum a sermone sapientiæ, ad quam pertinent ea quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt, et propter eam æternitatem in qua sunt, et fuisse et esse et futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum. Non
D
enim sic fuerunt ut esse desinerent, aut sic futura sunt quasi nunc non sint: sed ipsum esse semper habuerunt, semper habitura sunt. Manent autem, non tamquam in spatiis locorum fixa veluti corpora: sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mentis adspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus. Non autem solum rerum sensibilium in locis positarum sine spatiis localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes, verum etiam motionum in temporibus transeuntium sine temporali transitu stant etiam ipsæ utique intelligibiles, non sensibiles. Ad quas mentis acie pervenire paucorum est: et cum pervenitur, quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti (b) acie ipsa reverberata repellitur, et fit rei non transitoriæ transitoria cogitatio. b Quæ tamen cogitatio transiens per disciplinas quibus eruditur animus, memoriæ commendatur, ut sit quo redire possit, quæ cogitur inde transire: quamvis si ad memoriam cogitatio non rediret, atque quod commendaverat ibi inveniret, velut rudis ad hoc sicut ducta fuerat duceretur, idque inveniret ubi primum invenerat, in illa scilicet incorporea veritate, unde rursus quasi descriptum in memoria figeretur. Neque enim sicut manet, verbi gratia, quadrati corporis incorporalis et incommutabilis ratio, sic in ea manet hominis cogitatio; si tamen ad eam sine phantasia spatii localis potuit pervenire. Aut si alicujus artificiosi et musici soni per moras temporis transeuntis numerositas comprehendatur, sine tempore stans in quodam secreto altoque silentio, tamdiu saltem cogitari potest quamdiu potest ille cantus audiri: tamen quod inde rapuerit etsi transiens mentis adspectus, et quasi glutiens in (c) ventrem ita in memoria reposuerit, poterit recordando quodam modo ruminare, et in disciplinam quod sic didicerit trajicere. c Quod si fuerit omnimoda oblivione deletum, rursus doctrina duce ad id venietur quod penitus exciderat, et sic invenitur ut erat.

CAPUT XV. Contra reminiscentiam Platonis et Pythagoræ.

24. Unde Plato ille philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse hic animas hominum, et ante quam ista corpora gererent: et hinc esse quod ea quæ discuntur, reminiscantur potius cognita, quam cognoscantur nova. Retulit enim, puerum quemdam nescio quæ de (d) geometrica interrogatum, sic respondisse, tamquam esset illius peritissimus disciplinæ. d Gradatim quippe atque artificiose interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat. Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non utique omnes vel pene omnes, cum illo modo interrogarentur, hoc possent. Non enim omnes in priore vita geometræ fuerunt, cum tam rari sint in genere humano, ut vix possit aliquis inveniri: sed potius credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subjuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus. Non enim et ipse ideo sine magistro alba et nigra discernit, quia ista jam noverat ante quam in hac carne crearetur. Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, ut bene interrogatus quisque respondeat quod ad quamque pertinet disciplinam, etiamsi ejus ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus

(a) Codices quidam, atque hujusmodi sermonibus ipse mihi etc.
(b) Plures MSS. acies.
(c) MSS. in ventre.
(d) Sic MSS. Editi vero, de geometria.

nullus potest, nisi quos isto vidit in corpore constitutus, aut eis quæ noverant indicantibus credidit, seu litteris cujusque, seu verbis. Non enim adquiescendum est eis qui Samium Pythagoram ferunt recordatum fuisse talia nonnulla quæ (a) fuerat expertus, cum hic alio jam fuisset in corpore: et alios nonnullos narrant alii, ejusmodi aliquid in suis mentibus passos: quas falsas fuisse memorias, quales plerumque experimur in somnis, quando nobis videmur reminisci quasi egerimus aut viderimus, quod nec egimus omnino nec vidimus; et eo modo affectas esse illorum mentes etiam vigilantium, instinctu spirituum malignorum atque fallacium, quibus curæ est de revolutionibus animarum falsam opinionem ad decipiendos homines firmare vel serere, ex hoc conjici potest, quia si vere illa recordarentur quæ hic in aliis antea positi corporibus viderant, multis ac pene omnibus id contingeret: quandoquidem, ut de vivis mortuos, ita de mortuis vivos, tamquam de vigilantibus dormientes, et de dormientibus vigilantes, sine cessatione fieri suspicantur.

Samius Pythagoras.

25. Si ergo hæc est sapientiæ et scientiæ recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis; quid cui præponendum sive postponendum sit, non est difficile judicare. Si autem alia est adhibenda discretio, qua dignoscantur hæc duo, quæ procul dubio distare Apostolus docet, dicens, *Alii datur quidem per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum*: tamen etiam istorum duorum quæ nos posuimus evidentissima differentia est, quod alia sit intellectualis cognitio æternarum rerum, alia rationalis temporalium, et huic illam præponendam esse ambigit nemo. Relinquentibus itaque nobis ea quæ sunt exterioris hominis, et ab eis quæ communia cum pecoribus habemus introrsum adscendere cupientibus, ante quam ad cognitionem rerum intelligibilium atque summarum quæ sempiternæ sunt veniremus, temporalium rerum cognitio rationalis occurrit. Etiam in hac igitur inveniamus, si possumus, aliquam trinitatem, sicut inveniebamus in sensibus corporis, et in iis quæ per eos in animam vel spiritum nostrum imaginaliter intraverunt; ut pro corporalibus rebus quas corporeo foris positas adtingimus sensu, intus corporum similitudines haberemus impressas memoriæ, ex quibus cogitatio formaretur, tertia voluntate utrumque jungente: sicut formabatur foris acies oculorum, quam voluntas ut visio fieret adhibebat rei visibili, et utramque jungebat, etiam illic ipsa se admovens tertiam. Sed non est hoc coarctandum in hunc librum, ut in eo qui sequitur, si Deus adjuverit, convenienter possit inquiri, et quod inventum fuerit explicari.

1. Cor. 12. 8.

De differentia sapientiæ a scientia, et de quærenda trinitate in temporalium scientia.

LIBER DECIMUS-TERTIUS

Prosequitur de scientia, in qua videlicet, etiam ut a sapientia distinguitur, trinitatem quamdam inquirere libro superiore cœpit, qua occasione hic fidem Christianam commendans, explicat quomodo credentium sit fides una et communis. Tum beatitudinem omnes velle, nec tamen omnium esse fidem qua ad beatitudinem pervenitur. Hanc autem fidem in Christo esse definitam qui in carne resurrexit a mortuis, nec nisi per illam liberari quemquam a diaboli dominatu per remissionem peccatorum: et fuse ostendit diabolum non potentia, sed justitia vinci a Christo debuisse. Tandem hujus verba fidei dum memoriæ mandantur, inesse quamdam in animo trinitatem, quia et in memoria sunt verborum soni, etiam quando homo inde non cogitat; et inde formatur acies recordationis ejus, quando de his cogitat; et demum voluntas recordantis atque cogitantis utrumque conjungit.

CAPUT I. Sapientiæ et scientiæ officia ex Scripturis discernere aggreditur.

In libro superiore hujus Operis duodecimo satis egimus discernere rationalis mentis officium in temporalibus rebus, ubi non sola cognitio, verum et actio nostra versatur, ab excellentiore ejusdem mentis officio, quod contemplandis æternis rebus impenditur, ac sola cognitione finitur. Commodius autem fieri puto, ut de Scripturis sanctis aliquid interseram, quo facilius possit utrumque dignosci.

Ex Johannis exordio alia dicta ad sapientiam, alia ad scientiam pertinere. Johan. 1. 1.

2. Evangelium suum Johannes Evangelista sic exorsus est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine; ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Hoc totum quod ex Evangelio posui, in præcedentibus suis partibus habet quod immutabile ac sempiternum est, cujus contemplatio nos beatos facit: in consequentibus vero permixta cum temporalibus commemorantur æterna. Ac per hoc aliqua ibi ad scientiam pertinent, aliqua ad sapientiam, sicut in libro duodecimo nostra præcessit distinctio. Nam, *In principio erat Ver-*

(a) Editi, non *fuerat*. Abest non a MSS.

A *bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt:* contemplativam vitam requirit, et intellectuali mente cernendum est. Qua in re quanto magis quisque profecerit, tanto fiet sine dubitatione sapientior. Sed propter id quod ait, *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt:* fide utique opus erat, qua crederetur quod non videretur. Tenebras quippe intelligi voluit, aversa ab hujusmodi luce eamque minus idonea contueri corda mortalium: propter quod adjungit et dicit, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Hoc jam temporaliter gestum est, et ad scientiam pertinet, quæ cognitione historica continetur. Hominem autem Johannem in phantasia cogitamus quæ de humanæ naturæ notitia impressa est nostræ memoriæ. Et hoc eodem modo cogitant, sive qui ista non credunt, sive qui credunt. Utrisque enim notum est quid sit homo, cujus exteriorem partem, id est, corpus per corporis lumina didicerunt, interiorem vero, id est, animam in se ipsis, quia et ipsi homines sunt, et per humanam conversationem cognitam tenent: ut possint cogitare quod dicitur, *Fuit homo cui nomen erat Johannes:* quia et nomina sciunt loquendo et audiendo. Quod autem ibi est, *missus a Deo;* fide tenent qui tenent: et qui fide non tenent, aut dubitatione ambigunt, aut infidelitate derident. Utrique tamen, si non sunt ex numero nimis insipientium, qui dicunt in corde suo, *Non est Deus*, hæc audientes verba, utrumque cogitant, et quid sit Deus, et quid sit mitti a Deo, et si non sicut res se habent, at certe sicut valent.

Quædam ibi fidei tantum auxilio cognita.

Psalm. 13. 1.

3. Fidem porro ipsam quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter novimus: non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis, et per ipsorum imagines quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus: nec sicut ea quæ non vidimus, et ex iis quæ vidimus cogitatione utcumque formamus, et memoriæ commendamus, quo recurramus cum voluerimus, ut illic ea, vel potius qualescumque imagines eorum quas ibi fiximus, similiter recordatione cernamus: nec sicut hominem vivum, cujus animam etiamsi non videmus, ex nostra conjicimus, et ex motibus corporalibus hominem vivum, sicut (a) videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde in quo est ab eo cujus est: sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia. Cum itaque propterea credere jubeamur, quia id quod credere jubemur, videre non possumus; ipsam tamen fidem quando inest in nobis, videmus in nobis: quia et rerum absentium præsens est fides, et rerum quæ foris sunt, intus est fides, et rerum quæ non videntur fides, et ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum: et si ex fidelibus, infideles fiunt, perit ab eis. Aliquando autem et rebus falsis accommodatur fides; loquimur enim sic, ut dicamus, Habita est ei fides, et decepit. Qualis fides, si tamen et ipsa dicenda est fides, non culpabiliter de cordibus perit, quando eam inventa veritas pellit. Optabiliter autem rerum verarum in easdem res fides transit. Non enim dicendum est, Perit, quando ea, quæ credebantur, videntur. Numquid enim adhuc fides dicenda est, cum definita sit in Epistola ad Hebræos fides, dictumque sit eam esse *convictionem rerum quæ non videntur?*

Quomodo fidem quæ in nobis est videmus.

Heb. 11. 1.

4. Deinde quod sequitur, *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum:* actio, ut diximus, temporalis est. Temporaliter enim testimonium perhibetur etiam de re sempiterna, quod est intelligibile lumen. De quo ut testimonium perhiberet, venit Johannes; qui *non erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Adjungit enim, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt.* Hæc verba omnia, qui Latinam linguam sciunt, ex rebus intelligunt quas noverunt. Quarum aliquæ nobis innotuerunt per corporis sensus, sicut homo, sicut ipse mundus, cujus tam evidentem magnitudinem cernimus, sicut eorumdem verborum soni; nam et auditus sensus est corporis: aliquæ autem per animi rationem, sicut id quod dictum est, *Et sui eum non receperunt:* intelligitur enim, non in eum crediderunt; quod quid sit, nullo corporis sensu, sed animi ratione cognovimus. Ipsorum etiam verborum, non (b) sonos, sed significationes, partim per corporis sensum, partim per animi rationem didicimus. Nec ea verba nunc primum audivimus: sed quæ jam audieramus; et non solum ipsa, verum etiam quæ significarent, cognita memoria tenebamus, et hic agnovimus. Hoc enim nomen dissyllabum cum dicitur, *mundus*, quoniam sonus est, res utique corporalis per corpus innotuit, id est, per aurem: sed etiam quod significat per corpus innotuit, id est, per oculos carnis. Mundus quippe in quantum notus est, videntibus notus est. At hoc verbum quatuor syllabarum quod est, *crediderunt*, sono suo, quoniam corpus est, per aurem carnis illabitur: quod autem significat, nullo corporis sensu, sed animi ratione cognoscitur. Nisi enim quid sit, *crediderunt*, per animum nossemus, non intelligeremus quid non fecerint illi de quibus dictum est, *Et sui eum non receperunt.* Sonus ergo verbi forinsecus instrepit auribus corporis et attingit sensum qui vocatur auditus. Species quoque hominis et in nobis ipsis nobis nota est, et forinsecus in aliis

In eadem Johannis narratione, alia sunt corporis sensu, alia tantum animi ratione cognita.

(a) Plures MSS. *vivendo*.

(b) Editi, *non solum sonos*. Abest *solum* a MSS.

adest corporis sensibus, oculis cum videtur, auribus cum auditur, tactui cum tenetur et tangitur: habet etiam in memoria nostra imaginem suam, incorporalem quidem, sed corpori similem. Mundi denique ipsius mirabilis pulcritudo forinsecus præsto est, et adspectibus nostris et ei sensui qui dicitur tactus, si quid ejus attingimus: habet etiam ipse intus in memoria nostra imaginem suam, ad quam recurrimus, cum eum vel septi parietibus, vel etiam in tenebris cogitamus. Sed de his imaginibus rerum corporalium, incorporalibus quidem, habentibus tamen similitudines corporum, et ad vitam exterioris hominis pertinentibus, jam satis in undecimo libro locuti sumus. Nunc autem agimus de homine interiore, et ejus scientia, ea quæ rerum est temporalium et mutabilium, in cujus intentionem cum assumitur aliquid, etiam de rebus ad exteriorem hominem pertinentibus, ad hoc assumendum est ut aliquid inde doceatur quod rationalem adjuvet scientiam; ac per hoc rerum quas communes cum animantibus irrationalibus habemus, rationalis usus ad interiorem hominem pertinet; nec recte dici potest cum irrationalibus animantibus eum nobis esse communem.

CAPUT II. Fides res cordis, non corporis, quomodo communis et una omnium credentium.

5. FIDES vero de qua in hoc libro aliquanto diutius disputare certa dispositionis nostræ ratione compellimur, quam qui habent, fideles vocantur, et qui non habent, infideles, sicut ii qui venientem in propria Dei Filium non receperunt, quamvis ex auditu in nobis facta sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet qui appellatur auditus, quoniam non est sonus; nec ad oculos hujus carnis, quoniam non est color aut corporis forma; nec ad eum qui dicitur tactus, quoniam corpulentiæ nihil habet; nec ad ullum omnino sensum corporis, quoniam cordis est res ista, non corporis; nec foris est a nobis, sed in intimis (a) nobis; nec eam quisquam hominum videt in alio, sed unusquisque in semetipso. Denique potest et simulatione confingi, et putari esse in quo non est. Suam igitur quisque fidem apud se ipsum videt: in altero autem credit esse eam, non videt; et tanto firmius credit, quanto fructus ejus magis novit, quos operari solet fides per dilectionem. (Gal. 5. 6.) Quamobrem omnibus de quibus Evangelista subjungit et dicit, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, (Johan. 1. 12.) fides ista communis est: non sicut aliqua corporis forma communis est ad videndum omnium oculis quibus præsto est; ex ipsa quippe una omnium cernentium quodam modo informatur adspectus: sed sicut dici potest omnibus hominibus esse facies humana communis; nam hoc ita dicitur, ut tamen singuli suas habeant. Ex una sane doctrina impressam fidem credentium cordibus singulorum qui hoc idem credunt verissime dicimus: sed aliud sunt ea quæ creduntur, aliud fides qua creduntur. Illa quippe in rebus sunt quæ vel esse vel fuisse vel futuræ esse dicuntur: hæc autem in animo credentis est, ei tantum conspicua cujus est; quamvis sit et in aliis, non ipsa, sed similis. Non enim numero est una, sed genere: propter similitudinem tamen et nullam diversitatem magis unam dicimus esse quam multas. Nam et duos homines simillimos cum videmus, unam faciem dicimus et miramur amborum. Facilius itaque dicitur multas animas fuisse singulas utique singulorum, de quibus legimus in Actibus Apostolorum, quod eis fuerit anima una (Act. 4. 32.); quam ubi dixit Apostolus, *Una fides* (Ephes. 4. 5.), tot eas audet quisquam dicere quot fideles. Et tamen qui dicit, *O mulier, magna est fides tua* (Matth. 15. 28.): et alteri, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (Matth. 14. 31.) suam cuique esse significat. Sed ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una: cum et in ipsis qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua, alterius autem lateat, quamvis idem velit; et si aliquibus signis sese indicet, creditur potius quam videtur. Unusquisque autem sui animi conscius non credit utique hanc esse suam, sed plane pervidet voluntatem.

Fides credentium una non secus ac volentium voluntas una.

CAPUT III. Voluntates quædam eædem omnium singulis notæ.

6. EST quædam sane ejusdem naturæ viventis et ratione utentis tanta conspiratio, ut cum lateat alterum quid alter velit, nonnullæ tamen sint voluntates omnium etiam singulis notæ: et cum quisque homo nesciat quid homo alius unus velit, in quibusdam rebus possit scire quid omnes velint. Unde illa cujusdam mimi facetissima prædicatur urbanitas, qui cum se promisisset in theatro quid in animo haberent, et quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti exspectatione major multitudo confluxisset, suspensis et silentibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, et caro vendere. In quo dicto levissimi scenici omnes tamen conscientias invenerunt suas, eique vera ante oculos omnium constituta, et tamen improvisa dicenti, admirabili favore plauserunt. Cur autem tam magna expectatio facta est illo promittente omnium voluntatem se esse dicturum, nisi quia latent hominem aliorum hominum voluntates? Sed numquid ista latuit istum? Numquid quemquam latet? Qua tandem causa, nisi quia sunt quædam quæ non inconvenienter in aliis de se quisque conjiciat, compatiente vel conspirante vitio seu natura? Sed aliud est videre voluntatem suam, aliud, quamvis certissima conjectura, conjicere alienam. Nam conditam Romam tam certum habeo in rebus humanis quam Constantinopolim, cum Romam viderim oculis meis, de illa vero nihil noverim, nisi quod aliis testibus credidi. Et minus quidem ille vel se ipsum intuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere, et caro vendere, omnibus id credidit esse commune. Sed quoniam re vera vitium est, potest quisque adipisci ejus-

(a) Sic MSS. At Editi, *in intimis nostris*.

modi justitiam, vel alicujus alterius vitii quod huic contrarium est incurrere pestilentiam, qua huic resistat et vincat. Nam scio ipse hominem, cum venalis codex ei fuisset oblatus, pretiique ejus ignarum et ideo quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, justum pretium quod multo amplius erat, nec opinanti dedisse. Quid si etiam sit quisquam nequitia tanta possessus, ut vili vendat quæ dimiserunt parentes, et caro emat quæ consumant libidines? Non est, ut opinor, incredibilis ista luxuries: et si quærantur tales, reperiantur, aut etiam non quæsiti fortassis occurrant, qui nequitia majore quam theatrica, propositioni vel pronuntiationi theatricæ insultent, magno pretio stupra emendo, parvo autem rura vendendo. Largitionis etiam gratia novimus quosdam emisse frumenta carius, et vilius vendidisse suis civibus. Illud etiam quod vetus poeta dixit Ennius, Omnes mortales sese laudari optant: profecto et de se ipso et de iis quos expertus fuerat, conjecit in aliis, et videtur pronuntiasse hominum omnium voluntates. Denique si et mimus ille dixisset, Laudari omnes vultis, nemo vestrum vult vituperari: similiter quod esset omnium voluntatis dixisse videretur. Sunt tamen qui vitia sua oderint, et in quibus sibi displiceant ipsi, nec ab aliis se laudari velint, gratiasque agant objurgantium benevolentiæ, cum ideo vituperantur ut corrigantur. At si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate quæ omnibus et in omnibus hominibus satis nota est, non recedit.

Ennius poeta.

CAPUT IV. Beatitudinis habendæ voluntas una omnium, sed de ipsa beatitudine varietas magna voluntatum.

7. Mirum est autem cum capessendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta exsistat de ipsa beatitudine rursus varietas atque diversitas voluntatum: non quod aliquis eam nolit; sed quod non omnes eam norint. Si enim omnes eam nossent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, aliis in corporis voluptate, aliis in utraque et aliis atque aliis alibi atque alibi. Ut enim eos quæque res maxime delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam. Quomodo igitur ferventissime amant omnes, quod non omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit? sicut jam de hac re in libris * superioribus disputavi. Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? An forte sciunt omnes ipsa quæ sit, sed non omnes sciunt ubi sit, et inde contentio est? Quasi vero de aliquo mundi hujus agatur loco, ubi debeat quisque velle vivere, qui vult beate vivere, ac non ita quæratur ubi sit beatitudo, sicut quæritur quæ sit? Nam utique si in corporis voluptate est, ille beatus est qui fruitur corporis voluptate: si in virtute animi, ille qui hac fruitur: si in utraque ille qui fruitur utraque. Cum itaque alius dicit, beate vivere est voluptate corporis frui; alius autem, beate vivere est virtute animi frui: nonne aut ambo nesciunt quæ sit beata vita, aut non ambo sciunt? Quomodo ergo ambo amant eam, si nemo potest amare quod nescit? An forte falsum est quod pro verissimo certissimoque posuimus beate vivere omnes homines velle? Si enim beate vivere est, verbi gratia, secundum animi virtutem vivere; quomodo beate vivere vult, qui hoc non vult? Nonne verius dixerimus, Homo iste non vult beate vivere, quia non vult secundum virtutem vivere, quod solum est beate vivere? Non igitur omnes beate vivere volunt, immo pauci hoc volunt, si non est beate vivere, nisi secundum virtutem animi vivere, quod multi nolunt. Itane falsum erit, unde nec ipse (cum Academicis omnia dubia sint.) Academicus ille Cicero dubitavit, qui cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium, Beati certe, inquit, omnes esse volumus? Absit ut hoc falsum esse dicamus. Quid igitur? an dicendum est etiamsi nihil sit aliud beate vivere, quam secundum virtutem animi vivere, tamen et qui hoc non vult, beate vult vivere? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale est enim ac si dicamus, Et qui non vult beate vivere, beate vult vivere. Istam repugnantiam quis audit, quis ferat? Et tamen ad hanc contrudit necessitas, si et omnes beate velle vivere verum est, et non omnes sic volunt vivere, quomodo solum beate vivitur.

*Lib. 8. c. 4. et seq. et lib. 10. c. 1. etc.

Ciceronis Hortensius.

CAPUT V. De eadem re.

8. An forte illud est quod nos ab his angustiis possit eruere, ut quoniam diximus ibi quosque posuisse beatam vitam quod eos maxime delectavit, ut voluptas Epicurum, virtus Zenonem, sic alium aliquid aliud, nihil dicamus esse beate vivere, nisi vivere secundum delectationem suam, et ideo falsum non esse quod omnes beate vivere velint, quia omnes ita volunt ut quemque delectat? Nam et hoc populo si pronuntiatum esset in theatro, omnes id in suis voluntatibus invenirent. Sed hoc quoque Cicero cum sibi ex adverso proposuisset, ita redarguit, ut qui hoc sentiunt, erubescant. Ait enim: Ecce autem non » Philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes ajunt esse beatos, qui vivant ut » ipsi velint, hoc est quod nos diximus, ut quosque » delectat. Sed mox ille subjecit: Falsum id » quidem. Velle enim quod non deceat, idipsum » miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non » oporteat. Præclarissime omnino atque verissime. Quis namque ita sit mente cæcus, et ab omni luce decoris alienus, ac tenebris dedecoris involutus, ut eum qui nequiter vivit ac turpiter, et nullo prohibente, nullo ulciscente, et nullo saltem reprehendere audente, insuper laudantibus plurimis, quoniam sicut ait Scriptura divina, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur*, implet omnes suas facinorosissimas et flagitiosissimas (a) voluntates, ideo beatum dicat, quia vivit ut vult: Psal. 9. 3.

(a) Sic Am. Er. et aliquot MSS. Al editio Lov. voluptates.

cum profecto quamvis et sic miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quæ perperam voluisset, habere potuisset? Etiam mala enim voluntate vel sola quisque miser efficitur: sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Quapropter quoniam verum est, quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cetera quæcumque appetunt; nec quisquam potest amare quod omnino quid vel quale sit nescit, nec potest nescire quid sit, quod velle se scit; sequitur ut omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt continuo sint beati: continuo autem miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Beatus igitur non est, nisi qui et habet omnia quæ vult, et nihil vult male.

CAPUT VI. Cur cum omnes velint beatitudinem, id eligatur, potius, quo ab ea receditur.

9. Cum ergo ex his duobus beata vita constet, atque omnibus nota, omnibus cara sit, quid putamus esse caussæ, cur horum duorum, quando utrumque non possunt, magis eligant homines, ut omnia quæ volunt habeant, quam ut omnia bene velint etiam si non habeant? An ipsa est pravitas generis humani, ut cum eos non lateat, nec illum beatum esse qui quod vult non habet, nec illum qui quod male vult habet, sed illum qui et habet quæcumque vult bona, et nulla vult mala, ex his duobus quibus beata vita perficitur, quando utrumque non datur, id eligatur potius, unde magis a beata vita receditur; (longius quippe ab illa est quicumque adipiscitur male concupita, quam qui non adipiscitur concupita;) cum potius eligi debuerit voluntas bona, atque præponi, etiam non adepta quæ appetit; Propinquat enim beato, qui bene vult quæcumque vult, et quæ adeptus cum fuerit beatus erit. Et utique non mala, sed bona beatum faciunt, quando faciunt: quorum bonorum habet aliquid jam, idque non parvi æstimandum, eam ipsam scilicet voluntatem bonam, qui de bonis quorum capax est humana natura, non de ullius mali perpetratione vel adeptione gaudere desiderat, et bona, qualia et in hac misera vita esse possunt, prudenti, temperanti, forti, et justa mente sectatur, et quantum datur assequitur, ut etiam in malis sit bonus, et finitis malis omnibus atque impletis bonis omnibus sit beatus.

CAPUT VII Fides necessaria, ut aliquando sit homo beatus. quod non nisi in futura vita consequatur.

10. Ac per hoc in ista mortali vita erroribus ærumnisque plenissima, præcipue fides est necessaria, qua in Deum creditur. Non enim quæcumque bona, maximeque illa quibus quisque fit bonus, et illa quibus fiet beatus, unde nisi a Deo in hominem veniant, et homini accedant, inveniri potest. Cum autem ex hac vita ab eo qui in his miseriis fidelis et bonus est, ventum fuerit ad beatam, tunc erit vere quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo vivat quomodo vult. Non enim volet male vivere in illa felicitate, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit. Quidquid amabitur, aderit: nec desiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit, et summus Deus summum bonum erit, atque ad fruendum amantibus præsto erit; et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Nunc vero fecerunt (a) quidam sibi Philosophi, sicut eorum cuique placuit, vitas beatas suas, ut quasi propria virtute possent, quod communi mortalium conditione non poterant, sic scilicet vivere ut vellent. Sentiebant enim aliter beatum esse neminem posse, nisi habendo quod vellet, et nihil patiendo quod nollet. Quis autem non qualemcumque vitam qua delectatur, et ideo beatam vocat, vellet sic esse in sua potestate, ut eam posset habere perpetuam? Et tamen quis ita est? Quis vult pati molestias quas fortiter toleret, quamvis eas velit possitque tolerare si patitur? Quis velit in tormentis vivere, etiam qui potest in eis per patientiam tenendo justitiam laudabiliter vivere? Transitura cogitaverunt hæc mala, qui ea pertulerunt, vel cupiendo habere, vel timendo amittere quod amabant, sive nequiter sive laudabiliter. Nam multi per transitoria mala, ad bona permansura fortiter tetenderunt. Qui profecto spe beati sunt, etiam cum sunt in transitoriis malis, per quæ ad bona non transitura perveniunt. Sed qui spe beatus est, nondum beatus est: exspectat namque per patientiam beatitudinem quam nondum tenet. Qui vero sine ulla spe tali, sine ulla tali mercede cruciatur, quantamlibet, adhibeat, tolerantiam, non est beatus veraciter, sed miser fortiter. Neque enim propterea miser non est, quia miserior esset, si etiam impatienter miseriam sustineret. Porro si ista non patitur, quæ nollet pati in suo corpore, nec tunc quidem beatus habendus est, quoniam non vivit ut vult. Ut enim alia omittam, quæ corpore illæso ad animi pertinent offensiones, sine quibus vivere vellemus, et sunt innumerabilia; vellet utique si posset ita salvum atque incolume habere corpus, et nullas ex eo pati molestias, ut id haberet in potestate, aut in ipsius incorruptione corporis: quod quia non habet, ac pendet (b) in incerto, profecto non vivit ut vult. Quamvis enim per fortitudinem sit paratus excipere, ut æquo ferre animo quidquid adversitatis acciderit; mavult tamen ut non accidat, et si possit facit: atque ita paratus est in utrumque, ut quantum in ipso est alterum optet, alterum vitet, et si quod vitat, incurrerit, ideo volens ferat, quia fieri non potuit quod volebat. Ne opprimatur ergo sustinet; sed premi nollet. Quomodo ergo vivit ut vult? An quia volens fortis est ad ferenda quæ nollet illata? Ideo igitur id vult quod potest, quoniam quod vult non potest. Hæc est tota, utrum ridenda, an potius miseranda, superborum beatitudo mortalium, gloriantium se vivere ut volunt, quia volentes patienter ferunt, quæ accidere sibi nolunt. Hoc est enim, aiunt, quod sapienter dixit Terentius, Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis. Commode hoc dictum esse, quis neget? Sed consilium est datum misero, ne

Philosophorum superborum ridenda et miseranda beatitudo.

In Andr. scen. 1. Act. 2.

(a) Editi loco quidam, habebant quidem.

(b) MSS. ac pendet incerto, omissa particula in.

A esset miserior. Beato autem, quales se esse omnes volunt, non recte nec vere dicitur, Non potest fieri quod vis. Si enim beatus est quidquid vult fieri potest; quia non vult quod fieri non potest. Sed non est mortalitatis hujus hæc vita, nec erit nisi quando et immortalitas erit. Quæ si nullo modo dari homini posset, frustra enim beatitudo quæreretur; quia sine immortalitate non potest esse.

Beatitudo sine immortalitate non potest esse.

CAPUT VIII.

11. Cum ergo beati esse omnes homines velint, si (a) vere volunt, profecto et esse immortales volunt: aliter enim beati esse non possent. Denique et de immortalitate interrogati sicut et de beatitudine, omnes eam se velle respondent. Sed qualiscumque beatitudo, quæ potius vocetur quam sit, in hac vita quæritur, immo vero fingitur, dum immortalitas desperatur, sine qua vera beatitudo esse non potest. B Ille quippe beate vivit, quod jam superius diximus, et adstruendo satis fiximus, qui vivit ut vult, nec male aliquid vult. Nemo autem male vult immortalitatem, si ejus humana capax est Deo donante natura: cujus si non capax est, nec beatitudinis capax est. Ut enim homo beate vivat, oportet ut vivat. Quem porro morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere qui potest? Cum autem deserit, aut nolentem deserit procul dubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem, quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in potestate? Cumque beatus nemo sit aliquid volendo nec habendo, quanto minus est beatus qui non honore, non possessione, non qualibet alia re, sed ipsa beata vita nolens deseritur, quando ei nulla vita erit? C Unde etsi nullus sensus relinquitur, quo sit misera, (propterea enim beata vita discedit, quoniam tota vita discedit:) miser est tamen, quamdiu sentit, quia scit se (b) nolente consumi propter quod cetera et quod præ ceteris diligit. Non igitur potest vita et beata esse, et (c) nolentem deserere: quia beatus nolens nemo fit; ac per hoc quanto magis nolentem deserendo miserum facit, quæ si nolenti præsto esset miserum faceret. Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata vita erat, quam (d) perire voluit qui habebat? Restat ut dicant neutrum esse in animo beati, id est, eum deseri a beata vita, cum per mortem deserit tota vita, nec nolle nec velle, ad utrumque enim parato et æquo corde consistere. D Sed nec ista beata est vita, quæ talis est, ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit. Quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod utrum vigeat, an pereat, indifferenter accipitur? Nisi forte virtutes, quas propter solam beatitudinem sic amamus, persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus. Quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam propter quam solam istas amavimus, non amamus. Deinde quomodo erit vera tam illa (e)

A perspecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle, si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec volunt? Aut si volunt, ut veritas clamat, ut natura compellit, cui summe bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc: si volunt, inquam, beati esse qui beati sunt, beati non esse utique nolunt. Si autem beati non esse nolunt, procul dubio nolunt consumi et perire quod beati sunt. Nec nisi viventes beati esse possunt: nolunt igitur perire quod vivunt. Immortales ergo esse volunt, quicumque vere beati vel sunt vel esse cupiunt. Non autem vivit beate, cui non adest quod vult: nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.

Non humanis argumentationibus, sed fidei auxilio dicimus beatitudinem futuram esse vere sempiternam.

12. Hanc utrum capiat humana natura, quam B tamen desiderabilem confitetur, non parva quæstio est. Sed si fides adsit, quæ inest eis quibus dedit potestatem Jesus filios Dei fieri, nulla quæstio est. * Humanis quippe argumentationibus hæc invenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non invenerunt stabilem; id est veram: ad miserias eam quippe vitæ hujus etiam post beatitudinem redire dixerunt. Et qui eorum de hac erubuerunt sententia, et animam purgatam in (f) sempiterna beatitudine sine corpore collocandam putaverunt, talia de mundi retrorsus æternitate sentiunt, ut hanc de anima sententiam suam ipsi C redarguant: quod hic longum est demonstrare, sed in libro * duodecimo de civitate Dei, satis a nobis est, quantum arbitror, explicatum. Fides autem ista totum hominem immortalem futurum, qui utique constat ex anima et corpore, et ob hoc vere beatum, non argumentatione humana, sed divina auctoritate promittit. Et ideo cum dictum esset in Evangelio, quod Jesus *dederit potestatem filios Dei fieri iis qui eum receperunt;* et quid sit recepisse eum, breviter fuisset expositum, dicendo, *credentibus in nomine ejus:* quoque modo filii Dei fierent, esset adjunctum, *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt:* ne ista hominum quam videmus et gestamus infirmitas tantam excellen- D tiam desperaret, illico annexum est, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* ut a contrario suaderetur quod incredibile videbatur. Si enim natura Dei Filius propter filios hominum misericordia factus est hominis filius, hoc est enim, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* hominibus: quanto est credibilius, natura filios hominis gratia Dei filios Dei fieri, et habitare in Deo, in quo solo et de quo solo esse possunt beati participes immortalitatis ejus effecti; propter quod persuadendum Dei Fi-

* CAPUT IX.

* Cap. 20.

Johan. I, 12.

Ex filii Dei incarnatione credibilis fit immortalitas beatitudinis.

(a) Am. et MSS. *Si verum volunt.*
(b) Sic MSS. At editi, *volentem*: minus recte.
(c) Editio Lov. *volentem deserere.* Castigatur ex editis aliis et MSS.

(d) In MSS. *finire.*
(e) Editi, *perfecta.* Melius MSS. *perspecta.*
(f) Editi, *in sempiternam beatitudinem.*

A lius participes nostræ mortalitatis effectus est?

CAPUT X. Incarnatione Verbi convenientior non fuit modus alius liberandi hominis a mortalitatis miseria.

13. Eos itaque qui dicunt, Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines a miseria mortalitatis hujus ut unigenitum Filium Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam et carnem, mortalemque factum mortem perpeti? parum est sic refellere, ut istum modum quo nos per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum et divinæ congruum dignitati: verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem B nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Quid vero hujus rei tanto isto indicio manifestius atque præclarius, quam ut Dei Filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, et a nobis pro nobis accipiens quod non erat, præter (a) suæ naturæ detrimentum, nostræ dignatus inire consortium, prius sine ullo malo suo merito mala nostra perferret; ac si jam credentibus quantum nos diligat Deus, et quod desperabamus jam sperantibus, dona in nos sua sine ullis bonis meritis nostris, immo præcedentibus et malis meritis nostris, indebita largitate conferret?

Merita quæ dicuntur nostra, dona sunt Dei.

14. Quia et ea quæ dicuntur merita nostra, dona C sunt ejus. Ut enim fides per dilectionem operetur, *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (Gal. 5. 15. Rom. 5. 6.) Tunc est autem datus, quando est Jesus resurrectione clarificatus. (Joan. 20. 22. et 7. 39. et 15. 26.) Tunc enim eum se missurum esse promisit et misit: quia tunc, sicut de illo scriptum est, et ante prædictum, *Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* (Ephes. 4. 8. Psal. 67. 19.) Hæc dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum (b) immortalis beatitudinis pervenimus. *Commendat autem*, inquit Apostolus, *caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* (Rom. 5. 8.) Adhuc addit, et dicit, *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mor-* D *tem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* (Rom. 5. 10.) Quos peccatores dixit prius, hos posterius inimicos Dei et quos prius justificatos in sanguine Jesu Christi, eos posterius reconciliatos per mortem Filii Dei; et quos prius salvos ab ira per ipsum, eos postea salvos in vita ipsius. Non ergo ante istam gratiam quoquo modo peccatores, sed in talibus peccatis fuimus, ut inimici essemus Dei. Superius autem idem Apostolus nos peccatores et inimicos Dei duobus identidem nominibus appellavit, uno velut mitissimo, alio plane atrocissimo, dicens, *Si enim Christus cum infirmi essemus adhuc juxta tempus pro impiis mortuus est.* (Rom. 5. 6.) Quos infirmos, eosdem impios nuncupavit. Leve aliquid videtur infirmitas; sed aliquando talis est, ut impietas nominetur. Nisi tamen infirmitas esset, medicum necessarium non haberet: qui est Hebraice Jesus, Græce σωτὴρ, nostra autem locutione salvator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat, sicut potuit quando voluit. Hæc autem Apostoli sententia præcedens, ubi ait, *Adhuc cum infirmi essemus juxta tempus pro impiis mortuus est*, cohæret his duabus sequentibus, quarum in una dixit peccatores, in alia inimicos Dei, tamquam illis singulis reddiderit singula, peccatores ad infirmos, inimicos Dei referens ad impios.

CAPUT XI. Difficultas quomodo justificati sumus in sanguine Filii Dei.

15. Sed quid est, *justificati in sanguine ipsius?* Quæ vis est sanguinis hujus, obsecro, ut in eo justificentur credentes? Et quid est, *reconciliati per mortem Filii ejus?* Itane vero, cum irasceretur nobis Deus Pater, vidit mortem Filii sui pro nobis et placatus est nobis? Numquid ergo Filius ejus usque adeo nobis jam placatus erat, ut pro nobis etiam dignaretur mori: Pater vero usque adeo adhuc irascebatur, ut nisi Filius pro nobis moreretur, non placaretur? Et quid est quod alio loco idem ipse doctor gentium, *Quid*, inquit, *ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom. 8. 31.) Numquid nisi jam placatus esset Pater, proprio Filio non parcens pro nobis eum traderet? Nonne videtur hæc illi velut adversa esse sententia? In illa moritur pro nobis Filius, et reconciliatur nobis Pater per mortem ejus: in hac autem tamquam prior nos dilexerit Pater, ipse propter nos Filio non parcit, ipse pro nobis eum tradit ad mortem. Sed video quod et antea Pater dilexit nos, non solum ante quam pro nobis Filius moreretur, sed ante quam conderet mundum, ipso teste Apostolo qui dicit, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* (Ephes. 1. 4.) Nec Filius Patre sibi non parcente pro nobis velut invitus est traditus, quia et de ipso dictum est, *Qui me dilexit, et tradidit semetipsum pro me.* (Gal. 2. 20.) Omnia ergo simul et Pater et Filius et amborum Spiritus pariter et concorditer operatur: tamen justificati sumus in Christi sanguine, et reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: (Rom. 5. 9.) et quomodo id factum sit, ut potero, etiam hic quantum satis videbitur explicabo.

CAPUT XII. Omnes propter Adæ peccatum traditi in potestatem diaboli.

16. Quadam justitia Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis in omnes utriusque sexus commixtione nascentes originaliter transeunte, et parentum primorum debito universos posteros obligante. Hæc traditio prius in Genesi significata est, ubi cum serpenti dictum esset, *Terram manducabis:* (Gen. 3. 14.) homini dictum est, *Terra es, et in terram ibis.* (Ibidem. 19.) Eo quod dictum est, *in terram ibis*; mors cor-

(a) Er. et Lov. *præter animæ suæ naturæ* etc. Abest *animæ* a MSS. et editione Am.

(b) Sic MSS. Editi vero, *immortalitatis et beatitudinis.*

poris prænuntiata est, quia nec ipsam fuerat experturus, si permansisset ut factum est rectus: quod vero viventi ait, *Terra es*; ostendit totum hominem in deterius commutatum. Tale
Gen. 6. 3. est enim. *Terra es*: quale istud, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt*. Tunc ergo demonstravit eum ei traditum. cui dictum fuerat, *Terram manducabis*. Apostolus autem apertius hoc prædicat, ubi dicit:
Ephes. 2. 1. *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris spiritus hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis et affectionum: et eramus natura filii iræ, sicut et ceteri*. Filii diffidentiæ sunt infideles. et quis hoc non est ante quam fidelis fiat? Quocirca omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aeris, qui operatur in filiis diffidentiæ. Et quod dixi ab origine, hoc est quod dicit Apostolus, natura et se fuisse sicut ceteros, natura scilicet ut est depravata peccato, non ut recta creata est ab initio. Modus autem iste quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam non Deus fecerit, aut fieri jusserit: sed quod tantum permiserit, juste tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit. Nec ista sane Deus deseruit creaturam suam, ut non se illi exhiberet Deum creantem et vivificantem, et inter pœnalia mala etiam bona malis multa præstantem. Non enim continuit in ira
Psal. 76. 10. sua miserationes suas. Nec hominem a lege suæ potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit: quia nec ipse diabolus a potestate omnipotentis alienus est, sicut neque a bonitate. Nam et maligni angeli unde qualicumque subsisterent vita, nisi per eum qui vivificat omnia? Si ergo commissio peccatorum per iram Dei justam hominem subdidit diabolo, profecto remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam eruit hominem a diabolo.

CAPUT XIII. Non potentia, sed justitia eruendus homo fuit a diaboli potestate.

17. Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius? Aut cujus creaturæ potestas potestati Creatoris comparari potest? Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, et desertor oppugnatorque justitiæ; sic enim et homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa justitia, potentiæ student, ejusque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate: placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur, atque ita et homines imitantes Christum, justitia quærerent diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit: sed ordo servandus est, quo prior est justitia. Nam quanta potentia potest esse mortalium? Teneant ergo mortales justitiam, potentia immortalibus dabitur. Cui comparata quantalibet eorum hominum, qui potentes vocantur in terra, ridicula infirmitas invenitur, et ibi foditur peccatori fovea, ubi videntur mali plurimum posse. Cantat autem justus et dicit, *Beatus* Psal. 91. 12.
homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum: ut mitiges ei a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Quoniam non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet: quoad usque justitia convertatur in judicium, et qui habent eam, omnes recto sunt corde. Hoc ergo tempore quo differtur potentia populi Dei, non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet; quantalibet acerba et indigna ipsa humilis atque infirma patiatur, quoadusque justitia quam nunc habet infirmitas piorum, convertatur in judicium, hoc est, judicandi accipiat potestatem: quod justis in fine servatur, cum præcedentem justitiam ordine suo fuerit potentia subsecuta. Potentia quippe adjuncta justitiæ, vel justitia (a) accedens potentiæ, judiciariam a
potestatem facit. Pertinet autem justitia ad voluntatem bonam: unde dictum est ab Angelis nato
Christo, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax* Lucæ 2. 14.
hominibus bonæ voluntatis. Potentia vero sequi debet justitiam, non præire: ideo et in rebus secundis ponitur, id est prosperis: secundæ autem a sequendo sunt dictæ. Cum enim beatum faciant, sicut superius disputavimus, duæ res, bene velle, et posse quod velis, non debet esse illa perversitas, quæ in eadem disputatione nota est, ut ex duabus rebus quæ faciunt beatum, posse quod velit homo eligat, et velle quod oportet negligat; cum prius debeat habere voluntatem bonam, magnam vero postea potestatem. Bona porro voluntas purganda est a vitiis, a quibus si vincitur homo, ad hoc vincitur ut male velit, et bona jam voluntas ejus quomodo erit? Optandum est itaque ut potestas concedetur, sed contra vitia, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines: ut quid hoc, nisi ut vere victi falso vincant, nec sint veritate sed opinione victores? Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit justus, atque ut hæc veraciter possit, potentiam plane optet, atque appetat ut potens sit in se ipso, et miro modo adversus se ipsum pro se ipso. Cetera vero quæ bene vult, et tamen non potest, sicut est immortalitas, et vera ac plena felicitas, desiderare non cesset, et patienter exspectet.

CAPUT XIV. Christi mors indebita, liberavit obnoxios morti.

18. Quæ est igitur justitia, qua victus est diabolus? Quæ, nisi justitia Jesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine ullo debito occidit. Hoc est quod justificari dicimur in
Christi sanguine. Sic quippe in remissionem pec- Rom. 5. 9.
catorum nostrorum innocens sanguis ille effusus
est. Unde se dicit in Psalmis in mortuis liberum. Psal. 87. 6.

(a) Am. et plerique MSS. accedente potentia. Et nonnulli, accedente potentia.

A Solus enim a debito mortis liber est mortuus.
Psal. 68. 5. Hinc et in alio Psalmo dicit, *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*: rapinam volens intelligi peccatum, quia usurpatum est contra licitum. Unde per os etiam carnis suæ, sicut in Evangelio le-
Joban. 14. 30. gitur, dicit, *Ecce venit princeps Mundi hujus, et in me nihil invenit*, id est, nullum peccatum: *sed ut sciant omnes*, inquit, *quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc*. Et pergit inde ad passionem, ut pro debitoribus nobis quod ipse non debebat exsolveret. Numquid isto jure æquissimo diabolus vinceretur, si potentia Christus cum illo agere, non justitia voluisset? Sed postposuit quod potuit, ut prius ageret quod oportuit. Ideo autem illum esse opus erat, et hominem, et Deum. Nisi enim homo esset, non
B posset occidi: nisi Deus esset, non crederetur noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit; nec ab eo justitiam potentiæ prælatam fuisse, sed ei defuisse potentiam putaremus. Nunc vero humana pro nobis passus est, quia
a homo erat: sed si (*a*) noluisset, etiam hoc non pati potuisset, quia et Deus erat. Ideo gratior facta est in humilitate justitia, quia posset si noluisset humilitatem non perpeti tanta in divinitate potentia: ac sic a moriente tam potente, nobis mortalibus impotentibus, et commendata est justitia, et promissa potentia. Horum enim duorum unum fecit moriendo, alterum resur-
Marci 15. et 16. gendo. Quid enim justius, quam usque ad mortem crucis pro justitia pervenire? Et quid potentius, quam resurgere a mortuis, et in cœlum
C cum ipsa carne in qua est occisus ascendere? Et justitia ergo prius, et potentia postea diabolum vicit: justitia scilicet, quia nullum peccatum habuit, et ab illo injustissime est occisus; potentia vero, quia revixit mortuus, numquam postea moriturus. Sed potentia diabolum vicisset, etiam si ab illo non potuisset occidi: quamvis majoris sit potentiæ etiam ipsam mortem vincere resur-
Rom. 6. 9. gendo, quam vitare vincendo: Sed aliud est propter quod justificamur in Christi sanguine, cum per remissionem peccatorum eruimur a diaboli potestate: hoc ad id pertinet, quod a Christo justitia diabolus vincitur, non potentia. Ex infirmitate quippe quam suscepit in carne mortali non ex immortali potentia crucifixus est Chri-
1. Cor 1. 25. stus: de qua tamen infirmitate ait Apostolus,
D *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

CAPUT XV. De eodem.

19. Non est itaque difficile, videre diabolum victum, quando qui ab illo occisus est resurrexit. Illud est majus, et ad intelligendum profundius, videre diabolum victum, quando sibi vicisse videbatur, id est, quando Christus occisus est. Tunc enim sanguis ille, quoniam ejus erat qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum, ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum im-
Mar. 8. 27. merito pœna mortis affecit. Hac justitia victus,

A et hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus eriperentur, quæ apud eum cum ipso et angelis eius fuerant vasa iræ, et in vasa misericordiæ
verterentur. Hæc quippe verba ipsius Domini no- Rom. 9. 22.
stri Jesu Christi de cælo ad se facta, cum primum vocatus est, narrat apostolus Paulus. Nam inter cetera quæ audivit, etiam hoc sibi dictum
sic loquitur: *Ad hoc enim tibi apparui, ut con-* Act. 26. 16.
stituam te ministrum et testem eorum quæ a me vides, quibus etiam præco tibi, liberans te de populo et de gentibus, in quas ego mitto te aperire oculos cæcorum, ut avertantur a tenebris, et à potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem quæ in sanctis, et fidem quæ in me est. Unde et exhortans idem Apostolus credentes ad gratiarum actionem Deo
B Patri: *Qui eruit nos*, inquit, *de potestate tene-* Coloss. 1. 13.
brarum, et transtulit in regnum Filii caritatis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum. In hac redemptione tamquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus est, sed ligatus: ut nos ab ejus nexibus solveremus, nec quemquam secum eorum quos Christus ab omni debito liber indebite fuso suo sanguine redemis-
set, peccatorum retibus involutum traheret ad Apoc. 21. 8.
secundæ ac sempiternæ mortis exitium. sed hactemus morerentur ad Christi gratiam pertinen-
tes, præcogniti et prædestinati et electi ante 1. Petr. 1. 20.
constitutionem mundi, quatenus pro illis ipse mortuus est Christus, carnis tantum morte, non spiritus.

CAPUT XVI. Reliquiæ mortis et sæculi mala cedunt in bonum electis.

C 20 Quamvis enim et ipsa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus eius usus gloriosissimos martyres fecit. Et ideo non solum ipsa, sed omnis sæculi huius mala, dolores laboresque hominum, quamquam de peccatorum, et maxime de peccati originalis meritis veniant, unde facta est et ipsa vita vinculo mortis obstricta, tamen et remissis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, et unde exerceretur virtus fidelium: ut novus homo per testamentum novum, inter mala huius sæculi novo sæculo, præpararetur, miseriam quam meruit vita ista damnata sapienter tolerans, et quia finietur prudenter gratulans; beatitudinem vero quam liberata vita futura sine fine habitura est, fideliter et patien-
D ter expectans.. Diabolus enim a dominatu et à cordibus fidelium foras missus, in quorum damnatione atque infidelitate licet damnatus etiam ipse regnabat, tantum pro conditione mortalitatis huius adversari sinitur, quantum eis expedire novit, de quo sacræ litteræ personant per
os Apostolicum: *Fidelis Deus, qui non permit-* 1. Cor. 10. 13.
tet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Prosunt autem ista mala quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam vitæ hujus miseriam, ut illa ubi

(a) Sic MSS. At editi, voluisset.

erit beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardentius, et instantius inquiratur. Sed circa eos ista servantur, de quibus Apostolus dicit, [Rom. 8. 28.] *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quoniam quos ante præscivit, et prædestinavit conformes* (a) *imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos et vocavit; et quos vocavit illos et justificavit, quos autem justificavit, ipsos et glorificavit.* Horum prædestinatorum nemo cum diabolo peribit, nemo usque ad mortem sub diaboli potestate remanebit. Deinde sequitur quod jam * supra commemoravi: [* Cap. 11. Rom. 8. 31.] *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non et cum illo omnia nobis donavit?*

[Quam convenienter electa mors Christi, ut justificaremur in sanguine ipsius.]

21. Cur ergo non fieret mors Christi? immo cur non prætermissis aliis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti posset omnipotens, ipsa potissimum eligeretur ut fieret; ubi nec de divinitate ejus aliquid imminutum est aut mutatum, et de humanitate suscepta tantum beneficium collatum est hominibus, ut à Dei Filio sempiterno eodemque hominis filio mors temporalis indebita redderetur, qua eos a sempiterna morte debita liberaret? Peccata nostra diabolus tenebat, et per illa nos merito figebat in morte. Dimisit ea ille qui sua non habebat, et ab illo immerito est perductus ad mortem. Tanti valuit sanguis ille, ut neminem Christo indutum in æterna morte debita detinere debuerit, qui Christum morte indebita vel ad tempus occidit. [Rom. 5. 8.] *Commendat* ergo *caritatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Justificati*, inquit, *in sanguine ipsius*: justificati plane in eo quod a peccatis omnibus liberati: liberati autem a peccatis omnibus quoniam pro nobis est Dei Filius, qui nullum habebat, occisus. [Ira Dei quæ sit.] *Salvi ergo erimus ab ira per ipsum*: ab ira utique Dei, quæ nihil est aliud quam justa vindicta. Non enim sicut hominis, animi perturbatio est ira Dei: sed illius ira est, cui dicit alio loco sancta Scriptura, *Tu autem Domine* [Sap. 12. 18.] *virtutum cum tranquillitate judicas.* Si ergo justa divina vindicta tale nomen accepit, etiam reconciliatio Dei quæ recte (b) intelligitur, nisi cum talis ira finitur? Nec inimici eramus Deo, nisi quemadmodum justitiæ sunt inimica peccata, quibus remissis tales inimicitiæ finiuntur, et reconciliantur (c) justo quos ipse justificat. Quos tamen etiam inimicos utique dilexit: quandoquidem [Rom. 8. 32.] proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus, cum adhuc inimici essemus, tradidit eum. Recte ergo Apostolus secutus adjunxit, [Rom. 5. 10] *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, post quam facta est illa remissio peccatorum, *multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* In vita salvi, qui per mortem reconciliati. Quis enim dubitet daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam? *Non solum autem* inquit, *sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Non solum*, ait, salvi erimus, *sed et gloriamur*: nec in nobis sed *in Deo*: nec per nos, sed *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus*, secundum ea quæ superius disputata sunt. Denique subjungit Apostolus: *Propter hoc sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; et cetera, in quibus prolixius de duobus hominibus disputat, uno eodemque primo Adam, per cujus peccatum et mortem tamquam hereditariis malis posteri ejus obligati sumus; altero autem secundo Adam, qui non homo tantum, sed etiam Deus est, quo pro nobis solvente quod non debebat, a debitis et paternis et propriis liberati sumus. Proinde quoniam propter unum illum tenebat diabolus omnes per ejus vitiatam carnalem concupiscentiam generatos, justum est ut propter hunc unum dimittat omnes per ipsius immaculatam gratiam spiritualem regeneratos.

[CAPUT XVII. Alia incarnationis commoda.]

22. Sunt et alia multa quæ in Christi incarnatione, quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt. Quorum est unum, quod demonstratum est homini; quem locum haberet in rebus quas condidit Deus: quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, Deo, anima et carne: ut superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem: et maxime quia et mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideo illi tamquam deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales. Deinde ut gratia Dei (d) nobis sine ullis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur: quia nec ipse ut tanta unitate Deo vero conjunctus una cum illo persona (e) Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus: sed ex quo homo esse cœpit, ex illo est et Deus: unde dictum est, *Verbum caro factum est.* [Johan. 1. 14.] Etiam illud est, ut superbia hominis quæ maxime impedimento est ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui posset atque sanari. Discit quoque homo quam longe recesserit a Deo et quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominibus et Deus divinitate subvenit, et homo infirmitate convenit. Quod

(a) Hic editi addunt, *fieri*: quod a MSS. et a Græco textu Apostoli abest.

(b) Editio Lov. *non intelligitur*: perperam addita negante particula, qua editiones aliæ et MSS. carent.

(c) Sic MSS. At Editi pro *justo*, habent *Deo*.

(d) Editi, *in nobis*. Emendantur ex MSS.

(e) Hic editi addunt, *id est, ipse homo assumptus, mox ut homo etiam Deus*: quæ verba non sunt in MSS.

autem majus obedientiæ nobis præberetur exemplum, qui per inobedientiam perieramus, quam Deo Patri Deus Filius obediens usque ad mortem crucis? Quid, præmium ipsius obedientiæ ubi ostenderetur melius, quam in carne tanti Mediatoris, quæ ad vitam resurrexit æternam? Pertinebat etiam ad justitiam bonitatemque Creatoris, ut per eamdem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat, et de ipso genere venientem, quod genus origine vitiata per unum tenebat universum.

Philip. 2. 8.

CAPUT XVIII. Cur Filius Dei hominem suscepit de genere Adæ, ex virgine.

23. Poterat enim utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei et hominum, non de genere illius Adam qui peccato suo genus obligavit humanum; sicut ipsum quem primum creavit, non de genere creavit alicujus. Poterat ergo vel sic, et vel alio quo vellet modo creare unum alium de quo vinceretur victor prioris; sed melius judicavit; et de ipso quod victum fuerat genere assumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum; et tamen ex virgine, cujus conceptum spiritus, non caro; fides, non libido prævenit. Nec interfuit carnis concupiscentia, per quam seminantur et concipiuntur ceteri, qui trahunt originale peccatum: sed ea penitus remotissima, credendo, non concubendo sancta est fecundata virginitas; ut illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non etiam criminis originem duceret. Nascebatur namque non transgressionis contagione vitiata natura, sed omnium talium vitiorum sola medicina. Nascebatur homo, inquam, nullum habens, nullum habiturus omnino peccatum, per quem renascerentur liberandi a peccato, qui nasci non possent sine peccato. Quamvis enim carnali concupiscentia, quæ inest genitalibus membris, bene utatur castitas conjugalis; habet tamen motus non voluntarios, quibus ostendit vel nullam se in paradiso ante peccatum esse potuisse, vel non talem fuisse si fuit, ut aliquando resisteret voluntati. Nunc autem illam talem esse sentimus ut repugnans legi mentis, etiam si nulla est causa generandi, stimulos ingerat coeundi: ubi si ei ceditur, peccando satiatur; si non ceditur, dissentiendo frenatur: quæ duo aliena fuisse a paradiso ante peccatum, dubitare quis possit? Nam neque illa honestas faciebat aliquid indecorum, nec illa felicitas patiebatur aliquid impacatum. Oportebat itaque ut ista carnalis concupiscentia nulla ibi esset omnino, quando concipiebatur virginis partus, in quo nihil dignum morte fuerat inventurus, et eum tamen occisurus auctor mortis, auctoris vitæ morte vincendus: victor primi Adam et tenens genus humanum, victus a secundo Adam et amittens genus Christianum, liberatum ex humano genere ab humano crimine, per eum qui non erat in crimine, quamvis esset ex genere, ut deceptor ille ab eo vinceretur genere, quod vicerat crimine. Et hoc ita gestum est, ut homo non extollatur, sed *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Qui enim victus est, homo tantum erat; et ideo victus est, quia superbe Deus esse cupiebat: qui autem vicit, et homo erat et Deus; et ideo sic vicit natus ex virgine, quia Deus humiliter, non quomodo alios sanctos, regebat illum hominem, sed gerebat. Hæc tanta Dei dona, et si qua alia sunt, quæ de hac re nobis et quærere nunc et disserere longum est, nisi Verbum caro fieret, nulla essent.

1. Tim. 2. 5.

Luc. 1. 35.

2. Cor. 10. 17.

CAPUT XIX. Quid ad scientiam, quid ad sapientiam pertineat in Verbo incarnato.

24. Hæc autem omnia quæ pro nobis, Verbum caro factum temporaliter et localiter fecit et pertulit, secundum distinctionem quam demonstrare suscepimus, ad scientiam pertinent, non ad sapientiam. Quod autem Verbum est sine tempore et sine loco, est Patri coæternum et ubique totum, de quo si quisquam potest quantum potest veracem proferre sermonem, sermo ille erit sapientiæ: ac per hoc Verbum caro factum, quod est Christus Jesus, et sapientiæ thesauros habet et scientiæ. Nam scribens Apostolus ad Colossenses: *Volo enim vos scire*, inquit, *quantum certamen habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne, ut consolentur corda eorum, copulati in caritate et in omnibus divitiis plenitudinis intellectus ad cognoscendum mysterium Dei, quod est Christus Jesus*, in *quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*. Quatenus noverat Apostolus thesauros istos, quantum eorum penetraverat, et in eis ad quanta pervenerat, quis potest nosse? Ego tamen secundum id quod scriptum est, *Unicuique autem nostrum datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum*, si ita inter se distant hæc duo, ut sapientia divinis, scientia humanis attributa sit rebus, utrumque agnosco in Christo, et mecum omnis ejus fidelis. Et cum lego, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* in Verbo intelligo verum Dei Filium, in carne agnosco verum hominis filium, et utrumque simul in unam personam Dei et hominis ineffabili gratiæ largitate conjunctum. Propter quod sequitur et dicit, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Si gratiam referamus ad scientiam, veritatem ad sapientiam, puto nos ab illa duarum istarum rerum distinctione, quam commendavimus, non abhorrere. In rebus enim per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in unitate personæ conjunctus est Deo: in rebus vero æternis summa veritas recte tribuitur Dei Verbo. Quod vero idem ipse est Unigenitus a Patre plenum gratiæ et veritatis, id actum est ut idem ipse sit in rebus pro nobis temporaliter gestis, cui per eamdem fidem mundamur, ut eum stabiliter contemplemur in rebus æternis. Illi autem præcipui gentium philosophi, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere potuerunt, tamen quia sine Mediatore, id est, sine homine Christo philosophati sunt, quem nec venturum Prophetis, nec venisse Apostolis crediderunt, veritatem detinuerunt, sicut de illis dictum est,

Coloss. 2. 1.

1. Cor. 12. 7.

Johan. 1. 14.

Rom. 1. 20.

a in iniquitate. Non potuerunt enim in his (a) rerum infimis constituti, nisi quærere aliqua media per quæ ad illa quæ intellexerant sublimia pervenirent: atque ita in deceptores dæmones inciderunt, per quos factum est ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. In talibus enim formis etiam idola instituerunt, sive coluerunt. Scientia ergo nostra Christus est, sapientia quoque nostra idem Christus est. Ipse nobis fidem de rebus temporalibus inserit, ipse de sempiternis exhibet veritatem. Per ipsum pergimus ad ipsum, tendimus per scientiam ad sapientiam: ab uno tamen eodemque Christo non recedimus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Sed nunc de scientia loquimur, post de sapientia, quantum ipse donaverit, locuturi. Nec ista duo sic accipiamus, quasi non liceat dicere vel istam sapientiam quæ in rebus humanis est, vel illam scientiam quæ in divinis. Loquendi enim latiore consuetudine utraque sapientia, utraque scientia dici potest. Nullo modo tamen scriptum esset apud Apostolum, *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ:* nisi et proprie singulis nominibus hæc singula vocarentur, de quorum distinctione nunc agimus.

Col. 2. 3. — 1. Cor. 12. 8.

CAPUT XX. Quid actum in hoc libro. 2. Thess. 2. 2. Act. 13. 9.

25. Jam itaque videamus quid sermo iste prolixus effecerit, quid collegerit, quo pervenerit. Beatos esse se velle, omnium hominum est: nec tamen omnium est fides, qua cor mundante ad beatitudinem pervenitur. Ita fit ut per istam quam non omnes volunt, ad illam tendendum sit quam nemo potest esse qui nolit. Beatos esse se velle, omnes in corde suo vident, tantaque est in hac re naturæ humanæ conspiratio, ut non fallatur homo qui hoc ex animo suo de animo conjicit alieno: denique omnes id velle nos novimus. Multi vero immortales se esse posse desperant, cum id quod omnes volunt, id est beatus nullus esse aliter possit: volunt tamen etiam immortales esse, si possent; sed non credendo quod possint, non ita vivunt ut possint. Necessaria ergo est fides, ut beatitudinem consequamur, omnibus humanæ naturæ bonis, id est, et animi et corporis. Hanc autem fidem in Christo esse definitam, qui in carne resurrexit a mortuis, non moriturus ulterius: nec nisi per illum quemquam liberari a diaboli dominatu, per remissionem peccatorum: in cujus diaboli partibus necesse est miseram esse vitam, eamdemque perpetuam, quæ mors est potius dicenda quam vita, eadem fides habet. De qua et in hoc libro, sicut potui, pro spatio temporis disputavi, cum jam et in quarto libro hujus Operis * multa de hac re dixerim; sed ibi propter aliud, hic propter aliud: ibi scilicet ut ostenderem, cur et quomodo Christus in plenitudine temporis a Patre sit missus, propter eos qui dicunt, eum qui misit, et eum qui missus est, æquales natura esse

Rom. 6. 9. — * Cap. 19. etc. — Gal. 4. 4.

A non posse; hic autem ad distinguendam activam scientiam a contemplativa sapientia.

Quomodo gradatim perventum est ad trinitatem quamdam quæ in scientia activa et vera fide reperitur.

26. Placuit quippe velut gradatim ascendentibus in utraque requirere apud interiorem hominem quamdam sui cujusque generis trinitatem, sicut prius apud exteriorem quæsivimus; ut ad illam Trinitatem quæ Deus est, pro nostro modulo, si tamen vel hoc possumus, saltem in ænigmate et per speculum contuendam exercitatiore in his inferioribus rebus mente veniamus. Hujus igitur verba fidei quisquis in solis vocibus memoriæ commendaverit, nesciens quid significent; sicut solent qui Græce nesciunt, Græca verba tenere memoriter, vel Latina similiter, vel cujusque alterius linguæ, qui ejus ignari sunt: nonne habet quamdam in suo animo B trinitatem? quia et in memoria sunt illi verborum soni, etiam quando inde non cogitat, et inde formatur acies recordationis ejus, quando de his cogitat; et voluntas recordantis atque cogitantis utrumque conjungit. Nullo modo tamen dixerimus istum, cum hoc agit, secundum trinitatem interioris hominis agere, sed potius exterioris: quia id solum meminit, et quando vult, (b) quantum vult intuetur, quod ad sensum corporis pertinet, qui vocatur auditus; nec aliud quam corporalium rerum, id est sonorum, tali cogitatione imagines versat. Si autem quod verba illa significant, teneat et recolat; jam quidem aliquid interioris hominis agit: sed nondum dicendus vel putandus est vivere secundum interioris hominis trinitatem, si ea non diligat quæ ibi præ- C dicantur, præcipiuntur, promittuntur. Potest enim etiam ad hoc tenere atque cogitare, ut falsa esse existimans, conetur etiam redarguere. Voluntas ergo illa, quæ ibi conjungit ea quæ memoria tenebantur, et ea quæ inde in acie cogitationis impressa sunt, implet quidem aliquam trinitatem, cum ipsa sit tertia: sed non secundum eam vivitur, quando illa quæ cogitantur velut falsa non placent. Cum autem vera esse creduntur, et quæ ibi diligenda sunt diliguntur, jam secundum trinitatem interioris hominis vivitur: secundum hoc enim vivit quisque quod diligit. Quomodo autem diligantur quæ nesciuntur, sed (c) tantum creduntur? Jam quæstio ista tractata est in superioribus * libris, et inventum neminem diligere quod penitus ignorat; ex iis D autem quæ nota sunt diligi, quando diligi dicuntur ignota. Nunc librum istum ita claudimus, ut admoneamus, quod justus ex fide vivit: quæ fides per dilectionem operatur, ita ut virtutes quoque ipsæ quibus prudenter, fortiter, temperanter, justeque vivitur, omnes ad eamdem referantur fidem: non enim aliter poterunt veræ esse virtutes. Quæ tamen in hac vita non valent tantum, ut aliquando non sit hic necessaria qualiumcumque remissio peccatorum: quæ non fit nisi per eum, qui sanguine suo vicit principem peccatorum. Ex hac fide et tali vita quæcumque

1. Cor. 13. 12. — * Lib. 8. c. 8. et seq. lib. 10. c. 1. etc. — Abac. 2. 4. Rom. 1. 17. Gal. 5. 6.

(a) Plures MSS. *rebus.*
(b) Lov. *et quantum vult.*
(c) Sic MSS. At Er. et Lov. *sed tamen.*

notiones sunt in animo fidelis hominis, cum memoria continentur, et recordatione inspiciuntur, et voluntati placent, reddunt quamdam sui generis trinitatem. Sed imago Dei, de qua in ejus A adjutorio post loquemur, nondum in ipsa est: quod tunc melius apparebit, cum demonstratum fuerit ubi sit, quod in futuro volumine lector expectet.

LIBER DECIMUS-QUARTUS

De sapientia hominis vera dicit, ostendens imaginem Dei, quod est homo secundum mentem, non proprie in transeuntibus, veluti in memoria, intellectu, et amore, sive ipsius temporalis fidei, sive etiam mentis circa se ipsam versantis, sed in permanentibus rebus collocatam, ac eam tunc perfici, cum mens renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam, et sic percipit sapientiam, ubi contemplatio est æternorum.

CAPUT I. Quæ sit sapientia de qua hic agendum.

NUNC de sapientia nobis est disserendum: non de illa Dei, quæ procul dubio Deus est; nam sapientia Dei Filius ejus unigenitus dicitur: sed loquemur de hominis sapientia, vera tamen *Eccli. 21. 3.* quæ secundum Deum est, et verus ac præcipuus cultus ejus est, quæ uno nomine θεοσέβεια Græce appellatur. Quod nomen nostri, sicut jam commemoravimus, volentes et ipsi uno nomine interpretari, pietatem dixerunt, cum pietas apud Græcos εὐσέβεια usitatius nuncupetur: θεοσέβεια vero quia uno verbo perfecte non potest, melius duobus interpretatur, ut dicatur potius Dei cultus. *Cap. 14.* Hanc esse hominis sapientiam quod et in duodecimo hujus Operis volumine jam posuimus, Scripturæ sanctæ auctoritate monstratur in libro Dei servi Job, ubi legitur Dei sapientiam dixisse homini, *Job. 28. 28.* *Ecce pietas est sapientia, abstinere autem a malis, scientia*, sive etiam, ut nonnulli de Græco ἐπιστήμην interpretati sunt, *disciplina*: quæ utique a discendo nomen accepit, unde et scientia dici potest. Ad hoc enim quæque res discitur, ut sciatur. Quamvis alia notione, in iis quæ pro peccatis suis mala quisque patitur ut corrigatur, dici soleat disciplina. Unde *Hebr. 12. 7.* illud est in epistola ad Hebræos, *Quis enim est filius, cui non det disciplinam pater ejus*, Et illud evidentius in eadem, *Ibid. 11.* *Omnis enim ad tempus disciplina non gaudii videtur esse, sed tristitiæ: postea vero fructum pacificum iis qui per eam certarunt, reddet justitiæ.* Deus ergo ipse summa sapientia, cultus autem Dei sapientia est hominis, de qua nunc loquimur. Nam *1. Cor. 3. 19.* *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Secundum hanc itaque sapientiam, quæ Dei cultus est, *Sap. 6. 26.* ait sancta Scriptura, *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.*

Philosophi nomen unde exortum. 2. Sed si de sapientia disputare sapientium est, quid agemus? Numquidnam profiteri audebimus sapientiam, ne sit nostra de illa impudens disputatio? Nonne terrebimur exemplo Pythagoræ? qui cum ausus non fuisset sapientem profiteri, Philosophum potius, id est amatorem sapientiæ, se esse respondit: a quo id nomen exortum ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere, nonnisi Philosophus vocaretur. An ideo sapientem profiteri talium hominum nullus audebat, quia sine ullo peccato putabant esse sapientem? Hoc autem nostra Scriptura non dicit, B quæ dicit, *Argue sapientem, et amabit te.* *Prov. 9. 8.* Profecto enim judicat habere peccatum, quem censet arguendum. Sed ego nec sic quidem sapientem me audeo profiteri: satis est mihi, quod etiam ipsi negare non possunt, esse etiam Philosophi, id est amatoris sapientiæ, de sapientia disputare. Non enim hoc illi facere destiterunt, qui se amatores sapientiæ potius quam sapientes esse professi sunt.

De scientiæ ac sapientiæ distinctione quid jam dictum. 3. Disputantes autem de sapientia, definierunt eam dicentes, Sapientia est rerum humanarum divinarumque scientia. Unde ego quoque in libro * superiore utrarumque rerum cognitionem, id est divinarum atque humanarum, et sapientiam et scientiam dici posse non tacui. Verum secundum hanc distinctionem qua dixit Apostolus, *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ*; ** Lib. 13. c. 1. et 19* *1. Cor. 12. 8* C ista definitio dividenda est, ut rerum divinarum scientia proprie sapientia nuncupetur, humanarum autem proprie scientiæ nomen obtineat: de qua volumine tertio-decimo disputavi, non utique quidquid sciri ab homine potest in rebus humanis, ubi plurimum supervacaneæ vanitatis et noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuens, sed illud tantummodo quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios D defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. De qua prius cum loquerer, ipsam præcipue fidem commendare curavi, a temporalibus æterna breviter ante distinguens, atque ibi de temporalibus disserens: æterna vero in hunc librum disserens, etiam de rebus æternis fidem temporalem quidem, et temporaliter in credentium cordibus habitare, necessariam tamen propter adipiscenda ipsa æterna esse monstravi. *Lib. 13. c. 7.* Fidem quoque de temporalibus rebus, quas pro nobis æternus fecit, et passus est in homine, quem temporaliter gessit, atque ad æterna provexit, ad eamdem æternorum adeptionem prodesse disserui: virtutesque ipsas, quibus in hac temporali mortalitate prudenter, fortiter, temperanter et juste vivitur: *Ibid. c. 20.* nisi ad eamdem, licet temporalem fidem, quæ

tamen ad æterna perducit, referantur, veras non esse virtutes.

CAPUT II. In fidei temporalis retentione, contemplatione ac dilectione trinitas quædam, sed nondum proprie imago Dei. 2 Cor. 5. 8. Rom. 1. 17.

4. Quapropter, quoniam sicut scriptum est, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem*: profecto quamdiu justus ex fide vivit, quamvis secundum hominem interiorem vivat, licet per eamdem temporalem fidem ad veritatem nitatur, et tendat ad æterna, tamen in ejusdem fidei temporalis retentione, contemplatione, dilectione, nondum talis est trinitas, ut Dei jam imago dicenda sit: ne in rebus temporalibus constituta videatur, quæ constituenda est in æternis. Mens quippe humana cum fidem suam videt, qua credit quod non videt, non aliquid sempiternum videt. Non enim semper hoc erit, quod utique non erit, quando ista peregrinatione finita, qua peregrinamur a Domino, ut per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam videbimus facie ad faciem: sicut modo non videntes, tamen quia credimus, videre merebimur, atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus.

1. Cor. 13. 12.

Neque enim jam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species, qua videantur quæ credebantur. Tunc ergo etsi vitæ hujus mortalis transactæ meminerimus, et credidisse nos aliquando quæ non videbamus, memoriter recoluerimus, in præteritis atque transactis deputabitur fides ista, non in præsentibus rebus semperque manentibus: ac per hoc etiam trinitas ista, quæ nunc in ejusdem fidei præsentis ac manentis memoria, contuitu, dilectione consistit, tunc transacta et præterita reperietur esse, non permanens. Ex quo colligitur, ut si jam imago Dei est ista trinitas, etiam ipsa non in eis quæ semper sunt, sed in rebus sit habenda transeuntibus.

*CAPUT III.

* Absit autem ut cum animæ natura sit immortalis, nec ab initio quo creata est, umquam deinceps esse desistat, id quo nihil melius habet, non cum ejus immortalitate perduret. Quid vero melius in ejus natura creatum est, quam quod ad sui Creatoris imaginem facta est?

Gen. 1. 27.

Non igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quæ non erit semper, sed in eo quod semper erit, invenienda est quam dici oporteat imaginem Dei.

Difficultas contra id quod mox dictum est diluitur.

5. An adhuc utrum ita se res habeat, aliquanto diligentius atque abstrusius perscrutabimur? Dici enim potest, non perire istam trinitatem, etiam cum fides ipsa transierit: quia sicut nunc eam et memoria tenemus, et cogitatione cernimus, et voluntate diligimus; ita etiam tunc cum eam nos habuisse memoria tenebimus, et recolemus, et hoc utrumque tertia voluntate jungemus, eadem trinitas permanebit. Quoniam si nullum in nobis quasi vestigium transiens reliquerit, profecto nec in memoria nostra ejus aliquid habebimus quo recurramus eam præteritam recordantes, atque id utrumque intentione tertia copulantes, et quod erat scilicet in memoria, non inde cogitantibus nobis, et quod inde cogitatione formatur. Sed qui hoc dicit, non discernit aliam nunc esse trinitatem, quando præsentem fidem tenemus, videmus, amamus in nobis; aliam tunc futuram, quando non ipsam, sed ejus velut imaginarium vestigium in memoria reconditum, recordatione contuebimur, et duo hæc, id est, quod erat in memoria retinentis, et quod inde imprimitur in acie recordantis, tertia voluntate jungemus. Quod ut possit intelligi, sumamus exemplum de corporalibus rebus, de quibus in libro undecimo satis locuti sumus. Nempe ab inferioribus ad superiora adscendentes, vel ab exterioribus ad interiora ingredientes, primam reperimus trinitatem in corpore quod videtur, et acie videntis quæ cum videt inde formatur, et in voluntatis intentione quæ utrumque conjungit. Cap. 2. et seq.

Huic trinitati similem constituamus, cum fides quæ nunc inest nobis tamquam corpus illud in loco, ita in nostra memoria constituta est, de qua informatur cogitatio recordantis, sicut ex illo corpore acies intuentis: quibus duobus, ut trinitas impleatur, annumeratur tertia voluntas, quæ fidem in memoria constitutam et quamdam ejus effigiem in contuitu recordationis impressam connectit et conjungit; sicut in illa corporalis trinitate visionis, formam corporis quod videtur, et conformationem quæ fit in cernentis adspectu, conjungit intentio voluntatis. Faciamus ergo corpus illud quod cernebatur, interisse dilapsum, nec ejus remansisse aliquid in ullo loco, ad quod videndum recurrat adspectus: numquid quia imago rei corporalis jam transactæ atque præteritæ remanet in memoria, unde informetur (a) recordantis obtutus, atque id utrumque tertia voluntate jungatur, eadem trinitas esse dicenda est, quæ fuerat quando species in loco positi corporis videbatur? a

Non utique, sed prorsus alia: nam præter quod illa erat extrinsecus, hæc intrinsecus: illam profecto faciebat species præsentis corporis, hanc imago præteriti. Sic et in hac re, de qua nunc agimus, et propter quam putavimus adhibendum illud exemplum, fides quæ nunc in animo nostro est, velut illud corpus in loco, dum tenetur, adspicitur, amatur, quamdam efficit trinitatem: sed non ipsa erit, quando fides hæc in animo, sicut corpus illud in loco, jam non erit. Quæ vero tunc erit, quando eam recordabimur in nobis fuisse, non esse, alia profecto erit. Hanc enim quæ nunc est, facit res ipsa præsens et animo credentis affixa: at illam quæ tunc erit, faciet rei præteritæ imaginatio in recordantis memoria derelicta.

In immortalitate animæ rationalis quærenda imago Dei.

6. Nec illa igitur trinitas, quæ nunc non est, imago Dei erit; nec ista imago Dei est, quæ tunc non erit: sed ea est invenienda in anima hominis, id est rationali, sive intellectuali, imago Creatoris, quæ immortaliter immortalitati ejus est insita.

*CAPUT IV.

* Nam sicut ipsa immortalitas animæ secundum quemdam modum dicitur; habet quippe et anima mortem suam, cum vita beata ca-

(a) MSS. *cogitantis obtutus.*

ret, quæ vera animæ vita dicenda est; sed immortalis ideo nuncupatur, quoniam qualiscumque vita, etiam cum miserrima est, numquam desinit vivere: ita quamvis ratio vel intellectus nunc in ea sit sopitus, nunc parvus, nunc magnus appareat, numquam nisi rationalis et intellectualis est anima humana; ac per hoc si secundum hoc facta est ad imaginem Dei quod uti ratione atque intellectu ad intelligendum et conspiciendum Deum potest, profecto ab initio quo esse cœpit ista tam magna et mira natura, sive ita obsoleta sit hæc imago, ut pene nulla sit, sive obscura atque deformis, sive clara et pulchra sit, semper est. Denique deformitatem dignitatis ejus miserans divina Scriptura, *Quamquam*, inquit, *in imagine* (a) *ambulat homo*, *tamen vane conturbatur: thesaurizat*, et *nescit cui congregabit ea*. Non itaque vanitatem imagini Dei tribueret, nisi deformem cerneret factam. Nec tantum valere illam deformitatem, ut auferat quod imago est, satis ostendit dicendo, *Quamquam in imagine ambulat homo*. Quapropter ex utraque parte veraciter pronuntiari potest ista sententia, ut quemadmodum dictum est; *Quamquam in imagine ambulat homo*, *tamen vane conturbatur*; ita dicatur, Quamquam vane conturbatur homo, tamen in imagine ambulat. Quamquam enim magna natura sit, tamen vitiari potuit, quia summa non est: et quamquam vitiari potuerit, quia summa non est, tamen quia summæ naturæ capax est, et esse particeps potest, magna natura est. Quæramus igitur in hac imagine Dei quamdam sui generis trinitatem, adjuvante ipso qui nos fecit ad imaginem suam. Non enim aliter possumus hæc salubriter investigare, et secundum sapientiam quæ ab illo est aliquid invenire: sed ea quæ in superioribus libris, et maxime in decimo, de anima humana vel mente diximus, si lectoris vel memoria teneantur atque recolantur, vel diligentia in eisdem locis in quibus conscripta sunt, recenseantur, non hic desiderabit prolixiorem de rei tantæ inquisitione sermonem.

Psal. 38. 7.

Cap. 7.

Trinitas in mente quomodo monstrata sit.

7. Inter cetera ergo in libro decimo diximus, hominis mentem nosse semetipsam. Nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præsto est: nec menti magis quidquam præsto est, quam ipsa sibi. Et alia, quantum satis visum est, adhibuimus documenta, quibus hoc certissime probaretur. * Quid itaque dicendum est de infantis mente, ita adhuc parvuli et in tam magna demersi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras mens hominis quæ aliquid novit exhorreat? An etiam ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tanto majore, quanto noviore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest? Quanta porro intentione in ista quæ foris sunt sensibilia feratur, vel hinc solum conjici potest, quod lucis hujus hauriendæ sic avida est, ut si quisquam minus cautus aut nesciens

*CAPUT V Infantium mens an se noverit.

(a) Editi, *in imagine Dei*. Abest *Dei* a MSS.

A quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit ubi jacet infans, in ea parte ad quam jacentis oculi possint retorqueri, nec cervix possit inflecti, sic ejus inde non removeatur adspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri noverimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris et mollibus consuetudo quodam modo infixit. Ita et in alios corporis sensus, quantum sinit illa ætas, intentione se quasi coarctant animæ parvulorum, ut quidquid per carnem offendit aut allicit, hoc solum abhorreant vehementer aut appetant: sua vero interiora non cogitent, nec possint admoneri ut hoc faciant; quia nondum admonentis signa noverunt, ubi præcipuum locum verba obtinent, quæ sicut alia prorsus nesciunt. Quod autem aliud sit non se nosse,

B aliud non se cogitare, jam in eodem volumine * ostendimus.

*Lib. 10. c. 5.

8. Sed hanc ætatem omittamus, quæ nec interrogari potest quid in se agatur, et nos ipsi ejus valde obliti sumus. Hinc tantum certos nos esse suffecerit, quod cum homo de animi sui natura cogitare potuerit, atque invenire quod verum est, alibi non inveniet, quam penes se ipsum. Inveniet autem, non quod nesciebat, sed unde non cogitabat. Quid enim scimus, si quod est in nostra mente nescimus, cum omnia quæ scimus, non nisi mente scire possimus? * Tanta est tamen cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodam modo se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat: ac per hoc ita nihil in conspectu mentis est, nisi unde cogitatur, ut nec ipsa mens,

C qua cogitatur quidquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo, nisi se ipsam cogitando. Quomodo autem quando se non cogitat in conspectu suo non sit, cum sine se ipsa, numquam esse possit, quasi aliud sit ipsa, aliud conspectus ejus, invenire non possum. Hoc quippe de oculo corporis non absurde dicitur: ipse quippe oculus loco suo fixus est in corpore, adspectus autem ejus in ea quæ extra sunt tenditur, et usque in sidera extenditur. Nec est oculus in conspectu suo; quandoquidem non conspicit se ipsum, nisi speculo objecto, unde jam locuti * sumus: quod non fit utique quando se mens in suo conspectu sui cogitatione constituit. Numquid ergo alia sua parte aliam partem suam videt, cum se conspicit cogitando, sicut aliis mem-

D bris nostris, qui sunt oculi, alia membra nostra conspicimus, quæ in nostro possunt esse conspectu? Quid dici absurdius vel sentiri potest? Unde igitur aufertur mens, nisi a se ipsa? et ubi ponitur in conspectu suo, nisi ante se ipsam. Non ergo ibi erit ubi erat, quando in conspectu suo non erat; quia hic posita, inde sublata est. Sed si conspicienda migravit, conspectura ubi manebit? An quasi geminatur, ut et illic sit et hic, id est, et ubi conspicere, et ubi conspici possit; ut in se sit conspiciens, ante se conspicua? Nihil horum nobis veritas consulta respondet: quoniam quando isto modo cogitamus, non nisi cor-

In mente se ipsam cogitante trinitas quædam quomodo exsistat.

*CAPUT VI

*Lib. 10. c. 5.

porum fictas imagines cogitamus, quod mentem non esse paucis certissimum est mentibus, a quibus potest de hac re veritas consuli. Proinde restat, ut aliquid pertinens ad ejus naturam sit conspectus ejus, et in eam, quando se cogitat, non quasi per loci spatium, sed incorporea conversione revocetur: cum vero non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo, nec de illa suus formetur obtutus, sed tamen noverit se tamquam ipsa sit sibi memoria sui. Sicut multarum disciplinarum peritus ea quæ novit, ejus memoria continentur, nec est inde aliquid in conspectu mentis ejus, nisi unde cogitat; cetera in arcana quadam notitia sunt recondita, quæ memoria nuncupatur. Ideo trinitatem sic commendabamus, ut illud unde formatur cogitantis obtutus, in memoria poneremus; ipsam vero conformationem, tamquam imaginem quæ inde imprimitur; et illud quo utrumque conjungitur, amorem seu voluntatem. Mens igitur quando cogitatione se conspicit, intelligit se et recognoscit: gignit ergo hunc intellectum, et cognitionem suam. Res quippe incorporea intellecta conspicitur, et intelligendo cognoscitur. Nec ita sane gignit istam notitiam suam mens, quando cogitando intellectam se conspicit, tamquam sibi ante incognita fuerit: sed ita sibi nota erat, quemadmodum notæ sunt res quæ memoria continentur, etiam si non cogitentur: quoniam dicimus hominem nosse litteras, etiam cum de aliis rebus, non de litteris cogitat. Hæc autem duo, gignens et genitum, dilectione tertia copulantur, quæ nihil est aliud quam voluntas fruendum aliquid appetens vel tenens. Ideoque etiam illis tribus nominibus insinuandam mentis putavimus trinitatem, memoria, intelligentia, voluntate.

Quid in hac trinitate præstet cogitatio.

9. Sed quoniam mentem semper sui meminisse, semperque se ipsam intelligere et amare, quamvis non semper se cogitare discretam ab eis quæ non sunt quod ipsa est, circa ejusdem libri decimi finem diximus: quærendum est quonam modo ad cogitationem pertineat intellectus; notitia vero cujusque rei, quæ inest menti, etiam quando non de ipsa cogitatur, ad solam dicatur memoriam pertinere. Si enim hoc ita est, non habebat hæc tria, ut sui meminisset, et se intelligeret, et amaret: sed meminerat tantum sui, et postea cum cogitare se cœpit, tunc se intellexit atque dilexit.

CAPUT VII.

Exemplo res declaratur.

* Quapropter diligentius illud consideremus exemplum, quod adhibuimus, ubi ostenderetur aliud esse rem quamque non nosse, aliud non cogitare: fierique posse, ut noverit homo aliquid quod non cogitat, quando aliunde, non inde cogitat. Duarum ergo vel plurium disciplinarum peritus, quando unam cogitat, aliam vel alias etiam si non cogitat, novit tamen. Sed numquid recte possumus dicere, Iste musicus novit quidem musicam, sed nunc eam non intelligit, quia eam non cogitat; intelligit autem nunc geometricam, hanc enim nunc cogitat? Absurda est, quantum apparet, ista sententia. Quid etiam illa, si dicamus, Iste musicus novit quidem musicam, sed nunc eam non amat, quando eam non cogitat; amat autem nunc geometricam, quoniam nunc ipsam cogitat: nonne similiter absurda est? Rectissime vero dicimus, Iste quem perspicis de geometrica disputantem, etiam perfectus est musicus: nam et meminit disciplinæ ejus, et intelligit eam et diligit: sed quamvis eam noverit et amet, nunc illam non cogitat, quoniam geometricam de qua disputat, cogitat. Hinc admonemur esse nobis in abdito mentis quarumdam rerum quasdam notitias, et tunc quodam modo procedere in medium atque in conspectu mentis velut apertius constitui, quando cogitantur: tunc enim se ipsa mens, et meminisse, et intelligere, et amare invenit, etiam unde non cogitabat, quando aliud cogitabat. Sed unde diu non cogitaverimus, et unde cogitare nisi commoniti non valemus, id nos nescio quo eodemque miro modo, si potest dici, scire nescimus. Denique recte ab eo qui commemorat, ei quem commemorat dicitur, Scis hoc, sed scire te nescis: commemorabo, et invenies te scientem quod te nescire putaveras. Id agunt et litteræ, quæ de his rebus conscriptæ sunt, quas res duce ratione veras esse invenit lector: non quas veras credit ei qui scripsit, sicut legitur historia, sed quas veras esse etiam ipse invenit, sive apud se, sive in ipsa mentis luce veritate. Qui vero nec admonitus valet ista contueri, magna cæcitate cordis, tenebris ignorantiæ demersus est altius, et mirabiliore divina ope indiget, ut possit ad veram sapientiam pervenire.

Quomodo res ad juvandos lectores tractata sit.

10. Propter hoc itaque volui de cogitatione adhibere qualecumque documentum, quo posset ostendi quomodo ex iis quæ memoria continentur, recordantis acies informetur, et tale aliquid gignatur ubi homo cogitat, quale in illo erat ubi ante cogitationem meminerat: quia facilius dignoscitur, quod tempore accedit, et ubi parens prolem spatio temporis antecedit. Nam si nos referamus ad interiorem mentis memoriam qua sui meminit, et interiorem intelligentiam qua se intelligit, et interiorem voluntatem qua se diligit, ubi hæc tria simul semper sunt et semper simul fuerunt ex quo esse cœperunt, sive cogitarentur, sive non cogitarentur; videbitur quidem imago illius trinitatis et ad solam memoriam pertinere: sed quia ibi verbum esse sine cogitatione non potest; (cogitamus enim omne quod dicimus, etiam illo interiore verbo quod ad nullius gentis pertinet linguam;) in tribus potius illis imago ista cognoscitur, memoria scilicet, intelligentia, voluntate. Hanc autem nunc dico intelligentiam, qua intelligimus cogitantes, id est, quando eis repertis quæ memoriæ præsto fuerant, sed non cogitabantur, cogitatio nostra formatur; et eam voluntatem, sive amorem, vel dilectionem, quæ istam prolem parentemque conjungit, et quodam modo utrisque communis est. Hinc factum est, ut etiam per exteriora sensibilia quæ per oculos carnis videntur, legentium ducerem tarditatem, in undecimo scilicet libro; atque inde cum eis ingrederer ad hominis interioris eam potentiam qua ratiocinatur de

a temporalibus rebus (*a*) differens illam principaliter dominantem qua contemplatur æternas: atque id duobus voluminibus egi, duodecimo utrumque discernens, quorum unum est superius, alterum inferius, quod superiori subditum esse debet; tertio-decimo autem de munere inferioris, quo humanarum rerum scientia salubris continetur, ut in hac temporali vita id agamus quo consequamur æternam, quanta potui veritate ac brevitate disserui; quandoquidem rem tam multiplicem atque copiosam, multorum atque magnorum disputationibus multis magnisque celebratam, uno strictim volumine inclusi, ostendens etiam in ipsa trinitatem, sed nondum quæ Dei sit imago dicenda.

CAPUT VIII. Trinitas quæ imago Dei, jam quærenda in principali mentis parte.

11. Nunc vero ad eam jam pervenimus disputationem ubi principale mentis humanæ, quo novit Deum vel potest nosse, considerandum suscepimus, ut in eo reperiamus imaginem Dei. B Quamvis enim mens humana non sit ejus naturæ cujus est Deus; imago tamen naturæ ejus qua natura melior nulla est, ibi quærenda et invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius. Sed prius mens in se ipsa consideranda est ante quam sit particeps Dei, et in ea reperienda est imago ejus. Diximus enim eam etsi amissa Dei participatione obsoletam atque deformem, Dei tamen imaginem permanere. (Supra n. 4.) Eo quippe ipso imago ejus est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest; quod tam magnum bonum, nisi per hoc quod imago b ejus est (*b*), non potest. Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, C cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed jam imaginem Dei. Non forinsecus accepit memoria quod teneret, nec foris invenit quod adspiceret intellectus, sicut corporis oculus: nec ista duo, velut formam et eam quæ inde facta est in acie contuentis, voluntas foris junxit: nec imaginem rei quæ foris visa est, quodam modo raptam et in memoria reconditam cogitatio cum c ad eam converteretur invenit, et inde (*c*) formatus est recordantis obtutus, jungente utrumque tertia voluntate: sicut in eis ostendebamus trinitatibus fieri, quæ in rebus corporalibus reperiebantur, vel ex corporibus per sensum corporis introrsus quodam modo trahebantur; de quibus omnibus in libro undecimo disseruimus: D nec sicut fiebat vel apparebat, quando de illa scientia disserebamus, jam in hominis interioris operibus constituta, quæ distinguenda fuit a sapientia (Cap. 2. et seq.); unde quæ sciuntur, velut adventitia sunt in animo, sive cognitione historica illata; ut sunt facta et dicta, quæ tempore peraguntur et transeunt, vel in natura rerum suis locis et regionibus constituta sunt, sive in ipso homine quæ non erant oriuntur, aut aliis docentibus aut cogitationibus propriis, sicut fides, quamplurimum in libro tertio decimo commendavimus; sicut virtutes, quibus si veræ sunt, in hac mortalitate ideo bene vivitur, ut beate in illa A quæ divinitus promittitur immortalitate vivatur. Hæc atque hujusmodi habent in tempore ordinem suum, in quo nobis trinitas memoriæ visionis et amoris facilius apparebat. Nam quædam eorum præveniunt cognitionem discentium. Sunt enim cognoscibilia, et ante quam cognoscantur, suique cognitionem in discentibus gignunt. Sunt autem vel in locis suis, vel quæ tempore præterierunt: quamvis quæ præterierunt, non ipsa sint, sed eorum quædam signa præteritorum, quibus visis vel auditis cognoscantur fuisse atque transisse. Quæ signa vel in locis sita sunt, sicut monumenta mortuorum, et quæcumque similia: vel in litteris fide dignis, sicut est omnis gravis et approbandæ auctoritatis historia: vel in animis eorum qui ea jam noverunt; eis quippe jam nota, et aliis utique sunt noscibilia, quorum scientiam prævenerunt, et qui ea nosse, illis quibus nota sunt docentibus, possunt. Quæ omnia, et quando discuntur, quamdam faciunt trinitatem, specie sua quæ noscibilis fuit etiam ante quam nosceretur, eique adjuncta cognitione discentis quæ tunc esse incipit quando discitur, ac tertia voluntate quæ utrumque conjungit. Et cum cognita fuerint, alia trinitas, dum recoluntur, fit jam interius in ipso animo, ex iis imaginibus quæ cum discerentur sunt impressæ in memoria, et informatione cogitationis ad ea converso recordantis adspectu, et ex voluntate quæ tertia duo ista conjungit. Ea vero quæ oriuntur in animo ubi non fuerunt, sicut fides et cetera hujusmodi, etsi adventitia videntur, cum doctrina inseruntur, non tamen foris posita vel foris peracta sunt, sicut illa quæ creduntur; sed intus omnino in ipso animo esse cœperunt. Fides enim non est quod creditur, sed qua creditur; et illud creditur, illa conspicitur. Tamen quia esse cœpit in animo, qui jam erat animus ante quam in illo ista esse cœpisset, adventitium quiddam videtur, et in præteritis habebitur, quando succedente specie jam esse destiterit: aliamque nunc trinitatem facit per suam præsentiam, retenta, conspecta, dilecta; aliam tunc faciet per quoddam sui vestigium, quod in memoria prætereuns dereliquerit, sicut jam supra dictum est.

CAPUT IX. An justitia et ceteræ virtutes desinant in futura vita.

12. Utrum autem tunc etiam virtutes, quibus in hac mortalitate bene vivitur, quia et ipsæ incipiunt esse in animo, qui cum sine illis prius D esset, tamen animus erat, desinant esse cum ad æterna perduxerint, nonnulla quæstio est. Quibusdam enim visum est desituras: et de tribus quidem, prudentia, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, nonnihil dici videtur: justitia vero immortalis est, et magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit. De omnibus tamen quatuor magnus auctor eloquentiæ Tullius in Hortensio dialogo disputans: Si nobis, inquit, » cum ex hac vita emigraverimus, in beatorum » insulis immortale ævum, ut fabulæ ferunt, de- » gere liceret, quid opus esset eloquentia, cum ju- (Ex Ciceronis Hortensio.)

(*a*) Editi, *disserens*. Castigantur ex MSS.
(*b*) Editi, *intelligi non potest*. Abest *intelligi* a MSS.
(*c*) Plures MSS. *inde informatus est*.

» dicia nulla fierent; aut ipsis etiam virtutibus? » Nec enim fortitudine egeremus, nullo proposito » aut labore aut periculo; nec justitia, cum esset » nihil quod appeteretur alieni; nec temperantia, » quæ regeret eas quæ nullæ essent libidines; nec » prudentia quidem egeremus, nullo delectu pro» posito bonorum et malorum. Una igitur essemus » beati cognitione naturæ et scientia, qua sola et» iam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi » potest cetera necessitatis esse, unum hoc volun» tatis. Ita ille tantus Orator, cum philosophiam prædicaret, recolens ea quæ a philosophis acceperat, et præclare ac suaviter explicans, in hac tantum vita, quam videmus ærumnis et erroribus plenam, omnes quatuor necessarias dixit esse virtutes: nullam vero earum, cum ex hac vita emigraverimus, si liceat ibi vivere ubi vivitur beate; sed bonos animos solа beatos esse cognitione et scientia, hoc est contemplatione naturæ (a) qua nihil est melius et amabilius: ea est natura, quæ creavit omnes ceteras, instituitque naturas. Cui regenti esse subditum, si justitiæ est, immortalis est omnino justitia: nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et major esse non possit. Fortassis et aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo jam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate: ut prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere vel æquare, fortitudinis ei firmissime cohærere, temperantiæ nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit. Ac per hoc ista virtutum opera, quæ huic mortali vitæ sunt necessaria, sicut fides ad quam referenda sunt, in præteritis habebuntur: et aliam nunc faciunt trinitatem, cum ea præsentia tenemus, adspicimus, amamus; aliam tunc factura sunt, cum ea non esse, sed fuisse, per quædam eorum vestigia, quæ prætereundo in memoria derelinquent, reperiemus: quia et tunc trinitas erit, cum illud qualecumque vestigium et memoriter retinebitur, et agnoscetur veraciter, et hoc utrumque tertia voluntate jungetur.

CAPUT X. *Quomodo mente sui recordante seque intelligente ac diligente trinitas fiat.*

13. In omnium istarum, quas commemoravimus, temporalium rerum scientia, quædam cognoscibilia cognitionem interpositione temporis antecedunt, sicut sunt ea sensibilia, quæ jam erant in rebus, ante quam cognoscerentur; vel ea omnia, quæ per historiam cognoscuntur: quædam vero simul esse incipiunt; velut si aliquid visibile, quod omnino non erat, ante nostros oculos oriatur, cognitionem nostram utique non præcedit; aut si aliquid sonet, ubi adest auditor, simul profecto incipiunt esse, simulque desinunt et sonus et ejus auditus. Verumtamen sive tempore præcedentia, sive simul esse incipientia cognoscibilia cognitionem gignunt, non cognitione gignuntur. Cognitione vero facta, cum ea quæ cognovimus, posita in memoria recordatione revisuntur, quis non videat priorem esse tempore in memoria retentionem, quam in recordatione visionem, et hujus utriusque tertia voluntate junctionem? Porro autem in mente non sic est: neque enim adventitia sibi ipsa est, quasi ad se ipsam quæ jam erat, venerit aliunde eadem ipsa quæ non erat; aut non aliunde venerit, sed in se ipsa quæ jam erat, nata sit ea ipsa quæ non erat (b); sicut in mente quæ jam erat, oritur fides quæ non erat: aut post cognitionem sui recordando se ipsam velut in memoria sua constitutam videt, quasi non ibi fuerit ante quam se ipsam cognosceret; cum profecto ex quo esse cœpit, numquam sui meminisse, numquam se intelligere, numquam se amare destiterit, sicut jam ostendimus. Ac per hoc quando ad se ipsam cogitatione convertitur, fit trinitas, in qua jam et verbum possit intelligi: formatur quippe ex ipsa (c) cogitatione, voluntate utrumque jungente. Ibi ergo magis agnoscenda est imago quam quærimus.

CAPUT XI. *An et præsentium sit memoria.*

14. Sed dicet aliquis, Non est ista memoria, qua mens sui meminisse perhibetur, quæ sibi semper est præsens. Memoria enim præteritorum est, non præsentium: nam quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diviserunt, memoriam, intelligentiam, providentiam: memoriam scilicet præteritis, intelligentiam præsentibus, providentiam rebus tribuentes futuris, quam non habent certam nisi præscii futurorum; quod non est munus hominum, nisi detur desuper, ut prophetis. Unde Scriptura sapientiæ de hominibus (d) aiens: *Cogitationes*, inquit, *mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*. Memoria (Sap. 9. 14.) vero de præteritis, et intelligentia de præsentibus certa est, sed præsentibus utique (e) incorporalibus rebus: nam corporales corporalium præsentes sunt adspectibus oculorum. Sed qui dicit memoriam non esse præsentium, adtendat quemadmodum dictum sit in ipsis sæcularibus litteris, ubi majoris fuit curæ verborum integritas quam veritas rerum: Nec talia passus Ulysses oblitusve sui est Ithacus, discrimine tanto. Virgilius enim cum sui non oblitum diceret Ulyssem, quid aliud intelligi voluit, nisi quod meminerit sui? (Æneid. 3.) Cum ergo sibi præsens esset, nullo modo sui meminisset, nisi ad res præsentes memoria pertineret. Quapropter sicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli et recordari: sic in re præsenti quod sibi est mens, memoria sine absurditate dicenda

(a) Plerique MSS. *in qua nihil est melius et amabilius ea natura, quæ creavit*. Quidam, *quia nihil est melius* etc.

(b) Hic editi addunt, *sicut in ipso homine quæ non erant oriuntur, aut aliis docentibus, aut cogitationibus propriis, sicut fides, sicut virtutes*. Verba hæc male translata ex capite 8. supra pag. 225. D.

(c) Sic plerique MSS. Editi vero, *ex ipsa cognitio*.

(d) Plures MSS. *agens*.

(e) Am. Er. et plerique MSS. *corporalibus*.

est, qua sibi præsto est ut sua cogitatione pos-
5 sit intelligi, et utrumque sui (a) amore conjungi.

CAPUT XII. Trinitas in mente eo est imago Dei, quo meminit, intelligit, et diligit Deum, quod est sapientia.

15. Hæc igitur trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens et intelligit ac diligit se: sed quia potest etiam meminisse, et intelligere, et amare a quo facta est. Quod cum facit, sapiens ipsa fit. Si autem non facit, etiam cum sui meminit, seseque intelligit ac diligit, stulta est. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est, eumque intelligat atque diligat. Quod ut brevius dicam, colat Deum non factum, cujus ab eo capax est facta, et cujus particeps esse potest, propter quod scriptum
Job 28. 28. est, *Ecce Dei cultus est sapientia*: et non sua luce, sed summæ illius lucis participatione sapiens erit, atque ubi æterna, ibi beata regnabit. Sic enim dicitur ista hominis sapientia, ut etiam Dei sit. Tunc enim vera est: nam si humana est, vana est. Verum non ita Dei qua sapiens est Deus. Neque enim participatione sui sapiens est, sicut mens participatione Dei. Sed quemadmodum dicitur etiam justitia Dei, non solum illa qua ipse justus est, sed quam dat homini cum justificat impium, quam commendans
Rom. 10. 3. Apostolus ait de quibusdam, *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti*: sic etiam dici potest de quibusdam, Ignorantes Dei sapientiam et suam volentes constituere, sapientiæ Dei non sunt subjecti.

16. Est igitur natura non facta, quæ fecit omnes ceteras magnas parvasque naturas, eis quas fecit sine dubitatione præstantior, ac per hoc hac etiam de qua loquimur rationali et intellectuali, quæ hominis mens est, ad ejus qui eam fecit imaginem facta. Illa autem ceteris natura
Act. 17. 27. præstantior Deus est. Et quidem *non longe positus ab unoquoque nostrum*, sicut Apostolus dicit, adjungens, *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus*. Quod si secundum corpus diceret, etiam de isto corporeo mundo possit intelligi. Nam et in illo secundum corpus vivimus, movemur et sumus. Unde secundum mentem quæ facta est ad ejus imaginem, debet hoc accipi, excellentiore quodam, eodemque non visibili, sed intelligibili modo. Nam quid non est in
Rom. 11. 36. ipso, de quo divine scriptum est, *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia?* Proinde si in ipso sunt omnia, in quo tandem possunt vivere quæ vivunt, et moveri quæ moventur, nisi in quo sunt? Non tamen omnes cum illo
Psal. 72. 23. sunt eo modo quo ei dictum est, *Ego semper tecum*. Nec ipse cum omnibus eo modo quo dicimus, Dominus vobiscum. Magna itaque hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est: et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est. Quod autem quisque penitus obliviscitur, nec commoneri ejus utique potest.

CAPUT XIII.

17. De visibilibus rebus ad hanc rem suma-

A mus exemplum. Dicit tibi quispiam quem non recognoscis, Nosti me: et ut commoneat, dicit ubi, quando, quomodo tibi innotuerit: omnibusque adhibitis signis quibus in memoriam revoceris, si non recognoscis, ita jam oblitus es, ut omnis illa notitia penitus deleta sit animo, nihilque aliud restat, nisi ut credas ei qui tibi hoc dicit, quod aliquando eum noveras; aut ne hoc quidem, si fide dignus tibi esse qui loquitur non videtur. Si autem reminisceris, profecto redis in memoriam tuam, et in ea invenis quod non fuerit penitus oblivione deletum. Redeamus ad illud propter quod adhibuimus humanæ conversationis exemplum. Inter cetera Psalmus IX.
Convertantur, inquit, *peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*. Porro Psal. 9. 18.
B autem XXI. *Commemorabuntur*, inquit, *et convertentur ad Dominum universi fines terræ*. Non igitur sic erant oblitæ istæ gentes Deum, ut ejus nec commemoratæ recordarentur. Obliviscendo autem Deum, tamquam obliviscendo vitam suam, conversæ fuerant in mortem, hoc est, in infernum. Commemoratæ vero convertuntur ad Dominum, tamquam reviviscentes reminiscendo vitam suam, cujus eas habebat oblivio. Item legitur in XCIII. *Intelligite nunc qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando sapite: Qui plantavit aurem non audiet?* et cetera. Eis enim dictum est, qui Deum non intelligendo, de illo vana dixerunt. Psal. 21. 28. Psal. 93. 8.

Quomodo Dei oblivisci et meminisse, quis possit.

CAPUT XIV. Mens se recte diligendo diligit Deum, quem si non diligat, se ipsam odisse dicenda est.

18. De dilectione autem Dei plura reperiuntur in divinis eloquiis testimonia. Ibi enim et
C illa duo consequenter intelliguntur, quia nemo diligit cujus non meminit et quod penitus nescit. Unde illud est notissimum præcipuumque
Deut. 6. 5. præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum*. Sic itaque condita est mens humana, ut numquam sui non meminerit, numquam se non intelligat, numquam se non diligat. Sed quoniam qui odit aliquem, nocere illi studet; non immerito et mens hominis, quando sibi nocet, odisse se dicitur. Nesciens enim sibi vult male, dum non putat sibi obesse quod vult: sed tamen male sibi vult, quando id vult quod obsit sibi; unde illud scri-
Psal. 10. 6. ptum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Qui ergo se diligere novit, Deum diligit: qui vero non diligit Deum, etiam si se diligit, quod ei naturaliter inditum est, tamen non in-
D convenienter odisse se dicitur, cum id agit quod sibi adversatur, et se ipsum tamquam suus inimicus insequitur. Qui profecto est error horrendus, ut cum sibi omnes prodesse velint, multi non faciant nisi quod eis perniciosissimum sit. Similem morbum mutorum animalium cum Poeta describeret, Dii, inquit, meliora piis, erroremque hostibus illum Virg. Georg. 3.
» discissos nudis laniabant dentibus artus,
» Cum morbus ille corporis fuerit, cur dixit errorem, nisi quia omne animal cum sibi natura conciliatum sit, ut se custodiat quantum potest, talis ille erat morbus, ut ea quorum salutem appetebant, sua membra laniarent? Cum

(a) Sola fere editio Lov. amori.

autem Deum diligit mens, et sicut dictum est, consequenter ejus meminit, eumque intelligit, recte illi de proximo suo præcipitur, ut eum sicut se diligat. Jam enim se non diligit perverse, sed recte, cum Deum diligit, cujus participatione imago illa non solum est, verum etiam ex vetustate renovatur, ex deformitate reformatur, ex infelicitate beatificatur. Quamvis enim se ita diligat, ut si alterutrum proponatur, malis omnia quæ infra se diligit perdere, quam perire: tamen superiorem deserendo, ad quem solum posset custodire fortitudinem suam, eoque frui lumine suo, cui canitur in Psalmo, *Fortitudinem meam ad te custodiam*; et in alio, *Accedite ad eum, et illuminamini*: sic infirma et tenebrosa facta est, ut a se quoque ipsa, in ea quæ non sunt quod ipsa, et quibus superior est ipsa, infelicius laberetur per amores, quos non valet vincere, et errores a quibus non videt qua redire. Unde jam Deo miserante pœnitens clamat in Psalmis: *Deseruit me fortitudo mea, et lumen oculorum meorum non est mecum.*

Psal. 58. 10.
Psal. 33. 6.
Psal. 37. 11.

Mens etiam infirma, et errans potest semper memoria et intellectu et amore sui.

19. Non tamen in his tantis infirmitatis et erroris malis amittere potuit naturalem memoriam, intellectum, et amorem sui: propter quod merito dici potuit quod supra * commemoravi, *Quamquam in imagine ambulat homo, tamen vane conturbatur. Thesaurizat, et nescit cui congregabit ea.* Cur enim thesaurizat, nisi quia fortitudo ejus deseruit eum, per quam Deum habens, rei nullius indigeret? Et cur nescit cui congregabit ea, nisi quia lumen oculorum ejus non est cum eo? Et ideo non videt quod Veritas ait, *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te, hæc quæ præparasti cujus erunt?* Verumtamen quia etiam talis in imagine ambulat homo, et habet memoriam, et intellectum, et amorem sui, hominis mens: si ei manifestaretur quod utrumque habere non posset, et unum e duobus permitteretur eligere, alterum perdituros, aut thesauros quos congregavit, aut mentem, quis usque adeo non habet mentem, ut thesauros mallet habere quam mentem? Thesauri enim mentem possunt plerumque subvertere: at mens quæ non thesauris subvertitur, sine ullis thesauris facilius et expeditius potest vivere. Quis vero ullo thesauros, nisi per mentem poterit possidere? Si enim puer infans, quamvis ditissimus natus, cum sit dominus omnium quæ jure sunt ejus, nihil possidet mente sopita; quonam tandem modo quisquam quidquam mente possidebit amissa? Sed de thesauris quid loquor, quod eis quilibet hominum, si talis optio proponatur, mavult carere quam mente; cum eos nemo præponat, nemo comparet luminibus corporis, quibus non ut aurum rarus quisque homo, sed omnis homo possidet cælum: per lumina enim corporis quisque possidet quidquid libenter videt. Quis ergo si tenere utrumque non possit, et alterutrum cogatur amittere, non thesauros quam oculos malit? Et tamen si ab eo simili conditione quæratur, utrum oculos malit amittere, an mentem, quis mente non videat eum oculos malle quam mentem? Mens quippe sine oculis carnis humana est, oculi autem carnis sine mente bellnini sunt. Quis porro non hominem se malit esse etiam carne cæcum, quam belluam videntem?

Cap. 4.
Psal. 38. 7.
Luc. 12. 20.

Ad Deum convertatur ut ipsius recordando eumque intelligendo et diligendo beata sit.

20. Hæc dixi, ut etiam tardiores, quamvis breviter, commonerentur a me, in quorum oculos vel aures hæ litteræ venerint, quantum mens diligat se ipsam etiam infirma et errans, male diligendo atque sectando quæ sunt infra ipsam. Diligere porro se ipsam non posset, si se omnino nesciret, id est, si sui non meminisset, nec se intelligeret: qua in se imagine Dei tam potens est, ut ei cujus imago est valeat inhærere. Sic enim ordinata est naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit nisi ille. Denique cum illi penitus adhæserit, unus erit spiritus: cui rei attestatur Apostolus, dicens, *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*: accedente quidem ista ad participationem naturæ, veritatis, et beatitudinis illius, non tamen crescente illo in natura, veritate et beatitudine sua. In illa itaque natura, cum feliciter adhæserit, (a) immutabiliter vivet, et immutabile videbit omne quod viderit. Tunc, sicut ei divina Scriptura promittit, satiabitur in bonis desiderium ejus, bonis immutabilibus, ipsa Trinitate Deo suo cujus imago est; et ne uspiam deinceps violetur, erit in abscondito vultus ejus, tanta ubertate ejus impleta, ut eam numquam peccare delectet. Se ipsam vero nunc quando videt, non aliquid immutabile videt.

1. Cor. 6. 17.
Psal. 102. 5.

CAPUT XV.

Anima tametsi beatitudinem speret, non tamen reminiscitur beatitudinis amissæ sed Dei reminiscitur, et regularum justitiæ.

21. Quod ideo certe non dubitat, quoniam misera est, et beata esse desiderat: nec ob aliud fieri sperat hoc posse, nisi quia est mutabilis. Nam si mutabilis non esset, sicut ex beata (b) misera, sic ex misera beata esse non posset. Et quid eam fecisset miseram sub omnipotente et bono Domino, nisi peccatum suum et justitia Domini sui? Et quid eam faciet beatam, nisi meritum suum et præmium Domini sui? Sed et meritum ejus gratia est illius, cujus præmium erit beatitudo ejus. Justitiam quippe dare sibi non potest, quam perditam non habet. Hanc enim cum homo conderetur, accepit; et peccando utique perdidit. Accipit ergo justitiam, propter quam beatitudinem accipere mereatur. Unde veraciter ei dicitur ab Apostolo, quasi de suo bono superbire incipienti, *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quando autem bene recordatur Domini sui, Spiritu ejus accepto, sentit omnino, quia hoc discit intimo magisterio, nonnisi ejus gratuito affectu posse se surgere, nonnisi suo voluntario defectu cadere potuisse. Non sane reminiscitur beatitudinis suæ: fuit quippe illa et non est, ejusque ista penitus oblita est; ideoque nec commemorari potest. Credit autem de illa fide dignis litteris Dei sui; per ejus Prophetam

1. Cor. 4. 7.

(a) MSS. omittunt, *immutabiliter vivet*.

(b) In editis, *ex beata vita*. Abest *vita* a MSS.

conscriptis, narrantibus de felicitate paradisi, A atque illud primum et bonum hominis et malum historica traditione indicantibus. Domini autem Dei sui reminiscitur. Ille quippe semper est, nec fuit et non est, nec est et non fuit: sed sicut numquam non erit, ita numquam non erat. Et ubique totus est: propter quod ista in illo et vivit, et movetur, et est: et ideo reminisci ejus potest. (Act. 7. 43.) Non quia hoc recordatur, quod eum noverat in Adam, aut alibi alicubi ante hujus corporis vitam, aut cum primum facta est ut insereretur huic corpori: nihil enim horum omnino reminiscitur: quidquid horum est, oblivione deletum est. Sed commemoratur, ut convertatur ad Dominum, tamquam ad eam lucem qua etiam cum ab illo averteretur quodam modo tangebatur, B Nam hinc est quod etiam impii cogitant æternitatem, et multa recte reprehendunt recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justitiæ, mentes vero eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum et injustus agnoscit, ubi cernit, habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? C unde omnis lex justa describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur; sicut imago ex anulo et in ceram transit, et anulum non relinquit. Qui vero non operatur, et tamen vidt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor cognitæ legis: sed etiam ipse splendore aliquotiens ubique præsentis veritatis adtingitur, quando admonitus confitetur.

(Regulæ immutabiles bene vivendi, etiam impiis notæ.)

CAPUT XVI. Imago Dei quomodo reformatur in homine.

22. Qui vero commemorati convertuntur ad Dominum ab ea deformitate, qua per cupiditates sæculares conformabantur huic sæculo, reformantur ex illo, audientes Apostolum dicentem, D *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ:* (Rom. 12. 2) ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata est. Non enim reformare se ipsam potest, sicut potuit deformare. Dicit etiam alibi, *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, eum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* (Ephes. 4. 23.) Quod ait, *secundum Deum creatum:* hoc alio loco dicitur, *ad imaginem Dei.* Sed peccando justitiam et sanctitatem veritatis amisit; propter quod hæc imago deformis et decolor facta est: hanc recipit, cum reformatur et renovatur. Quod autem ait, *spiritu mentis vestræ;* non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus men-

A tis: sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est. Est enim spiritus et Deus, qui renovari non potest, quia nec veterascere potest. (Johan. 4. 24.) Dicitur etiam spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imaginationes similes corporum, de quo dicit ad Corinthios, ubi dicit, *Si autem oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est.* (1. Cor. 14.) Hoc enim ait, quando id quod dicitur, non intelligitur: quia nec dici potest, nisi corporalium vocum imagines sonum oris spiritus cogitatione præveniant. Dicitur et hominis anima spiritus: unde est in Evangelio, *Et inclinato capite tradidit spiritum;* (Johan. 19. 30.) quo significata est mors corporis, anima exeunte. Dicitur spiritus etiam pecoris, quod in Ecclesiaste libro Salomonis B apertissime scriptum est, ubi ait, *Quis scit spiritus filiorum hominum si adscendet ipse sursum, et spiritus pecoris si descendet ipse deorsum in terram?* (Eccli. 3. 21.) Scriptum est etiam in Genesi, ubi dicit diluvio mortuam universam carnem, quæ *habebat in se spiritum vitæ.* (Gen. 7. 22.) Dicitur spiritus etiam ventus; res apertissime corporalis: unde illud in Psalmis, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis.* (Psal. 148. 8.) Quia ergo tot modis dicitur spiritus, *spiritum mentis* dicere voluit eum spiritum, quæ mens vocatur. Sicut ait etiam idem Apostolus, *In exspoliatione corporis carnis.* (Col. 2. 11.) Non duas utique res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis: sed quia corpus multarum rerum nomen est, quarum nulla caro est; (nam multa sunt excepta carne corpora cælestia, C et corpora terrestria:) corpus carnis dixit, corpus quæ caro est. Sic itaque *spiritum mentis* eum spiritum quæ mens est. Alibi quoque apertius etiam imaginem nominavit, scilicet aliis verbis idipsum præcipiens: *Exspoliantes vos,* inquit, *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum hominem, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum.* (Col. 3. 9.) Quod ergo ibi legitur, *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est:* (Ephes. 4. 24.) hoc isto loco, *Induite novum hominem, qui renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum.* (Coloss. 3. 10.) Ibi autem ait, *secundum Deum:* hic vero, *secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Pro eo vero quod ibi posuit, *in justitia et sanctitate veritatis:* hoc posuit hic, *in agnitione Dei.* Fit D ergo ista renovatio reformatioque mentis secundum Deum, vel secundum imaginem Dei. Sed ideo dicitur *secundum Deum,* ne secundum aliam creaturam fieri putetur: ideo autem *secundum imaginem Dei,* ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio, ubi est imago Dei, id est in mente. Quemadmodum dicimus, secundum corpus mortuum, non secundum spiritum, eum qui de corpore fideles et justos abscedit. Quid enim dicimus secundum corpus mortuum, nisi corpore vel in corpore, non anima vel in anima mortuum? Aut si dicamus, secundum corpus est pulcher, aut secundum corpus fortis: non secundum animum: quid est aliud, quam corpore, non animo pulcher aut fortis est? Et innumerabiliter

Coloss. 3. 10. ita loquimur. Non itaque sic intelligamus, *secundum imaginem ejus qui creavit eum*, quasi alia sit imago secundum quam renovatur, non ipsa quæ renovatur.

CAPUT XVII. Imago Dei in mente quomodo renovetur, donec perfecta sit in ea similitudo Dei in beatitudine.

23. Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum: neque enim vel unum quantulumcumque remanet quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est secunda curatione sanare: ita prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis: quæ duo demonstrantur in Psalmo ubi legitur (Psal. 102. 3.), *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis*; quod fit in baptismo: deinde sequitur, *Qui sanat omnes languores tuos*; quod fit quotidianis accessibus, cum hæc imago renovatur. De qua re Apostolus apertissime locutus est, dicens (2. Cor. 4. 16.), *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem*. Renovatur autem in agnitione Dei, hoc est, in justitia et sanctitate veritatis: sicut sese habent Apostolica testimonia quæ paulo ante commemoravi. In agnitione igitur Dei, justitiaque et sanctitate veritatis, qui de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia; atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se caritate alligare diligenter insistit. Tantum autem facit, quantum divinitus adjuvatur, Dei quippe sententia est. *Sine me nihil potestis facere*. In quo profectu et accessu tenentem Mediatoris fidem cum dies vitæ hujus ultimus quemque compererit, perducendus ad Deum quem coluit, et ab eo perficiendus excipietur ab Angelis sanctis, incorruptibile corpus in fine sæculi non ad pœnam, sed ad gloriam recepturus. In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio. De qua dicit Apostolus Paulus (1. Cor. 13. 12.), *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Item dicit (2. Cor. 3. 18.), *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu*: hoc est, quod fit de die in diem bene proficientibus.

Sententia Johannis an intelligenda de futura nostra similitudine cum Filio Dei ipsa etiam immortalitate corporis. 1. Johan. 3. 2.

24. Apostolus autem Johannes, *Dilectissimi*, inquit, *nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Hinc apparet tunc in ista imagine Dei fieri ejus plenam similitudinem, quando ejus plenam perceperit visionem. * Quamquam possit hoc a Johanne Apostolo etiam de immortalitate corporis dictum videri. Et in hac quippe

* **CAPUT XVIII.**

(a) Sic Am. et MSS. At Er. et Lov. *sanctissima*.

A similes erimus Deo, sed tantummodo Filio, quia solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus resurrexit, atque id ad superna pervexit. Nam dicitur etiam ista imago Filii Dei, in qua sicut ille immortale corpus habebimus, conformes facti in hac parte, non Patris imaginis aut Spiritus-sancti, sed tantummodo Filii, quia de hoc solo legitur, et fide (a) sanissima accipitur, *Verbum caro factum est* (a) (Johan. 1. 14.). Propter quod Apostolus, *Quos ante*, inquit, *præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (Rom. 8. 29.). Primogenitus utique a mortuis secundum eumdem Apostolum, qua morte seminata est caro ejus in contumelia, resurrexit in gloria (Col. 1. 18.). Secundum hanc imaginem Filii, cui per immortalitatem conformamur in corpore, etiam illud agimus quod dicit idem (1. Cor. 15. 43.) B Apostolus: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (1. Cor. 15. 49.): ut scilicet qui secundum Adam mortales fuimus secundum Christum immortales nos futuros, fide vera et spe certa firmaque teneamus. Sic enim nunc eamdem imaginem portare possumus, nondum in visione, sed in fide, nondum in re, sed in spe. De corporis quippe resurrectione tunc loquebatur Apostolus, cum hæc diceret.

CAPUT XIX. Johannes potius intelligendus de perfecta nostra similitudine cum Trinitate in vita æterna.

25. At vero illa imago, de qua dictum est, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1. 26.); quia non dictum est, ad meam, vel ad tuam; ad imaginem Trinitatis factum hominem credimus, et quanta potuimus investigatione comprehendimus. Et ideo secundum hanc C potius et illud intelligendum est quod ait apostolus Johannes, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (1. Johan. 3. 2.): quia et de illa dixit de quo dixerat, *Filii Dei sumus*. Et immortalitas carnis illo perficietur momento resurrectionis, de quo ait apostolus Paulus, *In ictu oculi, in novissima tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (1. Cor. 15. 52.). In ipso namque ictu oculi ante judicium resurget in virtute, in incorruptione, in gloria corpus spiritale, quod nunc seminatur in infirmitate, corruptione, contumelia corpus animale. Imago vero quæ renovatur in spiritu mentis in agnitione Dei, non exterius, sed interius de die in diem, ipsa perficietur visione, quæ tunc erit post judicium facie ad faciem (1. Cor. 13. 12.), nunc autem proficit per speculum in ænigmate. D Propter cujus perfectionem dictum intelligendum est, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (1. Johan. 3. 2.). Hoc enim (b) donum tunc nobis dabitur, cum dictum fuerit, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (Matth. 25. 34.). Tunc quippe tolletur impius, ut non videat claritatem Domini (Isai. 26. 10.), quando ibunt sinistris in supplicium æternum, euntibus dextris in vitam æternam. *Hæc est autem*, sicut ait Veritas, *vita æterna, ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Johan. 17. 3.).

Sapientia perfecta in beatitudine.

26. Hanc contemplativam sapientiam, quam proprie puto in litteris sanctis a scientia distin-

(b) Nonnulli MSS. bonum.

etiam sapientiam nuncupari, dumtaxat hominis, quæ quidem illi non est, nisi ab illo cujus participatione vere sapiens fieri mens rationalis et intellectualis potest, Cicero commendans in fine dialogi Hortensii; Quæ nobis, inquit, dies noctesque considerantibus scuentibusque intelligentiam, quæ est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus magna spes est: aut si hoc quod sentimus et sapimus mortale et caducum est, jucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum, neque molestam extinctionem, et quasi quietem vitæ fore: aut si, ut antiquis philosophis hisque maximis longeque clarissimis placuit, æternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc his faciliorem adscensum ut reditum in cælum fore. Deinde addens hanc ipsam clausulam (a), repetendoque sermonem finiens: Quapropter, inquit, ut aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paullo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est.

A Hic miror hominem tanti ingenii, perfunctis muneribus humanis, hominibus in philosophia viventibus, quæ contemplatione veritatis beatos facit, jucundum promittere occasum, si hoc quod sentimus et sapimus mortale et caducum est: quasi hoc moriatur et intercidat quod non diligebamus, vel potius quod atrociter oderamus, ut jucundus nobis sit ejus occasus. Verum hoc non didicerat a philosophis, quos magnis laudibus prædicat: sed ex illa nova Academia, ubi ei dubitare etiam de rebus manifestissimis placuit, ista sententia redolebat. A philosophis autem, sicut ipse confitetur, maximis longeque clarissimis, æternos animos esse acceperat. Æternos quippe animi non inconvenienter hac exhortatione excitantur, ut in suo cursu reperiantur, cum venerit vitæ hujus extremum, id est, in ratione et investigandi cupiditate, minusque se admisceant atque implicent hominum vitiis et erroribus, ut eis facilior sit regressus ad Deum. Sed iste cursus qui constituitur in amore atque investigatione veritatis, non sufficit miseris, id est, omnibus cum ista sola ratione mortalibus sine fide Mediatoris: quod in libris superioribus hujus Operis, maxime in quarto-decimo quantum potui, demonstrare curavi.

LIBER QUINTUS-DECIMUS

Principio quid in singulis quatuordecim superioribus libris dictum sit exponit breviter ac summatim, eoque demum pervenisse disputationem docet, ut Trinitas quæ Deus est jam ipsis rebus æternis, incorporalibus et immutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata vita promittitur inquiratur. Hanc vero Trinitatem ostendit hic videri a nobis tamquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei, quod nos sumus, ut in similitudine obscura et ad perspiciendum difficili. Sic et ex verbo mentis nostræ Verbi divini generationem, non nisi difficulter, propterea quæ inter utrumque verbum interesse observatur disparitas quam maxima; et ex dilectione quæ a voluntate adjungitur, Spiritus-sancti processionem conjici et utcumque et explicari posse demonstrat.

CAPUT I. Supra mentem Deus.

Volentes in rebus quæ factæ sunt ad cognoscendum eum a quo factæ sunt, exercere lectorem, jam pervenimus ad ejus imaginem, quod est homo, in eo quo ceteris animalibus antecellit, id est ratione vel intelligentia, et quidquid aliud de anima rationali vel intellectuali dici potest, quod pertineat ad eam rem quæ mens vocatur vel animus. Quo nomine nonnulli auctores linguæ Latinæ, id quod excellit in homine, et non est in pecore, ab anima quæ inest et pecori, suo quodam loquendi more distinguunt. Supra hanc ergo naturam si quærimus aliquid et verum quærimus, Deus est, natura scilicet non creata, sed creatrix. Quæ utrum sit Trinitas, non solum credentibus, divinæ Scripturæ auctoritate, verum etiam intelligentibus, aliqua, si possumus, ratione jam demonstrare debemus. Cur autem si possumus dixerim, res ipsa cum quæri disputando cœperit, melius indicabit.

CAPUT II. Deus incomprehensibilis

2. Deus quippe ipse quem quærimus adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster, et intelligamus quemadmodum dictum sit in

C Psalmo sacro, *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Psal. 104. 3. Videtur enim, quod semper quæritur, numquam inveniri: ut quomodo jam lætabitur, et non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire quod quærunt? Non enim ait, Lætetur cor invenientium, sed *quærentium Dominum.* Et tamen Dominum Deum inveniri posse dum quæritur, testatur Isaias propheta, dum dicit, *Quærite Dominum, et mox ut inveneritis, invocate eum: et cum appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas.* Isai. 55. 6. Si ergo quæsitus inveniri potest cur dictum est, *Quærite faciem ejus semper?* An et inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior meliorque fit quærens tam ma-

(a) MSS, repetendo, sermonemque finiens.

gnum bonum, et quod inveniendum quæritur, et quærendum invenitur? Nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere sapientiam, Eccli. 24. 29. *Qui me manducant, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.* Manducant enim et bibunt, quia inveniunt; et quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit: propter quod ait Propheta, Isai. 7. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quærit: Psal. 13. 2. *Deus enim respexit super filios hominum*, sicut in Psalmo sacro canitur, *ut videret si est intelligens aut requirens Deum*. Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.

Trinitatis vestigia non frustra quæsita in creatura.

3. Satis itaque (a) remorati fuerimus in iis quæ Deus fecit, ut per ea cognosceretur ipse qui fecit: Rom. 1. 20. *Invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Unde arguuntur in libro Sapientiæ qui Sap. 13. 1. *de iis quæ videntur bona, non potuerunt scire eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt artificem, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut violentiam aquarum, aut luminaria cœli, rectores orbis terrarum deos putaverunt: quorum quidem si specie delectati hæc deos putaverunt, sciant quanta Dominator eorum melior est. Speciei enim generator ea creavit. Aut si virtutem et operationem eorum mirati sunt, intelligant ab his quanto qui hæc constituit fortior est. A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterat horum Creator videri.* Hæc de libro Sapientiæ propterea posui, ne me fidelium quispiam frustra et inaniter existimet in creatura prius per quasdam sui generis trinitates quodam modo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quæsisse indicia summæ illius Trinitatis, quam quærimus cum Deum quærimus.

CAPUT III. Omnium superiorum librorum breviarium.

4. SED quoniam disserendi et ratiocinandi necessitas per quatuordecim libros multa nos dicere compulit, quæ cuncta simul adspicere non valemus, ut ad id quod apprehendere volumus, ea celeri cogitatione referamus: faciam quantum Domino adjuvante potuero, ut quidquid in singulis voluminibus ad cognitionem disputatione perduxi, remota disputatione breviter congeram, et tamquam sub uno mentis adspectu, non quemadmodum res quæque persuasit, sed ipsa quæ persuasa sunt ponam: ne tam longe sint a præcedentibus consequentia, ut oblivionem præcedentium faciat inspectio consequentium; aut certe si fecerit, cito possit quod exciderit relegendo recolligi.

5. IN PRIMO LIBRO secundum Scripturas sacras unitas et æqualitas summæ illius Trinitatis ostenditur. In SECUNDO et TERTIO et QUARTO eadem: sed de Filii missione et Spiritus sancti diligenter quæstio pertractata, tres libros fecit; demonstratumque est non ideo minorem mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est, cum Trinitas quæ per omnia æqualis est, pariter quoque in sua natura immutabilis et invisibilis et ubique præsens inseparabiliter operetur. In QUINTO propter eos quibus ideo videtur non eadem Patris et Filii esse substantia, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant, et propterea gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas, demonstratur non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur; sed dici etiam relative, id est non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est: sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem: ubi si quid relative, id est ad aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est, *Domine refugium factus es nobis*, Psal. 89. 1. nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere. In SEXTO quomodo dictus sit Christus ore Apostolico, 1. Cor. 1. 24. *Dei virtus, et Dei sapientia*, sic disputatur, ut differatur eadem quæstio diligentius retractanda: utrum a quo est genitus Christus, (b) non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ suæ pater, ac sapientia sapientiam genuerit. Sed quodlibet horum esset, etiam in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, et non Deus triplex, sed Trinitas: nec quasi aliquid duplum esse Patrem et Filium ad simplum Spiritum-sanctum; ubi nec tria plus aliquid sunt quam unum horum. Disputatum est etiam quomodo possit intelligi quod ait Hilarius Episcopus (c): *Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.* In SEPTIMO quæstio quæ dilata fuerat, explicatur, ita ut Deus qui genuit Filium, non solum sit Pater virtutis et sapientiæ suæ, sed etiam ipse virtus atque sapientia: sic et Spiritus-sanctus: nec tamen simul tres sint virtutes aut tres sapientiæ, sed una virtus et una sapientia, sicut unus Deus et una essentia. Deinde quæsitum est, quomodo dicantur una essentia, tres personæ (d) vel a quibusdam Græcia una essentia, tres substantiæ: et inventum est locutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiarentur, cum quæritur, quid tres sint, quos tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum-sanctum. In OCTAVO ratione etiam reddita intelligentibus clarum est in substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam solum Spiritum-sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, aut omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos. Deinde per veritatem quæ intellecta conspicitur, et per bonum summum a quo est omne bonum, et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, ut natura non solum incorporalis, verum

(a) Ita MSS. editi, vero, rememorati fuimus.
(b) Quidam codex. eadem non sit ipse sapientia.

(c) Sola editio Lov. episcopus sanctus.
(d) In MSS. velut a quibusdam.

etiam incommutabilis quod est Deus, quantum fieri potest, intelligeretur admonui: et per caritatem, quæ in scripturis sanctis Deus dicta est, per quam cœpit utcumque etiam Trinitas intelligentibus apparere, sicut sunt amans, et quod amatur, et amor. In NONO ad imaginem Dei, quod est homo secundum mentem, pervenit disputatio: et in ea quædam trinitas invenitur, id est mens, et notitia qua se novit, et amor quo se notitiamque suam diligit, et hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ. In DECIMO hoc idem diligentius subtiliusque tractatum est, atque ad id perductum, ut inveniretur in mente evidentior trinitas ejus, in memoria scilicet et intelligentia et voluntate. Sed quoniam et hoc compertum est, quod mens nunquam esse ita potuerit, ut non sui meminisset, non se intelligeret, et diligeret, quamvis non semper se cogitaret, cum autem cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret; dilata est de Trinitate, cujus hæc imago est, disputatio, ut in ipsis etiam corporalibus visis inveniretur trinitas, et distinctius in ea lectoris exerceretur intentio. In UNDECIMO ergo electus est sensus oculorum, in quo id quod inventum esset, etiam in ceteris quatuor sensibus corporis et non dictum posset agnosci: atque ita exterioris hominis trinitas, primo in iis quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis, apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia, nec unius esse substantiæ claruerunt. Deinde in ipso animo, ab iis quæ extrinsecus sensa sunt velut introducta inventa est altera trinitas, ubi apparerent eadem tria unius esse substantiæ, imaginatio corporis quæ in memoria est, et unde informatio cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis. Sed ideo ista trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est quæ sentiuntur extrinsecus. In DUODECIMO discernenda visa est sapientia a scientia; et in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quia inferior est, prius quædam sui generis trinitas inquirenda: quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda sit vel putanda. Et hoc agitur in TERTIO-DECIMO libro per commendationem fidei Christianæ. In QUARTO-DECIMO autem de sapientia hominis vera, id est, (a) Dei munere in ejus ipsius Dei participatione donata, quæ a scientia distincta est, disputatur: et eo pervenit disputatio, ut trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam, et sic percipit sapientiam ubi contemplatio est æternorum.

I. Johan. 4. 16. — Col. 3. 10. — Gen. 1. 27.

CAPUT IV. Quid universa natura nos de Deo doceat.

6. JAM ergo in ipsis rebus æternis, incorporalibus et incommutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata, quæ nonnisi æterna est, vita promittitur, Trinitatem quæ Deus est inquiramus. Neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat, sed omnis quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet ut eum et summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere, et mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur.

CAPUT V. Quam difficile demonstrare ratione naturali Trinitatem.

7. SED hæc omnia quæ dixi, et quæcumque alia simili more locutionis humanæ digne de Deo dici videntur, et universæ Trinitati quæ est unus Deus, et personis singulis in eadem Trinitate conveniunt. Quis enim vel unum Deum, quod est ipsa Trinitas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum-sanctum, audeat dicere, aut non viventem, aut nihil sentientem, vel intelligentem, aut in ea natura qua inter se prædicantur æquales, quemquam esse eorum mortalem sive corruptibilem, sive mutabilem, sive corporeum; aut quisquam ibi neget aliquem potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum? Si ergo hæc atque hujusmodi omnia, et ipsa Trinitas, et in ea singuli dici possunt, ubi aut quomodo Trinitas apparebit? Redigamus itaque prius hæc plurima ad aliquam paucitatem. Quæ vita enim dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura. Non itaque Deus vivit nisi vita quod ipse sibi est. Hæc autem vita non talis est qualis inest arbori, ubi nullus est intellectus, nullus est sensus. Nec talis qualis inest pecori: habet enim vita pecoris sensum quinque partitum, sed intellectum habet nullum: at illa vita quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia; et sentit mente non corpore, quia spiritus est Deus. Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus: non enim ex anima constat et corpore: ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit sentit, sicut sentit intelligit; idemque sensus qui intellectus est illi. Nec ita ut aliquando esse desistat aut cœperit: immortalis est enim. Nec frustra de illo dictum est, quod solus habeat immortalitatem: nam immortalitas ejus vere immortalitas est, in cujus natura nulla est commutatio. Ipsa est etiam vera æternitas qua est immutabilis Deus, sine initio, sine fine; consequenter et incorruptibilis. Una ergo eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis: itemque

Johan. 4. 24. — I. Tim. 6. 16.

(a) Sic MSS. At Er. et Lov. *id est de munere ejus in ipsius etc.* Am. *idest de munere in ejus ipsius etc.*

cum dicitur, vivens, et intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam qua esset sapiens, sed ipse sapientia est. Et hæc vita, eademque virtus sive potentia, eademque species, qua potens, atque speciosus dicitur. Quid enim potentius et speciosius sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter? (Sap. 8. 1.) Bonitas etiam, atque justitia, numquid inter se in natura Dei, sicut in ejus operibus distant, tamquam duæ diversæ sint qualitates Dei, una bonitas, alia justitia? Non utique: sed quæ justitia ipsa bonitas, et quæ bonitas ipsa beatitudo. Incorporalis autem vel incorporeus ideo dicitur Deus, ut spiritus credatur vel intelligatur esse non corpus.

8. Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum quod posui quasi tantummodo videtur significare substantiam, cetera vero hujus substantiæ qualitates: sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura. Quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem: sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia cetera quæ commemoravimus, unde in superioribus libris multa jam diximus. De quatuor igitur primis quæ modo a nobis enumerata atque digesta sunt, id est, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, unum aliquid eligamus; quia unum quatuor ista significant, sicut jam disserui; ne per multa distendatur intentio, et illud potius quod positum est prius, id est æternus. Hoc faciamus et de quatuor secundis, quæ sunt, vivus, sapiens, potens, speciosus. Et quoniam vita qualiscumque inest et pecori, cui sapientia non inest; duo vero ista, sapientia scilicet atque potentia, ita sunt inter se in homine comparata, ut sancta Scriptura diceret, *Melior est sapiens quam fortis*; (Sap. 6. 1.) speciosa porro etiam corpora dici solent: unum ex his quatuor* quod eligimus, sapiens eligatur: quamvis hæc quatuor in Deo non (a) inæqualia dicenda sint; nomina enim quatuor, res autem una est. (* fortis, æqualibus.) De tertiis vero ultimis quatuor, quamvis in Deo idem sit justum esse quod bonum quod beatum, idemque spiritum esse quod justum et bonum et beatum esse: tamen quia in hominibus potest esse spiritus non beatus, potest et justus et bonus nondum beatus; qui vero beatus est, profecto et justus et bonus et spiritus est: hoc potius eligamus quod nec in hominibus esse sine illis tribus potest, quod est beatus.

CAPUT VI. Quomodo in ipsa simplicitate Dei sit Trinitas.

9. (b) Num igitur cum dicimus, æternus, sapiens, beatus, hæc tria sunt Trinitas, quæ appellatur Deus? Redigimus quidem illa duodecim in istam paucitatem trium: sed eo modo forsitan possumus et hæc tria in unum aliquod horum. Nam si una eademque res in Dei natura potest esse sapientia et potentia, aut vita et sapientia; cur non una eademque res esse possit in Dei natura æternitas et sapientia, aut beatitudo et sapientia? Ac per hoc sicut nihil intererat utrum illa duodecim, an ista tria diceremus, quando illa multa in istam redigimus paucitatem: ita nihil interest utrum tria ista dicamus, an illud unum in cujus singularitatem duo cetera similiter redigi posse monstravimus. Quia itaque disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet, ut alia jam taceam, hoc unum quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas? Neque enim sicut nos de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliquo: sed sua est ipse sapientia; quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse. Dicitur quidem in Scripturis sanctis Christus Dei virtus, et Dei sapientia: (1. Cor. 1. 24.) sed quemadmodum sit intelligendum, ne Patrem Filius videatur facere sapientem, in libro septimo disputatum est; (Cap. 1, 2, 3.) et ad hoc ratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo. Nec aliud potuimus invenire Spiritum sanctum, nisi et ipsum esse sapientiam, et simul omnes unam sapientiam, sicut unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo sapientiam quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem? Non dixi, quomodo credimus; nam hoc inter fideles non debet habere quæstionem: sed si aliquo modo per intelligentiam possumus videre quod credimus, quis iste erit modus?

An et quomodo ex monstratis trinitatibus in homine ostendatur Trinitas Deus.

10. Si enim recolamus ubi nostro intellectui cœperit in his libris Trinitas apparere, octavus occurrit. Ibi quippe, ut potuimus, disputando erigere tentavimus mentis intentionem ad intelligendam illam præstantissimam immutabilemque naturam, quod nostra mens non est. Quam tamen sic intuebamur, ut nec longe a nobis esset, et supra nos esset, non loco, sed ipsa sui venerabili mirabilique præstantia, ita ut apud nos esse suo præsenti lumine videretur. In qua tamen nobis adhuc nulla Trinitas apparebat, quia non ad eam quærendam in fulgore illo firmam mentis aciem (c) tenebamus: tantum quia non erat aliqua moles, ubi credi oporteret magnitudinem duorum vel trium plus esse quam unius, cernebamus utcumque. Sed ubi ventum est ad caritatem, quæ in sancta Scriptura Deus dicta est, (1. Johan. 4. 16.) eluxit paululum Trinitas, id est, amans, et quod amatur, et amor. Sed quia lux illa ineffabilis nostrum reverberabat obtutum, (Gen. 1. 27.) et ei nondum posse contemperari nostræ mentis quodam modo convincebatur infirmitas, ad ipsius nostræ mentis, secundum quam factus est homo ad imaginem Dei, velut familiariorem considerationem, reficiendæ laborantis intentionis causa, inter cœptum dispositumque refleximus: et inde in creatura, quod nos sumus, ut invisibilia (Rom. 1. 20.)

(a) Plurimi MSS. *non æqualia*. Melius, si tamen supra pro *quod eligimus* legendum sit *æqualibus*.

(b) Ita MSS. At editi, *Nunc igitur*.

(c) Aliquot MSS. *tendebamus*.

Dei per ea quæ facta sunt conspicere intellecta A possemus, immorati sumus a nono usque ad quartum decimum librum. Et ecce jam quantum necesse fuerat, aut forte plus quam necesse fuerat, exercitata in inferioribus intelligentia, ad summam Trinitatem quæ Deus est, conspiciendam nos erigere volumus, nec valemus. Num enim sicut certissimas videmus trinitates, sive quæ forinsecus de rebus corporalibus fiunt, sive cum ea ipsa quæ forinsecus sensa sunt cogitantur, sive cum illa quæ oriuntur in animo, nec pertinent ad corporis sensus, sicut fides, sicut virtutes quæ sunt artes agendæ vitæ, manifesta ratione cernuntur et scientia continentur, sive cum mens ipsa qua novimus quidquid nosse nos veraciter dicimus, sibi cognita est, vel se cogitat, sive cum aliquid quod ipsa non est, æternum B atque incommutabile conspicit; num ergo sicut in his omnibus certissimas videmus trinitates, quia in nobis fiunt vel in nobis sunt, cum ista meminimus, adspicimus, volumus, ita videmus etiam Trinitatem Deum, quia et illic intelligendo conspicimus tamquam dicentem, et verbum ejus, id est, Patrem et Filium, atque inde procedentem caritatem utrique communem, scilicet Spiritum-sanctum? An trinitates istas ad sensus nostros vel ad animum pertinentes videmus potius quam credimus, Deum vero esse Trinitatem credimus potius quam videmus? Quod si ita est, profecto aut invisibilia ejus per ea quæ facta sunt nulla intellecta conspicimus; aut si ulla conspicimus, non in eis conspicimus Trinitatem, et est illic quod conspiciamus, est quod etiam non C conspectum credere debeamus. Conspicere autem nos immutabile bonum, quod nos non sumus, liber octavus ostendit, et quartus-decimus, cum de sapientia quæ homini ex Deo est loqueremur, admonuit. Cur itaque ibi non agnoscimus Trinitatem? An hæc sapientia quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? Quis hoc dixerit? aut quis est qui non videat, ubi nulla scientia est, nullo modo esse sapientiam? Aut vero putandum est, sapientiam quæ Deus est, scire alia et nescire se ipsam, vel diligere alia nec diligere se ipsam? Quæ si dici sive credi stultum et impium est; ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet et notitia sui, et dilectio sui. Sic enim in homine invenimus trinitatem, id est mentem, et notitiam qua se novit, et dilectionem D qua se diligit.

CAPUT VII. Haud facile posse ex dictis trinitatibus deprehendi Trinitatem Deum.

11. Sed hæc tria ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo. Homo est enim, sicut veteres definierunt, animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo. Et una persona, id est singulus quisque homo, habet illa tria in mente (a). Quod si etiam sic definiamus hominem, ut dicamus, Homo est substantia a rationalis constans ex anima et corpore; non est dubium hominem habere animam quæ non est corpus, habere corpus quod non est anima. Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur, aliquid ejus est mens, tamquam caput ejus, vel oculus, vel facies: sed non hæc ut corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur. Numquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Quapropter singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent ejus, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, una persona est, et imago est Trinitatis in mente. Trinitas vero illa cujus imago est, nihil aliud est tota quam Deus, nihil est aliud tota quam Trinitas. Nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem: et tres personæ sunt unius essentiæ, non sicut singulus quisque homo una persona.

12. Itemque in hoc magna distantia est, quod sive mentem dicamus in homine, ejusque notitiam, et dilectionem, sive memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus nisi per memoriam, nec intelligimus nisi per intelligentiam, nec amamus nisi per voluntatem. At vero in illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum-sanctum intelligere nisi per Filium, vel diligere nisi per per Spiritum-sanctum, per se autem meminisse tantummodo vel sui vel Filii vel Spiritus-sancti; eodemque modo Filium nec sui nec Patris meminisse nisi per Patrem, nec diligere nisi per Spiritum-sanctum, per se autem non nisi intelligere et Patrem et se ipsum et Spiritum-sanctum; similiter et Spiritum-sanctum per Patrem minimisse et Patris et Filii et sui, et per Filium intelligere et Patrem et Filium et se ipsum, per per se autem non nisi diligere et se et Patrem et Filium; tamquam memoria sit Pater et sua et Filii et Spiritus-sancti, Filius autem intelligentia et sua et Patris et Spiritus-sancti, Spiritus vero sanctus caritas et sua et Patris et Filii: quis hæc in illa Trinitate opinari vel affirmare præsumat? Si enim solus ibi Filius intelligit, (b) b et sibi et Patri et Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio, nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse: ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, et ea illi essentia est quæ sapientia, non Filius a Patre, quod verum est; sed a Filio potius habet Pater essentiam, quod absurdissimum atque falsissimum est. Hanc absurditatem nos in libro septimo discussisse, convicisse, abjecisse certissimum est. Cap. 1, 2, 3. Est ergo Deus Pater sapiens, ea qua ipse sua est sapientia, et Filius sapientia Patris de sapientia quod est Pater, de quo genitus est Filius. Quocirca consequenter est et intelligens Pater ea qua ipse sua est intelligentia, neque

(a) In MSS. additur, vel mentem.

(b) Hic editi addunt, ut intelligentia sit: quod abest a MSS.

enim esset sapiens qui non esset intelligens: Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus quod est Pater. Hoc et de memoria non inconvenienter dici potest. Quomodo est enim sapiens qui nihil meminit, vel sui non meminit? Proinde quia sapientia Pater, sapientia Filius, sicut (*a*) sui meminit Pater, ita et Filius: ut sicut sui et Filii meminit Pater, memoria non Filii, sed sua; ita sui et Patris meminit Filius, memoria non Patris, sed sua. Dilectio quoque ubi nulla est, quis ullam dicat esse sapientiam? Ex quo colligitur ita esse Patrem dilectionem suam, ut intelligentiam et memoriam suam. Ecce ergo tria illa, id est, memoria, intelligentia, dilectio sive voluntas in illa summa et immutabili essentia quod est Deus, non Pater et Filius et Spiritus-sanctus sunt, sed Pater solus. Et quia Filius quoque sapientia est genita de sapientia, sicut nec Pater ei, nec Spiritus-sanctus ei intelligit, sed ipse sibi; ita nec Pater ei meminit, nec Spiritus-sanctus ei diligit, sed ipse sibi: sua enim est et ipse memoria, sua intelligentia, sua dilectio; sed ita se habere, de Patre illi est, de quo natus est. Spiritus etiam sanctus quia sapientia est procedens de sapientia, non Patrem habet memoriam, et Filium intelligentiam, ut se dilectionem: neque enim sapientia esset, si alius ei meminisset, eique alius intelligeret, ac tantummodo sibi ipse diligeret: sed ipse habet hæc tria, et ea sic habet, ut hæc ipsa ipse sit. Verumtamen ut ita sit, inde illi est unde procedit.

13. Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua novit Deus omnia, ita ut nec ea quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint, exspectentur ut veniant, sed et præterita et futura cum præsentibus sint cuncta præsentia; nec singula cogitentur, et ab aliis ad alia cogitando transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sint universa; quis, inquam, hominum comprehendit istam sapientiam, eamdemque prudentiam, eamdemque scientiam; quando quidem a nobis nec nostra (*b*) comprehenditur? Ea quippe quæ vel sensibus vel intelligentiæ nostræ adsunt, possumus utcumque conspicere: ea vero quæ absunt, et tamen adfuerunt, per memoriam novimus, quæ obliti non sumus. Nec ex futuris præterita, sed futura ex præteritis, non tamen firma cognitione conjicimus. Nam quasdam cogitationes nostras, quas futuras velut manifestius atque certius proxima (*c*) quasi prospicimus, memoria faciente id agimus, cum agere valemus, quantum valemus, quæ videtur non ad ea quæ futura sunt, sed ad præterita pertinere. Quod licet experiri in eis dictis vel canticis, quorum seriem memoriter reddimus. Nisi enim prævideremus cogitatione quod sequitur, non utique diceremus. Et tamen ut prævideamus, non providentia nos instruit, sed memoria. Nam donec finiatur omne quod dicimus, sive canimus, nihil est quod non provisum prospectumque proferatur. Et tamen cum id agimus, non dicimur providenter, sed memoriter canere vel dicere; et qui hoc in multis ita proferendis valeat plurimum, non solet eorum providentia, sed memoria prædicari. Fieri ista in animo vel ab animo nostro novimus, et certissimi sumus: quomodo autem fiant, quanto attentius voluerimus advertere, tanto magis noster et sermo succumbit, et ipsa non perdurat intentio, ut ad liquidum aliquid nostra intelligentia, et si non lingua, perveniat. Et putamus nos, utrum Dei providentia eadem sit quæ memoria et intelligentia, qui non singula cogitando adspicit, sed una, æterna et immutabili atque ineffabili visione complectitur cuncta quæ novit, tanta mentis infirmitate posse comprehendere? In hac igitur difficultate et angustiis libet exclamare ad Deum vivum, *Mirificata est scientia tua ex me; invaluit et non potero ad illam.* Ex me quippe intelligo quam sit mirabilis et incomprehensibilis scientia tua, qua me fecisti; quando nec me ipsum comprehendere valeo quem fecisti: et tamen in meditatione mea exardescit ignis, ut quæram faciem tuam semper. — Psal. 138. 6. — Psal. 38. 4. et 104. 4.

CAPUT VIII. Deum nunc videri a nobis per speculum. quomodo dicat Apostolus.

14. Incorporalem substantiam scio esse sapientiam, et lumen esse in quo videntur quæ oculis carnalibus non videntur; et tamen vir tantus tamquam spiritalis, *Videmus nunc*, inquit, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quale sit et quod sit hoc speculum si quæramus, profecto illud occurrit, quod in speculo nisi imago non cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, ut per imaginem hanc quod nos sumus, videremus utcumque a quo facti sumus, tamquam per speculum. Hoc significat etiam illud quod ait idem Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tamquam a Domini spiritu. Speculantes* dixit, per speculum videntes, non de specula prospicientes. Quod in Græca lingua non est ambiguum, unde in Latinam translatæ sunt Apostolicæ litteræ. Ibi quippe speculum ubi apparent imagines rerum a specula de cujus altitudine longius aliquid intuemur, etiam sono verbi distat omnino, satisque apparet Apostolum a speculo, non a specula dixisse, *gloriam Domini speculantes.* Quod vero ait, *In eamdem imaginem transformamur:* utique imaginem Dei vult intelligi, eamdem dicens, istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur; quia eadem imago est et gloria Dei, sicut alibi dicit: *Vir quidem non debet velare caput suum, cum sit imago et gloria Dei:* de quibus verbis jam in libro duodecimo disseruimus. *Transformamur* ergo dicit, de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam; quia et ipsa obscura, imago Dei est: et si imago, profecto etiam gloria, in qua homines creati sumus, præ- — 1 Cor. 13. 12. — 2 Cor. 3. 18. — 1 Cor. 11. 7.

(a) Sic MSS. At editi, *sibi meminit.*
(b) Editi, *comprehenduntur*, Melius MSS. *comprehenditur*,
(c) Am. *proximas quasdam.* Nonnulli MSS. *proximas quasque.*

stantes cæteris animalibus. De ipsa quippe natura humana dictum est, *Vir quidem non debet velare caput; cum sit imago et gloria Dei*. Quæ natura in rebus creatis excellentissima, cum a suo Creatore ab impietate justificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam. Est quippe et in ipsa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis. Et propter hoc addidit, *de gloria in gloriam*:

2. Cor. 3. 18.

de gloria creationis in gloriam justificationis. Quamvis possit hoc et aliis modis intelligi, quod dictum est, *de gloria in gloriam*: de gloria fidei in gloriam speciei; de gloria qua Filii Dei sumus, in gloriam qua similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est.

1. Johan. 3. 2.

Quod vero adjunxit, *tanquam a Domini spiritu*: ostendit gratia Dei nobis conferri tam optabilis transformationis bonum.

CAPUT IX. De ænigmate et tropicis locutionibus.

15. Hæc dicta sunt propter quod ait Apostolus, nunc *per speculum* nos videre. Quia vero addidit, *in ænigmate*: multis hoc incognitum est qui eas litteras nesciunt, in quibus est doctrina quædam de locutionum modis, quos Græci tropos vocant, eoque Græco vocabulo etiam nos utimur pro Latino. Sicut enim schemata usitatius dicimus quam figuras, ita usitatius dicimus tropos quam modos. Singulorum autem modorum sive troporum nomina, ut singula singulis referantur, difficillimum est et insolentissimum Latine enuntiare. Unde quidam interpretes nostri, quod ait Apostolus, *quæ sunt in allegoria*, nolentes Græcum vocabulum ponere, circumloquendo interpretati sunt dicentes, *quæ sunt aliud ex alio significantia*.

Gal. 4. 24.

Hujus autem tropi, id est allegoriæ, plures sunt species, in quibus est etiam quod dicitur ænigma. Definitio autem ipsius nominis generalis, omnes etiam species complectatur necesse est. Ac per hoc sicut omnis equus animal est, non omne animal equus est: ita omne ænigma allegoria est, non omnis allegoria ænigma est. Quid ergo est allegoria, nisi tropus ubi ex alio aliud intelligitur, quale illud est ad Thessalonicenses: *Itaque non dormiamus sicut et cæteri: sed vigilemus, et sobrii simus. Nam qui dormiunt nocte dormiunt, et qui inebriantur nocte ebrii sunt: nos autem qui diei sumus, sobrii simus.*

1. Thess. 5. 6.

Sed hæc allegoria non est ænigma. Nam nisi multum tardis iste sensus in promptu est. Ænigma est autem, ut breviter explicem, obscura allegoria, sicuti est: *Sanguisugæ erant (a) tres filiæ*: et quæcumque similia.

Prov. 30. 15.

Sed ubi allegoriam nominavit Apostolus, non in verbis eam reperit, sed in facto, cum e duobus filiis Abrahæ, uno de ancilla, altero de libera, quod non dictum, sed etiam factum fuit, duo Testamenta intelligenda monstravit; quod ante quam exponeret, obscurum fuit: proinde allegoria talis quod est generale nomen, posset specialiter ænigma nominari.

Gal. 4. 24.

16. Sed quia non soli qui eas litteras nesciunt, quibus discuntur tropi, quærunt quid dixerit Apostolus, nunc in ænigmate nos videre, verum etiam qui sciunt, tamen quod sit illud ænigma ubi nunc videmus, nosse desiderant; ex utroque inveniendo una est sententia, et ex illo scilicet, quod ait, *Videmus nunc per speculum*; et ex isto quod addit, *in ænigmate*.

1. Cor. 13. 12.

Una est enim cum tota sic dicitur, *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Proinde, quantum mihi videtur, sicut nomine speculi imaginem voluit intelligi; ita nomine ænigmatis quamvis similitudinem, tamen obscuram, et ad perspiciendum difficilem. Cum igitur speculi et ænigmatis nomine quæcumque similitudines ab Apostolo significatæ intelligi possint, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum, eo modo quo potest; nihil tamen est accommodatius quam id quod imago ejus non frustra dicitur. Nemo itaque miretur etiam in isto modo videndi qui concessus est huic vitæ, per speculum scilicet in ænigmate, laborare nos ut quomodocumque videamus. Nomen quippe hic non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis. Et hoc est grandius ænigma, ut non videamus quod non videre non possumus. Quis enim non videt cogitationem suam? et quis videt cogitationem suam, non oculis carnalibus dico, sed ipso interiore conspectu? Quis non eam videt, et quis eam videt? Quandoquidem cogitatio visio est animi quædam, sive adsint ea quæ oculis quoque corporalibus videantur, vel cæteris sentiantur sensibus, sive non adsint, et eorum similitudines cogitatione cernantur; sive nihil eorum, sed ea cogitentur quæ nec corporalia sunt, nec corporalium similitudines, sicut virtutes et vitia, sicut ipsa denique cogitatio cogitatur; sive illa quæ per disciplinas traduntur liberalesque doctrinas; sive istorum omnium causæ superiores atque rationes in natura immutabili cogitentur: sive etiam vana et mala, ac falsa cogitemus, vel non consentiente sensu, vel errante consensu?

CAPUT X. De verbo mentis, in quo tamquam speculo et ænigmate videmus Verbum Dei.

17. Sed nunc de iis loquamur quæ nota cogitamus, et habemus in notitia etiam si non cogitemus, sive ad contemplativam scientiam pertineant, quam proprie sapientiam (b) sive ad activam, quam proprie scientiam nuncupandam esse disserui. Simul enim utrumque mentis est unius, et imago Dei una. Cum vero de inferiore distinctius et seorsum agitur, tunc non est vocanda imago Dei, quamvis et tunc in ea nonnulla reperiatur similitudo illius Trinitatis, quod in tertio decimo volumine ostendimus.

Cap. 1. et 20.

Nunc ergo simul de universa scientia hominis loquimur, in qua nobis nota sunt quæcumque sunt nota: quæ utique vera sunt, alioquin nota non essent. Nemo enim falsa novit, nisi cum falsa esse novit: quod si novit, verum novit: verum est enim quod illa falsa sint. De his ergo nunc disserimus quæ nota cogitamus et nota sunt nobis etiam si non cogitentur a nobis. Sed certe si ea dicere velimus, nisi cogitata non possumus. Nam etsi verba non sonent, in corde suo dicit utique qui cogitat. Unde illud est in libro Sapientiæ: *Dixe-*

(a) Quidam codices, *duæ filiæ*.

(b) In excusis additum hic erat, *dicimus*.

runt apud se cogitantes non recte. Exposuit enim quid sit, *Dixerunt apud se*, cum addidit, *cogitantes.* Huic simile est in Evangelio, quod quidam Scribæ cum audissent a Domino dictum paralytico, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: dixerunt intra se, Hic blasphemat.* Quid est enim, *dixerunt intra se*, nisi cogitando? Denique sequitur, *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit, Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Sic Matthæus. Lucas autem hoc idem ita narrat: *Cæperunt cogitare Scribæ et Pharisæi, dicentes, Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ut cognovit autem cogitationes eorum Jesus, respondens dixit ad illos, Quid cogitatis in cordibus vestris?* Quale est in libro Sapientiæ, *Dixerunt cogitantes*: tale hic est, *Cogitaverunt dicentes.* Et illic enim et hic ostenditur, intra se atque in corde suo dicere, id est cogitando dicere. Dixerunt quippe intra se, et dictum est eis, *Quid cogitatis?* Et de illo divite cujus uberes fructus ager attulit, ait ipse Dominus. *Et cogitabat intra se dicens.*

Sap. 2. 1. Matth. 9. 2. Luc. 5. 21. Sap. 2. 1. Luc. 12. 17.

18. Quædam ergo cogitationes locutiones sunt cordis, ubi et os esse Dominus ostendit, cum ait, *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Una sententia duo quædam hominis ora complexus est, unum corporis, alterum cordis. Nam utique unde illi hominem putaverant inquinari, in os intrat corporis: unde autem Dominus dixit inquinari hominem, de cordis ore procedit. Ita quippe exposuit ipse quod dixerat. Nam paulo post de hac re discipulis suis, *Adhuc et vos*, inquit, *sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Hic certe apertissime demonstravit os corporis. At in eo quod sequitur os cordis ostendens, *Quæ autem*, inquit, *procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ* etc. Quid hac expositione lucidius? Nec tamen quia dicimus locutiones cordis esse cogitationes, ideo non sunt etiam visiones exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt. Foris enim cum per corpus hæc fiunt, aliud est locutio, aliud visio: intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Sicut auditio et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud atque aliud videre et audire: ac per hoc cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc est cogitationes visas dixit a Domino sanctum Evangelium, non auditas: *Dixerunt*, inquit, *intra se, Hic blasphemat.* Deinde subjunxit, *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum.* Vidit ergo quæ dixerunt. Vidit enim cogitatione sua cogitationes eorum, quas illi soli putabant videre.

Matth. 15. 12. Matth. 9. 3.

19. Quisquis igitur potest intelligere verbum, non solum ante quam sonet, verum etiam ante quam sonorum ejus imagines cogitatione volvantur, hoc enim est quod ad nullam pertinet linguam, earum scilicet quæ linguæ appellantur gentium, quarum nostra Latina est: quisquis, inquam, hoc intelligere potest, jam potest videre per hoc speculum atque in hoc ænigmate aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Necesse est enim cum verum loquimur, id est, quod scimus loquimur, ex ipsa scientia quam memoria tenemus, nascatur verbum quod ejusmodi sit omnino, cujusmodi est illa scientia de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus: quod nec Græcum est, nec Latinum, nec linguæ alicujus alterius; sed cum id opus est in eorum quibus loquimur perferre notitiam, aliquod signum quo significetur assumitur. Et plerumque sonus, aliquando etiam nutus, ille auribus, ille oculis exhibetur, ut per signa corporalia etiam corporis sensibus verbum quod mente gerimus innotescat. Nam et innuere quid est, nisi quodam modo visibiliter dicere? Est in Scripturis sanctis hujus sententiæ testimonium; nam in Evangelio secundum Johannem ita legitur: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Adspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de qua diceret. Erat ergo unus ex discipulis ejus recumbens in sinu Jesu, quem diligebat Jesus; innuit ergo huic Simon Petrus, et dicit ei; Quis est de quo dicit?* Ecce innuendo dixit, quod sonando dicere non audebat. Sed hæc atque hujusmodi signa corporalia sive auribus sive oculis præsentibus quibus loquimur exhibemus: inventæ sunt autem litteræ, per quas possemus et cum absentibus colloqui: sed ista signa sunt vocum, cum ipsæ voces in sermone nostro earum quas cogitamus signa sint rerum.

Johan. 1. 1. Johan. 13. 21.

CAPUT XI. Verbi divini similitudo qualiscumque in verbo nostro non exteriore ac sensibili sed in interiore ac mentali, quærenda.

20. Proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est: verbumque et ipsum dicitur, propter illud a quo ut foris appareret assumptum est. Ita enim verbum nostrum vox quodam modo corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum; sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam in qua et ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem: ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit ut mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, et hoc nostrum vox fit, et illud caro factum est. Quapropter quicumque cupit ad qualemcumque similitudinem Verbi Dei, quamvis per multa dissimilem, pervenire, non intueatur verbum nostrum quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur. Omnium namque sonantium verba linguarum etiam in silentio cogitantur, et carmina percurruntur animo, tacente ore corporis; nec solum numeri syllabarum, verum etiam modi cantilenarum, cum sint corporales, et ad eum, qui vocatur auditus,

Johan. 1. 14.

sensum corporis pertinentes, per incorporeas A quasdam imagines suas præsto sunt cogitantibus, et tacite cuncta ista volventibus. Sed transeunda sunt hæc, ut ad illud perveniatur hominis verbum, per cujus qualemcumque similitudinem sicut in ænigmate videatur utcumque Dei

Act. 6. 7. Verbum: non illud quod factum est ad illum vel
Rom. 10 17. illum Prophetam, et de quo dictum est, *Verbum autem Dei crescebat et multiplicabatur*: et de quo
1. Thess. 2. 13. iterum dictum est, *Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*: et iterum, *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis non ut verbum hominum, sed sicuti est vere verbum Dei*. Et innumerabilia similiter in Scripturis dicuntur de Dei verbo, quod in sonis multarum diversarumque linguarum per corda et ora disseminatur humana. Ideo autem verbum B Dei dicitur, quia doctrina divina traditur, non humana. Sed illud Verbum Dei quærimus qualitercumque per hanc similitudinem nunc vide-

Johan. 1. re, de quo dictum est, *Deus erat Verbum*: de quo dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt*: de quo dictum est, *Verbum caro factum est*: de quo di-
Eccli. 1. 5 ctum est, *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*. Perveniendum est ergo ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natæ, sed a Deo factæ imaginis Dei, quod neque prolativum est in sono, neque cogitativum in similitudine soni, quod alicujus linguæ esse necesse sit, sed quod omnia quibus significatur signa præcedit, et gignitur de scientia quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur, sicuti est. Simillima est C enim visio cogitationis, visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri audirive per corpus. Quando ergo quod in notitia est, hoc est in verbo, tunc est verum verbum, et veritas, qualis exspectatur ab homine, ut quod est in ista, hoc sit et in illo; quod non est in ista, non sit et in illo: hic agno-

Matth. 5. 37. scitur, *Est est, Non non*. Sic accedit, quantum potest, ista similitudo imaginis factæ ad illam similitudinem imaginis natæ, qua Deus Filius Patri per omnia substantialiter similis prædicatur. Animadvertenda est in hoc ænigmate etiam ista Verbi Dei similitudo, quod sicut de illo Ver-
Joban. 1. 3. bo dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt*, ubi D Deus per unigenitum Verbum suum prædicatur universa fecisse; ita hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicantur in corde: unde scriptum
Eccl. 37. 20. est, *Initium omnis operis verbum*. Sed etiam hic cum verum verbum est, tunc est initium boni operis. Verum autem verbum est, cum de scientia bene operandi gignitur, ut etiam ibi servetur, *Est est, Non non*: ut si est in ea scientia qua vivendum est, sit et in verbo per quod operandum est; si non, non: alioquin mendacium erit verbum istic, non veritas; et inde peccatum, non opus rectum. Est et hæc in ista similitudine verbi nostri similitudo Verbi Dei,

quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus; opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum: sicut Verbum Dei potuit esse nulla exsistente creatura; creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsum per quod facta sunt omnia. Ideoque non Deus Pater, non Spiritus- Johan. 1. 14
sanctus, non ipsa Trinitas, sed solus Filius, quod est Verbum Dei, caro factum est, quamvis Trinitate faciente: ut sequente atque imitante verbo nostro ejus exemplum, recte viveremus, hoc est, nullum habentes in verbi nostri vel contemplatione vel operatione mendacium. Verum hæc hujus imaginis est quandoque futura perfectio. Ad hanc consequendam nos erudit magister bonus fide Christiana pietatisque doctrina, ut revelata facie a Legis velamine quod est umbra futurorum, gloriam Domini speculantes, 2. Cor 3. 18.
per speculum scilicet intuentes, in eamdem imaginem transformemur de gloria in gloriam tamquam a Domini spiritu, secundum superiorem de his verbis disputationem.

Dissimilitudo quam maxima inter verbum ac scientiam nostram et Verbum scientiamque divinam

21. Cum ergo hac transformatione ad perfectum fuerit hæc imago renovata, similes Deo erimus, quoniam videbimus eum, non per speculum, sed sicuti est: quod dicit apostolus Paulus, *facie ad faciem*. Nunc vero in hoc speculo, in hoc ænigmate, in hac qualicumque similitudine, quanta sit etiam dissimilitudo, quis potest explicare? Attingam tamen aliquo, ut valeo, quibus id possit adverti. * Primo ipsa scientia, de qua veraciter cogitatio nostra formatur, quando quæ scimus loquimur, qualis aut quanta potest homini provenire, quamlibet peritissimo atque doctissimo? Exceptis enim quæ in animum veniunt a sensibus corporis, in quibus tam multa aliter sunt quam videntur, ut eorum verisimilitudine nimium constipatus, sanus sibi esse videatur qui insanit; unde Academica philosophia sic invaluit, ut de omnibus dubitans multo miserius insaniret: his ergo exceptis quæ a corporis sensibus in animum veniunt, quantum rerum remanet quod ita sciamus, sicut nos vivere scimus? in quo prorsus non metuimus, ne aliqua verisimilitudine forte fallamur, quoniam certum est etiam eum qui fallitur vivere; nec in eis visis (a) hoc habetur, quæ objiciuntur extrinsecus, ut in eo sic fallatur oculus, quemadmodum fallitur cum in aqua remus videtur infractus, et navigantibus turres moveri, et alia sexcenta quæ aliter sunt quam videntur: quia nec per oculum carnis hoc cernitur. Intima scientia est qua nos vivere scimus, ubi ne illud quidem Academicus dicere potest, Fortasse dormis, et nescis, et in somnis vides. Visa quippe somniantium simillima esse visis vigilantium quis ignorat? Sed qui certus est de vitæ suæ scientia, non in ea dicit, Scio me vigilare; sed, Scio me vivere: sive ergo dormiat, sive vigilet, vivit. Nec in ea scientia per somnia falli potest; quia et dormire et in somnis videre, viventis est. Nec illud potest Academicus adversus istam

1. Johan 3. 2.
1. Cor 13. 12.
* CAPUT XII.
Academica Philosophia.

(a) Ita MSS. At editi, *hæc habentur*: male.

scientiam dicere. Furis fortassis et nescis; quia A sanorum visis simillima sunt etiam visa furentium: sed qui furit vivit. Nec contra Academicos dicit. Scio me non furere; sed, Scio me vivere. Numquam ergo falli nec mentiri potest, qui se vivere dixerit scire. Mille itaque fallacium visorum genera objiciantur ei qui dicit, Scio me vivere: nihil horum timebit, quando et qui fallitur vivit. Sed si talia sola pertineant ad humanam scientiam, perpauca sunt: nisi quia in unoquoque genere ita multiplicantur, ut non solum pauca non sint, verum etiam reperiantur per infinitum numerum tendere. Qui enim dicit, Scio me vivere, unum aliquid scire se dicit: proinde si dicat, Scio me scire me vivere; duo sunt jam, hoc vero quod scit hæc duo, tertium scire est; sic potest addere et quartum, et quintum, et innumerabilia, si sufficiat. Sed quia innumera- B bilem numerum vel comprehendere singula addendo, vel dicere innumerabiliter non potest, hoc ipsum certissime comprehendit ac dicit, et verum hoc esse, et tam innumerabile, ut vere ejus infinitum numerum non possit comprehendere ac dicere. Hoc et in voluntate certa similiter adverti potest. Quis est enim cui non impudenter respondeatur, Forte falleris, dicenti, Volo beatus esse? Et si dicat, Scio me hoc velle et hoc me scire scio; jam his duobus et tertium potest addere, quod hæc duo sciat; et quartum, quod hæc duo scire se sciat et similiter in infinitum numerum pergere. Item si quispiam dicat, Errare nolo; nonne sive erret sive non erret, errare tamen eum nolle verum erit? Quis est qui C huic non impudentissime dicat, Forsitan falleris? cum profecto ubicumque fallatur, falli se tamen nolle non fallitur. Et si hoc scire se dicat; addit quantum vult rerum numerum cognitarum et numerum esse perspicit infinitum. Qui enim dicit, Nolo me falli, et hoc me nolle scio, et hoc me scire scio, jam etsi non commoda elocutione, potest hinc infinitum numerum ostendere: et alia reperiuntur, quæ adversus Academicos valeant, qui nihil ab homine sciri posse contendunt. Sed modus adhibendus est, præsertim quia in Opere isto non hoc suscepimus. Sunt inde libri tres nostri, primo nostræ conversionis tempore conscripti, quos qui potuerit et voluerit legere, lectosque intellexerit, nihil eum profecto quæ ab eis contra perceptionem veritatis D argumenta multa inventa sunt, permovebunt. Cum enim duo sint genera rerum quæ sciuntur, unum earum quæ per sensus corporis percipit animus, alterum earum quæ per se ipsum: multa illi Philosophi garrierunt contra corporis sensus; animi autem quasdam firmissimas per se ipsum perceptiones rerum verarum, quale illud est quod dixi, Scio me vivere, nequaquam in dubium vocare potuerunt. Sed absit a nobis ut ea quæ per sensus corporis didicimus, vera esse dubitemus: per eos quippe didicimus cœlum et terram, et ea quæ in eis nota sunt nobis, quantum ille qui et nos et ipsa condidit, innotescere nobis voluit. Absit etiam ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin esse nescimus Oceanum; nescimus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendat; nescimus fuisse homines et opera eorum, quæ historica lectione didicimus; nescimus quæ quotidie undecumque nuntiantur, et indiciis consonis (*a*) contestantibusque firmantur; postremo nescimus in quibus locis, vel ex quibus hominibus fuerimus exorti; quia hæc omnia testimoniis credidimus aliorum. Quod si absurdissimum est dicere; non solum nostrorum, verum etiam et alienorum corporum sensus plurimum addidisse nostræ scientiæ confitendum est.

Libri tres contra Academicos Tom. I.

a

Item de differentia scientiæ ac verbi mentis nostræ a scientia et Verbo Dei.

22. Hæc igitur omnia, et quæ per se ipsum, et quæ per sensus sui corporis, et quæ testimoniis aliorum percepta scit animus humanus, thesauro memoriæ condita tenet, et quibus gignitur verbum verum, quando quod scimus loquimur, sed verbum ante omnem sonum, ante omnem cogitationem soni. Tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur et imago ejus, quoniam de visione scientiæ visio cogitationis exoritur, quod est verbum linguæ nullius, verbum verum de re vera, nihil de suo habens, sed totum de illa scientia de qua nascitur. Nec interest quando id didicerit, qui quod scit loquitur, aliquando enim statim ut discit, hoc dicit, dum tamen verbum sit verum, id est, de notis rebus exortum. * Sed numquid Deus Pater, de quo natum est Verbum de Deo Deus; numquid ergo Deus Pater in illa sapientia quod est ipse sibi, alia didicit per sensum corporis sui, alia per se ipsum? Quis hoc dicat, qui non animal rationale, sed supra animam rationalem Deum cogitat, quantum ab eis cogitari potest, qui eum omnibus animalibus et omnibus animis præferunt: quamvis per speculum et in ænigmate conjiciendo videant, nondum facie ad faciem sicuti est? Numquid Deus Pater ea ipsa, quæ non per corpus, quod est ei nullum, sed per se ipsum scit, aliunde ab aliquo didicit, aut nuntiis vel testibus, ut ea sciret, indiguit? Non utique: ad omnia quippe scienda quæ scit, sufficit sibi illa perfectio. Habet quidem nuntios, id est angelos, non tamen qui ei quæ nescit annuntient; non enim sunt ulla quæ nesciat: sed bonum eorum est de operibus suis ejus consulere veritatem; et hoc est quod ei dicuntur nonnulla nuntiare, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab illo ipsi per Verbum ejus sine corporali sono. Nuntiant etiam quod voluerit, ab eo missi ad quos voluerit, totum ab illo per illud Verbum ejus audientes, id est, in ejus veritate invenientes quid sibi faciendum, quid, quibus, et quando nuntiandum sit. Nam et nos oramus eum, nec tamen necessitates nostras docemus eum. *Novit enim*, ait Verbum ejus, *Pater vester quid vobis necessarium sit, prius quam petatis ab eo.* Nec ista ex aliquo tempore cognovit, ut nosset:

* CAPUT XIII.

Matth. 6. 8.

(a) Plerique MSS. *constantibusque*.

sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid et quando ab illo petituri fueramus, et quos et de quibus rebus vel exauditurus vel non exauditurus esset, sine initio ante præscivit. Universas autem creaturas suas, et spiritales et corporales, non quia sunt ideo novit; sed ideo sunt quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata, quam creanda: non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis: sed illis existentibus sicut oportebat, et quando oportebat illa mansit ut erat. Ita et Eccli. 23. 29. scriptum est in libro Ecclesiastico: *Ante quam crearentur, omnia nota sunt illi; sic et postquam consummata sunt. Sic*, inquit, non aliter, et *ante quam crearentur, et post quam consummata sunt, sic ei nota sunt.* Longe est ergo huic scientiæ scientia nostra dissimilis. Quæ autem scientia Dei est, ipsa et sapientia; et quæ sapientia, ipsa essentia sive substantia. Quia in illius naturæ simplicitate mirabili, non est aliud sapere, aliud esse; sed quod est sapere, hoc est et esse, sicut et in superioribus libris sæpe jam diximus. Nostra vero scientia in rebus plurimis propterea et amissibilis est et receptibilis, quia non hoc est nobis esse quod scire vel sapere: quoniam esse possumus, etiam si nesciamus, neque sapiamus ea quæ aliunde didicimus. Propter hoc sicut nostra scientia illi scientiæ Dei, sic et nostrum verbum quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei quod natum est de Patris essentia. Tale est autem ac si dicerem, de Patris scientia, de Patris sapientia, vel quod est expressius, de Patre scientia, de Patre sapientia.

CAPUT XIV. Verbum Dei per omnia æquale Patri de quo est.

23. Verbum ergo Dei Patris unigenitus Filius, per omnia Patri similis et æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia; est hoc omnino quod Pater, non tamen Pater; quia iste Filius, ille Pater. Ac per hoc novit omnia quæ novit Pater: sed ei nosse a de Patre est, sicut esse. Nosse enim et esse (*a*) ibi unum est. Et ideo Patri sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso. Ibi summe illud agno-2. Cor. 19. scitur, *Est est, Non non.* Et ideo Verbum hoc vere veritas est: quoniam quidquid est in ea scientia de qua genitum est, et in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum numquam potest: quia immutabiliter sic se habet, ut se habet de Johan. 5. 19. quo est. *Non enim potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, qua falsa esse non potest veritas. Novit itaque omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio: sed in se ipso tamquam se ipsum, in Filio tamquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso. Omnia similiter novit et Filius, in se scilicet, tamquam ea quæ nata sunt de iis quæ Pater novit in se ipso: in Patre autem, tamquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in se ipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius: sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt: non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia: sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt.

Quanta sit dissimilitudo verbi nostri et Verbi divini.

24. Verbum autem nostrum illud quod non habet sonum neque cogitationem soni, sed ejus rei (*b*) quam videndo intus dicimus, et ideo nullius linguæ est, atque inde utcumque simile est in hoc ænigmate illi Verbo Dei, quod etiam Deus est, quoniam sic et hoc de nostra nascitur, quemadmodum et illud de scientia Patris natum est: b nostrum ergo tale verbum, quod invenimus esse utcumque illi simile, quantum sit etiam dissimile sicut a nobis dici potuerit, non pigeat intueri. * Numquid verbum nostrum de sola scientia nostra nascitur? Nonne multa dicimus etiam quæ nescimus? Nec dubitantes ea dicimus, sed vera esse arbitrantes: quæ forte si vera sunt, in ipsis rebus de quibus loquimur, non in verbo nostro vera sunt; quia verbum verum non est, nisi quod de re quæ scitur, gignitur. Falsum est ergo isto modo verbum nostrum, non cum mentimur, sed cum fallimur. Cum autem dubitamus, nondum est verbum de re de qua dubitamus, sed de ipsa dubitatione verbum est. Quamvis enim non noverimus an verum sit unde dubitamus, tamen dubitare nos novimus: ac per hoc cum hoc dicimus, verum verbum est; quoniam quod novimus dicimus. Quid quod etiam mentiri possumus? Quod cum facimus, utique volentes et scientes falsum verbum habemus: ubi verum verbum est mentiri nos; hoc enim scimus. Et cum mentitos nos esse confitemur, verum dicimus; quod scimus enim dicimus; scimus namque nos esse mentitos. Verbum autem illud quod est Deus et potentius est nobis, hoc non potest. *Non enim potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem:* et non a se ipso loquitur, sed a Patre illi est omne quod loquitur, cum ipsum Pater unice loquitur: et magna illius Verbi potentia est, non posse mentiri; quia non potest esse illic *Est et non*, sed *Est est, Non non*. At enim nec verbum dicendum est quod verum non est. Si ita, libens assentior. Quid, cum verum est verbum nostrum, et ideo recte verbum vocatur, numquid sicut dici potest vel visio de visione, vel scientia de scientia, ita dici potest essentia de essentia, sicut illud Dei Verbum maxime dicitur maximeque dicendum est? Quid ita? quia non hoc est nobis esse, quod est nosse. Multa quippe novimus quæ per memoriam quo-

* CAPUT XV.

Johan. 5. 19.

2. Cor. 1. 19.

(a) Ita MSS. At editi, illi unum est.
(b) Hic MSS. addunt, quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Sumptum est ex initio capitis II.

dam modo vivunt, ita et oblivione quodam modo moriuntur: atque ideo cum illa jam non sint in notitia nostra, nos tamen sumus; et cum scientia nostra animo lapsa perierit a nobis, nos tamen vivimus.

Verbum nostrum sempiternum esse aut dici non potest.

25. Illa etiam quæ ita sciuntur, ut numquam excidere possint, quoniam præsentia sunt, et ad ipsius animi naturam pertinent, ut est illud quod nos vivere scimus: (manet enim hoc quamdiu animus manet, et quia semper manet animus et hoc semper manet:) id ergo et si qua reperiuntur similia, in quibus imago Dei potius intuenda est, etiamsi semper sciuntur, tamen quia non semper etiam cogitantur, quomodo de his dicatur verbum sempiternum, cum verbum nostrum nostra cogitatione dicatur, invenire difficile est. Sempiternum est enim animo vivere, sempiternum est scire quod vivit: nec tamen sempiternum est cogitare vitam suam, vel cogitare scientiam vitæ suæ: quoniam cum aliud atque aliud cœperit, hoc desinet cogitare, quamvis non desinat scire. Ex quo fit ut si potest esse in animo aliqua scientia sempiterna, et sempiterna esse non potest ejusdem scientiæ cogitatio, et verbum verum nostrum intimum nisi nostra cogitatione non dicitur, solus Deus intelligatur habere Verbum sempiternum, sibique coæternum. Nisi forte dicendum est, ipsam possibilitatem cogitationis, quoniam id quod scitur, etiam quando non cogitatur, potest tamen veraciter cogitari, verbum esse tam perpetuum, quam scientia ipsa perpetua est. Sed quomodo est verbum, quod nondum in cogitationis visione formatum est? Quomodo erit simile scientiæ de qua nascitur, si ejus non habet formam, et ideo jam vocatur verbum quia potest habere? Tale est enim ac si dicatur, ideo jam vocandum esse verbum quia potest esse verbum. Sed quid est quod potest esse verbum, et ideo jam dignum est verbi nomine? Quid est, inquam, hoc formabile nondumque formatum, nisi quiddam mentis nostræ, quod hac atque hac volubili quadam motione jactamus, cum a nobis nunc hoc, nunc illud, sicut inventum fuerit vel occurrerit, cogitatur? Et tunc fit verum verbum, quando illud quod nos dixi volubili motione jactare, ad id quod scimus (a) pervenit, atque inde formatur, ejus omnimodam similitudinem capiens, ut quo modo res quæque scitur, sic etiam cogitetur, id est, sine voce, sine vocis cogitatione, quæ profecto alicujus linguæ est (b) sic in corde dicatur. Ac per hoc etiam si concedamus, ne de controversia vocabuli laborare videamur, jam vocandum esse verbum quiddam illud mentis nostræ quod de nostra scientia formari potest, etiam prius quam formatum sit, quia jam ut ita dicam, formabile est; quis non videat, quanta hic sit dissimilitudo ab illo Dei Verbo, quod in forma Dei sic est, ut non antea fuerit formabile prius quam formatum, nec aliquando esse possit informe, sed sit forma simplex et simpliciter A æqualis ei de quo est, et cui mirabiliter coæterna est?

** CAPUT XVI.*

* Quapropter ita dicitur illud Dei Verbum, ut Dei cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat, nunc recipiat formam, ut verbum sit, eamque possit amittere, atque informiter quodam modo volutari. Bene quippe noverat verba, et vim cogitationis inspexerat locutor egregius, qui dixit in carmine, Secumque volutat eventus belli varios (Æneid. 10): id est, cogitat. Non ergo ille Dei Filius cogitatio Dei, sed Verbum Dei dicitur. Cogitatio quippe nostra perveniens ad id quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verum est. Et ideo Verbum Dei sine cogitatione Dei debet intelligi, ut forma ipsa simplex intelligatur, non habens aliquid formabile quod esse B etiam possit informe. Dicuntur quidem etiam in Scripturis sanctis cogitationes Dei, sed eo locutionis modo, quo ibi et oblivio Dei dicitur, quæ utique ad proprietatem in Deo nulla est.

Verbum nostrum etiam cum similes Deo erimus numquam Verbo divino coæquandum.

26. Quamobrem cum tanta sit nunc in isto ænigmate dissimilitudo Dei et Verbi Dei, in qua tamen nonnulla similitudo comperta est: illud quoque fatendum est, quod etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est (1. Johan. 3. 2), (quod utique qui dixit, hanc procul dubio quæ nunc est dissimilitudinem attendit,) nec tunc natura illi erimus æquales. Semper enim natura minor est faciente quæ facta est. Et tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque fallemur: fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cogitationes ab aliis C in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus: tamen cum et hoc fuerit, si et hoc fuerit, formata erit creatura quæ formabilis fuit, ut nihil jam desit ejus formæ, ad quam pervenire deberet: sed tamen coæquanda non erit illi simplicitati, ubi non formabile aliquid formatum vel reformatum est, sed forma; neque informis, neque formata, ipsa ibi æterna est immutabilisque substantia.

CAPUT XVII. Quomodo Spiritus-sanctus dicatur caritas, et an solus.

27. Satis de Patre et Filio, quantum per hoc speculum atque in hoc ænigmate videre potuimus, locuti sumus. Nunc de Spiritu-sancto, quantum Deo donante videre conceditur, disserendum est. Qui Spiritus-sanctus secundum Scripturas sanctas, nec Patris solius est, nec Filii D solius, sed amborum: et ideo communem, qua invicem se diligunt Pater et Filius, nobis insinuat caritatem. Ut autem nos exerceret sermo divinus, non res in promptu sitas, sed in abdito scrutandas et ex abdito eruendas, majore studio fecit inquiri. Non itaque dixit Scriptura, Spiritus-sanctus caritas est; quod si dixisset, non parvam partem quæstionis istius abstulisset: sed dixit, *Deus caritas est* (1. Johan. 4. 16); ut incertum sit, et ideo requirendum, utrum Deus Pater sit caritas, an Deus Filius, an Deus Spiritus-sanctus, an Deus ipsa Trinitas. Neque enim dicturi sumus, non propterea Deum dictam esse caritatem, quod ipsa

(a) Editi, *pervenerit*. Concionius MSS. *pervenit*.

(b) Ita MSS. At editi, *si*.

a caritas (*a*) sit ulla substantia, quæ Dei digna sit A
nomine; sed quod donum sit Dei, sicut dictum
Psal. 70. 5. est Deo, *Quoniam tu es patientia mea:* neque
enim propterea dictum est, quia Dei substantia
est nostra patientia, sed quod ab ipso nobis est,
Psal. 61. 6. sicut alibi legitur, *Quoniam ab ipso est patien-*
tia mea. Hunc quippe sensum facile refellit Scri-
Psal. 90. 9. pturarum ipsa locutio. Tale est enim, *Tu es pa-*
Psal. 58. 18. *tientia mea;* quale est, *Tu es Domine spes mea;*
et *Deus meus misericordia mea;* et multa simi-
lia. Non est autem dictum, Domine caritas mea;
aut, Tu es caritas mea; aut, Deus caritas mea:
sed ita dictum est, *Deus caritas est;* sicut dictum
1. Johan. 4. 16. est, *Deus Spiritus est.* Hoc qui non discernit,
Johan. 4. 24. intellectum a Domino, non expositionem quærat
a nobis: non enim apertius quidquam possumus
dicere. B

28. *Deus* ergo *caritas est:* utrum autem Pa-
ter, an Filius, an Spiritus-sanctus, an ipsa Tri-
nitas, quia et ipsa non tres dii, sed unus est
Deus, hoc quæritur. Sed jam in hoc libro supe-
rius disputavi, non sic accipiendam esse Trini-
tatem quæ Deus est, ex illis tribus quæ in tri-
nitate nostræ mentis ostendimus, ut tamquam
memoria sit omnium trium Pater, et intelligen-
tia omnium trium Filius, et caritas omnium trium
Spiritus-sanctus, quasi Pater nec intelligat sibi
nec diligat, sed ei Filius intelligat, et Spiritus-
sanctus ei diligat, ipse autem sibi et illis tan-
tum meminerit; et Filius nec meminerit nec di-
ligat sibi, sed meminerit ei Pater, et diligat ei
Spiritus-sanctus, ipse autem et sibi et illis tan-
tummodo intelligat; itemque Spiritus-sanctus C
nec meminerit nec intelligat sibi, sed meminerit
ei Pater, et intelligat ei Filius, ipse autem et sibi
et illis non nisi diligat: sed sic potius, ut omnia
tria et omnes et singuli habeant in sua quisque
natura. Nec distent in eis ista, sicut in nobis
aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud
dilectio sive caritas: sed unum aliquid sit quod
omnia valeat, sicut ipsa sapientia; et sic habea-
tur in uniuscujusque natura, ut qui habet, hoc
sit quod habet, sicut immutabilis simplexque
substantia. Si ergo hæc intellecta sunt, et quan-
tum nobis in rebus tantis videre vel conjectare
concessum est, vera esse claruerunt, nescio cur
non sicut sapientia et Pater dicitur et Filius et
Spiritus sanctus, et simul omnes non tres, sed
una sapientia; ita et caritas et Pater dicatur et D
Filius et Spiritus-sanctus, et simul omne una ca-
ritas. Sic enim et Pater Deus, et Filius Deus et
Spiritus-sanctus Deus, et simul omnes unus Deus.

29. Et tamen non frustra in hac Trinitate non
dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei
nisi Spiritus-sanctus, nec de quo genitum est
Verbum et de quo procedit principaliter Spiri-
tus-sanctus nisi Deus Pater. Ideo autem addidi,
principaliter, quia et de Filio Spiritus-sanctus
procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater
dedit, non jam exsistenti et nondum habenti:
sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo

(a) Editi, *quod ipsa caritas nulla substantia.* Casti-
gantur ex MSS.

A dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Do-
num commune procederet, et Spiritus-sanctus
spiritus esset amborum. Non est igitur accipien-
da transeunter, sed diligenter intuenda insepa-
rabilis Trinitatis ista distinctio. Hinc enim fa-
ctum est, ut proprie Dei Verbum etiam Dei sa-
pientia diceretur, cum sit sapientia et Pater et
Spiritus sanctus. Si ergo proprie aliquid horum
trium caritas nuncupanda est, quid aptius quam
ut hoc sit Spiritus sanctus? Ut scilicet in illa (*b*) b
simplici summaque natura, non sit aliud sub-
stantia, et aliud caritas; sed substantia ipsa sit
caritas, et caritas ipsa sit substantia, sive in Pa-
tre, sive in Filio, sive in Spiritu-sancto, et tamen
proprie Spiritus-sanctus caritas nuncupetur.

30. Sicut Legis nomine aliquando simul o-
B mnia veteris Instrumenti sanctarum Scriptura-
rum significantur eloquia. Nam ex propheta Isaia
testimonium ponens Apostolus, ubi ait, *In aliis* Isai. 18. 11.
linguis et in aliis labiis loquar populo huic: præ-
misit tamen, *In Lege Scriptum est.* Et ipse Do- 1.Cor. 14 21.
minus, *In Lege,* inquit, *eorum scriptum est, quia* Johan. 15. 25.
oderunt me gratis: cum hoc legatur in Psalmo. Psal. 34. 19.
Aliquando autem proprie vocatur Lex, quæ data
est per Moysen, secundum quod dictum est, *Lex* Matth. 11. 13.
et Prophetæ usque ad Johannem. Et, *In his duo-* Matth. 2. 19.
bus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ. Hic
utique proprie Lex appellata est, de monte Sina.
Prophetarum autem nomine etiam Psalmi signi-
ficati sunt: ut tamen alio loco ipse Salvator, *Opor-* Luca. 24. 44.
tebat, inquit, *impleri omnia quæ scripta sunt in*
Lege et Prophetis et Psalmis de me. Hic rursus
C Prophetarum nomen, exceptis Psalmis, intelligi
voluit. Dicitur ergo Lex universaliter cum Pro-
phetis et Psalmis, dicitur et proprie quæ per
Moysen data est. Item dicuntur communiter Pro-
phetæ simul cum Psalmis, dicuntur et proprie
præter Psalmos. Et multis aliis exemplis doceri
potest, multa e rerum vocabula, et universaliter
poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi, nisi
in re aperta vitanda sit longitudo sermonis. Hoc
ideo dixi, ne quisquam propterea nos inconve-
nienter existimet caritatem appellare Spiritum-
sanctum, quia et Deus Pater et Deus Filius pot-
est caritas nuncupari.

31. Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie Spiritum sanctum in Scripturis proprie nuncupatum esse vocabulo Caritatis.
vocamus nomine sapientiæ, cum sit universaliter
et Spiritus-sanctus et Pater ipse sapientia: ita
D Spiritus-sanctus proprie nuncupatur vocabulo
caritatis, cum sit universaliter caritas et Pater
et Filius. Sed Dei Verbum, id est, unigenitus
Dei Filius aperte dictus est Dei sapientia, ore
Apostolico, ubi ait; *Christum Dei virtutem et* 2.Cor. 1. 24.
Dei sapientiam: Spiritus autem sanctus ubi sit
dictus caritas invenimus, si diligenter Johannis
apostoli scrutemur eloquium; qui cum dixisset,
Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio
ex Deo est: secutus adjunxit, *Et omnis qui dili-* 1. Johan. 4. 7.
git, ex Deo natus est: qui non diligit, non cogno-
vit Deum, quia Deus dilectio est. Hic manifesta-
vit eam se dixisse dilectionem Deum, quam di-

(b) Editi *in illa Trinitatis.* Vox *Trinitatis* abest a MSS.

xit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio. Sed (A) quia et Filius ex Deo Patre natus est, et Spiritus-sanctus ex Deo Patre procedit, quem potius eorum hic debeamus accipere dictum esse dilectionem Deum, merito quæritur. Pater enim solus ita Deus est, ut non sit ex Deo: ac per hoc dilectio quæ ita Deus est, ut ex Deo sit, aut Filius est, aut Spiritus-sanctus. Sed in consequentibus cum Dei dilectionem commemorasset, non qua nos eum, sed qua *Ipse dilexit nos, et misit* a *Filium suum* (a) *litatorem pro peccatis nostris*, et hinc exhortatus esset ut et nos invicem diligamus, atque ita Deus in nobis maneat, quia utique dilectionem Deum dixerat, statim volens Ibidem. 13. de hac re apertius aliquid eloqui, *In hoc*, inquit, *cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis*. Spiritus (B) itaque sanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis: hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio. Denique paullo post cum hoc ipsum repetiisset atque dixisset, *Deus dilectio est*: continuo subjecit, *Et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus manet in eo*. Unde supra dixerat, *In hoc cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis*. Ipse ergo significatur ubi legitur, *Deus dilectio est*. Deus igitur Spiritus-sanctus qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. Non enim habet homo unde Deum diligat, nisi ex Deo. Pro- Ibid. 19. pter quod paullo post dicit, *Nos diligamus eum, quia ipse prior dilexit nos*. Apostolus quoque (C) Rom. 5. 5. Paulus, *Dilectio*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*.

CAPUT XVIII. Nullum Dei donum caritate excellentius.

32. Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni æterni et filios perditionis æternæ. Dantur et alia per Spiritum sanctum munera, sed sine caritate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus-sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus proprie dicitur Donum, nisi propter dilectionem: quam qui non habue- 1. Cor. 13. 1. rit, si linguis hominum loquatur et angelorum, sonans æramentum est et cymbalum tinniens: et si habuerit prophetiam, et scierit omnia sacramenta, et omnem scientiam, et si habuerit (D) omnem fidem, ita ut montes transferat, nihil est. et si distribuerit omnem substantiam suam, et si tradiderit corpus suum ut ardeat, nihil ei prodest. Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt? Ipsa vero dilectio sive caritas, (nam unius rei est utrumque nomen,) si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia scit sacramenta omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, vel non habendo quod distribuat, vel aliqua necessitate prohibitus, nec tradit corpus suum ut ardeat, si talis

(A) passionis nulla tentatio est, perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi caritas. Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. Propter quod et apostolus Paulus, *In Christo*, inquit, *Jesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur*: sic eam discernens ab ea fide, qua et dæmones credunt et contremiscunt. Dilectio igitur quæ ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus-sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus-sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam Donum Dei. Quod Donum proprie quid nisi caritas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud (B) donum Dei non perducit ad Deum?

Gal. 5. 6.

Rom. 5. 5.

Act. 5. 20.

CAPUT XIX. Spiritus-sanctus dictus Dei donum in Scripturis.

33. An et hoc probandum est, Dei Donum dictum esse in sacris litteris Spiritum-sanctum? Si et hoc exspectatur, habemus in Evangelio secundum Johannem Domini Jesu Christi verba dicentis, *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Porro Evangelista secutus adjunxit, *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Unde dicit etiam Paulus apostolus, *Et omnes unum Spiritum potavimus*. Utrum autem donum Dei sit appellata aqua ista, quod est Spiritus-sanctus, hoc quæritur. Sed sicut hic invenimus hanc aquam Spiritum-sanctum esse, ita invenimus alibi in ipso Evangelio hanc aquam donum Dei appellatam. (C) Nam Dominus idem quando cum muliere Samaritana ad puteum loquebatur, cui dixerat, *Da mihi bibere*; cum illa respondisset, quod Judæi non coutuntur Samaritanis, respondit Jesus, et dixit ei, *Si scires Donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam, Dicit ei mulier, Domine neque in quo haurias habes, et puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam?* et cetera. *Respondit Jesus, et dixit ei, Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Quia ergo hæc aqua viva, sicut Evangelista exposuit, Spiritus est sanctus, procul dubio Spiritus Donum Dei est, de quo hic (D) Dominus ait, *Si scires Donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*. Nam quod ibi ait, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: hoc isto loco, *Fiet in eo*, inquit, *fons aquæ salientis in vitam æternam*.

Johan. 7. 37.

1. Cor. 12. 13.

Johan. 4. etc.

Johan. 7. 38.

Johan. 4. 14.

34. Paulus quoque apostolus, *Unicuique*, inquit, *nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi*. Atque ut donationem Christi Spiritum-sanctum ostenderet, secutus adjunxit, *Propter quod dicit, Adscendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona homi-*

Ephes. 4. 7.

Ibidem 8.

(a) Editi, *liberatorem*. At MSS. *litatorem*: Græco

1. Johan. 4. 10. [illegible]

nibus. Notissimum est autem, Dominum Jesum, A
cum post resurrectionem a mortuis adscendis-
set in cælum, dedisse Spiritum-sanctum, quo
impleti qui crediderant, linguis omnium gen-
Psal. 67. 19. tium loquebantur. Nec moveat quod ait, *dona*,
non donum: id enim testimonium de Psalmo po-
suit. Hoc autem in Psalmo ita legitur, *Adscen-
disti in altum, captivasti captivitatem, accepisti
dona in hominibus.* Sic enim plures codices ha-
bent, et maxime Græci, et ex Hæbreo sic inter-
pretatum habemus. *Dona* itaque dixit Aposto-
lus, quemadmodum Propheta, non donum. Sed
cum Propheta dixerit, *accepisti dona in homi-
nibus:* Apostolus maluit dicere, *dedit dona homi-
nibus:* ut ex utroque scilicet verbo, uno Prophe-
tico, Apostolico altero, quia in utroque est di-
vini sermonis auctoritas, sensus plenissimus red- B
deretur. Utrumque enim verum est, et quia de-
dit hominibus, et quia accepit in hominibus.
Dedit hominibus, tamquam caput membris suis:
accepit in hominibus idem ipse utique in mem-
bris suis, propter quæ membra sua clamavit
de cælo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* et de
Act. 9. 4. quibus membris suis ait, *Quando uni ex mini-
Matth. 25. 40. mis meis fecistis, mihi fecistis.* Ipse ergo Chri-
stus, et dedit de cælo, et accepit in terra. Porro
autem dona ob hoc ambo dixerunt, et Propheta
et Apostolus, quia per donum, quod est Spiri-
tus sanctus, in commune omnibus membris Chri-
sti multa dona, quæ sunt quibusque propria, di-
viduntur. Non enim singuli quique habent omnia,
sed hi illa alii alia: quamvis ipsum donum a quo
cuique propria dividuntur omnes habeant, id est, C
Spiritum sanctum. Nam et alibi cum multa dona
1. Cor. 12. 11. commemorasset, *Omnia*, inquit, *hæc operatur
unus atque idem Spiritus, dividens propria uni-
cuique prout vult.* Quod verbum et in Epistola
quæ ad Hebræos est invenitur, ubi scriptum est,
Hebr. 2. 4. *Adtestante Deo signis et ostentis et variis virtu-
tibus, et Spiritus-sancti distributionibus.* Et hic
cum dixisset, *Adscendit in altum, captivavit ca-
Ephes. 4. 8. ptivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem
adscendit*, ait, *quid est, nisi quia et descendit
in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse
est et qui adscendit super omnes cælos, ut adim-
pleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apo-
stolos, quosdam autem Prophetas, quosdam vero
Evangelistas, quosdam autem pastores et docto-
res.* Ecce quare dicta sunt dona: quia, sicut alibi D
1. Cor. 12. 29. dicit, *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes
Ephes. 4. 12. Prophetæ?* et cetera. Hic autem adjunxit, *Ad
consummationem sanctorum in opus ministerii,
in ædificationem corporis Christi.* Hæc est do-
Psal. 126. 1. mus, quæ, sicut Psalmus canit, ædificatur post
captivitatem: quoniam qui sunt a diabolo eruti,
a quo captivi tenebantur, de his ædificatur (a)
domus Christi, quæ domus appellatur Ecclesia.
Hanc autem captivitatem ipse captivavit, qui
diabolum vicit. Et ne illa quæ futura erant san-
cti capitis membra in æternum supplicium se-
cum traheret, eum justitiæ prius, deinde poten-

(a) MSS. *Ædificatur corpus Christi.*

tiæ vinculis alligavit. Ipse itaque diabolus est
appellata captivitas, quam captivavit qui adscen-
dit in altum, et dedit dona hominibus, vel acce-
pit in hominibus.

35. Petrus autem apostolus, sicut in eo libro
Canonico legitur, ubi scripti sunt actus Aposto-
lorum, loquens de Christo, commotis corde Ju-
dæis, et dicentibus, *Quid ergo faciemus, fra-
tres, monstrate nobis;* dixit ad eos, *Agite pœni-* Act. 2. 37.
*tentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in
nomine Domini Jesu Christi, in remissionem
peccatorum, et accipietis donum Spiritus-sancti.*
Itemque in eodem libro legitur, Simonem ma-
gum Apostolis dare voluisse pecuniam, ut ab eis
acciperet potestatem, qua per impositionem ma-
nus ejus daretur Spiritus-sanctus. Cui Petrus
idem, *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditio-* Act. 8. 20.
*nem, quia donum Dei æstimasti te per pecunias
possidere.* Et alio ejusdem libri loco, cum Petrus
Cornelio, et eis qui cum eo fuerant loqueretur,
annuntians et prædicans Christum, ait Scriptu-
ra, *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spi-* Act. 10. 44.
*ritus-sanctus super omnes qui audiebant verbum,
et obstupuerunt qui ex circumcisione fideles si-
mul cum Petro venerant, quia et in nationes do-
num Spiritus-sancti effusum est. Audiebant enim
illos loquentes linguis, et magnificantes Deum.*
De quo facto suo quod incircumcisos baptizave-
rat, quia prius quam baptizarentur, ut nodum
quæstionis hujus auferret, in eos venerat Spi-
ritus-sanctus, cum Petrus postea redderet ra-
tionem fratribus qui erant Jerosolymis, et hac
re audita movebantur, ait post cetera: *Cum cœ-* Act. 11. 15.
*pissem autem loqui ad illos, cecidit Spiritus-
sanctus in illos, sicut et in nos in initio. Memo-
ratusque sum verbi Domini, sicut dicebat, quia
Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem ba-
ptizabimini Spiritu-sancto. Si igitur æquale do-
num dedit illis, sicut et nobis qui credidimus in
Dominum Jesum Christum: ego quis eram qui
possem prohibere Deum non dare illis Spiritum-
sanctum?* Et multa alia sunt testimonia Scriptu-
rarum, quæ concorditer adtestantur Donum Dei
esse Spiritum-sanctum, in quantum datur eis,
qui per eum diligunt Deum. Sed nimis longum
est cuncta colligere. Et quid eis satis est, qui-
bus hæc diximus satis non sunt?

36. Sane admonendi sunt, quando quidem Donum Spiritus-sancti dictum pro Donum quod est Spiritus-sanctus.
Donum Dei jam vident dictum Spiritum-san-
ctum, ut cum audiunt *Donum Spiritus sancti*,
illud genus locutionis agnoscant, quod dictum
est, *in exspoliatione corporis carnis.* Sicut enim Col. 2. 11.
corpus carnis nihil est aliud quam caro: sic Do-
num Spiritus-sancti nihil est aliud quam Spiri-
tus-sanctus. In tantum ergo Donum Dei est, in
quantum datur eis quibus datur. Apud se autem
Deus est, etsi nemini detur, quia Deus erat Pa-
tri et Filio coæternus ante quam cuiquam dare-
tur. Nec quia illi dant, ipse datur, ideo minor
est illis. Ita enim datur sicut Donum Dei, ut et-
iam se ipsum det sicut Deus. Non enim dici pot-

est non esse suæ potestatis, de quo dictum est, A

Johan. 3.8.

Spiritus ubi vult spirat. Et apud Apostolum quod jam supra commemoravi, *Omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.*

1. Cor. 12. 11.

Non est illic conditio dati et dominatio dantium, sed concordia dati et dantium.

Spiritus-sanctus proprie caritas dicitur, quamvis non solus in Trinitate caritas sit.

37. Quapropter (*a*) si sancta Scriptura proclamat, ***Deus caritas est;*** illaque ex Deo est, et in nobis id agit ut in Deo maneamus, et ipse in nobis, et hoc inde cognoscimus, quia de Spiritu suo dedit nobis, ipse Spiritus est Deus caritas. Deinde si in donis Dei nihil majus est caritate, et nullum est majus donum Dei quam Spiritus-sanctus, quid consequentius quam ut ipse sit caritas, quid dicitur et Deus et ex Deo?

1. Johan. 4. 10.

Et si caritas qua Pater diligit Filium et Patrem diligit B Filius, ineffabiliter communionem demonstrat amborum, quid convenientius quam ut ille dicatur caritas proprie, qui Spiritus est communis ambobus? Hoc enim sanius creditur, vel intelligitur, ut non solus Spiritus-sanctus caritas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie caritas nuncupetur, propter illa quæ dicta sunt. Sicut non solus est in illa Trinitate, vel spiritus vel sanctus, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus, quod non ambigit pietas: et tamen iste non frustra proprie dicitur Spiritus-sanctus. Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter. Alioquin si in illa Trinitate solus Spiritus-sanctus est caritas, profecto et Filius non solius Patris verum etiam Spiritus-sancti C Filius invenitur. Ita enim locis innumerabilibus dicitur et legitur Filius unigenitus Dei Patris, ut tamen et illud verum sit quod Apostolus ait de Deo Patre, *Qui eruit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii caritatis suæ*,

Col. 1. 13.

Non dixit, Filii sui; quod si diceret, verissime diceret, quemadmodum quia sæpe dixit, verissime dixit: sed ait, ***Filii caritatis suæ***, Filius ergo est etiam Spiritus-sancti, si non est in illa Trinitate caritas Dei nisi Spiritus-sanctus. Quod si absurdissimum est, restat ut non solus ibi sit caritas Spiritus-sanctus, sed propter illa, de quibus satis disserui, proprie sic vocetur: quod autem dictum est, ***Filii caritatis suæ***, nihil aliud intelligatur, quam Filii sui dilecti, quam Filii postremo substantiæ suæ. D Caritas quippe Patris quæ in natura ejus est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam ejus ipsa natura atque substantia, ut sæpe jam diximus, et sæpe iterare non b piget. Ac per hoc Filius (*b*) caritatis ejus nullus est alius, quam qui de substantia ejus est genitus.

CAPUT XX.

Contra Eunomium dicentem Filium Dei non naturæ, sed voluntatis esse Filium.

38. Quocirca ridenda est dialectica Eunomii, a quo Eunomiani hæretici exorti sunt: qui cum non potuisset intelligere, nec credere voluisset, unigenitum Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, Filium Dei esse natura, hoc est, de substantia Patris genitum: non naturæ vel substantiæ suæ sive essentiæ dixit esse filium, sed filium A voluntatis Dei, accidentem scilicet Deo volens

Johan. 1. 3.

asserere voluntatem qua gigneret Filium: videlicet ideo quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus; quasi non propter ista mutabilis intelligatur nostra natura, quod absit ut in Deo esse credamus. Neque enim ob aliud scriptum est, ***Multæ cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum:***

Prov. 19. 21.

nisi ut intelligamus sive credamus, sicut æternum Deum, ita in æternum ejus esse consilium, ac per hoc immutabile, sicut ipse est. Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus verissime dici potest. Multæ voluntates in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum. Quidam ne Filium consilii vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum B consilium seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio, et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia: ne absurditate illa quam jam refellimus, Filius dicatur Patrem facere sapientem vel volentem, si non habet Pater in substantia sua consilium vel voluntatem. Acute sane quidam respondit hæretico versutissime interroganti, utrum Deus Filium volens an nolens genuerit: ut si diceret nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur; si autem volens, continuo quod intendebat velut invicta ratione concluderet, non naturæ esse filium, sed voluntatis. At ille vigilantissime vicissim quæsivit ab eo, utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus: ut si re- C sponderet, nolens, sequeretur illa miseria quam de Deo credere magna insania est, si autem diceret, volens, responderetur ei, Ergo et ipse Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, et sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret. Sed voluntas Dei si et proprie dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui-sancto competit, sicut caritas. Nam quid est aliud caritas, quam voluntas?

Epilogus suorum dictorum.

39. Video me de Spiritu-sancto in isto libro secundum scripturas sanctas hoc disputasse; quod fidelibus sufficit scientibus jam Deum esse Spiritum-sanctum, nec alterius substantiæ, nec minorem quam est Pater et Filius, quod in superioribus libris secundum easdem Scripturas D verum esse docuimus. De creatura etiam quam fecit Deus, quantum valuimus, admonuimus eos

Rom. 1. 20.

qui rationem de rebus talibus poscunt, ut invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, sicut possent, intellecta conspicerent, et maxime per rationalem vel intellectualem creaturam, quæ facta est ad imaginem Dei, per quod velut speculum, quantum possent, si possent, cernerent Trinitatem Deum, in nostra memoria, intelligentia, voluntate. Quæ tria in sua mente naturaliter divinitus instituta quisquis vivaciter perspicit, et quam magnum sit in ea, unde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspi-

(a) In MSS *sicut*, forte pro *si ut*.

(b) Apud Lov. ***Filius caritate ejus.***

a ci, (a) concupisci, reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profecto reperit illius summæ Trinitatis imaginem. Ad quam summam Trinitatem reminiscendam, videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, ea delectetur, totum debet referre quod vivit. Verum ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam, et suo vitio in deterius commutatam, ita eidem comparet Trinitati, ut omni modo existimet similem; sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat, quantum esse satis videbatur admonui.

CAPUT XXI. De propositis similitudine Patris et Filii in memoria et intelligentia nostra.

40. Sane Deum Patrem, et Deum Filium, id est Deum genitorem qui omnia quæ substantialiter habet, in coæterno sibi Verbo suo dixit quodam modo, et ipsum Verbum ejus Deum, qui nec plus nec minus aliquid habet etiam ipsum substantialiter, quam quod est in illo qui Verbum non mendaciter sed veraciter genuit, quemadmodum potui, non ut illud jam facie ad faciem, sed per hanc similitudinem in ænigmate (I. Cor. 13. 12) quantulumcumque conjiciendo videretur in memoria et intelligentia mentis nostræ, significare curavi: memoriæ tribuens omne quod scimus, etiam si non inde cogitemus, intelligentiæ vero b proprio modo (b) quamdam cogitationis informationem. Cogitando enim quod verum invenerimus, hoc maxime intelligere dicimur, et hoc quidem in memoria rursus relinquimus. Sed illa est abstrusior profunditas nostræ memoriæ, ubi hoc etiam primum cum cogitaremus invenimus, et gignitur intimum verbum, quod nullius linguæ sit, tamquam scientia de scientia, et visio de visione, et intelligentia quæ apparet in cogitatione, de intelligentia quæ in memoria jam fuerat, sed latebat: quamquam et ipsa cogitatio quamdam suam memoriam nisi haberet non reverteretur ad ea quæ in memoria reliquerat, cum alia cogitaret.

De similitudine Spiritus-sancti in voluntate seu amore nostro.

41. De Spiritu autem sancto nihil in hoc ænigmate quod ei simile videretur ostendi, nisi voluntatem nostram, vel amorem seu dilectionem quæ valentior est voluntas: quoniam voluntas nostra quæ nobis naturaliter inest, sicut ei res adjacuerint vel occurrerint, quibus allicimur aut offendimur, ita varias affectiones habet. Quid ergo est? numquid dicturi sumus voluntatem nostram, quando recta est, nescire quid appetat, quid evitet? Porro si scit, profecto inest ei sua quædam scientia, quæ sine memoria et intelligentia esse non possit. An vero audiendus est quispiam dicens, caritatem nescire quid agat, quæ non agit perperam (I. Cor. 13. 4)? Sicut ergo inest intelligentia, inest dilectio illi memoriæ principali, in qua invenimus paratum et reconditum ad quod cogitando possumus pervenire; quia et duo ista invenimus ibi, quando nos cogitando invenimus et intelligere aliquid et amare, quæ ibi erant et quando inde non cogitabamus: et sicut inest memoria, inest dilectio huic intelli- A gentiæ quæ cogitatione formatur; quod verbum verum sine ullius gentis lingua intus dicimus, quando quod novimus dicimus; nam nisi reminiscendo non redit ad aliquid, et nisi amando redire non curat nostræ cogitationis intuitus: ita dilectio quæ visionem in memoria constitutam, et visionem cogitationis inde formatam quasi parentem prolemque conjungit, nisi haberet appetendi scientiam, quæ sine memoria et intelligentia non potest esse, quid recte diligeret ignoraret.

CAPUT XXII. Quanta dissimilitudo inter repertam in nobis imaginem Trinitatis et ipsam Trinitatem.

42. Verum hæc quando in una sunt persona, sicut est homo, potest nobis quispiam dicere: Tria ista, memoria, intellectus, et amor, mea sunt, non sua; nec sibi, sed mihi agunt quod agunt, immo ego per illa. Ego enim memini per B memoriam, intelligo per intelligentiam, amo per amorem: et quando (c) ad memoriam meam aciem cogitationis adverto, ac sic in corde meo dico quod scio, verbumque verum de scientia C mea gignitur, utrumque meum est, et scientia utique et verbum. Ego enim scio, ego dico in meo corde quod scio. Et quando in memoria mea cogitando invenio jam me intelligere, jam me amare aliquid, qui intellectus et amor ibi erant et ante quam inde cogitarem; intellectum meum et amorem meum invenio in memoria mea, quo ego intelligo, ego amo, non ipsa. Item quando cogitatio memor est, et vult redire ad ea quæ in memoria reliquerat, eaque intellecta conspicere atque intus dicere, mea memoria memor est, et mea vult voluntate, non sua. Ipse C quoque amor meus cum meminit atque intelligit quid appetere debeat, quid vitare, per meam, non per suam memoriam meminit; et per intelligentiam meam, non per suam, quidquid intelligenter amat, intelligit. Quod breviter dici potest. Ego per omnia illa tria memini, ego intelligo, ego diligo, qui nec memoria sum, nec intelligentia, nec dilectio, sed hæc habeo. Ista ergo dici possunt ab una persona, quæ habet hæc tria, non ipsa est hæc tria. In illius vero summæ simplicitate naturæ quæ Deus est, quamvis unus sit Deus, tres tamen personæ sunt, Pater, et Filius et Spiritus-sanctus.

Prosequitur disparitatem trinitatis quæ in homine est a Trinitate quæ Deus est.

43. Aliud est itaque trinitas res ipsa, aliud imago trinitatis in re alia, propter quam imaginem simul et illud in quo sunt hæc tria, imago D dicitur; sicut imago dicitur simul et tabula, et quod in ea pictum est; sed propter picturam quæ in ea est, simul et tabula nomine imaginis appellatur. * Verum in illa summa Trinitate; quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum trinitas hominum non possit dici unus homo; in illa unus Deus et dicatur et sit; nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. Nec rursus quemadmodum ista imago quod est homo habens illa tria una persona est; ita est illa Trinitas: sed tres personæ sunt, Pater Filii, et Filius Patris, et Spiritus Patris et Filii. Quamvis enim memo-

* CAPUT XXIII.

(a) Editi addunt hic verbum, amplecti.
(b) Editio Lov. quamdam.

(c) Sola editio Lov. per memoriam meam.

ria hominis, et maxime illa quam pecora non habent, id est, qua res intelligibiles ita continentur, ut non in eam per sensus corporis venerint, habeat pro modulo suo in hac imagine Trinitatis incomparabiliter quidem imparem, sed tamen qualemcumque similitudinem Patris; itemque intelligentia hominis, quæ per intentionem cogitationis inde formatur: quando quod scitur dicitur, et nullius linguæ cordis verbum est, habeat in sua magna disparitate nonnullam similitudinem Filii; et amor hominis de scientia procedens, et memoriam intelligentiamque conjungens, tamquam parenti prolique communis, unde nec parens intelligitur esse, nec proles, habeat in hac imagine aliquam, licet valde imparem, similitudinem Spiritus-sancti: non tamen, sicut in ista imagine Trinitatis non hæc tria unus homo, sed unius hominis sunt, ita in ipsa summa Trinitate cujus hæc imago est, (*a*) unius Dei sunt illa tria, sed unus Deus est, et tres sunt illæ, non una persona. Quod sane mirabiliter ineffabile est, vel ineffabiliter mirabile, cum sit una persona hæc imago Trinitatis, ipsa vero summa Trinitas tres personæ sint, inseparabilior est illa Trinitas personarum trium, quam hæc unius. Illa quippe in natura divinitatis, sive id melius dicatur deitatis, quod est, hoc est, atque incommutabiliter inter se ac semper æqualis est: nec aliquando non fuit, aut aliter fuit; nec aliquando non erit, aut aliter erit. Ista vero tria quæ sunt in impari imagine, etsi non locis quoniam non sunt corpora, tamen inter se nunc in ista vita magnitudinibus separantur. Neque enim quia moles nullæ ibi sunt, ideo non videmus in alio majorem esse memoriam quam intelligentiam, in alio contra: in alio duo hæc amoris magnitudine superari, sive sint ipsa duo inter se æqualia, sive non sint. Atque ita a singulis bina, et a binis singula, et a singulis singula, a majoribus minora vincuntur. Et quando inter se æqualia fuerint ab omni languore sanata, nec tunc æquabitur rei natura immutabili ea res quæ per gratiam non mutabitur: quia non æquatur creatura Creatori, et quando ab omni languore sanabitur, (*b*) mutabitur.

Trinitas per speculum nunc videtur auxilio fidei, ut postea clarius videri possit in promissa visione facie ad faciem. 1. Cor. 13. 12.

44. Sed hanc non solum incorporalem, verum etiam summe inseparabilem vereque immutabilem Trinitatem, cum venerit visio quæ facie ad faciem repromittitur nobis, multo clarius certiusque videbimus, quam nunc ejus imaginem quod nos sumus: per quod tamen speculum et in quo ænigmate qui vident, sicut in hac vita videre concessum est, non illi sunt qui ea quæ digessimus et commendavimus in sua mente conspiciunt; sed illi qui eam tamquam imaginem vident, ut possint ad eum cujus imago est, quomodocumque referre quod vident, et per imaginem quam conspiciendo vident, etiam illud videre conjiciendo, quoniam nondum possunt facie ad faciem. Non enim ait Apostolus, Videmus nunc speculum: sed, *Videmus nunc per speculum*. (Ibidem.) * Qui ergo vident suam mentem, quomodo videri potest, et in ea trinitatem istam de qua multis modis ut potui disputavi, nec tamen eam credunt vel intelligunt esse imaginem Dei: speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum qui est per speculum nunc videndus, ut nec ipsum speculum quod vident sciant esse speculum, id est, imaginem. Quod si scirent, fortassis et eum cujus est hoc speculum, per hoc quærendum et per hoc utcumque interim videndum esse sentirent, fide non ficta corda mundante, ut facie ad faciem possit videri, qui per speculum nunc videtur. (1. Tim. 1. 5.) Qua fide cordium mundatrice contempta, quid agunt intelligendo quæ de natura mentis humanæ subtilissime disputantur, nisi ut ipsa quoque intelligentia sua teste damnentur? In qua utique non laborarent, et vix ad certum aliquid pervenirent, nisi pœnalibus tenebris involuti et onerati corpore corruptibili quod aggravat animam. (Sap. 9. 15.) Quo tandem merito inflicto malo isto nisi peccati? Unde tanti mali magnitudine admoniti, sequi deberent Agnum qui tollit peccatum mundi. (Johan. 1. 29.) * Ad eum namque pertinentes etiam longe istis ingenio tardiores, quando fine hujus vitæ resolvuntur a corpore, jus in eis retinendis non habent invidæ potestates. Quas ille Agnus sine ullo ab eis peccati debito occisus, non potentia potestatis prius quam justitia sanguinis vicit. Proinde liberi a diaboli potestate, suscipiuntur ab Angelis sanctis, a malis omnibus liberati per Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum: (1. Tim. 2. 5.) quoniam consonantibus divinis Scripturis, et veteribus et novis, et per quas prænuntiatus et per quas annuntiatus est Christus, non est aliud nomen sub cælo, in quo oportet homines salvos fieri. (Act. 4. 12.) Constituuntur autem purgati ab omni (*c*) contagione corruptionis in placidis sedibus, donec recipiant corpora sua, sed jam incorruptibilia, quæ ornent, non onerent. Hoc enim placuit optimo et sapientissimo Creatori, ut spiritus hominis Deo pie subditus, habeat feliciter subditum corpus, et sine fine permaneat ista felicitas.

* CAPUT XXIV.

* CAPUT XXV.

In beatitudine tantum intelligetur quæstio cur Spiritus-sanctus non sit genitus, et quomodo de Patre ac Filio procedat.

45. Ibi veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque clarissima et certissima perfruemur. Nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus, quare non sit Filius Spiritus-sanctus, cum de Patre procedat. In illa luce nulla erit quæstio: hic vero ipsa experientia tam mihi apparuit esse difficilis, quod et illis qui hæc diligenter atque intelligenter legent, procul dubio similiter apparebit, ut cum me in secundo hujus Operis libro (Cap. 5.) alio loco inde dicturum esse promiserim, quotiescumque in ea creatura quæ nos sumus, aliquid illi rei simile ostendere volui, qualemcumque intellectum meum sufficiens elocutio mea secuta non fuerit: quamvis et in ipso intellectu conatum me senserim

(a) MSS *non unius Dei*: cum negante particola, quæ merito omissa videtur in MSS.

(b) In excusis omissum fuerat, *mutabitur*

(c) Sic Am. et MSS. At Er. et Lov. *cogitatione corruptionis*.

magis habuisse quam effectum. Et in una quidem persona quod est homo invenisse imaginem summæ illius Trinitatis, et in re mutabili tria illa ut facilius intelligi possint, etiam per temporalia intervalla maxime in libro nono monstrare voluisse. Sed tria unius personæ, non sicut humana poscit intentio, tribus illis personis convenire potuerunt, sicut in hoc libro quinto-decimo demonstravimus. * Deinde in illa summa Trinitate quæ Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus-sanctus. Quoniam Scriptura sancta Spiritum eum dicit amborum. Ipse est enim de quo dicit Apostolus, *Quoniam autem estis filii*, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Et ipse est de quo dicit idem Filius: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et multis aliis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur Patris et Filii esse Spiritum, qui proprie dicitur in Trinitate Spiritus-sanctus: de quo item dicit ipse Filius, *Quem ego mittam vobis a Patre:* et alio loco, *Quem mittet Pater in nomine meo.* De utroque autem procedere sic docetur, quia ipse Filius ait, *De Patre procedit.* Et cum resurrexisset a mortuis et apparuisset discipulis suis, insufflavit et ait, *Accipite Spiritum-sanctum*, ut eum etiam de se procedere ostenderet. Et ipsa est *virtus quæ de illo exibat*, sicut legitur in Evangelio, *et sanabat omnes.*

*CAPUT XXVI.

Gal. 4. 6.

Matth. 10. 20.

Johan. 15. 26.

Johan. 14. 26.

Johan. 20. 22.

Lucæ. 6. 19.

Spiritus-sanctus a Christo bis datus.

46. Quid vero fuerit causæ, ut post resurrectionem suam, et in terra prius daret, et de cælo postea mitteret Spiritum-sanctum, hoc ego existimo, quia per ipsum donum diffunditur caritas in cordibus nostris, qua diligimus Deum et proximum, secundum duo illa præcepta in quibus tota Lex pendet et Prophetæ. Hoc significans Dominus Jesus, bis dedit Spiritum-sanctum, semel in terra propter dilectionem proximi, et iterum de cælo propter dilectionem Dei. Et si forte alia ratio reddatur de Spiritu-sancto bis dato, eumdem tamen Spiritum-sanctum datum, cum insufflasset Jesus, de quo mox ait, *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti*, ubi maxime commendatur hæc Trinitas, ambigere non debemus. Ipse est igitur qui de cælo etiam datus est die Pentecostes, id est, post dies decem quam Dominus adscendit in cælum. Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum-sanctum? imino quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum-sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Denique et Simon magus offerens Apostolis pecuniam, non ait, Date et mihi hanc potestatem, ut dem Spiritum-sanctum: *sed cuicumque*, inquit, *imposuero manus, accipiat Spiritum-sanctum.* Quia neque Scriptura superius dixerat, Videns autem Simon quod Apostoli darent Spiritum-sanctum: sed dixerat, *Videns autem Simon quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus-sanctus.* Propter hoc et Dominus ipse Jesus Spiritum-sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus et plenus gratia et Spiritu-sancto. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: *Quoniam unxit eum Deus Spiritu-sancto.* Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos unguit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu-sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit: tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum-sanctum: sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis (a) Deo Verbo est in utero virginis copulata, ut cum illo fieret una persona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu-sancto et virgine Maria. Absurdissimum est enim, ut credamus eumcum jam triginta esset annorum, (ejus enim ætatis a Johanne baptizatus est,) accepisse Spiritum-sanctum: sed venisse illum ad baptisma, sicut sine ullo omnino peccato, ita non sine Spiritu-sancto. Si enim de famulo ejus et præcursore ipso Johanne scriptum est *Spiritu-sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ*, quoniam quamvis seminatus a patre, tamen Spiritum-sanctum in utero formatus accepit: quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritalis fuit? In eo etiam quod de illo scriptum est, quod acceperit a Patre promissionem Spiritus-sancti et effuderit, utraque natura monstrata est, et humana scilicet et divina: accepit quippe ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere autem super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat, Deum super eos a quo hoc efficitur invocamus.

Johan. 20. 22.

Act. 2. 4.

Rom. 5. 5.

Matt. 22. 40.

Matt. 28. 19.

Act. 2. 4.

Act. 8. 19.

Ibid. 18.

Johan. 1. 14.

Act. 10. 38.

Matth. 3. 16.

Johan. 1. 14.

Lucæ 3. 21.

Lucæ 1. 15.

Act. 2. 33.

Processio Spiritus-sancti a Patre et a Filio est sine tempore, nec amborum filius dici potest.

47. Numquid ergo possumus quærere utrum jam processerat de Patre Spiritus-sanctus quando natus est Filius, an nondum processerat, et illo nato de utroque processit, ubi nulla sunt tempora; sicut potuimus quærere ubi invenimus tempora, voluntatem prius de humana mente procedere, ut quæratur quod inventum proles vocetur; qua jam parta seu genita, voluntas illa perficitur, eo fine requiescens, ut qui fuerat appetitus quærentis, sit amor fruentis, qui jam de utroque, id est, de gignente mente et de genita notione tamquam de parente ac prole procedat? Non possunt prorsus ista ibi quæri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut consequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Pa-

(a) Sic MSS. At editi, *Dei verbo.*

tre, intelligat sine tempore processionem Spiritus-sancti de utroque. Et qui potest intelligere in eo quod ait Filius, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso;* non sine vita exsistenti jam Filio vitam Patrem dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna sit vitæ Patris qui dedit: intelligat sicut habet Pater in semetipso ut de illo procedat Spiritus-sanctus, sic dedisse Filio ut de illo procedat idem Spiritus-sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum-sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse (a) Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique ut et de illo procedat Spiritus-sanctus, sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent prius et posterius: quia omnino nulla ibi sunt. Quomodo ergo non absurdissime Filius diceretur amborum, cum sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio, ita Spiritui-sancto præstet essentiam sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de utroque processio? Ideo enim cum Spiritum-sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos qui non sunt de alio quispiam suspicetur. Pater enim solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium, et de re tanta sermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de Patre natus est: et Spiritus-sanctus de Patre principaliter, et ipso sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit. Diceretur autem Filius Patris et Filii, si, quod abhorret ab omnium sanorum sensibus, cum ambo genuissent. Non igitur ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus.

Johan. 5. 26.

CAPUT XXVII. Quid hic sufficiat ad solutionem quæstionis, cur Spiritus non dicatur genitus, et cur solus Pater ingenitus. Ex Tractatu 99. in Johan.

48. Verum quia in illa coæterna et æquali et incorporali et ineffabiliter immutabili atque inseparabili Trinitate difficillimum est generationem a processione distinguere, sufficiat interim eis qui extendi non valent amplius, id quod de hac re in sermone quodam proferendo ad aures populi Christiani diximus, dictumque conscripsimus. Inter cetera enim cum per Scripturarum sanctarum testimonia docuissem de utroque procedere Spiritum-sanctum: Si ergo, inquam, et de Patre et de Filio procedit Spiritus-sanctus, cur Filius dixit, *De Patre procedit?* cur putas, nisi quemadmodum solet ed eum referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde et illud est quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus-sanctus, ubi sic ait, *De Patre procedit*, ut non diceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus, (est enim de Deo Deus,) ab illo habet utique ut de illo etiam procedat Spiritus-sanctus: ac per hoc Spiritus-sanctus, ut etiam de Filio procedat sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus-sanctus; quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum utique filius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris et matris. Absit autem ut inter Deum Patrem, et Deum Filium aliquid tale suspicemur. Quia nec filius hominum simul et ex patre et ex matre procedit: sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre; et cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. Neque enim possumus dicere quod non sit vita Spiritus-sanctus, cum vita Pater, vita sit Filius: ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio vitam habere in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut et procedit de ipso. Hæc de illo Sermone in hunc librum transtuli, sed fidelibus, non infidelibus loquens.

Johan. 7. 16.

Johan. 5. 26.

Quid agendum iis qui hæc non intelligunt.

49. Verum si ad hanc imaginem contuendam, et ad videnda ista quam vera sint, quæ in eorum mente sunt, nec tria sic sunt ut tres personæ sint, sed omnia tria hominis sunt quæ una persona est, minus idonei sunt: cur non de illa summa Trinitate, quæ Deus est, credunt potius quod in sacris litteris invenitur, quam poscunt liquidissimam reddi sibi rationem, quæ ab humana mente tarda scilicet infirmaque non capitur. Et certe cum inconcusse crediderint Scripturis sanctis tamquam veracissimis testibus, agant orando et quærendo et bene vivendo ut intelligant, id est, ut quantum videri potest, videatur mente quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat, immo vero ad hoc quis non horretur? Si autem propterea negandum putant ista esse, quia ea non valent cæcis mentibus cernere; debent et illi qui ex nativitate sua cæci sunt, esse solem negare. Lux ergo lucet in tenebris: quod si eam tenebræ non comprehendunt, illuminentur Dei dono prius ut sint fideles, et incipiant esse lux in comparatione infidelium: atque hoc præmisso fundamento ædificentur ad videnda quæ credunt, ut aliquando possint videre. Sunt enim quæ ita creduntur, ut videri jam omnino non possint. Non enim Christus iterum in cruce videndus est: sed nisi hoc credatur quod ita factum atque visum est, ut futurum ac videndum jam non speretur, non pervenitur ad Christum, qualis sine fine videndus est. Quantum vero attinet ad illam summam, ineffabilem, incorporalem, immutabilemque naturam per intelligen-

Johan. 1. 5.

(a) Editi, *esse et Filio*. Expunximus et auctoritate MSS.

A tiam utcumque cernendam, nusquam se melius,
regente dumtaxat fidei regula, acies humanæ
mentis exercet, quam in eo quod ipse homo in
sua natura melius cæteris animalibus, melius
etiam cæteris animæ suæ partibus habet, quod
est ipsa mens: cui quidam rerum invisibilium
tributus est visus, et cui tamquam in loco su-
periore atque interiore honorabiliter præsidenti,
judicanda omnia nuntiant etiam corporis sen-
sus; et qua non est superior cui subdita regen-
da est, nisi Deus.

50. Verum inter hæc quæ multa jam dixi, et
nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate di-
gnum me dixisse audeo profiteri, sed confiteri
Psal. 138. 6. potius mirificatam scientiam ejus ex me inva-
luisse, nec posse me ad illam, o tu anima mea
a ubi te esse sentis, ubi jaces, ubi (a) stas, donec
ab eo qui propitius factus est omnibus iniquita-
tibus tuis, sanentur omnes languores tui? Agno-
Psal. 102. 3. scis te certe in illo esse stabulo, quo Samarita-
Lucæ 10. 35. nus ille perduxit eum quem reperit (b) multis
b a latronibus inflictis vulneribus semivivum. Et
tamen multa vera vidisti, non his oculis quibus
videntur corpora colorata, sed eis pro quibus
Psal. 16. 2. orabat qui dicebat, *Oculi mei videant æquita-
tem*. Nempe ergo multa vera vidisti, eaque di-
screvisti ab illa luce qua tibi lucente vidisti: at-
tolle oculos in ipsam lucem, et eos in eam fige,
si potes. Sic enim videbis quid distet nativitas
Verbi Dei a processione Doni Dei, propter quod
Filius unigenitus non de Patre genitum, alioqui
frater ejus esset, sed procedere dixit Spiritum-
sanctum. Unde cum sit communio quædam con-
substantialis Patris et Filii amborum spiritus,
non amborum, quod absit, dictus est filius. Sed
ad hoc dilucide perspicueque cernendum; non
potes ibi aciem figere; scio, non potes. Verum
dico, mihi dico, quid non possim scio: ipsa ta-
men tibi ostendit in te tria illa, in quibus tu
summæ ipsius, quam fixis oculis contemplari
nondum vales, imaginem Trinitatis agnosceres.
Ipsa ostendit tibi verbum verum esse in te,
quando de scientia tua gignitur, id est, quando
quod scimus dicimus; quamvis nullius gentis
lingua significantem vocem vel proferamus vel
cogitemus, sed ex illo quod novimus cogitatio
nostra formetur; sitque in acie cogitantis imago
c simillima (c) cogitationis ejus quam memoria
continebat, ista duo scilicet velut parentem ac
prolem tertia voluntate sive dilectione jungen-
te. Quam quidem voluntatem de cogitatione pro-
cedere, nemo enim vult quod omnino quid vel
quale sit nescit, non tamen esse cogitationis
imaginem, et ideo quamdam in hac re intelligi-
bili nativitatis et processionis insinuari distan-
tiam, quoniam non hoc est cogitatione conspi-
cere quod appetere, vel etiam perfrui voluntate,
cernit discernitque qui potest. Potuisti et tu,

A quamvis non potueris neque possis explicare
sufficienti eloquio, quod inter nubila similitudi-
num corporalium, quæ cogitationibus humanis
occursare non desinunt, vix vidisti. Sed illa lux
quæ non est quod tu, et hoc tibi ostendit, aliud
esse illas incorporeas similitudines corporum,
et aliud esse verum, quod eis reprobatis intelli-
gentia contuemur: hæc et alia similiter certa
oculis tuis interioribus lux illa monstravit. Quæ
igitur causa est, cur acie fixa ipsam videre non
possis, nisi utique infirmitas? (d) Et quid tibi d
eam fecit, nisi iniquitas? Quis ergo sanat omnes Psal. 102. 3.
languores tuos, nisi qui propitius fit omnibus
iniquitatibus tuis? Librum itaque istum jam tan-
dem aliquando precatione melius quam dispu-
tatione concludam.

B 51. Domine Deus noster, credimus in te Pa- CAPUT XXVIII. Conclusio libri, cum precatione et excusatione de multiloquio.
trem, et Filium, et Spiritum-sanctum. Neque
enim diceret Veritas, *Ite, baptizate omnes gentes
in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti*, nisi
Trinitas esses. Nec baptizari nos juberes, Do-
mine Deus, in ejus nomine, qui non est Domi-
nus Deus. Neque diceretur voce divina, *Audi* Matth. 28. 20.
Israel, Dominus Deus tuus unus est: nisi Tri-
nitas ita esses, ut unus Dominus Deus esses. Deut. 6. 4.
Et si tu Deus Pater ipse esses, et Filius verbum
tuum Jesus Christus ipse esses, et donum ve-
strum Spiritus-sanctus, non legeremus in litte-
ris veritatis, *Misit Deus Filium suum*. Nec tu, Gal. 3. 4.
o Unigenite, diceres de Spiritu-sancto: *Quem* Johan. 3. 17.
mittet Pater in nomine meo, et *Quem ego mit-* Johan. 4. 26.
tam vobis a Patre. Ad hanc regulam fidei diri- Johan. 15. 26.
C gens intentionem meam, quantum potui, quan-
tum me posse fecisti, quæsivi te, et desideravi
intellectu videre quod credidi, et multum dispu-
tavi, et laboravi. Domine Deus meus, una spes
mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere,
sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu
da quærendi vires, qui (e) inveniri te fecisti, Psal. 104. 4.
et magis magisque inveniendi te spem dedisti. e
Coram te est firmitas et infirmitas mea: illam
serva, istam sana. Coram te est scientia et igno-
rantia mea: ubi mihi aperuisti, suscipe intran-
tem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim
tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista,
donec me reformes ad integrum. Scio scriptum
esse: *In multiloquio non effugies peccatum*. Sed Prov. 10. 19.
utinam prædicando verbum tuum, et laudando
D te tantummodo loquerer: non solum fugerem
peccatum, sed meritum bonum adquirerem,
quamlibet multum sic loquerer. Neque enim
homo de te beatus, peccatum præciperet ger-
mano in fide filio suo, cui scripsit dicens, *Præ-
dica verbum, insta opportune, importune*. Num- 2. Tim. 4. 2.
quid dicendum est istum non multum locutum,
qui non solum opportune, verum etiam impor-
tune verbum tuum, Domine, non tacebat? Sed
ideo non erat multum, quia tantum erat neces-

(a) MSS. quidam, *ubi jaces, ubi habitas, aut ubi
stas donec* etc. Alii plerique, *ubi jaces, ubi habitas, do-
nec* etc.
(b) Sic plures MSS. At editi, *a multis latronibus*.
(c) Omnes prope MSS *cognitionis ejus*. Et infra, *co-
gnitione procedere*. Ac paulo post, *cognitionis imagi-
nem*.
(d) Plerique MSS. *Et quis tibi eam fecit; nisi utique
iniquitas*.
(e) In MSS. *invenire te fecisti*.

sarium. Libera me Deus a multiloquio, quod patior intus in anima mea misera in conspectu tuo, et (a) confugiente ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem non cogitarem nisi quod placeret tibi, non utique rogarem ut me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Psal. 93. 11. Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilo minus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeat apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine jam vocatur, *Multa*, inquit, *dicimus, et non pervenimus, et consummatio sermonum universa est ipse*. Eccl. 43. 29. Cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt *multa* ista quæ *dicimus, et non pervenimus*; et manebis unus omnia in omnibus: 1. Cor. 15. 28. et sine fine dicemus unum laudantes te in unum, et in te facti etiam nos unum. Domine Deus une, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant et tui: si qua de meo, et tu ignosce, et tui. Amen.

(a) Editi, *et confugientem*. Plures vero MSS, *confugiente*: omissa particula, *et*.

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE DIVERSIS
QUÆSTIONIBUS OCTOGINTA-TRIBUS
LIBER UNUS. *

* Inchoatus sub finem an. 388.

QUÆST. I. Utrum anima a se ipsa fit.

OMNE verum a veritate verum est; et omnis anima eo anima est, quo vera anima est. Omnis igitur anima a veritate habet ut omnino anima sit. Aliud autem anima est, aliud veritas. Nam veritas falsitatem numquam patitur, anima vero sæpe fallitur. Non igitur, cum a veritate anima est, a se ipsa est. Est autem veritas Deus: Deum igitur habet auctorem ut sit anima.

QUÆST. II. De libero arbitrio.

OMNE quod fit, ei a quo fit par esse non potest. Alioquin justitia, quæ sua cuique tribuere debet, de rebus auferatur necesse est. Hominem ergo Deus cum fecit, quamquam optimum fecerit; non tamen id fecit quod erat ipse. Melior autem homo est qui voluntate, quam qui necessitate bonus est. Voluntas igitur libera danda homini fuit.

QUÆST. III. Utrum Deo auctore fit homo deterior.

NULLO sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parva ista culpa est, immo tanta est, quæ in sapientem (a) quemvis hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente præstantior. Multo minus igitur Deo auctore fit homo deterior. Multo enim præstantior Dei voluntas, quam hominis sapientis est. Illo autem auctore cum dicitur, illo volente dicitur. Est ergo vitium voluntatis quo est homo deterior: quod vitium si longe abest a Dei voluntate, ut ratio docet, in quo sit quærendum est.

QUÆST. IV. Quæ sit caussa ut sit homo deterior.

UT sit homo deterior aut in ipso caussa est, aut in alio aliquo, aut in nihilo. Si in nihilo, nulla caussa est. Aut si ita accipitur in nihilo, quod homo ex nihilo factus est, vel ex iis quæ ex nihilo facta sunt; rursum in ipso erit caussa, quod ejus quasi materies est nihilum. Si in alio aliquo, utrum in Deo, an in quolibet alio homine; an in eo quod neque Deus, neque homo sit. Sed non in Deo; bonorum enim Deus caussa est. Si ergo in homine, aut vi, aut suasione. Sed vi nullo modo, ne sit Deo valentior. Si quidem Deus ita optime hominem fecit, ut si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur. Suasione autem alterius hominis si concedimus hominem depravari, rursum quærendum erit, suasor ipse a quo depravatus sit. Non enim potest pravus non esse talium suasor. Restat nescio quid, quod nec Deus, nec homo sit: sed tamen hoc quidquid est, aut vim intulit, aut suasit. De vi hoc respondetur quod supra: de suasione autem quidquid est, quia suasio non cogit invitum, ad ejusdem hominis voluntatem caussa depravationis ejus redit, sive aliquo, sive nullo suadente depravatus sit.

QUÆST. V. Utrum animal irrationale beatum esse possit.

ANIMAL quod caret ratione, caret scientia. Nullum autem animal quod scientia caret, beatum esse potest. Non igitur cadit in animalia rationis expertia ut beata sint.

QUÆST. VI. De malo.

OMNE quod est, aut est corporeum, aut incorporeum. Corporeum sensibili, incorporeum autem intelligibili specie continetur. Omne igitur quod est, sine aliqua specie non est. Ubi autem aliqua species, necessario est aliquis modus, et modus aliquid boni est. Summum ergo malum nullum modum habet, caret enim omni bono. Non est igitur; quia nulla specie continetur, totumque hoc nomen mali de speciei privatione repertum est.

QUÆST. VII. Quæ proprie in animante anima dicatur.

ANIMA aliquando ita dicitur, ut cum mente intelligatur; veluti cum dicimus hominem ex anima et corpore constare: aliquando ita, ut excepta mente dicatur. Sed cum excepta mente dicitur, ex iis operibus intelligitur quæ habemus cum bestiis communia. Bestiæ namque carent ratione, quæ mentis semper est propria.

QUÆST. VIII. Utrum per se anima moveatur.

MOVERI per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem. Nam si volumus, non alius de nobis vult. Et iste motus animæ spontaneus est; hoc enim ei tributum est a Deo: qui tamen motus, non de loco in locum est, tamquam corporis. Localiter enim moveri corporis proprium est. Et cum anima voluntate, id est, illo motu qui localis non est, corpus suum tamen loca-

(a) Editi Rat. Er. id est, ab Augustino Ratisponensi, a Desiderio Erasmo, et libri aliquot MSS. quamvis.

A liter movet, non ex eodem monstratur et ipsa localiter moveri. Sicut videmus a cardine moveri aliquid per magnum spatium loci, et tamen ipsum cardinem (a) non moveri loco.

QUÆST. IX. Utrum corporeis sensibus percipi veritas possit. 1. Retr. 26.

Omne quod corporeus sensus adtingit, quod et sensibile dicitur sine ulla intermissione temporis commutatur: velut cum capilli capitis nostris crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in juventam efflorescit, perpetuo id fit, nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest: illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis. Sed ne quis dicat esse aliqua sensibilia eodem modo semper manentia, et quæstionem nobis de sole atque stellis B afferat, in quibus facile convinci non potest; illud certe nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sensibile quod non habeat simile falso, ita ut internosci non possit. Nam ut alia prætermittam, omnia quæ per corpus sentimus, etiam cum ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tamquam prorsus adsint, vel in somno vel in furore. Quod cum patimur, omnino utrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibilium sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilium falsæ, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, et nihil percipi potest nisi quod a falso discernitur, non judicium veritatis constitutum in sensibus. Quamobrem saluberrime admonemur averti ab hoc mundo, qui profecto corporeus est et sen- C sibilis, et ad Deum, id est veritatem, quæ intellectu et interiore mente capitur, quæ semper manet et ejusdem modi est, quæ non habet imaginem falsi, a qua discerni non possit, tota alacritate converti.

QUÆST. X. Utrum corpus a Deo sit.

Omne bonum a Deo: omne speciosum bonum, in quantum speciosum est; et omne quod species continet, speciosum est. Omne autem corpus, ut corpus sit, specie aliqua continetur. Omne igitur corpus a Deo.

QUÆST. XI. Quare Christus de fœmina natus sit.

Deus cum liberat, non partem aliquam liberat; sed totum liberat, quod forte in periculo est. Sapientia ergo et Virtus Dei, qui dicitur unigenitus Filius, homine suscepto liberationem hominis indicavit. Hominis autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. D Ergo, quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut fœminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de fœmina natus est.

QUÆST. XII. Sententia cujusdam sapientis Fontei seilicet Carthaginensis, de mente mundanda ad videndum Deum.

Agite, o, inquit, miseri mortales, hoc agite ne umquam polluat hoc domicilium malignus spiritus, ne sensibus immixtus incestet animæ sanctitatem, lucemque mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat coloribus, adhæret sonis, latet in ira, in fallacia sermonis, odoribus se subjicit, infundit saporibus, ac turbidi motus illuvie tenebrosis affectibus (b) tenebrat sensus, quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis solet. Et quia radius ætherææ lucis est, in eoque speculum divinæ præsentiæ: in hoc enim Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc recte facti meritum relucet: Deus ubique præsens est; tunc autem unicuique nostrum simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in ejus præsentia se esse putaverit. Ut enim visus oculorum, si fuerit vitiatus, quidquid videre non potuerit, adesse non putat; frustra enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit: ita etiam Deus qui nusquam deest, frustra pollutis animis præsens est, quem videre mentis cæcitas non potest.

QUÆST. XIII. Quo documento constet homines bestiis antecellere.

Inter multa, quibus ostendi potest, hominem ratione bestiis antecellere, hoc omnibus manifestum est, quod belluæ ab hominibus domari et mansuefieri possunt, homines a belluis nullo modo.

QUÆST. XIV. Non fuisse corpus Christi phantasma.

Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus: et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus.

QUÆST. XV. De intellectu.

Omne quod se intelligit, comprehendit se. Quod autem se comprehendit, finitum est sibi. Et intellectus intelligit se. Ergo finitus est sibi. Nec infinitus esse vult, quamvis possit, quia notus sibi esse vult, amat enim se.

QUÆST. XVI. De Filio Dei.

Deus omnium quæ sunt, caussa est. Quod autem omnium rerum caussa est, etiam sapientiæ suæ caussa est: nec umquam Deus sine sapientia sua. Igitur sempiternæ sapientiæ suæ caussa est sempiterna: nec tempore prior est quam sua sapientia. Deinde si Patrem sempiternum esse inest Deo, nec fuit aliquando non Pater, numquam sine Filio fuit.

QUÆST. XVII. De scientia Dei.

Omne præteritum jam non est: omne futurum nondum est: omne igitur et præteritum et futurum deest. Apud Deum autem nihil deest: nec præteritum igitur nec futurum, sed omne præsens est apud Deum.

QUÆST. XVIII. De Trinitate.

Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa igitur creatura si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, caussam quoque ejus trinam esse oportet, qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit. Creaturæ autem caussam, id est, auctorem Deum dicimus. Oportet ergo esse Trinitatem, qua nihil præstantius, intelligentius et beatius invenire perfecta ratio potest. Ideoque etiam cum veritas quæritur, plus quam tria genera quæstionum esse non possunt, utrum omnino sit, utrum hoc an aliud sit, utrum approbandum improbandumve sit.

QUÆST. XIX. De Deo et creatura.

Quod incommutabile est, æternum est: semper enim ejusdem modi est. Quod autem commutabile est, tempori obnoxium est: non enim semper ejusdem modi est, et ideo æternum non

(a) Hic Rat. et tres codices MSS. addunt, *si quidem immutabilem.*

(b) Er. et septem MSS. *tenebrati sensus.*

recte dicitur. Quod enim mutatur, non manet: quod non manet, non est æternum. Idque inter immortale et æternum interest, quod omne æternum immortale est, non omne immortale satis subtiliter æternum dicitur: quia etsi semper aliquid vivit, tamen si mutabilitatem patiatur, non proprie æternum appellatur, quia non semper ejusdem modi est: quamvis immortale, quia semper vivit, recte dici possit. Vocatur autem æternum interdum etiam quod immortale est. Illud vero quod et mutationem patitur, et animæ præsentia, cum anima non sit, vivere dicitur, neque immortale ullo modo, et multo minus æternum intelligi potest. In æterno enim, cum proprie dicitur, neque quidquam præteritum quasi transierit, neque quidquam futurum quasi nondum sit, sed quidquid est, tantummodo est.

QUÆST. XX. De loco Dei.

Deus non alicubi est. Quod enim alicubi est, continetur loco: quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est corpus. Non igitur alicubi est: et tamen quia est, et in loco non est, in illo sunt potius omnia, quam ipse alicubi. Nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est quod longitudine et latitudine et altitudine corporis occupatur: nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, et locus non est. Locus tamen Dei abusive dicitur templum Dei, non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit. Id autem nihil melius quam anima munda intelligitur.

Psal. 5. 8.

QUÆST. XXI. Utrum Deus auctor mali non sit.

Quisquis omnium quæ sunt auctor est, et ad cujus bonitatem id tantum pertinet, ut sit omne quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit, ab eo quod est esse deficit, et tendit in non esse. Esse autem et in nullo deficere bonum est, et malum est deficere. At ille ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, id est, tendendi ad non esse: quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est: et propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium quæ sunt auctor est; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.

1. Retr. 26.

QUÆST. XXII. Deum non pati necessitatem.

Ubi nulla indigentia, nulla necessitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas.

QUÆST. XXIII. De Patre et Filio.

Omne castum castitate castum est, et omne æternum æternitate æternum est, et omne pulcrum pulcritudine, et omne bonum bonitate. Ergo et omne sapiens sapientia, et omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur, vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate quam gignit, et cui principium atque causa est ut sit; aliter autem cum participatione castitatis quidque castum est, quod potest aliquando esse non castum: atque ita de cæteris intelligendum est. Nam et anima æternitatem vel intelligitur vel creditur consequi, sed æterna æternitatis participatione fit. Non autem ita æternus Deus, sed quod ipsius æternitatis est auctor. Hoc et de pulcritudine et de bonitate licet intelligi. Quamobrem cum sapiens Deus dicitur, et ea sapientia sapiens dicitur, sine qua eum vel fuisse aliquando, vel esse posse nefas est credere, non participatione sapientiæ sapiens dicitur, sicuti anima, quæ et esse et non esse sapiens potest: sed quod ipse eam genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam. Item illa quæ participatione sunt vel casta, vel æterna, vel pulcra, vel bona, vel sapientia, recipiunt, ut dictum est, ut possint nec casta esse, nec æterna, nec pulcra, nec bona, nec sapientia: at ipsa castitas, æternitas, pulcritudo, bonitas, sapientia, nullo modo recipiunt aut corruptionem, aut, ut ita dicam, temporalitatem, aut turpitudinem, aut malitiam. Ergo etiam illa quæ participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem: at ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit, ut cum similitudo Patris Filius dicitur, quia ejus participatione similia sunt, quæcumque sunt vel inter se vel Deo similia, (ipsa est enim species prima, qua sunt ut ita dicam, speciata, et forma qua formata sunt omnia;) ex nulla parte Patri potest esse dissimilis. Idem igitur quod Pater, ita ut iste Filius sit, ille Pater, id est, iste similitudo, ille cujus similitudo est; (a) ista substantia, ille substantia, ex quo una substantia. Nam si non una est, recipit dissimilitudinem similitudo; quod fieri posse omnis verissima negat ratio.

1. Retr. 26. Lib. 6. de Trinit. cap. 2.

QUÆST. XXIV. Utrum peccatum et recte factum in libero sit voluntatis arbitrio.

Quidquid casu fit, temere fit: quidquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur. Si non providentia universus mundus administratur, est ergo aliqua natura atque substantia quæ ad opus providentiæ non pertineat. Omne autem quod est, in quantum est, bonum est. Summe enim est illud bonum, cujus participatione sunt bona cetera. Et omne quod mutabile est, non per se ipsum, sed boni immutabilis participatione, in quantum est, bonum est. Porro illud bonum, cujus participatione sunt bona cetera (b) quæcumque sunt, non per aliud, sed per se ipsum bonum est, quam divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. Hoc constituto, consequens videtur, ut quidquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partim nostra voluntate. Deus enim quovis homine optimo et justissimo longe atque incomparabiliter melior et justior est. Justus autem regens et gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari. Meritum autem pœnæ, peccatum; et meritum præmii, recte factum est. Nec peccatum autem, nec recte factum imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio.

(a) Isthæc verba, *iste substantia, ille substantia*, absunt a novem MSS.

(b) Rat. et octo MSS. *quantumcumque sunt*. Alii quatuor *qualiacumque sunt*.

QUÆST. XXV. De cruce Christi.

Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda non metuere. Mors autem metuenda non est. Oportuit ergo idipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilo minus autem; ut ipsa mors metuenda non est, ita nullum genus mortis bene et recte viventi homini metuendum est. Nihilo minus igitur hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere exsecrabilius et formidolosius.

QUÆST. XXVI. De differentia peccatorum.

Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiæ, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sint peccata venialia. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur et hic et in futuro sæculo. Quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur; et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per pœnitentiam.

QUÆST. XXVII. De providentia.

Fieri potest, ut per malum hominem divina providentia et puniat et opituletur. Nam Judæorum impietas et (a) Judæos supplantavit, et Gentibus saluti fuit. Item fieri potest, ut divina providentia per hominem bonum et damnet et adjuvet, sicut ait Apostolus: *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem*. (2.Cor. 2. 16. Lib. 11. de Genesi ad litteram c. 6.) Sed cum omnis tribulatio aut pœna impiorum sit, aut exercitatio justorum; quia eadem tribula et paleas concidit, et frumenta paleis exuit, unde tribulatio nomen accepit: rursus cum pax et quies a molestiis temporalibus et bonos lueretur, et corrumpat malos: omnia hæc divina providentia pro meritis moderatur animarum. Sed tamen non sibi eligunt boni ministerium tribulationis, nec mali amant pacem. Quare ipsi quoque, per quos id agitur quod ignorant, non justitiæ quæ refertur ad Deum, sed malevolentiæ suæ mercedem accipiunt. Quemadmodum nec bonis imputatur, quod ipsis prodesse volentibus nocetur alicui, sed bono animo benevolentiæ præmium tribuitur: ita etiam cetera creatura pro meritis animarum rationalium vel sentitur vel latet, vel molesta vel commoda est. Summo enim Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est, sive scientibus sive nescientibus nobis. Sed in parte offenditur anima peccatrix: tamen quia pro meritis ibi est, ubi talem esse decet, et ea patitur quæ talem pati æquum est, universum regnum Dei nulla sua fœditate deformat. Quamobrem quo-A niam non omnia novimus quæ de nobis bene agit ordo divinus, in sola bona voluntate secundum legem agimus, in ceteris autem secundum legem agimur, cum lex ipsa incommutabilis maneat, et omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderetur. *Gloria* igitur *in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (Lucæ 2. 14.)

QUÆST. XXVIII. Quare Deus mundum facere voluerit.

Qui quærit quare voluerit Deus mundum facere, caussam quærit voluntatis Dei. Sed omnis caussa efficiens est. Omne autem efficiens majus est, quam id quod efficitur. Nihil autem majus est voluntate Dei. Non ergo ejus caussa quærenda est.

QUÆST. XXIX. Utrum aliquid sit sursum aut deorsum in universo.

Quæ *sursum sunt sapite*. (Col. 3. 2.) Ea quæ sursum sunt sapere jubemur, spiritalia scilicet, quæ non locis et partibus hujus mundi sursum esse intelli-B genda sunt, sed merito excellentiæ suæ; ne in ejus mundi parte figamus animum nostrum, quo universo nos debemus exuere. Sursum autem ac deorsum in hujus mundi partibus est. Nam universus nec ipse habet sursum aut deorsum. Corporeus est enim; quia omne visibile corporeum est. Nihil autem in universo corpore sursum aut deorsum est. Cum enim in sex partes motus fieri videatur, qui rectus dicitur, id est, qui circularis non est, in anteriora et posteriora, in dexteriora et sinisteriora, in superiora et inferiora, nulla omnino ratio est, cur universo corpori ante ac post nihil sit, et dextera ac læva, sit autem sursum ac deorsum. Sed eo considerantes decipiuntur, quod sensibus et consuetu-C dini difficile obsistitur. Non enim tam facilis est nobis conversio corporis, quæ fit, si quis capite deorsum moveri velit, quam facilis est a dextera in lævam, vel ab anteriore in posteriorem partem. Quamobrem remotis verbis secum ipsi animo satagendum est, ut hoc cernere valeat.

QUÆST. XXX. Utrum omnia in utilitatem hominis creata sint.

Ut inter honestum et utile interest, ita et inter fruendum et utendum. Quamquam enim omne honestum utile, et omne utile honestum esse, subtiliter defendi queat: tamen quia magis proprie atque usitatius honestum dicitur quod propter se ipsum expetendum est, utile autem quod ad aliud aliquid referendum est; secundum hanc differentiam nunc loquimur, illud sane custodientes, ut honestum et utile nullo modo sibimet adversentur. Adversari enim hæc sibi aliquando imperite ac vulgariter existimantur. D Frui ergo dicimus ea re, de qua capimus voluptatem. Utimur ea, quam referimus ad id unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti. Fruendum est autem honestis, utendum vero utilibus. Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritalem nos proprie dicimus; utilitatem autem, divinam providentiam. Quapropter quamquam sint multa pulchra visibilia, quæ minus proprie honesta appellantur, ipsa tamen pulchritudo, ex qua

(a) Er., et undecim MSS. *Iudam supplantavit*.

pulchra sunt quæcumque pulchra sunt, nullo A modo est visibilis. Item multa utilia visibilia; sed ipsa utilitas, ex qua nobis prosunt quæcumque prosunt, quam divinam providentiam dicimus, visibilis non est. Notum sane sit visibilium nomine omnia corporalia contineri. Oportet ergo frui pulchris invisibilibus, id est, honestis: utrum autem omnibus, alia quæstio est; quamquam fortasse honesta non nisi quibus fruendum est, dici deceat. Utilibus autem utendum est omnibus, ut quoque eorum opus est. Et frui quidem cibo et qualibet corporali voluptate non adeo absurde existimantur et bestiæ: uti autem aliqua re non potest nisi animal quod rationis est particeps. Scire namque quo quidque referendum sit, non datum est rationis expertibus; B sed neque ipsis rationalibus stultis. Nec uti quisque potest ea re, quæ quo referenda sit nescit; nec quisquam potest scire nisi sapiens. Quare abuti rectius dici solent, quæ non bene utuntur. Non enim cuiquam prodest id quo male utitur; et quod non prodest, non utique utile est. Utile autem quidquid est, utendo est utile: ita nemo utitur nisi utili. Non ergo utitur, quisquis male utitur. Perfecta igitur hominis ratio, quæ virtus vocatur, utitur primo se ipsa ad intelligendum Deum, ut eo fruatur a quo etiam facta est. Utitur autem ceteris rationalibus animantibus ad societatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam etiam suam ad id refert, ut fruatur Deo: ita enim beata est. Ergo et se ipsa utitur; quæ profecto inchoat miseriam per superbiam, si ad se ipsam, non ad Deum referatur. Utitur C etiam corporibus quibusdam vivificandis ad beneficentiam; sic enim utitur suo corpore: quibusdam assumendis vel respuendis ad valetudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad justitiam, quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum: utitur etiam iis a quibus se abstinet, ad temperantiam. Ita omnibus et sensis et non sensis utitur; nec aliquid tertium est. Judicat autem de omnibus quibus utitur: de solo Deo non judicat, quia secundum Deum de ceteris judicat; nec eo utitur, sed fruitur. Neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est. Quoniam omne quod ad aliud referendum est, inferius est quam id ad quod referendum est. Nec est aliquid Deo superius, non loco, sed excellentia (*a*) suæ naturæ. D Omnia ergo quæ facta sunt, in usum hominis facta sunt, quia omnibus utitur (*b*) judicando ratio, quæ homini data est. Ante lapsum quidem non utebatur tolerandis, nec post lapsum utitur nisi conversus, et quamquam ante mortem corporis, jam tamen quantum potest Dei amicus, quia libenter servus.

QUÆST. XXXI. Sententia Ciceronis quemadmodum virtutes animi ab illo divisæ ac definitæ sint. Cic. lib. 2. de Invent.

1. VIRTUS est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Quare omnibus partibus ejus cognitis tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor, A prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur antequam factum est. Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab natura profectum: deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res et ab natura profectas et ab consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit. Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, B gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cærimoniamque adfert. Pietas, per quam sanguine conjunctis patriæque benevolens officium, et diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum et officiorum, alterius memoria, et (*c*) alterius remunerandi voluntas continetur. Vindicatio, per quam vis aut injuria, et omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Observantia, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam et honore dignamur. Veritas, per quam immutata ea quæ sunt aut fuerunt aut futura sunt dicuntur. Consuetudine autem jus est quod aut leviter a natura tactum aluit, et majus fecit C usus, ut religionem; et si quid eorum quæ ante diximus, a natura profectum, majus factum propter consuetudinem videmus: aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit. Quod genus tractum est, par, (*d*) lex, judicatum. Pactum est quod inter aliquos convenit. Par, quod in omnes æquale est. Judicatum, de quo alicujus aut aliquorum jam sententiis constitutum est. Lege jus est, quod in eo scripto, quod populo expositum est ut observet, continetur. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio. D Fidentia est per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. Patientia est honestatis aut utilitatis caussa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Ejus partes, continentia, clementia, modestia. Continentia est per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in

Prudentia quid, et quæ sint ejus partes.

Justitia quid sit et unde.

Natura jus quid.

Consuetudine jus.

Fortitudo et ejus partes.

Temperantia et ejus partes.

(a) Er. et plures MSS. *sed excellentia substantiæ*.
(b) Codices duo, *judicandi ratio*.

(c) Hic deerat *alterius*: restituitur ex MSS. et ex Cic.
(d) Vox *lex* abest a Rat. et tribus MSS.

odium alicujus illecti conciliatique comitate retinentur. Modestia, per quam pudor honestus (a) claram et stabilem comparat auctoritatem.

2. Atque hæc omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut monstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate præcipiendi remotum est. Propter se autem vitanda sunt, non ea modo quæ iis contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et justitiæ injustitia; verum etiam illa quæ propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime. Quod genus fidentiæ contrarium est diffidentia, et ea re vitium est: audacia, non contrarium, sed appositum ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum, ut audacia quæ fidentiæ, pertinacia quæ perseverantiæ finitima est, superstitio quæ religioni propinqua est; aut sine ullo certo nomine: quæ omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus vitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adjungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur.

3. Sunt igitur multa quæ nos, cum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt. Quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicujus honesta et cultu et honore et verecundia digna auctoritas. Amplitudo est (b) potentia, aut majestas, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius caussa quem diligit, cum ejus pari voluntate. Hic quia de civilibus caussis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque caussa petenda videatur, ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimarint reprehendant. Quamquam sunt qui propter utilitatem modo petendam putent amicitiam, sunt qui propter se solum, sunt qui et propter se et propter utilitatem. Quorum quid verissime statuatur, alius locus erit considerandi.

QUÆST. XXXII. Utrum rem ullam alius alio magis intelligat, atque ita ejusdem rei per infinitum est intelligentia.

Quisquis ullam rem aliter quam ea res est intelligit, fallitur: et omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter quam est intelligit, non eam intelligit. Non ergo potest quidquam intelligi, nisi ut est. Nos autem aliquid non ita ut est intelligimus, velut hoc ipsum nihil intelligi, quod non ita ut est intelligitur. Quare non est dubitandum esse perfectam intelligentiam, qua præstantior esse non possit; et ideo non per infinitum ire quod quæque res intelligitur, nec eam posse alium alio plus intelligere.

QUÆST. XXXIII. De metu.

Nulli dubium est non aliam metuendi esse caussam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. Quare quisquis hoc ipsum non metuere amaverit atque habuerit, quis metus est ne id possit amittere? Multa enim quæ amamus et habemus, metuimus amittere; ita ea custodimus metu: non metuere autem nemo potest custodire metuendo. Item quisquis amat non metuere, atque id nondum habet, speratque se habiturum, non eum oportet metuere ne non adipiscatur. Hoc enim metu nihil aliud metuitur quam idem metus. Porro metus omnis aliquid fugit, et nulla res se ipsam fugit. Non igitur metuitur metus. Sed si quis existimat non recte dici quod metus aliquid metuat, cum animus potius ipso metu metuat; illud attendat, quod cognitu facile est, nullum metum esse nisi futuri et imminentis mali. Necesse est autem ut qui metuit, aliquid fugiat. Quisquis itaque metuere metuit, est profecto absurdissimus, quia fugiendo habet idipsum quod fugit. Nam quoniam non metuitur nisi ne aliquid mali accidat, metuere ne accidat metus, nihil aliud est nisi amplecti quod respuis. Quod si repugnans est, sicuti est, nullo prorsus modo metuit, quisquis nihil aliud amat quam non metuere. Et propterea nemo potest hoc solum amare, et non habere. Utrum autem hoc solum amandum sit, alia quæstio est. Jam quem non exanimat metus, nec cupiditas eum vastat, nec ægritudo macerat, nec ventilat gestiens et vana lætitia. Si enim cupit, quia nihil aliud est cupiditas nisi amor rerum transeuntium, metuat necesse est, ne aut amittat eas cum adeptus fuerit, aut non adipiscatur. Non autem metuit: non ergo cupit. Item si angitur animi dolore, necesse est etiam metu agitetur: quoniam quorum malorum præsentium est anxietudo, eorum est et imminentium metus. Metu autem caret: ergo et anxietudine. Item si lætetur inaniter, de iis rebus lætatur, quas potest amittere: quare metuat necesse est ne amittat. Sed nullo modo metuit: nullo modo igitur lætatur inaniter.

QUÆST. XXXIV. Utrum non aliud amandum sit, quam metu carere.

Si vitium est non metuere, non est amandum. Sed nemo beatissimus metuit, et nemo beatissimus in vitio est. Non est itaque vitium non metuere. At audacia vitium est. Non ergo quisquis non metuit, audax est; quamquam omnis qui audet, non metuat. Item cadaver omne non metuit. Quapropter cum commune sit non metuere beatissimo et audaci et cadaveri, sed beatissimus id habeat per tranquillitatem animi, audax per temeritatem, cadaver quia omni sensu caret; neque non amandum est non metuere, quoniam beati esse volumus; neque solum amandum, quoniam audaces et inanimes esse nolumus.

QUÆST. XXXV. Quid amandum sit.

1. Quoniam quidquid non vivit non metuit, neque vita carendum quisquam persuaserit, ut metu etiam carere possimus; amandum est sine metu vivere. Sed rursus quis vita metu carens, etiam, si intelligentia careat, non est ap-

(a) Bat. et tres MSS. eorum.
(b) Aliquot MSS. et Ciceroniani libri, potentiæ aut majestatis.

petenda; amandum est sine metu cum intelle-
ctu vivere. Idne solum amandum? an amor quo-
que ipse amandus est? ita vero, quando sine
hoc illa non amantur. Sed si propter alia quæ
a amanda sunt amor amatur, non recte (*a*) ama-
Amare quid sit. ri dicitur. Nihil enim aliud est amare, quam
propter seipsam rem aliquam appetere. Num
igitur propter se ipsum amor appetendus est,
cum quando desit quod amatur, ea sit indubita-
ta miseria? Deinde cum amor motus quidam sit,
neque ullus sit motus nisi ad aliquid, cum quæ-
rimus quid amandum sit, quid sit illud ad quod
moveri oporteat, quærimus. Quare si amandus
est amor, non utique omnis amandus est. Est
enim et turpis, quo animus se ipso inferiora se-
ctatur, quæ magis proprie cupiditas dicitur,
Cupiditas. omnium scilicet malorum radix. Et ideo non
b amandum est, quod manenti et fruenti (*b*) amo-
ri auferri potest. Cujus ergo rei amor amandus
est, nisi ejus quæ non potest deesse dum ama-
tur? id autem est, quod nihil est aliud habere
c quam (*c*) nosse. Porro aurum et omne corpus
I. Retr. 26. non hoc est habere quod nosse: non itaque a-
mandum est. Et quoniam potest aliquid amari,
nec haberi, non solum ex his quæ amanda non
sunt, ut pulcrum aliquod corpus, sed etiam
eorum quæ amanda sunt, ut beata vita; et rur-
sus potest aliquid haberi, nec amari, ut com-
pedes: jure quæritur utrum possit quispiam id
quod habere nihil est aliud nosse, non amare cum
habeat, id est, noverit. Sed cum videamus non-
nullos non ob aliud, verbi gratia, discere nu-
meros, nisi ut eadem disciplina pecuniosi fiant,
aut hominibus placeant; quam cum didicerint,
ad eumdem finem referunt, quem sibi cum di-
scerent, proposuerant; neque ullam disciplin-
nam aliud sit habere quam nosse: fieri potest,
ut habeat quisque aliquid, quod habere, hoc
sit quod nosse, neque amet tamen. Quamquam
bonum quod non amatur, nemo potest perfecte
habere vel nosse. Quis enim potest nosse quan-
tum sit bonum, quo non fruitur? Non autem
fruitur, si non amat: nec habet igitur quod a-
mandum est, qui non amat; etiam si amare pos
I. Retr. 26. sit, qui non habet. Nemo igitur beatam vitam
novit, et miser est: quoniam si amanda est,
sicuti est, hoc est eam nosse quod habere.

Beate vivere quid sit. 2. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vi-
vere, nisi æternum aliquid cognoscendo habe-
re? Æternum est enim, de quo solo recte fidi-
tur quod amanti auferri non potest: idque ipsum
est, quod nihil sit aliud habere quam nosse. O-
mnium enim rerum præstantissimum est quod
æternum est: et propterea id habere non pos-
sumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id
est mente. Quidquid autem mente habetur, no-
scendo habetur; nullumque bonum perfecte no-
scitur, quod non perfecte amatur. Neque ut so-
A la mens potest cognoscere, ita et amare sola
potest. Namque amor appetitus quidam est: et
videmus etiam cæteris animi partibus inesse
appetitum, qui si menti rationique consentiat,
in tali pace et tranquillitate vacabit mente con-
templari quod æternum est. Ergo etiam cete-
ris suis partibus amare animus debet hoc tam
magnum quod mente cognoscendum est. Et
quoniam id quod amatur, afficiat ex se aman-
tem necesse est; fit ut sic amatum quod æter-
num est, æternitate animum afficiat. Quocirca
ea demum vita beata, quæ æterna est. Quid ve-
ro æternum est, quod æternitate animum affi-
ciat, nisi Deus? Amor autem rerum amanda-
rum, caritas vel dilectio melius dicitur. Quare
omnibus cogitationis viribus considerandum est
B saluberrimum illud præceptum: *Diliges Domi-* Matth. 22. 37.
num Deum tuum in toto corde tuo, et in tota Deut. 6. 5.
anima tua, et in tota mente tua; et illud quod
ait Dominus Jesus, *Hæc est autem vita æterna,* Johan. 17. 3.
ut cognoscant te solum verum Deum, et quem
misisti Jesum Christum.

1. Caritatem voco, (*d*) qua amantur ea quæ QUÆST. XXXVI. De nutrienda caritate.
non sunt præ ipso amante contemnenda: id est, I. Retr. 26.
quod æternum est, et quod amare ipsum æter- d
num potest. Deus igitur et animus quo (*e*) ama- e
tur, caritas proprie dicitur purgatissima et con-
summata, si nihil aliud amatur: hanc et dile-
ctionem dici placet. Sed cum Deus magis diligi-
tur quam animus, ut malit homo ejus esse quam
suus, tunc vere animo summeque consulitur
consequenter et corpori, nobis id non curanti-
C bus aliquo appetitu satagente, sed tantum prom-
pta et oblata sumentibus. Caritatis autem ve-
nenum est, spes adipiscendorum aut retinendo-
rum temporalium. Nutrimentum ejus est, im-
minutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas.
Signum profectus ejus, imminutio timoris, si-
gnum perfectionis ejus, nullus timor, quia et
radix est omnium malorum cupiditas, et *con-* I. Tim. 6. 10.
summata dilectio foras mittit timorem. Quisquis I. Joan. 4. 18.
igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupi-
ditatibus. Est autem cupiditas, amor adipiscen- Cupiditas.
di aut obtinendi temporalia. Hujus minuendæ
initium est, Deum timere, qui solus timeri sine
amore non potest. Ad sapientiam enim tendi-
tur, et nihil verius eo quod dictum est, *Initium* Prov. 1. 7. et 9. 10.
sapientiæ timor Domini. Nemo est quippe qui Eccli. 1. 16.
D non magis dolorem fugiat, quam appetat volu- Psal. 110. 10.
ptatem: quandoquidem videmus etiam imma-
nissimas bestias, a maximis voluptatibus ab-
sterreri dolorum metu; quod cum in earumdem
consuetudinem verterit, domitæ et mansuetæ
vocantur. Quapropter quoniam inest homini ra-
tio, quæ cum servit cupiditati perversione mi-
serabili, ut homines non timeantur, suggerit
latere posse commissa, et ad tegenda occulta
peccata astutissimas fallacias comparat: eo fit,

(*a*) Sic Rat. et octodecim MSS. At Er. et Lov. non recte amor dicitur.
(*b*) Rat. et octo MSS. amatori.
(*c*) Quatuor MSS. cum Eugypio, quam sicut noscendum est nosse. Et infra. *Nemo igitur beatam vitam sicut noscenda est, novit.* Additamentum sumptum est ex 1. Retract. 26.
(*d*) Ita MSS. At Editi, *Caritatem vero motum animi quo etc.*
(*e*) Quidam MSS. *quo amantur.*

ut homines, quos nondum delectat pulcritudo virtutis, nisi pœnis a peccando deterreantur, quæ verissime per sanctos et divinos viros prædicantur, et quod celant hominibus, Deo celari non posse consentiant, difficilius domentur quam feræ. Ut autem timeatur Deus, divina providentia regi universa persuadendum est; non tam rationibus, quas qui potest inire, potest jam et pulcritudinem sentire virtutis, quam exemplis vel recentibus si qua occurrunt, vel de historia, et ea maxime quæ ipsa divina providentia procurante, sive in vetere, sive in novo Testamento excellentissimam auctoritatem religionis recepit. Simul autem agendum est et de pœnis peccatorum, et de præmiis recte factorum.

2. Jam vero cum aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit; (a) incipiat gustari dulcedo pietatis, et commendari pulchritudo virtutis, ut caritatis libertas præ servitute timoris emineat. Tunc jam persuadendum est fidelibus præcedentibus regenerationis sacramentis, quæ necesse est plurimum moveant, quid intersit inter duos homines, veterem et novum, exteriorem et interiorem, terrenum et cælestem; id est, inter eum qui bona carnalia et temporalia, et eum qui spiritalia et æterna sectatur: monendumque ne peritura beneficia et transeuntia exspectentur a Deo, quibus et improbi homines abundare possunt; sed firma et sempiterna, pro quibus accipiendis omnia quæ in hoc mundo bona putantur et mala, penitus contemnenda sunt. Hic præstantissimum illud et unicum exemplum (b) Dominici hominis proponendum est, qui cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret, et ea sprevit quæ magna bona, et ea sustinuit quæ magna mala imperiti putant: quos mores et disciplinam, ne tanto minus quisquam aggredi audeat, quanto illud magis honorat, et de pollicitationibus atque hortationibus ejus, et de imitantium multitudine Apostolorum, Martyrum, Sanctorumque innumerabilium, quam non sint illa desperanda ostendendum est.

3. At ubi fuerint carnalium voluptatum illecebræ superatæ, cavendum est ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam sive patientiam, aut per aliquam largitionem, aut nomine scientiæ vel eloquentiæ; in eo genere est et cupiditas honoris. Contra quæ omnia proferantur ea, quæ scripta sunt de laude caritatis, et de inanitate jactantiæ: doceaturque quam sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, et nihil magnum est a malis laudari: aut boni sunt, et eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt: virtus autem non appetit quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem: qui malos, non dignus est laude. Si autem placere hominibus ideo vis, ut eis prosis ad diligendum Deum; non jam hoc, sed aliud cupis. Qui autem placere cupit, necessarium adhuc habet timorem: primum, ne occulte peccando inter hypocritas a Domino computetur; deinde, si benefactis placere appetit, ne hanc mercedem aucupans perdat quod daturus est Deus.

4. Sed devicta ista cupiditate, cavenda superbia est. Difficile est enim ut dignetur consociari hominibus, qui eis placere jam non desiderat, et plenum se virtutibus putat. Itaque adhuc necessarius est timor, ne illud etiam quod videtur habere, auferatur ab eo; et manibus ac pedibus ligatis mittatur in tenebras exteriores. Quapropter Dei timor non solum inchoat, sed etiam perficit sapientem. Is est autem qui summe diligit Deum, et proximum tamquam se ipsum. Quæ autem in hoc itinere pericula difficultatesque metuendæ sint, et quibus remediis uti oporteat, alia quæstio est. Matth. 25. 29 Matth. 22. 13.

Melior est semper natus, quam qui semper nascitur. Quia qui semper nascitur, nondum est natus; et numquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc numquam filius, si numquam natus: filius autem quia natus, est semper filius: semper igitur natus. QUÆST. XXXVII. De semper nato.

Cum aliud sit natura, aliud disciplina, aliud usus, et hæc in una anima intelligantur nulla diversitate substantiæ: item cum aliud sit ingenium, aliud virtus, aliud tranquillitas, similiter unius ejusdemque substantiæ: et cum anima sit alterius substantiæ, quam Deus, quamquam ab illo facta; ipse autem Deus sit sacratissima illa, et multis verbo, re paucis cognita Trinitas: diligentissime investigandum est, quod ait Dominus Jesus, *Nemo venit ad me, nisi quem Pater adtraxerit*: et, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*: et, *ipse vos in omnem veritatem inducet*. QUÆST. XXXVIII. De conformatione animæ. Joan. 6. 44. et 14. 6. et 16. 13.

Quid est quod accipit eam rem, quam commutat? ut animal cibum. Quid est quod accipitur, et commutatur? ut idem cibus. Quid est? quod accipitur, et non commutatur; ut oculis lux, ut sonus auribus. Sed hæc per corpus accipit anima: quid est autem quod per se ipsam accipit, et commutat in se? ut aliam animam, quam recipiendo in amicitiam sui similem facit. Et quid est quod per se ipsam accipit, et non commutat, ut veritatem. Quare cognoscendum est et quid sit Petro dictum, *Macta et manduca*: et quid in Evangelio, *Et vita erat lux hominum*. QUÆST. XXXIX. De alimentis. Act. 10. 13. Joan. 1. 4.

Ex diversis visis diversus appetitus animarum est, ex diverso appetitu diversus adipiscendi successus, ex diverso successu diversa consuetudo, ex diversa consuetudine diversa est voluntas. Diversa autem visa ordo rerum facit: occultus quidem, sed sub divina providentia certus tamen. Non itaque ob hoc putandum est diversas esse naturas animarum, quia diversæ sunt QUÆST. XL. Cum animarum natura una sit, unde hominum diversæ voluntates.

(a) Cisterciensis Codex, *incipiat*.
(b) Eugypius in duobus MSS. *exemplum Domini proponendum est*. loco scilicet ad 1. Retrac. 19. emendato ubi Augustinus Christum a se aliquanto dictum esse *hominem Dominicum* non probat.

A voluntates: cum etiam unius animæ voluntas pro temporum diversitate varietur. Si quidem alio tempore dives esse cupit, alio tempore contemptis divitiis sapiens esse desiderat: et in ipso temporalium appetitu alio tempore uni homini negotiatio, et alio tempore militia placet.

QUÆST. XLI. Cum omnia Deus fecerit, quare non æqualia fecit?

Quia non essent omnia, si essent æqualia: non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur universitas, primas et secundas, et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens creaturas: et hoc est quod dicitur, omnia.

QUÆST. XLII. Quomodo Christus et in utero matris fuit et in cœlis?

Quomodo verbum hominis, quod etsi multi audiunt, totum audiunt singuli.

QUÆST. XLIII. Quare Filius Dei in homine apparuit, et Spiritus-sanctus in columba.

Quia ille venit, ut exemplum vivendi demonstraret hominibus; iste, ut donum ipsum, quo bene vivendo pervenitur, significaret, apparuit. B Utrumque autem visibiliter factum est propter carnales, ab iis quæ oculis corporeis cernuntur, ad ea quæ mente intelliguntur, sacramentorum gradibus transferendos. Nam et verba sonant et et transeunt; nec tamen ea quæ verbis significantur, cum aliquid divinum atque æternum loquendo exponitur, similiter transeunt.

QUÆST. XLIV. Quare tanto post venit Dominus Jesus Christus, et non in principio peccati hominis.

Quia omne pulchrum a summa pulchritudine est, quod Deus est: temporalis autem pulchritudo rebus decedentibus succedentibusque peragitur. Habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas ab infantia usque ad senectutem. Sicut ergo absurdus est, qui juvenilem tantum ætatem vellet esse in homine temporibus subdito, invideret enim ceteris pulchritudinibus, quæ ceteris ætatibus C suas vices atque ordinem gerunt: sic absurdus est, qui in ipso universo genere humano unam ætatem desiderat: nam et ipsum tamquam unus homo ætates suas agit. Nec oportuit venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Ad hoc valet quod Apostolus dicit, sub lege tamquam sub pædagogo parvulos custoditos, donec veniret cui servabatur, qui per Prophetas promissus erat. Aliud enim est quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tamquam (a) publice consulit. Nam et quicumque singuli ad certam sapientiam pervenerunt, nonnisi eadem veritate suarum singillatim ætatum opportunitate illustrati sunt: a qua veritate, ut populus sapiens D fieret, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.

2. Retr. 26.

Gal. 3. 23.

QUÆST. XLV. Adversus Mathematicos.

1. Non eos appellarunt Mathematicos veteres, qui nunc appellantur; sed illos qui temporum numeros motu cœli ac siderum pervestigarunt, de quibus rectissime dicitur in Scripturis sanctis: iterum nec his debet ignosci; si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus se ipsam esse meliorem. Quæ tamen cum etiam se propter defectum profectumque in sapientia A fatetur esse mutabilem, invenit supra se esse incommutabilem veritatem: atque ita adhærens post ipsam, sicut dictum est, *Adhæsit anima mea post te;* beata efficitur, intrinsecus inveniens etiam omnium visibilium Creatorem atque Dominum; non quærens extrinsecus visibilia, quamvis cœlestia: quæ aut non inveniuntur, aut cum magno labore frustra inveniuntur, nisi ex eorum quæ foris sunt pulchritudine, inveniatur artifex qui intus est, et prius in anima superiores deinde in corpore inferiores pulchritudines operatur.

Sap. 13. 8. et 9.

Lib. 8. de Civit. Dei, cap. 6.

Psal. 6. 9.

2. Adversus eos autem qui nunc appellantur Mathematici, volentes actus nostros corporibus cælestibus subdere, et nos vendere stellis, ipsumque pretium, quo vendimur, a nobis accipere, B nihil verius et brevius dici potest, quam eos non respondere, nisi acceptis constellationibus. In constellationibus autem notari partes, (b) quales trecenta-sexaginta dicunt habere signiferum circulum: motum autem cœli per unam horam fieri in quindecim partibus, ut tanta mora quindecim partes oriantur, quantam tenet una hora. Quæ partes singulæ sexaginta minutas habere dicuntur. Minutas autem minutarum jam in constellationibus, de quibus futura prædicere se dicuntur, non inveniunt. Conceptus autem geminorum quoniam uno concubitu efficitur, adtestantibus medicis, quorum disciplina multo est certior atque manifestior, tam parvo puncto temporis contingit, ut in duas minutas minutarum non tendatur. Unde ergo in geminis tanta C diversitas actionum et eventuum et voluntatum, quos necesse est eamdem constellationem conceptionalem habere, et amborum unam constellationem (c) dari Mathematico, tamquam unius hominis? Si autem ad (d) genitales constellationes se tenere voluerint, ipsis geminis excluduntur, qui plerumque ita post invicem funduntur ex utero, ut hoc temporis intervallum rursus ad minutas minutarum revertatur, quas tractandas in constellationibus numquam accipiunt, nec possunt tractare. Cum autem multa vera eos prædixisse dicatur, ideo fit, quia non tenent homines memoria falsitates erroresque eorum; sed non intenti, nisi in ea quæ illorum responsis provenerint, ea quæ non provenerint obliviscuntur: et ea commemorant, quæ non D arte illa, quæ nulla est, sed quadam obscura rerum sorte contingunt. Quod si peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificiose divinare etiam mortuas membranas scriptas quaslibet, de quibus plerumque pro voluntate sors exit. Quod si non arte de codicibus exit sæpe versus futura prænuntians, quid mirum si etiam ex animo loquentis, non arte, sed sorte exit aliqua prædictio futurorum?

QUÆST. XLVI. De Ideis.

Lib. 7. de Civit. Dei, cap. 28.

1. IDEAS Plato primus appellasse perhibetur: non tamen si hoc nomen, ante quam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectæ:

(a) Duo MSS. tamquam publicis utilitatibus consulit.
(b) Sic MSS. Editi vero, partes æquales trecentas etc.

(c) Ita in MSS. At in excusis, dare Mathematicos.
(d) Duo MSS. ad nativas.

sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei (a) incognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem; aut istas, quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse. Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis gentibus sapientes: quod etiam Plato ipse non solum peregrinando sapientiæ perficiendæ gratia satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo, si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortasse eas nomine vocaverint. Sed de nomine hactenus dictum sit: rem videamus, quæ maxime consideranda atque noscenda est, in potestate constitutis vocabulis, ut quod volet quisque, appellet rem quam cognoverit.

2. Ideas igitur Latine possumus vel formas vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus; rationes enim Græce λόγοι appellantur, non ideæ: sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, a re ipsa non (b) aberrabit. Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant; secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. Anima vero negatur eas intueri posse, nisi rationalis, ea sui parte qua excellit, id est, ipsa mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non hominis et quælibet, sed quæ sancta et pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea; id est, quæ illum ipsum oculum, quo videntur ista, sanum et sincerum et serenum et similem his rebus, quas videre intendit, habuerit. Quis autem religiosus et vera religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, immo non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem, ordinemque ipsum quo ea quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse. Quod si recte dici vel credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita. Nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum omnium creandarum creaturarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse, atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quomodo est. Sed anima rationalis inter eas res, quæ sunt a Deo conditæ, omnia superat; et Deo proxima est, quando pura est; eique in quantum caritate cohæserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodam modo et illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale, quo excellit, id est, per intelligentiam suam, istas rationes, quarum visione fit beatissima. Quas rationes, ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare, et multis conceditur (c) appellare quodlibet, sed paucissimis videre quod verum est.

QUÆST. XLVII. Utrum aliquando cogitationes nostras videre possimus. (I. Petr. 26. Lib. 22. de civit. Dei cap. 29.)

Quæri solet quomodo post resurrectionem atque immutationem corporis, quæ sanctis promittitur, cogitationes nostras videre possimus. Conjectura itaque capienda est ex ea parte corporis nostri, quæ plus habet lucis: quoniam angelica corpora, qualia nos habituros speramus, lucidissima atque ætherea esse credendum est: si ergo multi motus animi nostri nunc agnoscuntur in oculis, probabile est quod nullus motus animi latebit, cum totum fuerit corpus æthereum, in cujus comparatione isti oculi caro sunt.

QUÆST. XLVIII. De credibilibus.

Credibilium tria sunt genera. Alia sunt quæ semper creduntur, et numquam intelliguntur: sicut est omnis historia, temporalia et humana gesta percurrens. Alia quæ mox, ut creduntur intelliguntur: sicut sunt omnes rationes humanæ, vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium, quæ primo creduntur, et postea intelliguntur: qualia sunt ea quæ de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde; quod fit præceptis servatis, quæ de bene vivendo accipiuntur.

QUÆST. XLIX. Quare filii Israel sacrificabant visibiliter pecorum victimas. (Lib. 10 de Civitate Dei, cap. 5. et 2.)

Quia sunt etiam sacra spiritalia, quorum imagines carnalem populum celebrare oportebat, ut præfiguratio novi populi servitute veteris fieret. Quorum duorum populorum differentiam etiam in unoquoque nostrum licet advertere, cum quisque ab utero matris veterem hominem necesse est agat, donec veniat ad juvenilem ætatem; ubi jam non est necesse carnaliter sapere, sed potest ad spiritalia voluntate converti, et intrinsecus regenerari. Quod ergo in uno homine recte educato, ordine (d) naturæ discipli-

(a) Quatuor MSS *rei cognitæ*.
(b) Omnes prope MSS. *non abhorebit*.
(c) Sic plerique MSS. Editi autem, *et multis conceditur appellare nominibus, sed etc.*
(d) Fossatensis codex, *natura disciplinaque agit*. Alii quidam, *naturæ disciplinæque contingit*.

naque contingit, hoc proportione in universo genere humano fieri per divinam providentiam, peragique pulcherrimum est.

QUÆST. L. De æqualitate Filii.

Deus, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, (nihil enim Deo melius,) generare debuit æqualem. Si enim voluit, et non potuit, infirmus est: si potuit, et non voluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium.

QUÆST. LI. De homine facto ad imaginem et similitudinem Dei.

1. Cum exteriorem et interiorem hominem divina Scriptura commemoret, et in tantum eos discernat, ut ab Apostolo dictum sit, *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (2. Cor. 4. 16.): quæri potest, utrum unus horum factus sit ad imaginem et similitudinem Dei. Nam illud stultum est quærere, si unus, quis horum? (Lib. 11. de Trinit. c. 1.) Quis enim dubitat eum potius qui renovatur, quam eum qui corrumpitur, dicere? Utrum autem ambo, magna quæstio est. Nam si exterior homo est Adam, et interior Christus, bene ambo intelliguntur. Sed cum Adam, sicut a Deo factus est, bonus non manserit, et diligendo carnalia carnalis effectus sit, non absurde videri potest, hoc ipsum ei fuisse (a) cadere, imaginem Dei et similitudinem amittere. Ac per hoc ipse renovatur, et ipse est interior: quomodo ergo est ipse et exterior? An secundum corpus? ut interior sit secundum animam, et (b) interioris sit resurrectio et renovatio, quæ nunc sit secundum mortem prioris vitæ, id est peccati, et secundum regenerationem novæ vitæ, id est justitiæ? Quos item duos homines sic appellat, ut unum veterem, quem debemus exuere, alterum novum, et eum induendum commemoret (Col. 3. 9.): quorum rursus illum appellat imaginem terreni hominis, quia secundum peccatum primi hominis geritur, qui est Adam; alterum imaginem cælestis hominis, quia secundum justitiam secundi hominis geritur, qui est Jesus Christus (1. Cor. 15. 49.). Exterior autem homo, qui nunc corrumpitur, futura resurrectione renovabitur, cum istam mortem persolverit, quam naturæ debet, lege illa, quæ in paradiso (c) data est.

Corpus quomodo factum ad similitudinem Dei.

2. Quomodo autem non sit incongruum, quod dicitur etiam corpus factum ad similitudinem Dei, facile intelligit, qui diligenter adtendit quod dictum est, *Et fecit Deus omnia bona valde* (Gen. 1. 31.). Nemo enim dubitat quod sit ipse primitus bonus. Multis enim modis dici res possunt similes Deo: aliæ secundum virtutem et sapientiam factæ, quia in ipso est virtus et sapientia non facta: aliæ in quantum solum vivunt, quia ille summe et primitus vivit: aliæ in quantum sunt, quia ille summe et primitus est. Et ideo quæ tantummodo sunt, nec tamen vivunt aut sapiunt, non perfecte, sed exigue sunt ad similitudinem ejus; quia et ipsa bona sunt in ordine suo, cum sit ille super omnia bonus, a quo omnia bona procedunt. Omnia vero quæ vivunt et non sapiunt, paullo amplius participant similitudinem. Quod enim vivit, etiam est: non autem quidquid est, etiam vivit. Jam porro quæ sapiunt, ita illi similitudine sunt proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Quod enim participat sapientiæ, et vivit et est: quod autem vivit, necesse est ut sit, non necesse est ut sapiat. Quare cum homo possit particeps esse sapientiæ secundum interiorem hominem, secundum (d) ipsum ita est ad imaginem, ut nulla natura interposita formetur; et ideo nihil sit Deo conjunctius. Et sapit enim et vivit, et est: qua creatura nihil est melius.

3. Quod si exterior homo vita illa accipitur, qua per corpus sentimus quinque notissimis sensibus, quos cum pecoribus habemus communes: (Lib. 11. de Trinit. cap. 1.) nam et ipsa molestiis sensibilibus, quæ persecutionibus ingeruntur, corrumpi potest: non immerito et iste homo particeps dicitur similitudinis Dei; non solum quia vivit, quod etiam in bestiis apparet; sed amplius quod ad mentem (e) convertitur se regentem, quam illustrat sapientia, quod in bestiis non potest ratione carentibus. Corpus quoque hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora, non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile, sed ad intuendum cœlum erectum, quod est principium visibilium; quamquam non sua, sed animæ præsentia vivere cognoscatur; tamen non modo quia est, et in quantum est, utique bonum est; sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium factum jure videri potest. Tamen quia homo sine vita non recte appellatur; non corpus solum homo exterior, neque sola vita quæ in sensu est corporis, sed utrumque simul rectius fortasse intelligitur. (1. Retr. 26.)

4. Neque inscite distinguitur, quod aliud sit imago et similitudo Dei, qui etiam Filius dicitur; aliud ad imaginem et similitudinem Dei, sicut hominem factum accipimus. (Lib. 7. de Trinit. cap. ultimo. 1. Retr. 26.) Sunt etiam qui non frustra intelligant duo dicta esse ad imaginem et similitudinem: cum si una res esset, unum nomen sufficere potuisse asserunt. Sed ad imaginem mentem factam volunt, quæ nulla interposita substantia ab ipsa veritate formatur, qui etiam spiritus dicitur: non ille Spiritus sanctus, qui est ejusdem substantiæ, cujus et Pater et Filius, sed spiritus hominis. Nam ita hos discernit Apostolus, *Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis; et nemo scit quid agatur in Deo, nisi Spiritus Dei* (1. Cor. 2. 11.). Item de spiritu hominis dicit: *Salvum faciat spiritum vestrum, et animam et corpus* (1. Thess. 5. 23.). Et iste enim factus est a Deo, sicut et cetera creatura. Scriptum est enim in Proverbiis hoc modo: *Scito quoniam* (Prov. 16. 2.)

(a) Sic MSS. At editi, *hoc ipsum ei fuisse carere imagine Dei.*

(b) Er. et Lov. *et interior sit.* Melius Rat. et MSS. *interioris.*

(c) Hic editi addunt, *per præceptum.* Navaricus codex, *est præceptum:* quod a ceteris fere MSS. Abest.

(d) Editi, *secundum se ipsum.* At MSS. *secundum ipsum,* id est hominem interiorem.

(e) Lov. *convertit se regentem, quem* etc. dissentientibus editis aliis et MSS.

A *Dominus corda hominum novit, et qui finxit spiritum omnibus, ipse scit omnia.* Ergo iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis: hæret enim veritati nulla interposita creatura. Cetera hominis ad similitudinem facta videri volunt: quia omnis quidem imago similis est, non autem omne quod simile, etiam imago proprie sed forte abusive dici potest. Sed cavendum in talibus ne quid nimis asseverandum putetur, illa re sane salubriter custodita, ne quoniam corpus quodlibet per localia spatia porrectum est, aliquid tale credatur esse substantia Dei. Nam res quæ in parte minor est quam in toto, nec dignitati animæ convenit; quanto minus majestati Dei.

QUÆST. LII. De eo quod dictum est, Pœnitet me fecisse hominem. Gen. 6, 7. Lib. 15 de Civit. Dei, cap 25.

B Divinæ Scripturæ a terreno et humano sensu ad divinum et cœlestem nos erigentes, usque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam utitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noster patitur, quas longissime a Deo esse sejunctas jam qui melius sapit intelligit, non dubitaverunt illi viri per quos locutus est Spiritus sanctus, opportunissime in libris ponere. Ut, verbi gratia, quoniam difficillimum est ut homo aliquid vindicet sine ira, vindictam Dei quæ omnino sine ista perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt. (Ira Dei.) Item quia conjugis castitatem zelando viri custodire consueverunt, illam Dei providentiam per quam præcipitur atque agitur ne anima corrumpatur, et deos alios atque alios sequens quodam modo meretricetur, zelum Dei appellaverunt. (Zelus Dei, et manus, pedes, aures, oculi.) C Sic et manum Dei, vim qua operatur; et pedes Dei, vim qua in omnia (a) custodienda et gubernanda pertendit; et aures Dei vel oculos Dei, vim qua omnia percipit atque intelligit; et faciem Dei, vim qua se manifestat atque dignoscitur; et cetera in hunc modum, propterea scilicet quia nos ad quos sermo fit, et manibus solemus operari, et pedibus incedere, et quod fert animus pervenire, et auribus atque oculis ceterisque sensibus corporis corporalia percipere, et facie innotescere: et si quid aliud ad hanc tamquam regulam pertinet. Hoc modo igitur, quoniam mutare cœptum aliquod et in aliud transferre non facile solemus nisi pœnitendo, quamquam divina providentia serena mente intuentibus appareat cuncta certissimo ordine administrare, D accommodatissime tamen ad humilem humanam intelligentiam ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt, quasi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.

QUÆST. LIII. De auro et argento quod Israelitæ ab Ægyptiis acceperunt. Exodi 12.35.

1. Quisquis duorum Testamentorum dispensationes, pro temporum congruentia, generis humani diligenter ætatibus distributas intuetur; satis (quantum existimo) intelligit, quid proprie priori ætati generis humani, quid posteriori conveniat. Divina enim providentia pulchre omnia moA derante, ita universas generationum series ab Adam usque ad finem sæculi administratur, tamquam unius hominis a pueritia usque ad senectutem temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. Et ideo virtutum etiam gradus in moribus, donec veniatur ad summam hominis perfectamque virtutem, oportet eum distinguere, qui divinis lectionibus pium animum intendit: ne forte cum invenerit aliquando parvis parva, aliquando majora majoribus imperari, reputans in comparatione (b) majorum peccata esse illa quæ minora sunt, non arbitretur decuisse ut talia Deus hominibus imperaret. b Sed nunc de virtutum gradibus nimis longum est disputare. Verumtamen quod ad præsentem quæstionem discutiendam satis est, quantum ad decipiendum attinet, B summa et perfecta virtus est neminem decipere, atque illud exhibere quod dictum est, *Sit in ore vestro, Est est, Non non.* (Matth 5.37.) Sed quia hoc eis imperatum est, quibus jam regnum cœlorum promissum est; magna autem virtus est hæc implere majora, quibus debetur hoc præmium; *Regnum enim cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud:* (Matth. 11. 12.) quærendum est quibus gradibus ad istam summitatem perfectionemque veniatur: in quibus utique gradibus inveniantur illi, quibus adhuc terrenum regnum promittebatur, quo promisso tamquam parvuli præluderent, et ab uno Deo, qui est omnium Dominus, interim terrenis gaudiis, quibus adhuc inhiabant, impetratis, inde proficientes et spiritu crescentes auderent etiam sperare cœlestia. Sicut ergo summa et prope divina virtus est, neminem decipere: C sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Ab hoc ultimo vitio ad illam summam virtutem tendentibus gradus est, neminem quidem vel amicum, vel ignotum, sed tamen inimicum aliquando decipere. Unde etiam illud a Poeta dictum prope jam proverbii consuetudinem obtinuit, *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* (Æneid. 22.) Sed quoniam et ipse hostis potest plerumque injuste decipi, velut cum pactum aliquod fit de temporali pace, quas inducias vocant, et non servatur fides, et cetera talia: multo est purgatior summæque illi virtuti propinquior, qui quamquam velit hostem decipere, non eum tamen decipit nisi auctoritate divina. Deus enim novit vel solus, vel certe longe excellentius D quam homines atque sincerius, quid quisque pœna præmiove sit dignus.

2. Quapropter Deus quidem per se ipsum neminem decipit; est enim Pater Veritatis, et Veritas, et Spiritus Veritatis: dignis tamen digna distribuens (quoniam hoc quoque pertinet ad justitiam et veritatem) utitur animis pro meritis et dignitatibus, quæ sunt in gradibus earum, ut quisquam dignus est decipi, non solum per se ipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem qui jam congruenter diligit, et custodire, persistit, *Sit in ore vestro, Est est, Non*

(a) Rat et septem MSS. *constituenda.*
(b) Excusi, *majora.* Sed melius decem MSS. *majorum.*

non: neque per angelum, cui non convenit personæ fallaciæ: sed aut per talem hominem, qui nondum se hujusmodi cupiditatibus exuit; aut per talem angelum, qui pro suæ voluntatis perversitate vel ad vindictam peccatorum, vel ad exercitationem purgationemque eorum qui secundum Deum renascuntur, in infirmis naturæ gradibus ordinatus est. Legimus enim deceptum regem * falso vaticinio pseudo-prophetarum: et ita legimus, ut neque sine divino judicio factum inveniamus, quoniam dignus erat ille sic decipi; neque per eum angelum, quem deceptionis officium suscipere non deceret; sed per angelum erroris, qui sibi ultro tales partes imponi cum lætitia postulavit. Quibusdam enim Scripturarum locis apertius aliquid exponitur, quod diligens et pius lector etiam in aliis locis, in quibus minus aperitur, intelligat. Deus enim noster sic ad salutem animarum divinos libros Spiritu sancto moderatus est, ut non solum manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet. Ex hac igitur ineffabili atque sublimi rerum administratione, quæ fit per divinam providentiam, quasi transcripta est naturalis lex in animam rationalem, ut in ipsa vitæ hujus conversatione moribusque terrenis homines talium distributionum imagines servent. Hinc est quod judex damnatum percutere indignum sua persona et nefarium judicat: ejus tamen jussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio, ut percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere. Nam neque per se ipsum hoc judex facit, neque per principem vel advocatum, aut aliquem in officio suo, cui iste ministerium non convenienter imponitur. Hinc est etiam, quod irrationalibus animantibus utimur ad eas res, quas per homines agi nefarium est. Nam utique dignus est fur morsu lacerari: id tamen homo non per se ipsum agit, aut per filium, aut per domesticum, aut etiam per famulum suum; sed per canem, quam bestiam talia facere pro naturæ suæ gradibus decet. Cum igitur quosdam pati aliquid deceat, quod alios facere non deceat; ministeria quædam sunt media, quibus digna injunguntur officia; ut eis utens ipsa justitia, non solum talia pati quemque imperet, qualia pati eum decet, sed etiam iis facientibus, quos talia facere non minus decet. Quapropter cum et Ægyptii deceptione digni essent, et populus Israel pro illis ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indigne hostem deciperet; factum est ut juberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea et argentes, quibus adhuc (*a*) terreni regni appetitores inhiabant, et peterent ab Ægyptiis non reddituri, et acciperent quasi reddituri. Quam et mercedem tam diuturni laboris atque operis pro talium animarum gradu non injustam Deus esse voluit, et pœnam illorum quos digne fecit smittere, id quod reddere debuerunt. Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium et impium esse quis non intelligat? sed meritorum et personarum justissimus distributor, faciens quædam per se ipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conveniunt; sicuti est illuminare animas, et seipsum eis ad perfruendum præbendo, sapientes beatasque præstare: alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens, usque ad passerum administrationem, sicut Dominus in Evangelio dicit, et usque ad fœni decorem, usque ad numerum etiam capillorum nostrorum divina providentia pertendente atque veniente. De qua etiam dictum est, *Pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

5. Quod autem per animarum ministeria suis legibus servientia Deus puniat, et digne digna supplicia retribuat, cum ipse tranquillissimus maneat, apertissime ita scriptum est: *Ipsum quoque qui puniri* (*b*) *non debeat, condemnare, exterum æstimas a tua virtute. Virtus enim tua justitiæ initium est, et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim tu ostendis, qui non crederis esse in virtute consummatus, sed in iis qui sciunt audaciam traducis. Tu autem Dominus virtutum cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos.*

4. Item quod primo in terrenis rebus fit gradus ad cœlestem justitiam, quæ (*c*) jam firmioribus imperatur, Dominus ostendit, cum ait, *Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit vobis?* Et quod pro suis gradibus animæ doceantur, et ipse Dominus demonstrat, dicens, *Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.* Et Apostolus, cum ait: *Ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; lac vobis potum dedi, non escam; neque enim poteratis, sed neque adhuc potestis, adhuc enim estis carnales.* Quod enim in istis secundum gradus suos actum est, hoc in universo genere humano agi cognoscimus, ut alia carnali populo, alia spiritali, pro temporum congruentia juberentur. Non ergo mirum, si hostem decipi dignum decipere jussi sunt, qui erant adhuc digni hostem decipere. Non enim jam erant idonei quibus diceretur, *Diligite inimicos vestros:* sed tales erant quibus tantummodo dici oportet, *Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum.* Adhuc enim ille proximus quam late intelligendus esset, non erat temporis tradere. Inchoatio ergo quædam facta est sub pædagogo, ut magistro perfectio servaretur: cum tamen idem Deus, et pædagogum parvulis dederit, legem illam scilicet per famulum suum; et magistrum grandioribus, id est, Evangelium per Unicum suum.

Margin notes: * scilicet Achab. 3. Reg. 22. 6. — Exod. 3. 22. — Matth. 10. 29. — Luc. 12. 27. — Sap. 8. 1. — Sap. 12. 15, etc. — Luc. 16. 12. — Johan. 16. 12. — 1. Cor. 3. 1. — Matth. 5. 44. — Ibidem 43.

(*a*) Sic Rat. et MSS. At Er. et Lov. *terrenæ vel.*
(*b*) Rat. et Lov. *qui puniri debeat, condemnas, et exterum existimas.* Emendantur ad Er. et ad MSS.

(*c*) Er. et Lov. *quæ jam infirmioribus.* Varius aliquot MSS. *quæ jam firmioribus.* Aut sicut quidem codex, *non infirmioribus.*

QUÆST. LIV. De eo quod scriptum est, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Psal. 72. 28.

Omne, quod est, aut eodem modo semper est, aut non. Et omnis anima omni corpore melior est. Melius est enim omne quod vivificat, quam id quod vivificatur: corpus autem ab anima vivificari, non a corpore animam, nemo ambigit. Quod autem corpus non est, et tamen aliquid est, aut anima est, aut ea melius aliquid. Deterius enim omni corpore nihil est: et quia et si materiam quis dixerit, unde ipsum corpus fit; recte, quoniam caret omni specie, nihil dicitur. Rursus inter corpus et animam, quod melius sit corpore, deterius anima, non invenitur. Si quid enim esset medium, aut vivificaretur ab anima, aut vivificaret animam, aut neutrum: aut vivificaret corpus, aut vivificaretur a corpore, aut neutrum. At quidquid vivificatur ab anima, corpus est: si quid autem vivificat animam, melius est quam anima. Rursum quo vivificatur corpus, anima est: quod vivificatur a corpore, nihil est. Neutrum vero, id est, nullius vitæ (a) indigens nullamque vitam tribuens, aut omnino nihil est, aut aliquid et corpore et anima melius. Sed utrum quid tale sit in rerum natura, alia quæstio est. Nunc interim ratio comperit, nihil inter corpus et animam esse, quod sit corpore melius, anima deterius. Quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus; cui, quisquis eum intelligit, junctus est. (1. Retr. 26.) Quod enim intelligitur verum est, nec omne quod creditur verum est. Quidquid autem verum est, atque a sensibus et a mente sejunctum est, credi tantum, non tamen sentiri aut intelligi potest. Deo igitur junctum est quod intelligit Deum. Intelligit autem rationalis anima Deum. Nam intelligit quod semper ejusmodi est, neque ullam patitur mutationem. At et corpus per tempus et locos, et anima ipsa rationalis, quod aliquando sapiens, aliquando stulta est, mutationem patitur. Quod autem semper eodem modo est, melius profecto est quam id quod non ita est. Nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus. Cum igitur intelligit aliquid, quod semper eodem modo sese habet, ipsum sine dubio intelligit. Hæc autem est ipsa veritas; cui quia intelligendo anima rationalis jungitur, et hoc bonum est animæ, recte accipitur id esse quod dictum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*.

QUÆST. LV. De eo quod scriptum est. Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, et adolescentulæ quarum non est numerus. Cant. 6. 7. Matth. 6. 1.

Denarius numerus potest significare universitatis scientiam. Quæ si ad interiora et intelligibilia referatur, quæ senario numero significantur, fit quasi decies sexies, quod est sexaginta: si ad terrena et corruptibilia, quæ octonario numero significari possunt, fiunt decies octies, quod est octoginta. Reginæ ergo, sunt animæ regnantes in intelligibilibus et spiritalibus. Concubinæ, quæ mercedem accipiunt terrenorum, de quibus dictum est, *Acceperunt mercedem suam*. Adolescentulæ, quarum non est numerus, quarum non est determinata scientia, et diversis dogmatibus periclitari possunt: ut numerus, quod dictum est, significet certam et indubitatam confirmationem scientiæ.

QUÆST. LVI. De annis quadraginta sex ædificati templi. Johan. 2. 20. Lib. 4. de Trinit. cap. 5.

Sex, novem, duodecim, decem et octo, hæc in unum fiunt quadraginta-quinque. Adde ergo ipsum unum, fiunt quadraginta-sex: hoc sexies, fiunt ducenta-septuaginta-sex. Dicitur autem conceptio humana sic procedere et perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem et octo diebus formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum, et hinc jam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Quadraginta ergo quinque diebus addito uno, quod significat summam: quia sex et novem et duodecim et decem et octo in unum coactis, fiunt quadraginta quinque addito ergo, ut dictum est, uno, fiunt quadraginta sex. Qui cum fuerint multiplicati per ipsum senarium numerum, qui hujus ordinationis caput tenet, fiunt ducenti-septuaginta-sex: id est, novem menses et sex dies, qui computantur ab octavo Kal. Aprilis, quo die conceptus Dominus creditur, quia eodem die etiam passus est, usque ad octavum Kal. Januarias, quo die natus est. Non ergo absurde quadraginta-sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significabat: ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione.

QUÆST. LVII. De centum quinquaginta tribus piscibus. Johan. 21. 11. 1. Cor. 3. 22. et 23. 1. Cor. 11. 3.

1. *Omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Si a capite numerentur, inveniuntur unum, duo, tria, quatuor. Item, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus*. Si eodem modo numerentur, inveniuntur similiter unum, duo, tria et quatuor. Porro unum et duo et tria et quatuor simul ducta fiunt decem. Quapropter disciplinam, quæ insinuat conditorem Deum et conditam creaturam, recte significat denarius numerus. Et cum corpus perfectum atque inexterminabile subditur animæ perfectæ atque inexterminabili, rursusque ipsa subditur Christo, et ille Deo, non tamquam dissimilis aut alterius naturæ, sed tamquam Patri Filius, hoc totum eodem numero denario recte significatur, quod post resurrectionem corporis speratur futurum in æternum. Et fortassè propterea qui conducuntur ad vineam, denarium accipiunt mercedis nomine. (Matth. 20. 2.) Sicut autem unum et duo et tria et quatuor simul decem fiunt, sic unum et duo et tria et quatuor quater ducta quadraginta fiunt.

2. Si autem quaternarius numerus recte corpus significat, propter quatuor notissimas naturas, quibus constat, siccam et humidam, frigidam et calidam; et quod progressio a puncto ad longitudinem, a longitudine ad latitudinem, a latitudine ad altitudinem, soliditatem corporis facit, quæ rursus quaternario numero continetur: non absurde intelligitur quadragenarius numerus temporalem dispensationem significare, quæ pro salute nostra gesta est, cum Dominus corpus assumpsit, et visibiliter hominibus apparere dignatus est. Unum enim et duo et tria

(a) Lov. *intelligens*; corrupte ac repugnantibus editis aliis et MSS.

A et quatuor, quæ significant Creatorem et creaturam, quater ducta, id est, per corpus temporaliter demonstrata, fiunt quadraginta. Nam inter quatuor et quater hoc interest, quod quatuor in statu sunt, quater in motu. Ergo ut quatuor referuntur ad corpus, ita quater ad tempus: insinuaturque sacramentum corporaliter et temporaliter gestum, propter eos qui corporum amore implicati erant, et temporibus subditi. Quadragenarius ergo numerus, ut dictum est, temporalem ipsam dispensationem non incongrue significare creditur. Matth. 4. 2. Et fortasse hoc est, quod quadraginta dies Dominus jejunavit, sæculi hujus, Act. 1. 3. quod motu corporum et temporibus agitur, ostendens inopiam: et quadraginta dies post resurrectionem cum discipulis fuit, hanc ipsam, illis, credo, dispensationem temporalem, quam B pro salute nostra gessit, insinuans. Quadragenarius autem numerus, partibus suis, quæ illum metiuntur, computatis, usque ad quinquagenarium numerum pervenit, idipsum commendans; quando quidem ipsæ partes, quæ illum metiuntur, æquales inter se sunt: quia cum æquitate administrata corporalis et visibilis temporaliter actio perfectionem homini comparat. Quæ perfectio, sicut dictum est denario numero significatur: sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus in summam redactis denarium numerum parit, quoniam ad quinquagenarium, sicut supra dictum est, pervenit. Unum enim quod habent quadraginta quadragies, et duo quod habent vicies, et quatuor quod habent decies, et quinque quod habent octies, et octo quod habent C quinquies, et decem quod habent quater, et viginti quod habent bis, simul ducta fiunt quinquaginta. Nullus enim alius numerus metiri per partes æquales quadragenarium numerum potest, præter hos quos enumeravimus, et computatos ad quinquagenarium numerum perduximus. Act. 1. 9. et 2. 1. Peractis ergo Dominus quadraginta diebus post resurrectionem cum discipulis suis, id est, commendans eis quod pro nobis temporaliter gestum est, adscendit in cœlum: et post alios decem dies misit Spiritum-sanctum, quo perficerentur spiritaliter ad invisibilia capienda, qui visibilibus temporalibusque crediderant. Ipsis videlicet decem diebus post quos misit Spiritum-sanctum, eamdem perfectionem quæ per Spiritum-sanctum confertur denario numero indicans, D quem quadragenarius computatis æqualibus partibus suis edit, et fit quinquagenarius: sicut temporali dispensatione cum æquitate administrata pervenitur ad perfectionem, quam denarius numerus significat, qui denarius simul cum quadragenario quinquagenarium facit. Ergo quoniam perfectio quæ fit per Spiritum sanctum, quamdiu adhuc in carne ambulamus, quamvis non vivamus carnaliter, cum ipsa dispensatione temporali copulatur, recte videtur quinquagenarius numerus ad Ecclesiam pertinere, sed jam purgatam atque perfectam, quæ temporalis dispensationis fidem atque æternitatis futuræ (a) spem caritate amplexatur, a id est, quasi quadragenarium numerum denario numero copulans. Hæc autem Ecclesia, ad quam pertinet quinquagenarius numerus, sive quia ex tribus generibus hominum eligitur, Judæis et Gentibus et carnalibus Christianis, sive quia sacramento Trinitatis imbuitur, numero quo significatur ter ducto, ad centenarium et quinquagenarium pervenit. Quinquaginta enim ter ducta fiunt centum-quinquaginta. Quo cum addideris ipsa tria, quia insigne et eminens debet esse quod in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti lavacro regenerationis abluitur, fiunt centum-quinquaginta-tres. Qui numerus piscium invenitur, quia Matth. 28. 19. in dexteram partem missa sunt retia; ut ideo magnos, id est, perfectos, et regno cœlorum aptos habet. John 21. 8. et 11. Nam illa similitudo reticuli non in dexteram missi, simul cepit bonos et malos, qui separantur in littore. Nunc enim intra retia præceptorum et sacramentorum Dei, in Ecclesia Matth. 13. 48. quæ nunc est, simul boni malique versantur. Fit autem separatio in fine sæculi, tamquam in fine maris, id est, in littore, cum regnant justi primo temporaliter, sicut in Apocalypsi scriptum Apoc. 21. 7. est, deinde in æternum in illa civitate quæ ibi describitur, ubi jam conquiescente dispensatione temporali, quæ quadragenario numero significatur, denarius remanet, quam mercedem sancti qui operantur in vinea percepturi sunt.

3. Potest etiam, si numerus iste consideretur, occurrere ad Ecclesiæ sanctitatem, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum facta est: ut quoniam septenario numero creatura constat, cum ternarius animæ et quaternarius corpori tribuitur, susceptio ipsa hominis ducatur ad tria septies. Quia et Pater misit Filium, et Pater in Filio est, et dono Spiritus-sancti de virgine natus est. Et hæc sunt tria, Pater et Filius et Spiritus-sanctus. Septies autem, ipse homo temporali dispensatione susceptus, (b) ut fieret sempiternus. b Fit ergo summa numeri viginti unum, id est, tria septies. Hæc autem hominis susceptio ad liberationem valuit Ecclesiæ, cui caput est; (c) ut ipsa Ecclesia, propter animam et corpus, c in eodem septenario numero reparetur. Ephes. 5. 23. Ducuntur itaque viginti-unum septies, propter eos qui per Dominicum hominem liberantur, et fiunt simul centum-quadraginta septem. Cui additur senarius numerus, signum perfectionis, quia partibus suis, quæ illum metiuntur, constat, ita ut nihil minus nihilque amplius inveniantur. Metitur quippe illum unum quod habet sexies; et duo, quæ habet ter; et tria, quæ bis habet: quæ simul ducta, unum et duo et tria, sex fiunt. Quod fortasse ad illud etiam sacramentum pertinet, quod Deus sexta die perfecit Gen. 2. 2. omnia opera sua. Ad centum ergo et quadraginta-septem cum sex addideris, quod est signum

(a) Navaricus MS. *spe et caritate amplexatur.*
(b) Editi, *susceptus est.* Verbum *est* non exstat in MSS.
(c) Ita in MSS. At in excusis, *cui caput est Christus. At ipsa Ecclesia, propter animam et corpus, in eodem septenario numero reperitur.*

A perfectionis, fiunt centum-quinquaginta-tria: qui numerus piscium invenitur, postea quam jussu Domini in dexteram partem missa sunt retia, ubi peccatores qui ad sinistram pertinent, non inveniuntur.

QUÆST. LVIII. De Johanne Baptista.

1. JOHANNES Baptista, considerata scriptura quæ de illo in Evangelio legitur, multis probabilibus documentis non absurde creditur prophetiæ gestare personam, et eo maxime quod de illo Dominus dicit, *Plus quam Propheta*. (Matth. 11. 9.) Hic siquidem totius prophetiæ, quæ ab exordio generis humani usque ad adventum Domini de Domino facta est, imaginem gestat. Est autem Evangelii persona in ipso Domino, quæ per prophetiam prænuntiabatur, cujus augetur prædicatio per universum orbem terrarum ab ipso Domini adventu: prophetia autem minuitur post quam B id quod prænuntiabat advenit. Itaque Dominus dicit, *Lex et Prophetæ usque ad Johannem Baptistam, ab hinc regnum Dei prædicatur*. (Lucæ 16. 16.) Et Johannes ipse, *Illum*, inquit, *oportet crescere, me autem minui*. (Johan. 3. 30.) Quod et diebus quibus nati sunt, et mortibus quibus passi sunt, figuratum est. Nascitur namque Johannes ex quo dies incipiunt minui: nascitur Dominus ex quo dies incipiunt crescere. Capite ille minuitur, dum occiditur: hic vero attollitur in cruce. Post quam ergo prophetia ipsa in Johanne constituta digito ostendit præsentem, quem venturum ab exordio generis humani cecinerat, incipit minui, atque inde crescere prædicatio regni Dei. Et ideo baptizavit Johannes in pœnitentiam: (Matth. 3. 11.) finitur enim vetus C vita usque ad pœnitentiam, atque inde incipit nova.

Figuræ Christi in veteri lege.

2. Non autem tantum in iis qui proprie Prophetæ appellati sunt, sed in ipsa veteris Testamenti historia prophetia non silere colligitur ab eis qui pie quærunt, et ad hæc investiganda divinitus adjuvantur. Maxime tamen illis evidentioribus rerum figuris apparet: quod Abel justus a fratre interficitur, et Dominus a Judæis: (Gen. 4. 8.) quod arca Noe, tamquam in diluvio sæculi Ecclesia gubernatur: (Ibid. 7. 1.) quod Isaac immolandus Deo ducitur, et aries pro illo in sensibus tamquam crucifixus agnoscitur: (Ibid. 22. 3.) quod in duobus Abrahæ filiis, uno de ancilla, altero de libera, duo Testamenta intelliguntur: (Gal. 4. 22.) quod duo populi in geminis, Esau scilicet et Jacob, præmonstrantur: (Gen. 25, 25.) quod Joseph D a fratribus persecutionem passus, ab alienis honoratur; (Ibid. 45. 8.) sicut Dominus Judæis persequentibus, apud gentes clarificatus est. Longum est commemorare singula, cum ita concludat Apostolus et dicat, *Hæc autem in figura contingebant eis, scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum devenit*. (1. Cor. 10. 11.) Finis autem sæculorum tamquam senectus veteris hominis, cum totum genus humanum tamquam unum hominem constitueris, sexta ætate signatur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in uno homine, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, gravitas, et senectus. (Ætates sex. Lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 23.) Prima itaque generis humani ætas

A est ab Adam usque ad Noe. Secunda, a Noe ad Abraham: qui articuli sunt evidentissimi, et notissimi. Tertia, ab Abraham usque ad David: sic enim Matthæus Evangelista partitur. Quarta, a David usque ad transmigrationem in Babyloniam. (Matth. 1. 17.) Quinta, a transmigratione in Babyloniam usque ad adventum Domini. Sexta, ab adventu Domini usque in finem sæculi speranda est: qua exterior homo tamquam senectute corrumpitur, (2. Cor. 4. 16.) qui etiam vetus dicitur, et interior renovatur de die in diem. Inde requies sempiterna est, quæ significatur sabbato. Huic rei congruit quod homo sexto die factus est ad imaginem et similitudinem Dei. (Gen. 1. 27.) Nemo autem ignorat hominum vitam jam aliquid administratam, cognitione et actione fulciri. Nam et actio temeraria est sine cogni- B tione, et sine actione ignava cognitio. Sed prima vita hominis, cui nulla administratio recte creditur, quinque sensibus, corporis dedita est; qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Et ideo duæ primæ ætates generis humani denis generationibus definiuntur, tamquam infantia et pueritia; quinario scilicet geminato, quoniam generatio utroque sexu propagatur. Sunt ergo generationes decem ab Adam usque ad Noe, et inde usque ad Abraham aliæ decem; quas duas ætates infantiam et pueritiam generis humani esse diximus. Adolescentia vero et juventus et gravitas, id est, ab Abraham usque ad David, et inde usque ad transmigrationem in Babyloniam, et inde usque ad adventum Domini, quatuor denis generationibus figurantur; septenario gemi- C nato ad eamdem (a) generationem utriusque sexus, cum quinario qui est in sensibus corporis, actio et cognitio addita fuerit. Senectus autem solet etiam tantum tenere temporis, quantum reliquæ omnes ætates. Nam cum a sexagesimo anno senectus dicatur incipere, et possit humana vita usque ad centum viginti annos pervenire, manifestum est solam senectutem posse tam longam esse, quam omnes ætates ceteræ priores sunt. Ætas igitur ultima generis humani, quæ incipit a Domini adventu, usque in finem sæculi, quibus generationibus computetur incertum est: et hoc utiliter Deus voluit latere, sicut in Evangelio scriptum est, et Apostolus attestatur dicens, diem Domini tamquam furem in nocte esse venturum. (Matth. 24. 36. 1. Thess. 5. 2.)

D 3. Sed tamen sexta ætate visitatum esse genus humanum humili Domini adventu, superius distinctis generationibus edocetur. Qua visitatione incœpit manifestari prophetia, quæ superioribus quinque ætatibus latuit: cujus prophetiæ personam quoniam Johannes gestabat, ut supra dictum est, ideo ex senibus parentibus nascitur, tamquam senescente sæculo prophetia illa innotescere incipiat: et quinque mensibus se occultat mater ejus, sicut scriptum est, *Occultabat se Elisabeth mensibus quinque*. (Lucæ 1. 24.) Sexto autem mense visitatur a Maria matre Domini: et exsultat infans in utero, tamquam primo adventu Domini

(a) Rat. et decem MSS. ad eamdem rationem.

a quo in (a) humilitate apparere dignatus est, prophetia manifestari incipit: sed tamquam in utero, id est, nondum tam evidenter, ut omnes sicut in luce manifestam esse fateantur: quod futurum credimus secundo adventu Domini, quo in claritate venturus est; cujus adventus præcursor speratur Elias, sicut hujus Johannes fuit.
Matth. 17. 12. Et ideo dicitur a Domino, *Elias jam venit, et multa ei homines fecerunt, et si vultis scire, ipse est Johannes Baptista, qui venturus est.* Quia in eodem spiritu et in eadem virtute, tamquam præcedentis præconis officio et hic jam venit, et ille venturus est. Propterea et istum Johannem per spiritum quo pater ejus vates impletus
Lucæ 1. 17. est, dicitur præcursorem Domini futurum esse in spiritu et virtute Eliæ. Peractis autem Maria cum Elisabet mensibus tribus, discedit. Quo nu-
Ibidem 56. mero mihi videtur significari fides Trinitatis, et baptisma in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti, quo per humilem Domini adventum genus humanum imbuitur, et futuro adventu clari-
b tatis ejus (b) extollitur.

QUÆST. LIX. De decem virginibus.

1. Inter parabolas a Domino dictas solet quærentes multum exercere ista, quæ de decem virginibus posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt, quæ non sunt præter fidem: sed quomodo partibus omnibus ejus conveniat expositio, id elaborandum est. Legi etiam in quadam scriptura, ex earum genere quæ apocryphæ no-
c minantur, (c) non quod sit contra catholicam fidem, sed huic loco mihi minus congruere visa est, consideranti omnes hujus similitudinis partes. De qua tamen expositione temere nihil audeo judicare, ne forte non ejus inconvenientia mihi angustias fecerit, sed mea tarditas in ea convenientiam non invenerit. Quid autem mihi videatur non absurde hoc loco accipi, quantum potero breviter et diligenter exponam.

2. Interrogatus igitur Dominus noster secreto a discipulis de consummatione sæculi, inter mul-
Matth. 25. 1. etc. ta alia quæ locutus est, hoc quoque dixit: *Tunc simile æstimabitur regnum cœlorum decem virginibus, quæ acceperunt lampades suas, et venerunt obviam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum: prudentes autem acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus. Tardante autem sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, surgite obviam ei. Tunc surrexerunt virgines illæ, et aptaverunt lampades suas. Et dixerunt illæ stultæ ad sapientes, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt autem sapientes, dicentes, Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Et dum irent emere, venit sponsus, et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime autem veniunt et reliquæ virgines, dicentes, Do-*
A *mine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis, Nescio vos. Vigilate ergo, quia nescitis diem, neque horam.* Decem utique virginum quod quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum et malorum discretionem significat. Quapropter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisque commune est? Deinde quid sibi vult numerus in utraque parte quinarius? Quid autem significat oleum, mirum videtur. Item quod sapientes petentibus non communicant: cum et invidere fas non sit eas quæ ita perfectæ sunt, ut a sponso recipiantur, quo nomine nullo dubitante Dominus noster Jesus Christus significatur; et misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo quod habent, præscribente illa sententia ejusdem Domini di-
B centis, Omni poscenti te tribue. Quid est autem Lucæ 6. 30.
quod possit dando non sufficere utrisque? Hæc maxime augent quæstionis difficultatem: quamquam et cetera diligenter considerata, ut omnia in unam rationem concurrant, nihilque in unam partem dicatur quod impediat aliam, magna cautio adhibenda est.

3. Videntur itaque mihi quinque virgines significare quinque partitam continentiam a carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate aurium, a voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ; partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur; quinque dicuntur sapientes, et quinque stultæ: utræque tamen virgines, quia utraque
C continentia est, quamvis diverso fomite gaudeat. Lampades autem sunt, quia manibus gestantur, opera quæ secundum continentiam istam fiunt.
Dictum est autem, Luceant opera vestra coram Matth. 5. 15.
hominibus. Omnes vero *acceperunt lampades suas, et venerunt obviam sponso.* Intelligendum est ergo Christi nomine censeri de quibus agitur. Non enim possunt qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obviam. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum.* Multi enim quamvis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent, dum continenter (d) vivunt, nisi in lau- d
dibus hominum. Non ergo habent oleum secum. Nam ipsam lætitiam oleo significari arbitror.
D Propterea unxit, inquit, te Deus, Deus tuus, Psal. 44. 8.
oleo exsultationis. Qui autem non propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum. *Prudentes autem acceperunt secum oleum in vasis suis cum lampadibus,* id est, lætitiam bonorum operum in corde atque conscientia posuerunt; sicut Apostolus monet: Pro- Gal. 6. 4.
bet autem se homo, inquit, et tunc in semetipso »
habebit gloriam, et non in altero. *Tardante vero* »
sponso dormitaverunt omnes: quia ex utroque genere continentium hominum, sive eorum qui coram Deo exultant, sive eorum qui in laudibus

(a) Navarricus liber, in humanitate.
(b) Rat. Er. et undecim MSS. excollitur. Alter a Vaticanis, excoli datur.

(c) Nonnulli MSS. quod non sit.
(d) Er. et Lov. non vivunt. Expungenda negatio, quæ abest a Rat. et MSS.

A hominum adquiescunt, moriuntur hoc intervallo
temporis, donec sub adventu Domini fiat resur-
rectio mortuorum. *Media autem nocte*, id est,
nullo sciente aut sperante: quippe cum ipse Do-
minus dicat, De die autem illa et hora nemo scit:
Matth. 24. 36. et Apostolus, Dies Domini tamquam fur in no-
cte, ita veniet: ex quo significatur eum penitus
2. Thess. 5. 2. latere, cum venerit. *clamor factus est, Ecce spon-*
1.Cor.15.52. *sus venit, surgite obviam ei.* In ictu oculi et in
novissima tuba omnes resurgemus Ergo *surre-*
2.Cor.5. 10. *xerunt omnes virgines illæ, et aptaverunt lam-*
pades suas, id est, rationes reddendas operum
suorum. Oportet enim nos exhiberi ante tribu-
nal Christi, ut illic recipiat unusquisque quod
gessit in corpore, sive bonum, sive malum. *Et*
dixerunt stultæ ad sapientes, Date nobis de oleo
B *vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.*
Quorum enim facta aliena laude fulciuntur, ea-
dem subtracta deficiunt; et de consuetudine id
semper inquirit, unde gaudere animus solet.
Itaque hominum, qui corda non vident, testimo-
nium volunt habere apud Deum, qui cordis in
spector est. Sed quid responderunt sapientes?
Ne forte non sufficiat nobis et vobis. Unusquis-
que enim pro se rationem reddet, nec alieno te-
stimonio quisquam adjuvatur apud Deum, cui
secreta cordis apparent; et vix sibi quisque suf-
ficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia
Prov. 20. 9. sua. Quis enim gloriabitur mundum se habere
1. Cor. 4. 3. cor Inde est quod Apostolus ait: Mihi autem
minimum est, ut a vobis judicer, aut ab humano
die, sed neque meme ipsum judico. Quapropter
C cum de se ipso quisque aut non omnino aut vix
possit veram ferre sententiam, quomodo potest
de alio judicare, cum sciat nemo quid agatur in
1.Cor. 2. 12. homine, nisi spiritus hominis? *Ite magis ad ven-*
dentes, et emite vobis. Non consilium dedisse
putandæ sunt, sed crimen earum ex obliquo com-
memorasse. Vendunt enim, oleum adulatores,
qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas
in errorem mittunt, et eis vana gaudia tamquam
fatuis conciliando, aliquam de his mercedem,
sive ciborum, sive pecuniæ, sive honoris, sive
a alicujus commodi temporalis accipiunt, non (*a*)
intelligentibus quod dictum est, Qui vos felices
Isai. 3. 12. dicunt, in errorem vos mittunt. Melius est au-
tem objurgari a justo, quam a peccatore lauda-
Psal. 140 5. ri. Emendabit me, inquit, justus in misericor-
D dia, et arguet me, oleum autem peccatoris non
impinguet caput meum. *Ite ergo magis ad ven-*
dentes, et emite vobis, id est, videamus nunc
quid vos adjuvant, qui vobis laudes vendere con-
sueverunt, et vos in errorem inducere, ut non
coram Deo, sed ab hominibus gloriam quærere-
tis. *Euntibus autem illis emere, venit sponsus*,
id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt
et solitis gaudere quærentibus, quia gaudia in-
terna non noverant, venit ille qui judicat: *et quæ*
paratæ erant, id est, quibus bonum coram Deo
testimonium conscientia perhibebat: *intraverunt*

A *cum eo ad nuptias*, id est, ubi munda anima
puro et perfecto sempiternoque Dei Verbo (*b*) b
fœcundanda copulatur. *Et clausa est janua*, id
est, receptis illis qui sunt in angelicam vitam
immutati: Omnes enim, inquit, resurgemus, sed 1.Cor.15.51.
non omnes immutabimur: clausus est aditus ad
regnum cælorum. Non enim post judicium pa-
tet precum aut meritorum locus. *Novissime au-*
tem veniunt et reliquæ virgines, dicentes, Do-
mine, Domine, aperi nobis. Non dictum est,
quod emerint oleum: et ideo intelligendæ sunt,
nullo jam remanente de alienis laudibus gaudio,
in angustiis et magnis afflictionibus redire ad
implorationem Dei. Sed magna est ejus severi-
tas post judicium, cujus ante judicium ineffabilis
misericordia prærogata est. Itaque respondens
B ait, *Amen dico vobis quod nescio vos:* ex illa sci-
licet regula, qua non habet ars Dei, hoc est sa-
pientia Dei, ut intrent in gaudium ejus, qui non
coram Deo, sed ut placerent hominibus, visi
sunt aliquid secundum præcepta ejus operari.
Atque ita concludit: *Vigilate ergo, quia nescitis*
diem neque horam. Non modo illius ultimi tem-
poris, quo venturus est sponsus, sed suæ quis-
que diem dormitionis et horam nescit. Quisquis
autem paratus est usque ad somnum, id est, us-
que ad mortem quæ omnibus debetur, paratus
etiam invenietur cum illa vox media nocte so-
nuerit, qua omnes evigilaturi sunt.

4. Quod vero sponso dixit obviam venire vir-
gines, sic intelligendum puto, ut ex ipsis vir-
ginibus constet ea quæ dicitur sponsa: tamquam
C si omnibus Christianis in Ecclesiam concurren-
tibus filii ad matrem concurrere dicantur, cum
ex ipsis filiis congregatis constet ea quæ dici-
tur mater. Nunc enim desponsata est Ecclesia,
et virgo est ad nuptias perducenda, id est, cum
se continet a corruptione sæculari: illo autem
tempore nubet, cum universa mortalitate in ea
pereunte, immortali conjunctione (*c*) fruetur. c
Desponsavi, inquit, vos uni viro virginem ca- 2. Cor. 11. 2.
stam exhibere Christo. Vos, inquit, virginem:
a plurali ad singularem concludens. Ideo et vir-
gines dici possunt, et virgo. Cur autem quinque
dictæ sint, ut mihi videtur expositum est. Sed 1.Cor.13 12.
videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie
ad faciem; et nunc ex parte, tunc autem ex to-
to. Ipsum autem in ænigmate et ex parte nunc
D in Scripturis aliquid cernere, quod tamen sit
secundum catholicam fidem, ex illo pignore con-
tingit, quod accepit virgo Ecclesia humili ad-
ventu sponsi sui, quæ illi ultimo adventu cum
veniet in claritate nuptura est, cum jam facie
ad faciem contuebitur. Dedit enim nobis pignus
Spiritum sanctum, sicut dicit Apostolus. Et ideo 2. Cor. 5. 5.
ista expositio nihil certum intuetur, nisi ut se-
cundum fidem sit; neque aliis præjudicat, quæ
nihilo minus secundum fidem esse potuerint.

SICUT scire Deus dicitur, etiam cum scientem QUÆST. LX.
facit, sicut scriptum est, *Tentat vos Dominus* De die au-

(a) Er. et Lov. non *intelligentes*. Melius Rat et MSS. non *intelligentibus* ipsis mirum fatuis, a quibus mercedem accipiunt adulatores.

(b) Sic potiores MSS. Editi vero, *fœcundata*.
(c) Omnes prope MSS. *fœtatur*.

tem illo et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque Filius hominis, nisi Pater solus. Matth. 24. 36.

Matth. 25. 12.

A *Deus vester, ut sciat si diligatis eum.* Non enim sic dictum est hoc, quasi nesciat Deus: sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint; quod, nisi tentationibus quæ accidunt, non plene ab hominibus agnoscitur. Et ipsum *Tentat*, pro eo positum est, quod tentari sinit. Sic et cum dicitur nescire, aut pro eo dicitur, quod non approbat, id est, in disciplina et doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est, *Nescio vos:* aut pro eo quod utiliter nescientes facit, quod scire inutile est. Ideo bene accipitur, id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit Filium scire: et quod dictum est, nescire Filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent.

QUÆST. LXI. De eo quod scriptum est in Evangelio, turbas Dominum in monte pavisse de quinque panibus. Joan. 6. 9.

B 1. Quinque panes hordeacei, quibus in monte Dominus turbas pavit, significant veterem legem; sive quia nondum spiritalibus, sed adhuc carnalibus data est, id est, quinque corporis sensibus deditis; nam et ipsæ turbæ quinque millia hominum fuerunt: sive quia per Moysen lex ipsa data est; Moyses enim quinque libros scripsit. Et quod hordeacei erant panes, bene significant, vel ipsam legem, quæ ita data erat ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur; hordei enim medulla tenacissima palea tegitur: vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tamquam palea cordi ejus inhærebat; id est, nondum corde circumcisum, ita ut nec trituratione tribulationum, cum per deserta quadraginta annis duceretur, intellectu revelato carnalia integumenta deponeret, sicut nec hordeum areæ tritura illo paleari tegmine exuitur. Itaque illi populo congruenter lex talis data est.

C 2. Duo autem pisces, qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas videntur significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat: quarum officium erat procellis se fluctibus popularibus numquam frangi atque corrumpi, et violentas turbarum contradictiones tamquam adversantes undas sæpe disrumpere, interdum eis custodita sua integritate cedere: prorsus more piscium tamquam in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione versari. Quæ tamen duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant. Ambas enim solus ille sustinuit, et non figurate, sed proprie solus implevit. Nam et rex noster est Dominus Jesus Christus, qui nobis pugnandi et vincendi demonstravit exemplum, in carne mortali peccata nostra suscipiens, tentationibus inimici neque illecebrosis neque terribilibus cedens: postremo exuens se carne, principatus et potestates (a) expolians fiducialiter, et triumphans eas in semetipso. Itaque ipso duce ab oneribus et laboribus hujus peregrinationis nostræ tamquam ab Ægypto liberamur, et persequentia nos

1 Retr. 26.

Col. 2. 15.

D peccata sacramento baptismalis nobis evadentibus obruuntur: et quamdiu in spe sumus ejus promissionis, quam nondum videmus, tamquam per desertum ducimur, consolante nos in sanctis Scripturis verbo Dei, sicut illos manna de cælo: et eodem ipso duce in Jerusalem cælestem, tamquam in terram promissionis introduci nos posse præsumimus, et in æternum ibi (b) regente ipso et custodiente servari. Ita Dominus noster Jesus Christus ostenditur rex noster. Ipse est etiam sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui se ipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri. Ergo quoniam rex noster peccata nostra suscepit, ut nobis pugnandi et vincendi demonstraret exemplum, eorumdem peccatorum susceptionem regiamque personam Matthæus evangelista significans, generationem ejus quæ est secundum carnem ab Abraham suscipiens, qui pater est populi fidelis; et successionem prolis deorsum versus enumerans pervenit ad David, in quo regni stabilimentum manifestissimum apparet; atque inde per Salomonem, natum de illa in qua pater ejus peccaverat, stirpem regiam prosecutus usque ad generationem Domini perducit. Lucas vero alius evangelista, quoniam et ipse generationem Domini, quæ secundum carnem est, sed in sacerdotali persona explicandam suscepit, ad quam personam pertinet mundatio et abolitio peccatorum, non a principio libri, sicut Matthæus, sed ab illo loco ubi baptizatus est Jesus, ubi peccatorum nostrorum mundationem præfiguravit, incipit parentum ejus originem gradatim prosequi; neque deorsum versus, sicut ille qui eum ad susceptionem peccatorum tamquam descendentem ostendebat, sed sursum versus, tamquam is qui eum post abolitionem peccatorum tamquam adscendentem insinuabat; nec eos parentes, quos ille, nominans. Alia enim erat origo sacerdotalis, quæ per unum ex filiis David, sicut adsolet, de tribu sacerdotali matrimonium sortientem, effecerat ut Maria de utraque tribu, id est, de regia et sacerdotali cognationem duceret. Nam et quando censiti sunt Joseph et Maria, scriptum est eos fuisse de domo, id est de genere David. Et Elisabeth, quæ nihilo minus cognata Mariæ scribitur, erat de tribu sacerdotali. Sicut autem Matthæus, qui tamquam descendentem ad suscipienda peccata nostra regem Christum insinuat, per Salomonem a David descendit; quia Salomon de illa in qua David peccaverat, natus est: ita Lucas, qui tamquam adscendentem post abolitionem peccatorum sacerdotem Christum insinuat, per Nathan adscendit ad David; quia Nathan propheta missus fuerat, cujus correptione David ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetravit. Itaque

Psal. 109. 4.

Gen. 14. 18.

Matth. 1. 1.

Luc. 3. 23.

Luc. 2. 4.

Luc. 1. 36.

1. Retr. 26.

2. Reg. 12. 1.

(a) Plures MSS. *exemplans.*

(b) Sic MSS. Editi autem, *regnante.*

A postea quam transiit Lucas personam David, non dissonat a Matthæo in nominibus (a) generatorum. Nam eos nominat adscendens a David usque ad Abraham quos ille descendens ab Abraham usque ad David. A David enim in duas familias, regiam et sacerdotalem, origo illa distributa est, quarum duarum familiarum, sicut dictum est, regiam descendens Matthæus, sacerdotalem adscendens Lucas secutus est: ut Dominus noster Jesus Christus rex et sacerdos noster et cognationem duceret de stirpe sacerdotali, et non esset tamen de tribu sacerdotali, hoc est, de tribu Levi, sed esset de tribu Juda, hoc est, de tribu David, ex qua tribu nemo intendit altari. Ideo et filius David maxime dicitur secundum carnem, quia et Lucas adscendens, et Matthæus descendens, in David sibi obviam facti B sunt. Oportebat enim ut evacuaturus sacrificia, quæ secundum ordinem Aaron in Levitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Levi, ne ad ipsam tribum, et ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: et holocausti ejus (b) imaginem ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, ut esset sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. (Hebr. 6. 20. Psal. 109. 4.) Cujus rei sacramentum diligentius adhuc considerari potest. Sed propter duos pisces, in quibus duas personas, regiam et sacerdotalem figuratas esse diximus, hactenus hinc tractatum esse sufficiat.

C 3. Quod autem super fœnum turba illa discubuit, significat eos qui Testamentum vetus acceperant, quia regnum eis temporale et Jerusalem temporalis promittebatur, in spe carnali collocatos fuisse. *Omnis enim caro fœnum, et claritas hominis ut flos fœni.* (Isai. 40. 6.) Quod autem de reliquiis fragmentorum duodecim cophini buccellarum repleti sunt, significabat de ipsius legis adapertione et disputatione, quam Judæi reliquerant et deseruerant, repletos fuisse discipulos Domini, in quibus duodenarius numerus principatum tenet. Nondum enim erat scriptura novi Testamenti, quando Dominus, quasi frangendo et aperiendo quod durum et clausum erat in lege, discipulos implevit, cum eis post resurrectionem aperuit Scripturas veteres, incipiens a Moyse (Lucæ 24. 27.) D et omnibus Prophetis, interpretans illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Nam et tunc eum duo illorum in panis fractione cognoverunt.

Altera pastio populi comparatur cum priore, et ejus mysterium aperitur.

4. Et ideo secunda pastio populi, quæ de septem panibus facta est, ad novi Testamenti prædicationem recte intelligitur pertinere. Non enim ab aliquo Evangelista dictum est, quod isti panes hordeacei fuerint, sicut de illis quinque dixit Johannes. Hæc ergo pastio de panibus septem (Matth. 15. 34. Marci 8. 5.) ad gratiam pertinet Ecclesiæ, quæ notissima illa septenaria sancti Spiritus operatione (c) refecta

A cognoscitur. Et ideo non hic duo pisces fuisse scribuntur, sicut in veteri lege, ubi duo soli ungebantur, rex et sacerdos; sed pauci pisces, id est, qui primi Domino Jesu Christo crediderunt, et in ejus nomine uncti sunt, et missi ad prædicandum Evangelium, et ad sustinendum turbulentum mare hujus sæculi, ut pro ipso magno pisce, id est, pro Christo legatione fungerentur, sicut Paulus apostolus dicit. (2. Cor. 5. 20.) Neque in ipsa turba quinque millia hominum fuerunt, sicut illic, ubi carnales legem accipientes, id est, quinque, sensibus carnis dediti significantur; sed quatuor millia potius, quo numero significantur spiritales, propter quatuor animi virtutes, quibus in hac vita spiritaliter vivitur, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam.

Virtutes quatuor.

B Quarum prima est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum: secunda, refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant: tertia, firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt: quarta, quæ per cæteras omnes diffunditur, dilectio Dei et proximi.

5. Sane et ibi quinque millia hominum, et hic quatuor millia exceptis mulieribus et pueris fuisse memorantur: quod mihi videtur ad hoc pertinere, ut intelligamus, et in populo veteris Testamenti fuisse quosdam infirmos ad implendam justitiam quæ secundum legem est, in qua justitia apostolus Paulus sine querela se conversatum esse dicit (Philip. 3. 6.); fuisse item alios qui facile seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est, infirmitatis et erroris, mulierum C et puerorum nominibus figurata sunt. Infirmus est enim mulierum sexus ad actiones, et facilis ad lusum pueritia. Quid autem lusui puerili tam simile est, quam idola colere? quando et Apostolus ad hæc retulit hoc genus superstitionis, cum ait, *Neque idolis servientes, quemadmodum quidam eorum, sicut scriptum est, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* (1. Cor. 10. 7. Exod. 32. 6.) Mulieribus ergo similes erant, qui in laboribus expectationis, quo usque ad promissa Dei pervenirent, non viriliter perseverantes tentaverunt Deum: pueris autem, qui sederunt manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. Non solum autem ibi, sed etiam in populo novi Testamenti qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel mentis levitate, mulieribus et pueris comparandi sunt. D Nam illis dicitur; *Si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus:* (Hebr. 3. 14.) illis autem, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia infantes estote, ut sensibus perfecti sitis.* (1. Cor. 14. 20.) Et ideo neque in vetere, neque in novo Testamento tales admittuntur ad numerum; sed sibi quinque millia, sive hic quatuor millia, exceptis mulieribus et pueris fuisse dicuntur. (Johan. 6. 10.)

6. Quamvis vero et illic et hic propter ipsum Christum, qui assidue in Scripturis mons appellatur, ut congruenter in monte uterque po- (Matth. 14. 21. Ibid. 15. 38.)

(a) In plerisque MSS. *generationum. Nam eos etc.*
(b) Tres MSS. Regius, Navarricus et Michaelinus, *magnitudinem et imaginem.* Quamquam ibi Michaelinus caret copulativa particula *et.* Confer locum persimilem supra pag. 318. L. 13.
(c) Verbum *refecta* restitutum hic est ex aliquot MSS.

pulus pasceretur; hic tamen non in fœno discumbitur, sed in terra. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines et Jerusalem terrenam carnali spe et desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali, convivas novi Testamenti, spei permanentis firmamentum, tamquam ipsius montis soliditas, nullo fœno interposito continebat.

7. Et quoniam rectissime dicit Apostolus,
Gal. 3. 23. *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur*: hoc significare videtur et Dominus, cum dicit de his quos quinque panibus pasturus
Matth. 14. 16. erat, *Non opus habent ire, sed dat illis vos manducare.* Sub his autem verbis figuraliter tamquam (a) custodiendi detinentur, cum hoc ad-
Matth. 15. 32. monuissent discipuli, ut dimitteret eos. Hujus vero turbæ, quæ ad septem panes pertinet, ultro se misereri dixit, quod jam tertius dies esset, ex quo ei jejuni hæsissent. In toto enim sæculo generis humani tertium tempus est, quo fidei Christianæ gratia data est. Primum est, ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Et quoniam quartum adhuc restat, quo ad plenissimam pacem Jerusalem cœlestis venturi sumus, quo tendit quisquis recte credit in Christum, propterea se dicit turbam illam reficere Dominus, ne deficiant in via. Ista enim dispensatio, qua nobis Dominus temporaliter et visibiliter in homine apparere dignatus est, et dedit nobis pignus Spiritum-sanctum, cujus ope-
1. Cor. 1. 5. ratione septenaria vegetaremur, Apostolica auctoritate quasi paucorum piscium sapore conjuncto: hæc ergo dispensatio quid aliud agit, nisi ut ad palmam supernæ vocationis sine de-
2. Cor. 5. 7. fectu virium pervenire possimus? *Per fidem enim*
Philip. 3. 13. *ambulamus, et non per speciem.* Et ipse apostolus Paulus nondum se dicit comprehendisse regnum Dei, *sed ea quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor*, inquit, *ad palmam supernæ vocationis. Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus;* quia tertio die Domino adhærentes et ab illo pasti, non deficiemus in via.

8. Etiam hic sane perveniri ad comedendi finem non potuit, sed relictæ sunt escæ. Non enim frustra de futuro dictum est, *Putasne veniens*
Luc. 18. 8. *Filius hominis inveniet fidem super terram?* Et credo ita futurum, propter mulieres et pueros. Sed tamen septem sportas reliquiæ fragmentorum impleverunt, ad quas Ecclesia septiformis, quæ in Apocalypsi etiam describitur, pertinet, id est, omnis qui perseveraverit usque
Apoc. 1. 4. in finem. Ille enim qui dixit, *Putasne veniens Filius hominis inveniet fidem super terram?* significavit quidem in extremo (b) convivii relinqui posse et deseri escas suas: sed quoniam ipse
Matth. 24. 13. item dixit, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* significavit non defuturam Ecclesiam, quæ septenario numero eosdem septem panes abundantius recipiat, et (c) latitudine cordis, quæ ipsam perseverantiam in sportis videtur significare, contineat.

QUÆST. LXII. De eo quod scriptum est in Evangelio, quia baptizabat Jesus plures quam Johannes: quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus. Johan. 4. 1. Johan. 7. 39. 1. Retr. 26.

QUÆRITUR utrum qui baptizati sunt illo tempore, quo scriptum est Dominum per discipulos suos baptizasse plures quam Johannes, acceperint Spiritum-sanctum. Alio enim loco Evangelii sic dicitur: *Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus.* Et facillime quidem ita respondetur, quod Dominus Jesus, qui etiam mortuos suscitabat, poterat neminem illorum mori sinere, donec post ejus clarificationem, id est, resurrectionem a mortuis et adscensionem in cœlum acciperent Spiritum-sanctum. Sed occurrit animo latro ille, cui dictum est, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in* Luc. 23. 43.
paradiso: qui nec ipsum baptismum acceperat. Quamquam Cornelius, et qui cum eo ex genti- Act. 10. 44.
bus crediderant, Spiritum-sanctum etiam prius quam baptizarentur acceperint: non tamen video quomodo et ille latro sine Spiritu-sancto dicere potuerit, *Memento mei, Domine, dum ve-* Luc. 23. 42.
neris in regnum tuum. Nemo enim, dicit Dominus Jesus, ait Apostolus, *nisi in Spiritu-sancto.* Cu- 1. Cor. 12. 3.
jus fidei fructum ipse Dominus monstravit dicens, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei atque justitia deputatum est etiam baptisma credenti latroni, et pro accepto habitum in animo libero, quod in corpore crucifixo accipi non (d) poterat: sic etiam Spiritus-sanctus latenter dabatur ante Domini clarificationem; post manifestationem autem divinitatis ejus manifestius datus est. Et hoc dictum est, *Spiritus autem nondum* Johan. 7. 39.
erat datus: id est, nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse faterentur. Sicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, sed tamen clarificatio ejus æterna numquam esse destitit. Sicut et adventus ejus ea ipsa dicitur demonstratio in carne mortali. Nam illuc venit, ubi erat: quia *in sua propria venit, et in hoc* Johan. 1. 11.
mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Sicut ergo Domini adventus intelligitur demonstratio corporalis, tamen ante hanc demonstrationem ipse in omnibus Prophetis sanctis tamquam Dei Verbum et Dei sapientia locutus est: sic et adventus Spiritus-sancti, demonstratio Spiritus-sancti est ipsis etiam oculis carneis, quando visus est ignis divisus super eos, et cœperunt lo- Act. 2. 3.
qui linguis. Nam si non erat in hominibus Spiritus-sanctus ante Domini visibilem clarificationem, quomodo dicere potuit David, *Et Spiri-* Psal. 50. 13.
tum sanctum tuum ne auferas a me? Aut quomodo impleta est Elisabeth et Zacharias vir ejus Luc. 1. 41. et 67 et cap. 2. 25.
ut prophetarent, et Anna, et Simeon, de quibus omnibus scriptum est, quod impleti Spiritu sancto illa quæ in Evangelio legimus dixerint? Ut autem quædam latenter, quædam vero per creaturam visibilem visibiliter Deus operetur, per-

(a) Sic plures MSS. Editi vero, *tamquam custodia.*
(b) Editi, *convivio.* At MSS. plerique, *convivii.*
(c) Editi, *latitudinem cordis.* Concinnius MSS. *latitudine cordis.* Sed ex his plures sic prosequuntur: *quæ ipsa perseverantia in sportis videtur significari, contineat.*
(d) Septem MSS. *non potest.*

tinet ad gubernationem providentiæ, qua omnes divinæ actiones locorum temporumque (a) ordine ac distinctione pulcherrima peraguntur, cum ipsa divinitas nec teneatur nec migret locis, nec tendatur varieturve temporibus. Quomodo autem ipse Dominus secum habebat utique Spiritum-sanctum in ipso homine quem gerebat, quando ut baptizaretur venit ad Johannem, et tamen postea quam baptizatus est, descendere in eum Spiritus-sanctus visus est in columbæ specie: sic intelligendum est et ante manifestum et visibilem adventum Spiritus-sancti quoscumque homines sanctos eum latenter habere potuisse. Ita sane hoc diximus, ut intelligamus etiam ista ipsa visibili demonstratione Spiritus-sancti, qui adventus ejus dicitur, ineffabili vel etiam incogitabili modo largius in hominum corda plenitudinem ejus infusam.

Matth. 3. 13.

QUÆST. LXIII. De Verbo.

Johan. 1. 1.

In principio erat Verbum. Quod Græce λόγος dicitur. Latine et rationem et verbum significat. Sed loco hoc melius verbum interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operativa potentia. Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, recte ratio dicitur.

QUÆST. LXIV. De muliere Samaritana.

1. Evangelica sacramenta in Domini nostri Jesu Christi dictis factisque signata non omnibus patent, et ea nonnulli minus diligenter minusque sobrie interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, et pro cognitione veritatis errorem: inter quæ illud est sacramentum, quod scriptum est, Dominum hora diei sexta venisse ad puteum Jacob, fessumque ab itinere sedisse, et a muliere Samaritana potum petisse, et cætera quæ in eodem Scripturarum loco discutienda et pertractanda dicuntur. De qua re id primo tenendum est, quod in omnibus Scripturis summa vigilantia custodiri oportet, ut secundum fidem sit sacramenti divini expositio.

Johan. 4. 5.

2. Hora igitur diei sexta venit ad puteum Dominus noster. Video in puteo tenebrosam profunditatem. Admoneor ergo intelligere mundi hujus infimas partes, id est, terrenas, quò venit Dominus Jesus hora sexta, id est, sexta ætate generis humani, tamquam in senectute veteris hominis, quo jubemur exui, ut induamur novo, qui secundum Deum creatus est. Nam sexta ætas senectus est; quoniam prima infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta gravitas. Veteris itaque hominis vita, quæ secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta ætate senectute concluditur. Qua senectute, ut dixi, humani generis Dominus noster et creator nobis et reparator advenit; ut moriente scilicet vetere homine, novum in se constitueret, quem exutum labe terrena in cœlestia regna transferret. Ergo nunc puteus, ut dictum est, mundi hujus terrenum laborem et errorem tenebrosa profunditate significat. Et quoniam exterior est homo vetus, et novus interior; dictum est enim ab Apostolo, Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem: rectissime omnino, (quoniam omnia visibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus Christiana disciplina renuntiatur,) hora sexta venit Dominus ad puteum, id est, medio die, unde jam incipit sol iste visibilis declinare in occasum: quoniam et nobis vocatis a Christo visibilium delectatio minuitur, ut invisibilium amore homo (b) interior recreatus, ad interiorem lucem quæ numquam occidit, revertatur, secundum Apostolicam disciplinam, non quærens quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.

Ephes. 4. 22.

1. Cor. 4. 17.

Ibid. 18.

3. Quod autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatem carnis significat; quod sedit, humilitatem: quia et imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo hominibus tam humiliter apparere dignatus est. De hac infirmitate carnis Propheta dicit: Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem. De humilitate vero Apostolus loquitur dicens: Humiliavit se, factus subditus usque ad mortem. Quamquam illud quod sedit, quoniam solent sedere doctores, possit alio intellectu non humilitatis modestiam, sed magistri demonstrare personam.

Isai. 53. 3.

Philip. 2. 8.

4. Sed quæri potest, quare a muliere Samaritana, quæ hydriæ aqua implendæ gratia venerat, bibere postulaverit, cum ipse postea spiritalis fontis affluentiam se petentibus dare posse prædicaverit? Sed scilicet sitiebat Dominus mulieris illius fidem, quæ quoniam Samaritana erat, et solet Samaria idolatriæ imaginem sustinere: ipsi enim separati a populo Judæorum, simulacris mutorum animalium, id est, vaccis aureis animarum suarum decus addixerant: venerat autem Dominus noster Jesus, ut gentium multitudinem, quæ simulacris serviebat, ad (c) munimentum fidei Christianæ et incorruptæ religionis adduceret. Non est enim, inquit, opus sanis medicus, sed male habentibus. Eorum ergo fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit: Dixit ergo ad eam Jesus, *Mulier, da mihi bibere.* Et ut noveris quid sitiebat Dominus noster, post paululum veniunt discipuli ejus, qui perrexerant in civitatem ut cibos emerent, et dicunt ei, *Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis, Ego habeo escam manducare, quam vos nescitis. Dicunt ergo discipuli ejus ad alterutrum, Numquid aliquis adtulit ei manducare? Dixit eis Jesus, Cibus meus est, ut faciam ejus voluntatem qui me misit, et ut perficiam opus ejus.* Numquid hic intelligitur alia voluntas Patris, qui eum misit, et opus ejus quod se perficere velle respondit, nisi ut nos ad fidem suam a pernicioso mundi errore converteret? Qualis est ergo cibus ejus, talis et potus. Quapropter hoc in illa muliere sitiebat, ut faceret in ea voluntatem Patris, et perficeret opus ejus. Sed carnaliter intelli-

Matth. 9. 12.

Johan. 4. 7.

Ibidem 31. etc.

(a) Editi, *ordines*: pro quo Vatic. cod. auctoritate reponimus, *ordine ac etc.*

(b) Er. et Lov. *exterior*: repugnantibus MSS. et Rat.

(c) MSS. aliquot, *ad monumentum*. Et quidam *ad monimentum*.

Ibidem 9. etc. gens respondit, *Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere petis, cum sim mulier Samaritana? Non enim contuntur Judæi Samaritanis.* Cui Dominus noster dixit, *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu magis, petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam:* ut hinc ei ostenderet, non se talem aquam petisse, qualem ipsa intellexerat; sed quia ipse sitiebat fidem ejus, eidemque sitienti Spiritum-sanctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, sicut ipse ait, *Si scires donum Dei.* Et sicut idem Johannes evangelista testatur alio loco dicens, quod stabat Je-
Johan. 7. 37. et 38. » sus, et clamabat, Si quis sitit, veniat et bibat :
» qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina
» de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Consequenter
» omnino, Qui credit, inquit, in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: quia primo credimus, ut hæc dona mereamur. Hæc ergo flumina aquæ vivæ, quæ illi mulieri volebat dare, merces est fidei, quam prius in illa sitiebat. Cujus
Ibid. 39. aquæ vivæ intentationem ita subjicit: Hoc au-
» tem, inquit, dicebat de Spiritu quem accepturi
» erant hi qui in eum credituri erant. Nondum au-
» tem erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fue-
» rat clarificatus. Hoc itaque donum Spiritus-sancti est, quod post suam clarificationem dedit
Psal. 67. 19. Ecclesiæ, sicut alia Scriptura dicit, Adscendens
Ephes. 4. 8. in altum captivam duxit captivitatem, dedit do-
» na hominibus.

5. Sed adhuc illa mulier carnaliter sapit: sic e-
Johan. 4. 11. etc. nim respondit, *Domine, neque hauritorium habes; et puteus altus est, unde mihi habes dare aquam vivam; Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis hunc puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?* Nunc vero jam Dominus exponit quid dixerit. *Omnis* inquit, *qui biberit de aqua ista, sitiet iterum: qui autem biberit de aqua, quam ego dedero, non sitiet in sempiternum; sed aqua illa quam dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sed ad huc mulier prudentiam carnis amplectitur. Quid enim respondit? *Domine, da mihi hanc aquam, ut neque sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus, Vade, vocarum tuum, et veni huc.* Cum sciret eam virum non habere, cur hoc dixerit, quæritur. Namque cum mulier dixisset, *Non habeo virum:* dicit ei Jesus, *Bene dixisti, non habere te virum; quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir; hoc verum dixisti.* Sed non sunt hæc carnaliter accipienda, ne huic ipsi adhuc mulieri Samaritanæ similes esse videamur. Sed de illo dono Dei si aliquid jam gustavimus, spiritaliter ista tractemus.

6. Quinque viros, quinque libros qui per Moysen ministrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod
Johan 4. 18. autem dictum est, *Et nunc quem habes, non est tuus vir*; de se ipso Dominum dixisse intelligunt, ut iste sit sensus: Primo quinque libris Moysi, quasi quinque viris servisti; nunc autem quem habes, id est, quem audis, qui loquitur tecum, non est tuus vir, qui nondum in eum credidisti. Sed quoniam nondum credens Christo, adhuc utique illorum quinque virorum, id est, quinque librorum copulatione tenebatur, potest movere quomodo dici potuerit, *Quinque viros habuisti*, quasi nunc eos jam non haberet, cum adhuc utique ipsis subdita viveret. Deinde cum quinque libri Moysi nihil aliud quam Christum prædicent, sicut ipse ait, Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, ille enim de Johan. 5. 46.
me scripsit: quomodo potest intelligi a quin- »
que illis libris recedere hominem, ut ad Chri- »
stum transeat, cum ille qui credit in Christum, non relinquendos quinque illos libros, sed spiritaliter intelligendos multo avidius amplectatur?

7. Est ergo alius intellectus, ut quinque viri intelligantur quinque corporis sensus: unus qui ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem et quoslibet colores formasque corporum cernimus: alter aurium, quo vocum et omnium sonorum momenta sentimus: tertius narium, quo varia odorum suavitate delectamur: quartus in ore gustus qui dulcia et amara sentit, et omnium saporum habet examen: quintus per totum corpus tangendo dijudicat calida et frigida, mollia et dura, levia et aspera, et quidquid aliud est quod tangendo sentimus. Istis itaque carnalibus quinque sensibus prima hominis ætas imbuitur necessitate naturæ mortalis, qua ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddita luce mentis, carnalibus sensibus subditi, carnalem vitam sine ulla veritatis intelligentia transeamus. Tales necesse est esse infantes et parvulos pueros, qui nondum possunt accipere rationem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam ætatem regunt, et Deo artifice nobis tributi sunt, recte dicuntur viri, id est mariti, tamquam legitimi: quoniam non eos error vitio proprio, sed Dei artificio natura contribuit. Cum autem quisque venerit ad eam ætatem, ut jam possit capax esse rationis, si veritatem statim comprehendere potuerit, non jam illis sensibus rectoribus utetur, sed habebit virum, spiritum rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat, servituti subjiciens corpus suum: cum anima non jam quinque viris, id est, quinque corporis sensibus subdita est, sed Verbum divinum habet legitimum virum, cui copulata et inhærens, cum et ipse spiritus hominis hæserit Christo, quia caput viri I. Cor. 11. 3
Christus est, amplexu spiritali æterna vita sine ullo separationis timore perfruitur. Quis nos enim separare poterit a caritate Christi? Sed Rom. 8. 35
quoniam illa mulier errore tenebatur, (*a*) qui »
significabat multitudinem sæculi vanis superstitionibus subjugati, post tempora illa quinque carnalium sensuum, quibus prima ætas, ut diximus, regitur, non eam Verbum Dei acceperat in conjugium, sed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam

(a) Rat. et plerique MSS. quæ. Tumque ex his codex Vaticanus, *significat multitudinem pravorum sæculi.* Navarricus, *multitudinem puerorum.*

esse carnalem, id est, carnaliter sapere: *Vade,* A
voca virum tuum, et veni huc, id est, remove
te ab affectione carnali, in qua nunc constituta
es, unde non potes intelligere quæ loquor: *et*
a *voca virum tuum*, id est, spiritu (*a*) intelligentiæ
præsens esto. Est enim animæ quasi maritus
quodam modo spiritus hominis, qui animalem
affectionem tamquam conjugem regit. Non
ille Spiritus-sanctus, qui cum Patre et Filio incommutabilis
manet, et dignis animis incommutabiliter
datur: sed spiritus hominis, de quo A-
1 Cor. 2. 11. stolus dicit, Nemo scit quæ sunt in homine, nisi
spiritus hominis. Nam ille Spiritus-sanctus, Spiritus
Dei est; de quo iterum dicit sic: Et quæ
Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei. Hic ergo
spiritus hominis cum præsens est, id est, intentus,
et se pietate subjicit Deo, intelligit homo B
quæ spiritaliter dicuntur. Cum autem diaboli error,
tamquam absente intellectu, in anima dominatur,
adulter est. *Voca* ergo, inquit, *virum
tuum*, id est, spiritum qui in te est, quo potest
homo intelligere spiritalia, si eum lux veritatis
illustret; ipse adsit, cum loquor tibi, ut spiritalem
possis accipere aquam. Et cum illa diceret,
Non habeo virum: Bene, inquit, *dixisti; quinque
enim viros habuisti*, id est, quinque sensus carnis,
qui te in prima ætate rexerunt; *et nunc
quem habes, non est tuus vir*, quia non est in te
spiritus, qui intelligit Deum, cum quo legitimum
possis habere connubium; sed error diaboli potius
dominatur, qui te adulterina contaminatione
corrumpit.

8. Et fortasse ut intelligentibus indicaret quinque C
memoratos corporis sensus quinque virorum
nomine significari, post quinque responsiones
carnales ista mulier sexta responsione nominat
Johan. 4. 9. etc. Christum. Nam prima ejus responsio est, *Tu cum
sis Judæus, quomodo a me bibere petis?* Secunda,
*Domine, neque hauritorium habes, et puteus
altus est.* Tertia, *Domine, da mihi hanc aquam,
ut neque sitiam, neque veniam huc haurire.* Quarta,
Non habeo virum. Quinta, *Video quia propheta
es, patres nostri in monte hoc adoraverunt.*
Nam et ista responsio carnalis est. Carnalibus
enim datus fuerat locus terrenus, ubi orarent:
spiritales autem in spiritu et veritate oraturos
Dominus dixit. Quod postea quam locutus est,
sexta mulieris responsio Christum fatetur omnium
istorum esse doctorem: dicit enim, *Scio quia* D
*Messias veniet qui dicitur Christus; cum venerit,
ipse nobis annuntiabit omnia.* Sed adhuc errat,
b quia eum quem (*b*) venturum sperat, venisse
non videt. Verumtamen misericordia Domini nunc
error iste tamquam adulter expellitur. Dicit enim
ei Jesus, *Ego sum, qui tecum loquor.* Quo audito
illa non respondit, sed statim relicta hydria
sua abiit in civitatem festinans, ut Evangelium
et Domini adventum, non tantum crederet, sed
etiam prædicaret. Nec hoc quod relicta hydria
discessit, negligenter prætereundum est. Hydria
enim fortasse amorem sæculi hujus significat,
id est, cupiditatem, qua sibi homines de tenebrosa
profunditate, cujus imaginem puteus gerit,
hoc est, de terrena conversatione hauriunt
voluptatem: qua percepta iterum in ejus appetitum
inardescant, sicut *de aqua illa qui biberit,* Johan. 4. 13.
inquit, *sitiet iterum.* Oportebat autem ut Christo
credens, sæculo renuntiaret, et relicta hydria
cupiditatem sæcularem se reliquisse monstraret;
non solum corde credens ad justitiam, sed et- Rom. 10. 10.
iam ad salutem ore confessura et prædicatura
quod credidit.

QUÆST. LXV. De resurrectione Lazari.

QUAMQUAM secundum Evangelicam historiam
resuscitatum Lazarum plena fide teneamus; tamen
et in allegoria significare aliquid non dubito.
Neque cum res factæ allegorizantur, gestæ rei
fidem amittunt. Sicut duorum filiorum Abrahæ Johan. 11. 1.
allegoriam Paulus exponit duo esse Testamenta: Gal. 4. 22.
numquid ideo, aut Abraham non fuit, aut illos
filios non habuit? Ergo et in allegoria accipiamus
Lazarum in monumento, animam terrenis
peccatis obrutam, id est, omne humanum ge- Luc. 15. 4.
nus: quam alio loco Dominus per ovem perditam
significat, propter quam liberandam relictis nonaginta-novem
in montibus, descendisse se dicit.
Quod autem interrogat dicens, *Ubi eum po-* Johan. 11. 34.
suistis? vocationem nostram, quæ fit in occulto,
arbitror significare. Prædestinatio enim vocationis
nostræ occulta est: cujus secreti signum est
interrogatio Domini quasi nescientis, cum ipsi
nesciamus: sicut dicit Apostolus, Ut cognoscam, 1. Cor. 13. 12.
sicut et cognitus sum. Vel quod ignorare se peccatores
alio loco Dominus ostendit dicens, Non Matth. 7. 23.
novi vos: quod significabat Lazarus sepultus;
quia in disciplina et præceptis ejus non sunt
peccata. Huic interrogationi simile est illud in
Genesi, Adam ubi es? Quoniam peccaverat, et
se absconderat a facie Dei. Quam occultationem Gen. 3. 10.
hic sepultura significat: ut peccantis habeat similitudinem
moriens; sepultus, absconditi a facie
Dei. *Auferte* autem *lapidem*, quod ait, illos
puto significare, qui venientibus ad Ecclesiam
ex Gentibus onus circumcisionis imponere volebant;
contra quos multipliciter scribit Apostolus:
vel eos qui in Ecclesia corrupte vivunt, et Gal. 2. 3. etc.
offensioni sunt credere volentibus. Dicit illi Mar- Johan. 11. 39.
tha, *Domine, jam quarta dies est, et putet:* Ultimum
quatuor elementorum terra est: significat
ergo putorem terrenorum peccatorum, id est,
cupiditatum carnalium. Terra es, inquit Adæ Do- Gen. 3. 19.
minus, cum peccasset, et in terram ibis. Et sublato
lapide exiit de monumento involutus manibus et
pedibus et facies ejus tecta erat sudario. Quod
autem exiit de monumento, animam significat
recedentem a carnalibus vitiis. Quod vero institis
obvolutus, hoc est, quod etiam a carnalibus recedentes
et mente servientes legi Dei, adhuc
tamen in corpore constituti alieni a molestiis Rom. 7. 25.
carnis esse non possumus, dicente Apostolo,
Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.
Quod autem facies ejus sudario tecta erat,
hoc est, quod in hac vita plenam cognitionem

(a) Aliquot MSS. *intelligente.*
(b) Quatuor MSS. *quem præsentem videbat, venturum memorabat. Tamen misericordia etc.*

habere non possumus, sicut Apostolus dicit, Nunc videmus per speculum in ænigmate, postea autem facie ad faciem (1. Cor. 13. 12). Et dixit Jesus *Solvite eum, et sinite ire*, hoc est, quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus (Johan. 11. 44). Quantum autem intersit inter hominem quem Dei Sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et cæteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur; id est, etiam renata anima nisi resolutione corporis libera ab omni peccato et ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum et in ænigmate videt Dominum: illius autem linteamina et sudarium, qui peccatum non fecit, et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt (Johan. 20. 7). Ipse enim solus in carne non tantum monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur (Isai. 53. 9), sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.

QUÆST. LXVI. De eo quod scriptum est: An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor quia lex dominatur homini, quanto tempore vivit: usque ad eum locum in quo scriptum est, Vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Rom. 7. 1, etc.

1. Apostolus in hac similitudine, in qua de viro et muliere loquitur, quoniam mulier tenetur lege viri, tria quædam consideranda commendat, mulierem, virum, et legem: mulierem scilicet subjugatam viro per vinculum legis, quo vinculo morte viri liberatur, ut cui vult nubat. Sic enim dicit: *Mulier enim sub viro vivo marito juncta est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, evacuata est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Huc usque similitudo est. Deinde incipit rem loqui cui explanandæ ac probandæ similitudinem induxit. In qua etiam re tria similiter attendenda sunt, homo, peccatum, lex. Tamdiu enim dicit sub lege esse hominem, quamdiu vivit peccato; quemadmodum tamdiu mulier sub lege viri est, quamdiu vivit (a) vir. Hoc autem peccatum hic intelligendum est, quod accessit per legem. Quod peccatum dicit supra modum esse; quoniam cum jam appareat esse peccatum, fit tamen, et adjuncta prævaricatione (b) cumulatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio (Rom. 4. 15). Et hoc est quod dicit, *Ut fiat supra modum peccator, aut* (c) *peccatum per mandatum* (Rom. 7. 13). Quapropter legem, quamvis a peccando prohibeat, non tamen sic dicit datam, ut liberaret a peccato; sed ut demonstraret peccatum, cui serviens anima debet se ad gratiam liberatoris convertere, ut a peccato liberetur.

Lex cur data.

Per legem enim cognitio peccati (Rom. 3. 20). Et alio loco dicit, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem* (Rom. 7. 13). Ubi ergo non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima se ipsa non sibi sufficere ad extraendum se de servitute peccati, atque hoc modo detumescente atque exstincta omni superbia, subdatur liberatori suo, sinceriterque homo dicat, Adhæsit anima mea post te (Psalm. 62. 9): quod est jam non esse sub lege peccati, sed in lege justitiæ.

Lex peccati et mortis cur dicta.

Lex autem peccati dicitur, non quia lex ipsa peccatum est, sed quia peccatoribus imponitur. Ideo etiam lex mortis, quia stipendium peccati mors (Rom. 6. 23), aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati lex (1. Cor. 15. 56). Peccando enim ad mortem labimur. Vehementius enim peccamus lege prohibente, quam si nulla lege prohiberemur. Accedente autem gratia, idipsum quod lex onerose jusserat, jam sine onere ac libentissime implemus. Lex ergo peccati et mortis, id est, quæ imposita est peccantibus atque morientibus, jubet tantum ne concupiscamus, et tamen concupiscimus.

Lex spiritus vitæ.

Lex autem spiritus vitæ (Rom. 8. 2), quæ pertinet ad gratiam, et liberat a lege peccati et mortis, facit ut non concupiscamus, et impleamus jussa legis, non jam servi legis per timorem, sed amici per caritatem, et servi justitiæ unde illa lex promulgata est.

Justitiæ liberaliter serviendum.

Justitiæ autem non serviliter, sed liberaliter serviendum est, id est, caritate potius, quam timore. Ideoque verissime dictum est, Legem ergo evacuamus per fidem? Absit: sed legem statuimus (Rom. 3. 31). Hoc enim efficit fides, quod lex jubet. Statuitur ergo lex per fidem: quæ fides si non sit, jubet tantum lex, et non implentes jussa, reos tenet, ut eos gementes et non valentes implere quæ jussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.

Anima peccato et legi peccati moritur, ut nubat Christo.

2. Cum ergo tria quædam in illa similitudine videamus, mulierem, virum, et legem; et rursum in hac re propter quam similitudo adhibita est, tria, animam, peccatum, et legem peccati: hoc solum hic diversum est, quod in illa similitudine vir moritur, ut nubat mulier cui volet, et a lege viri solvatur: hic autem ipsa anima moritur peccato, ut nubat Christo; cum autem moritur peccato, moritur etiam legi peccati. *Itaque*, ait, *fratres mei, et vos mortui estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne*, inquit, id est, carnalibus desideriis obstricti teneremur, *passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti* (Rom. 7. 4 et 5). (d) Aucta concupiscentia, quam lex prohibet, ubi non erat fides, et ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen est adjectum: quia ubi non est lex, nec prævaricatio (Rom. 4. 15). Has dicit passiones, quæ per legem sunt, operatas in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Sub istis passionibus, tamquam sub viro dominante, agebat anima ante quam veniret gratia per fidem. His ergo passionibus moritur, qui jam servit mente legi Dei; quamvis ipsæ passiones nondum mortuæ sint, quamdiu carne servit legi peccati. Restat ergo adhuc aliquid ei qui est sub gratia, quod eum non vincat, nec captivum ducat, donec mortificetur totum quod consuetudine prava roboratum

(a) Rat. et quatuor MSS. viro.
(b) Sic potiores MSS. At editi, *cumulatum*, vel *cumulatius*.
(c) Editi aut peccans peccatum. Verbum *peccans* a MSS. abest, et a Græco textu Apostoli.
(d) Octo MSS. *ut fructum ferrent morti auctam concupiscentiam, cum lex prohibet*: quidam vero *prohiberet*.

est, et unde corpus etiam nunc mortuum esse dicitur, quamdiu non perfecte servit spiritui. Continget autem ut perfecte serviat, cum fuerit et ipsum mortale corpus vivificatum.

Differentiæ et actiones in uno homine quatuor. 3. Ex quo comprehendimus quatuor esse differentias etiam in uno homine, quibus gradatim peractis in vita æterna manebitur. Quia enim oportebat atque id justum erat, ut postea quam natura nostra peccavit, amissa beatitudine spiritali, quæ paradisi nomine significatur, animales carnalesque nasceremur; prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, et sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum jam prohibemur a peccato, et tamen consuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissime credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur; sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quamvis ei non tradamur. Quarta est actio, cum omnino nihil est in homine quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer juncta et connexa unum aliquid firma pace custodiunt: quod fiet mortali corpore vivificato, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. I. Cor. 15. 53.

Actio hominis prima, quæ ante legem. 4. Ad primam actionem demonstrandam ista testimonia interim occurrunt: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et sic per omnes homines pertransiit, in quo omnes homines peccaverunt. Rom. 5. 12. et 13. Usque ad legem enim peccatum in hoc mundo fuit. Peccatum autem non deputabatur cum lex non esset. Et iterum: *Sine lege enim peccatum mortuum est; ego autem vivebam aliquando sine lege.* Rom. 7. 8. Quod enim hic dicit, *mortuum est*, hoc est quod superius dicit, non deputabatur, id est, latebat. Quod manifestat in consequentibus dicens, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem:* id est, per legem: quia bona est lex, si quis ea legitime utatur. I. Tim. 1. 8. Si ergo hic ait, *ut appareat peccatum:* manifestum est quod superius ideo dicebat, mortuum et non deputari, quia non apparebat ante quam lege prohibente ostenderetur.

Actio secunda, sub lege. 5. Ad secundam actionem ista testimonia conveniunt; Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Rom. 5. 20. Accessit enim et prævaricatio, quæ non erat. Et aliud quod jam commemoratum est. Rom. 7. 5. etc. *Cum essemus enim in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti.* Et illud: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Exodi 10. 17. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et paullo post: *Adveniente*, inquit, *mandato peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Peccatum enim occasione accepta per mandatum, fefellit me, et per illud occidit.* Quod ergo ait, *mortuus sum:* vult intelligi, mortuum me esse cognovi: quia jam etiam prævaricatione peccat, qui videt per legem quid facere non debeat, et tamen facit. Quod autem ait, *Fefellit me peccatum, occasione accepta per mandatum:* sive quia suasio delectationis ad peccatum vehementior est, cum adest prohibitio; sive quia etiam si quid homo fecerit secundum jussa legis, si adhuc non sit fides, quæ in gratia est, vult sibi hoc tribuere, non Deo, et superbiendo plus peccat. Sequitur ergo, et dicit, *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum, et bonum.* Rom. 7. 12. etc. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccator, aut peccatum delinquens per mandatum. Scimus autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum*, id est, I. Retr. 26. carnis consentio nondum spiritali gratia liberatus: *venumdatus sub peccato*, id est, peccans pretio temporalium voluptatum. *Quod enim operor, ignoro:* id est, non agnosco esse in præceptis veritatis, ubi est vera scientia. Secundum Matth. 7. 23. hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus, Non novi vos. Non enim eum aliquid latet, sed quia peccata non inveniuntur in regulis præceptorum, quas habet veritas, ideo ipsa veritas peccatoribus dicit, Non novi vos. Sicut enim tenebræ oculis non videndo, ita peccata mente ignorando sentiuntur. Ex ista locutione dictum arbitror in Psalmis, Delicta quis intelligit. *Non* Psal. 18. 13. *enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, hoc ago, consentio* Rom. 7. 19. etc. *legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Invenio ergo legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hunc usque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia; qui etiamsi nolit peccare, vincitur a peccato. Invaluit enim consuetudo carnalis et (a) naturale vinculum mortalitatis, quo de Adam propagati sumus. Imploret ergo auxilium, qui sic positus est, et noverit suum fuisse quod cecidit, non suum esse quod surgit. Jam enim liberatus agnoscens gratiam liberatoris sui di-

(a) Aliquot MSS. natale.

Rom. 7. 24. cit, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* A

Actio tertia hominis sub gratia.

6. Et incipiunt jam verba dici hominis sub gratia constituti, in actione quam tertiam demonstravimus, quæ habet quidem reluctantem mortalitatem carnis, sed non vincentem atque captivantem ad consensionem peccandi. Sic enim

Rom. 7. 25. * Rom. 8. 1. etc.

dicit: *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* * *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis. Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*, id est, per desideria carnalia: ideo enim non implebatur lex, quia ipsius justitiæ nondum erat caritas, quæ (a) interiore delectatione teneret mentem, ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur. Ergo infirmabatur lex per carnem, id est, non efficiebat justos deditos carni. Sed *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Non enim caro peccati erat, quæ non de carnali delectatione nata erat: sed tamen inerat ei similitudo carnis peccati, quia mortalis caro erat. Mortem autem non meruit Adam nisi peccando. Sed quid fecit Dominus? *De peccato damnavit peccatum in carne:* id est, suscipiendo carnem hominis peccatoris, et docendo quemadmodum viveremus, peccatum in ipsa carne damnavit, ut æternorum caritate spiritus flagrans non duceretur captivus in consensionem libidinis. *Ut justitia*, inquit, *legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Itaque præcepta legis per caritatem impleta sunt, quæ per timorem non poterant. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt:* id est, carnalia bona pro summis bonis concupiscunt. *Qui autem secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. Prudentia enim carnis mors est: prudentia autem spiritus vita et pax. Quia prudentia carnis inimica est in Deum.* Ipse ostendit quid dixerit, *inimica*: ne quis putaret ex adverso aliud venire principium. Subjungit enim et dicit, *Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Ergo facere contra legem, hoc est inimicum esse in Deum: non quia Deo aliquid nocere potest, sed sibi nocet quisquis resistit voluntati Dei: hoc est enim adversus stimulum calces mittere, ut Paulo apostolo, cum adhuc Ecclesiam persequeretur, divinitus dictum est. Sic est autem dictum, *Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest:* tamquam si diceretur, Nix non calefacit, nec enim potest. Quamdiu enim nix est, non calefacit: sed resolvi potest et fervere, ut calefaciat: sed cum hoc facit, jam nix non est. Sic et prudentia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit. Quamdiu enim appetitus talis inest animæ, legi Dei

Act. 9. 5.

subjecta esse non potest: id est, non potest implere quæ lex jubet. Sed cum spiritalia bona desiderare cœperit, et temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, et spiritui non resistet. Eadem namque anima cum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur; cum superiora, prudentiam spiritus: non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur anima vel exuitur; sed ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, cum se totam ad superna converterit. *Qui autem in carne sunt*, inquit, *Deo placere non possunt:* id est, qui (b) voluptatibus carnis adquiescunt. Ne quis enim de his dictum putaret, qui de hac vita nondum excesserunt, opportunissime subjunxit, *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Utique adhuc in hac vita constitutis loquitur. In spiritu enim erant, quia (c) in fide et spe et caritate spiritalium rerum adquiescebant. *Si tamen*, inquit, *Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam.* Mortuum corpus dicit, quamdiu tale est, ut indigentia rerum corporalium molestet animam, et quibusdam motibus ex ipsa indigentia venientibus, ad appetenda terrena sollicitet. Quibus tamen quamvis exsistentibus mens ad illicita facienda non consentit, quæ jam servit legi Dei, et sub gratia constituta est. Ad hoc enim valet quod supra dictum est. *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et ille homo nunc describitur esse sub gratia, qui nondum habet perfectam pacem, quæ corporis resurrectione et immutatione est futura.

1. Retr. 26. Rom. 7. 25.

Actio hominis quarta, post resurrectionem. Rom. 8. 11.

7. Restat ergo ut de ipsa pace dicat resurrectionis corporis quæ quarta est actio; si tamen eam actionem dici oportet, quæ summa requies est. Sequitur enim, et dicit, *Si ergo spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Hic et de resurrectione corporis evidentissimum testimonium est, et satis apparet, quamdiu in hac vita sumus, non deesse molestias per mortalem carnem, neque titillationes quasdam delectationum carnalium. Quamvis enim non cedat, qui sub gratia constitutus mente servit legi Dei, tamen carne servit legi peccati. His gradibus homine perfecto, nulla substantia invenitur malum: neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis jaceat, ut per fidem implorato liberatoris auxilio, et solvi, et erigi, et firmissime constitui mereatur. In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi: in secunda, quæ sub lege est, pugnamus sed vincimur: in tertia pugnamus, et vincimus: in quarta non pugnamus, sed perfecta et

(a) Sic Er. et quatuor MSS. Alii cum Rat. *interiore dilectione teneret mentem.* At Lov. *dilectione teneret interiora mentis.*

(b) Sex MSS. *voluntatibus carnis.*

(c) Duo MSS *fidei spei et caritati spiritalium rerum adquiescebant.* Alter e Navarricis, *in fide et spe et caritate spiritalibus rebus adquiescebant.*

a æterna pace requiescimus. (a) Subditur enim nobis quod inferius nostrum est, quod propterea non subdebatur, quia superiorem nobis deserueramus Deum.

QUÆST. LXVII. De eo quod scriptum est, Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis usque ad id quod dictum est, Spe enim salvi facti sumus.

1. Hoc capitulum obscurum est; quia non satis hic apparet, quam nunc vocet creaturam. Dicitur autem secundum catholicam disciplinam creatura, quidquid fecit et condidit Deus Pater, per unigenitum Filium, in unitate Spiritus-sancti. Ergo non solum corpora, sed etiam animæ nostræ ac spiritus creaturæ nomine continentur. Sic autem dictum est, *Ipsa creatura liberabitur a servitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei:* quasi nos non simus creatura, sed filii Dei, in quorum gloriæ libertatem liberabitur a servitute creatura. Item dicit, *Scimus enim quia omnis creatura congemiscit et dolet usque adhuc, non solum autem illa, sed et nos ipsi:* tamquam aliud simus nos, aliud omnis creatura. Totum ergo capitulum particulatim considerandum est.

Rom. 8. 18. 2. *Existimo enim*, inquit, *quod indignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis:* hoc manifestum est. Dixerat enim superius, *Si autem spiritu facta*
Ibidem. 13. *carnis mortificaveritis, vivetis.* Quod fieri non potest sine molestia, cui patientia necessaria est.
Ibidem. 17. Quo pertinet et quod paulo ante ait, *Si tamen*
Ibidem. 19. *compatimur, ut et conglorificemur.* Quod itaque ait, *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat:* hoc eum puto dicere. Nam et hoc ipsum quod in nobis dolet, cum facta carnis mortificamus, id est, cum esurimus aut sitimus per abstinentiam, dum frænamus delectationem concubitus per castitatem, dum injuriarum lacerationes et contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus, dum neglectis atque rejectis voluptatibus nostris pro fructu matris Ecclesiæ laboramus; quidquid in nobis in hac atque hujusmodi adtritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus et anima, quæ utique creatura est, et exspectat revelationem filiorum Dei; id est, exspectat quando appareat quod vocatum
3 Sen. dist. 11. cap. 1. est, in ea gloria ad quam vocatum est. Quia enim Filius Dei unigenitus non potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia quæcumque Deus fecit; distincte etiam nos vocamur creatura ante illam evidentiam gloriæ, et distincte vocamur, filii Dei, quamvis hoc adoptione mereamur: nam ille unigenitus natura filius est. Ergo *exspectatio creaturæ*, id est, exspectatio nostra, *revelationem filiorum Dei exspectat*, id est, exspectat quando appareat quod promissum est, quando re ipsa manifestum fit
1. Joan. 3. 2. quod nunc spe sumus. Filii enim Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa est revelatio filiorum Dei, quam nunc exspectat exspectatio creaturæ: non quod creatura revelationem

A exspectet alterius naturæ, quæ non sit creatura; sed ipsa qualis nunc est, exspectat quando sit qualis futura est: tamquam si diceretur, Operante pictore subjectis sibi coloribus et ad opus ejus paratis, exspectatio colorum manifestationem imaginis exspectat: non quia tunc sunt alii, et alii erunt, aut non colores erunt; sed tantum quod aliam dignitatem habebunt.

3. *Vanitati enim*, inquit, *creatura subjecta* Rom. 8. 20.
est. Hoc est illud: Vanitas (b) vanitantium, et Eccle. 1. 2.
omnia vanitas. Quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole? Cui » b »
dictum est, In labore manducabis panem tuum. Gen. 3. 16.
Vanitati ergo creatura subjecta est, non sponte. Bene additum est, *non sponte.* Homo quippe sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. B Peccatum itaque fuit spontaneum, contra præceptum facere veritatis: peccati autem pœna, subjici fallaciæ. Non ergo sponte creatura subjecta est vanitati: *sed propter eum qui subjecit eam in spe*, id est, propter ejus justitiam atque clementiam, qui neque impunitum reliquit peccatum, neque insanabilem voluit esse peccantem.

4. *Quia et ipsa creatura*, id est, ipse homo; Rom. 8. 21. 1. Retr. 26.
cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura: *et ipsa* itaque *creatura*, id est, et ipsa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantum vocatur creatura, *liberabitur a servitute interitus.* Quod itaque ait, *et ipsa liberabitur;* facit intelligi, et ipsa, quemadmodum et nos, id est, et de ipsis non est desperandum, qui nondum vocantur C filii Dei, quia nondum crediderunt, sed tantum creatura, quia et ipsi credituri sunt, et liberabuntur a servitute interitus, quemadmodum nos qui jam filii Dei sumus, quamvis nondum apparuerit quid erimus. Liberabuntur ergo a servitute interitus, *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, id est, et ipsi erunt ex servis liberi, et ex mortuis gloriosi in vita perfecta, quam habebunt filii Dei.

5. *Scimus enim quia omnis creatura conge-* Rom. 8. 21. Omnis creatura in homine.
miscit et dolet usque adhuc. Omnis creatura in homine numeratur, non quod in eo sint omnes Angeli, et supereminentes Virtutes ac Potestates, aut cælum et terra et mare et omnia quæ in eis sunt; sed quia omnis creatura partim spiritalis est, partim animalis, partim corporalis. D Quod ut ab inferioribus consideremus, corporalis creatura per loca tenditur, animalis autem vivificat corporalem, spiritalis animalem regit, et tunc bene regit, cum ipsa regendam se subjicit Deo: cum autem transgreditur præcepta ejus, laboribus et ærumnis per eadem ipsa quæ regere poterat implicatur. Qui ergo vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur: carnalis, quia carnalia sectatur, animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia animæ suæ, quam non regit spiritus, neque coercet intra metas naturalis ordinis; quia et ipse se non subdit re-

(a) Rat. et plerique MSS. *Subjungitur:* et infra, non *subjungebatur.* Alii duo libri, *Subjugatur:* et post, non *subjugabatur.*

(b) Editi. *ventilatum.* At MSS. *vanitantium.* Sic aliquando se in Latinis libris legisse testatur Augustinus 1 Retractat. 7.

gendum Deo. Qui autem spiritu animam regit, et per animam corpus, (quod facere non potest, nisi Deum habeat et ipse rectorem, quoniam sicut caput mulieris vir, ita caput viri Christus est,) [1. Cor. 11. 3.] vocatur spiritalis. Quæ vita cum aliqua molestia nunc agitur, post autem nullam patietur. [1. Retr. 26.] Et quoniam summi Angeli spiritaliter vivunt, infimi autem animaliter, bestiæ vero et omnia pecora carnaliter, corpus autem non vivit, sed vivificatur; omnis creatura in homine est, quia et intelligit spiritu, et sentit anima, et localiter corpore movetur. Omnis itaque creatura in homine congemiscit, et dolet. Non enim totam, sed omnem dixit: tamquam si quis dicat, quod solem omnes homines vident qui sunt incolumes, sed non toti vident, quia tantum oculis vident: ita in homine omnis creatura est, quia et intelligit et vivit et corpus habet; sed non tota creatura in ipso est, quia sunt præter ipsum et Angeli, qui intelligant et vivant et sint, et pecora quæ vivant et sint, et corpora quæ tantummodo sint; cum ipsum vivere magis sit, quam non vivere, et ipsum intelligere magis sit, quam sine intellectu vivere. Cum ergo miser homo congemiscit et dolet, omnis creatura congemiscit et dolet usque adhuc. *Usque adhuc* autem recte dixit: quia etiamsi sint aliqui jam in [Lucæ 16. 23.] sinu Abrahæ, et latro ille cum Domino in paradiso [Ibid. 23. 43.] constitutus, illo die quo credidit, dolere destiterit; tamen usque adhuc omnis creatura congemiscit et dolet, quia in iis qui nondum liberati sunt, omnis est, propter spiritum et animam et corpus.

[Rom. 8. 23.] 6. *Nam solum autem*, inquit, omnis creatura congemiscit et dolet, *sed et nos ipsi:* id est, non solum in homine corpus et anima et spiritus simul dolent ex difficultatibus corporis, sed et nos ipsi, exceptis corporibus, *in nobis ipsis congemiscimus, primitias habentes spiritus.* Et bene dixit, *primitias habentes spiritus:* id est, quorum jam spiritus tamquam sacrificium oblati sunt Deo, et divinæ caritatis igne comprehensi sunt. Hæ sunt primitiæ hominis; quia veritas primum spiritum nostrum obtinet, ut per hunc [Rom. 7. 25.] cetera comprehendantur. Jam ergo habet primitias oblatas Deo, qui dicit, Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Et qui dicit, Deus [Rom. 1. 9.] cui servio in spiritu meo. Et de quo dicitur, [Matth. 26. 41.] Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Sed quoniam adhuc dicit, Infelix ego homo, [Rom. 7. 24.] quis me liberabit de corpore mortis hujus? et [Rom. 8. 11.] adhuc talibus dicitur, Vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum manentem in vobis; nondum est holocaustum: erit autem, cum absorbebitur mors in victoriam, cum ei dicetur, [1. Cor. 15. 55.] Ubi est mors contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? Nunc ergo, inquit, non solum omnis creatura, id est, cum corpore, *sed etiam nos ipsi primitias habentes spiritus:* id est, nos animæ, quæ jam primitias mentes nostras obtulimus Deo, *in nobis ipsis congemiscimus*, id est, præter corpus: *adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri*, id est, ut et ipsum corpus accipiens beneficium adoptionis filiorum, qua vocati sumus, totos nos liberatos, transactis omnibus molestiis, ex omni parte Dei filios esse manifestet. *Spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes.* [Rom. 8. 24.] Tunc ergo erit res quæ nunc spes est, cum apparuerit quid erimus; id est, similes illi, quoniam videbimus eum sicuti est. [1. Johan. 3. 2.]

7. Hoc capitulum si hoc modo, ut tractatum est, aperiatur, non incidimus in illas molestias, quibus plerique homines dicere coguntur, omnes Angelos sublimesque Virtutes in dolore et gemitibus esse, antequam nos penitus liberemur, quoniam dictum est, *Omnis creatura congemiscit et dolet*. Quamvis enim adjuvent nos (a) pro [a Angeli adjutores nostri.] sua sublimitate, dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere: tamen sine gemitu et doloribus id facere credendi sunt, ne miseri existimentur, feliciorque sit de numero nostro Lazarus ille, qui jam in Abrahæ sinu requiescit. [Lucæ 16. 23.] Præsertim quia dixit, eamdem creaturam quæ congemiscit et dolet, vanitati esse subjectam: quod de summis et excellentibus Virtutum Potestatumque creaturis nefas est credere. Deinde liberandam eam dixit a servitute interitus, quo illos cecidisse, qui in cælis agunt vitam beatissimam, non possumus credere. Tamen nihil temere confirmandum est, sed pia diligentia etiam atque etiam verba divina tractanda sunt; ne forte quæ congemiscit et dolet et vanitati subjecta est, possit aliquo modo alio intelligi, ut de summis Angelis, quamdiu nostræ infirmitati jussu Domini nostri opitulantur, non impie possit existimari. Sed sive illa quam executi sumus, sive alia aliqua hujus capituli expositio proferatur; id tantum cavendum est, ne violet aut vulneret catholicam fidem. Scio enim (b) vanos hæreticos de [b] hoc capitulo multa impia et inepta jactasse.

QUÆST. LXVIII. De eo quod scriptum est, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?*

1. Cum videatur Apostolus corripuisse curiosos, dicendo, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* [Rom. 9. 20.] de hoc ipso illi quæstionem movent, et in ea sententia non desinunt esse curiosi, qua objurgata est ipsa curiositas: et impii quidem cum contumelia, ut dicant Apostolum in solvenda quæstione defecisse, et objurgasse quærentes, quia non poterat quod quærebatur exponere. Nonnulli autem * hæretici, quia non decipiunt, nisi cum scientiam quam non exhibent pollicentur, et adversantes Legi et Prophetis quæcumque de illis Apostolus sermoni suo inseruit, falsa et a corruptoribus immissa esse criminantur, etiam hoc inter ipsa quæ interpolata dicunt, numerare maluerunt, et negare Paulum dixisse, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Quoniam si ipsis dicatur ad decipiendos homines calumniantibus, procul dubio tacebunt, nec audebunt ullam de voluntate omnipotentis Dei imperitis quos decipere cupiunt, scientiam pol-

[* Manichæi.]

(a) Sic Rat. Er. et undecim MSS. At Lov. per suas sublimitates.

(b) Florus et codex Regius, varios.

liceri. Quidam autem bona et pia mente Scripturas legentes quærunt, quid hic possit vel maledicentibus vel calumniantibus responderi. Sed nos et auctoritati Apostolicæ salubriter inhærentes, et libros quos catholica disciplina custodit (a) falsatos esse nequaquam existimantes, sentiamus quod verum est, indignos et infirmos esse ad intelligenda divina secreta, quibus ista clauduntur: et eis murmurantibus et indignantibus quod consilia Dei non discunt, cum dicere (Ibid. 18. et 19.) cœperint, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat: quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* cum his ergo verbis aut calumniari Scripturas, aut latebram peccatorum suorum quærere cœperint, ut præcepta contemnant, quibus ad vitam (b) bonam pervenitur, respondeamus fidentissime (Ibid. 20. Matth. 7. 6.), *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Nec eos reveriti sanctum canibus demus, aut projiciamus margaritas nostras ante porcos: si tamen jam ipsi canes et porci non sumus, et de meritis animarum revelante Spiritu sancto, sublime aliquid et a vulgari conjectura remotissimum, vel ex parte atque in ænigmate suspicemur.

Non hominis spiritalis sed tantum carnalis curiositas objurgata.

2. Non enim Apostolus hoc loco sanctos prohibuit a quærendo, sed eos qui nondum sunt in caritate radicati et fundati, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, et cætera quæ in eodem loco exsequitur (Ephes. 3. 19.). Non ergo prohibuit a quærendo, qui dicit (1. Cor 2. 15.), Spiritalis autem omnia judicat, ipse autem a nemine judicatur. Et illud præcipue (Ibidem, 12.): Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quos ergo prohibuit, nisi luteos atque terrenos, qui nondum intrinsecus regenerati atque nutriti, imaginem illius hominis portant, qui primus factus est de terra terrenus (1. Cor. 15. 47.)? Et quia ei a quo factus est, noluit obtemperare, in id lapsus est unde factus est, meruitque post peccatum audire, Terra es, et in terram ibis (Gen. 3. 19.). Talibus igitur hominibus dicit Apostolus (Rom. 9, 20.), *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti?* Quamdiu ergo figmentum es, nondum perfectus filius, quia nondum hausisti plenissimam gratiam, qua nobis data est potestas filios Dei fieri (Johan 1. 12.), quo possis audire, Jam non dicam vos servos, sed amicos (Johan. 15. 15.): tu quis es, qui respondeas Deo, et velis Dei nosse consilium? qui si hominis tibi æqualis nosse voluisses, impudenter faceres, nisi prius in amicitiam reciperetis. Sicut ergo portavimus imaginem terreni (1. Cor. 15. 49.), portemus et imaginem cœlestis, exuentes nos veterem hominem et induentes novum (Coloss. 3. 9.), ut non dicatur nobis quasi luteo figmento, *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti?*

3. Et ut manifestum sit, non sanctificato spiritui, sed carnali luto ista dici, vide quid sequitur: *Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* (Rom. 9. 21.) Ex quo ergo in Paradiso natura nostra peccavit, ab eadem divina providentia, non secundum cœlum, sed secundum terram, id est, non secundum spiritum, sed secundum carnem mortali generatione formamur, et omnes una massa luti facti sumus, quod est massa peccati. Cum ergo meritum peccando amiserimus, et misericordia Dei remota nihil aliud peccantibus nisi æterna damnatio debeatur, quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat et dicat, *Quare me sic fecisti?* Si vis ista cognoscere, noli esse lutum, sed effice filius Dei per illius misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus (Johan. 1. 12.) (c); non autem, quod tu cupis, antequam credant, divina nosse cupientibus. Merces enim cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur.

Fidei merito datur merces cognitionis.

Ipsa autem gratia quæ data est per fidem, nullis nostris meritis præcedentibus data est. Quod est enim meritum peccatoris et impii? Christus autem pro impiis et peccatoribus mortuus est (Rom. 5. 6.), ut ad credendum non merito, sed gratia vocaremur, credendo autem etiam meritum (d) collocaremus. Peccatores igitur credere jubentur (e), ut a peccatis credendo purgentur. Nesciunt enim quid recte vivendo visuri sint. Quapropter cum videre non possint, nisi recte vivant, nec recte vivere valeant, nisi credant; manifestum est a fide incipiendum, ut præcepta quibus credentes a sæculo hoc avertuntur, cor mundum faciant, ubi videri Deus possit. Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt (Matth. 5. 8.). Et per (f) prophetiam canitur, In simplicitate cordis quærite illum (Sap. 1. 1.). Quapropter recte dicitur hominibus in vetustate vitæ manentibus, et propterea tenebrosum oculum animæ gerentibus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, alind in contumeliam?* Expurga vetus fermentum, ut sis nova conspersio (1. Cor. 5. 7.), et in ea ipsa non adhuc parvulus in Christo ut lacte potandus sis (1. Cor. 3. 2.); sed perveni ad virum perfectum, ut sis inter illos de quibus dicitur, Sapientiam loquimur inter perfectos (1. Cor. 2. 6.). Tum demum recte et non præpostere audies, si qua sunt de animarum occultissimis meritis, et de gratia vel justitia, secreta omnipotentia Dei.

Pharaonis obduratio prioribus meritis ejus debita.

4. Nam de Pharaone facile respondetur, prioribus meritis quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei (g) (Exodi 5. 6.)

(a) MSS. *infalsatos.*
(b) Bel. et Cisterciensis codex omittunt bonam. Ceteri fere MSS. loco *pervenitur*, habent *tenditur*.
(c) Locum istum ad MSS. corrigimus, quem solis in excusis vidimus corruptum hocce modo: *Non enim, quod tu cupis, antequam credant, divina datur nosse cupientibus.*
(d) Aliquot MSS. *compararemus.*
(e) Novem MSS. *et a peccatis credendo purgantur.*
(f) MSS. Plerique, *et per Prophetam.*
(g) Duo MSS. hic et infra in n. 5. pro *crederet*, habent *cederet.*

crederet. Ex eadem ergo massa, id est, pecca- A
torum, et vasa misericordiæ protulit, quibus
subveniret, cum enim deprecarentur filii Israel;
et vasa iræ, quorum supplicio illos erudiret, id
est, Pharaonem et populum ejus: quia quamvis
essent utrique peccatores, et propterea ad unam
massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant
Rom. 9. 22. qui uni Deo ingemuerant: *Pertulit* ergo *in mul-*
ta patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in per-
ditionem. Et eo ipso quo ait, *in multa patientia*:
satis significavit priora eorum peccata, in qui-
bus eos pertulit; ut opportune tunc vindicaret,
quando de illorum vindicta subveniendum erat
Ibid. 23. his qui liberabantur. *Et ut notas faceret divi-*
tias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præ-
paravit in gloriam. Hic fortasse conturbatus ad
Ibidem 18. et 19. illam quæstionem redis, *Cujus vult miseretur*, B
et quem vult obdurat: quid adhuc conqueritur?
Voluntati enim ejus quis resistit? Prorsus cujus
1. Sent dist. 41. c. Illa tamen. Merita in peccatoribus præcedentia ad justificationem et obdurationem vult miseretur, et quem vult obdurat: sed hæc
voluntas Dei injusta esse non potest. Venit enim
de occultissimis meritis: quia et ipsi peccatores
cum propter generale peccatum unam massam
fecerint, non tamen nulla est inter illos diver
sitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo
quamvis nondum sint justificati, digni effician-
tur justificatione; et item præcedit in aliis pec-
a catoribus quo digni sint (*a*) obtusione. Habes
Rom. 1. 28. eumdem Apostolum sibi dicentem, Quoniam
non probaverunt Deum habere in notitia, dedit
Exodi 4. 21. illos Deus in reprobum sensum. Quod eos dedit
in reprobum sensum, hoc est, quod indoravit
cor Pharaonis: quod autem illi non probaverunt C
Deum habere in notitia, hoc est, quod digni ex-
stiterunt qui darentur in reprobum sensum.
Rom. 9. 16. 5. Tamen verum est, quia non volentis neque
currentis, sed miserentis est Dei. Quia etiamsi
levioribus quisque peccatis, aut certe quamvis
gravioribus et multis, tamen magno gemitu et
dolore pœnitendi, misericordia Dei dignus fue-
1. Retr. 26. rit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interi-
ret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus dolo-
ribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi
Deus misereatur: sed Deus non miseretur, qui
ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit; quia
in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quo-
Luc. 2. 14. Vocatio Dei ante meritum bonum. niam nec velle quisquam potest, nisi admonitus
et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus homi-
num videt, sive extrinsecus, per sermonem so- D
Philip. 2. 13. nantem, aut per aliqua signa visibilia; efficitur
ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad
Luc. 14. 16. illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evan-
gelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt
venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire
possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent
sibi tribuere qui venerunt; quia vocati vene-
runt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri
tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut venirent,
vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo
ante meritum voluntatem operatur. Propterea
et si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus,

(a) Rat. et MSS. *obtunsione*. Et infra *obtunsionis*, loco *obtusionis*.

A non sibi potest tribuere quod vocatus est. Qui
autem vocatus non venit, sicut non habuit me-
ritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum
supplicii cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt
duo illa: Misericordiam et judicium cantabo tibi Psal. 100. 1.
Domine. Ad misericordiam pertinet vocatio: ad
judicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt
vocati, et supplicium eorum qui venire nolue-
runt. Numquid ergo latebat Pharaonem quan-
tum boni consecutæ fuerint terræ illæ per ad-
ventum Joseph? illius ergo rei gestæ cognitio, Gen. 41.
vocatio ejus fuit, ut populum Israel misericor-
diter tractans non esset ingratus. Quod autem
huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit Exodi 5. 6. et 7. 28.
crudelitatem in eis, quibus humanitas et mise-
ricordia debebatur, meruit pœnam, ut indurare-
B tur illi cor, et tantam cæcitatem mentis patere-
tur, ut tot et tantis tamque manifestis Dei signis
non crederet; quo posset ejus supplicio, sive ob-
durationis, sive ultimæ visibilis submersionis,
erudiri populus, cujus afflictione ille, et occultæ
obtusionis, et manifestæ submersionis meritum
sibi compararet.
6. Hæc autem vocatio, quæ sive in singulis Vocatio hominum ex profunda Dei ordinatione.
hominibus, sive in populis, atque in ipso genere
humano per temporum opportunitates operatur,
altæ et profundæ ordinationis est. Quo pertinet 1. Retr. 26.
etiam illud, in utero sanctificavi te, et cum esses Jerem. 1. 5.
in renibus patris tui, vidi te. Et, Jacob dilexi, Malach. 1. 2. et 3.
Esau autem odio habui: cum dictum sit ante-
quam nascerentur. Nec comprehendi potest,
nisi forte ab eis qui diligunt Deum ex toto corde Deut. 6. 5.
C et ex tota anima et ex tota mente sua, at dili- Matth. 22. 37.
gunt proximos suos tamquam se ipsos. Tanta
enim caritate fundati possunt jam fortasse cum
Sanctis comprehendere longitudinem, latitudi-
nem, altitudinem, et profundum. Illud tamen Eph. 3. 18.
constantissima fide retinendum, neque quidquam
Deum injuste facere, neque ullam esse naturam
quæ non Deo debeat id quod est: quia Deo de-
betur omne decus et pulchritudo et congruentia
partium, quam si penitus (*b*) persecutus fueris; b
et usque ad omnes reliquias de rebus detraxe-
ris, remanet nihil.

QUÆST. LXIX. De eo quod scriptum est, Tunc et ipse Filius subjectus ei erit, qui illi subjecit omnia. 1. Cor. 15. 28.

1. Qui Filium Dei Patri æqualem non esse
contendunt, solent usurpare familiarius hoc te-
stimonium, ubi ait Apostolus, *Cum autem ei o-*
mnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius sub-
D *jectus erit ei, qui illi subjecit omnia, ut sit Deus*
omnia in omnibus. Non enim posset eis error
oboriri palliatus nomine Christiano, nisi de Scri-
pturis non intellectis. Dicunt enim, Si æqualis Lib. 1. de Trinit. cap. 8.
est, quomodo subjectus erit ei? Quod utique
simile est illi Evangelicæ quæstioni, Si æqualis
est, quomodo major est Pater? ipse enim Domi- Johan. 14. 28.
nus ait, Quoniam Pater major me est. Regula Regula ad intelligenda Scripturæ loca de Filio Dei.
autem catholicæ fidei sic se habet ut cum ali-
qua in Scripturis dicuntur de Filio, quod sit mi-
nor Patre, secundum susceptionem hominis in-
telligantur: cum vero ea dicuntur quibus demon-
stratur æqualis, secundum id quod Deus est ac-

(b) Sic MSS. Editi autem, *prosecutus fueris*.

ciplantur. Apparet ergo quemadmodum dictum A
sit, Pater major me est. Et, Ego et Pater unum
Johan. 10. 30. sumus. Et, Deus erat Verbum. Et, Verbum caro
Johan. 1. 1. et 14. factum est. Et, Non rapinam arbitratus est esse
æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam
Philip. 2. 6. servi accipiens. Sed quoniam multa etiam secundum proprietatem personæ, excepto quod adtinet ad susceptionem hominis, de illo ita dicuntur, ut Patrem non aliud quam Patrem, et Filium non aliud quam Filium intelligi oporteat, putant hæretici in iis quæ ita dicuntur atque in-
Johan. 1. 3. telliguntur, æqualitatem esse non posse. Scriptum est enim, Omnia per ipsum facta sunt, utique per Filium, hoc est per Verbum Dei: a quo, nisi a Patre? Nusquam autem scriptum est, quod Filius per Patrem aliquam creaturam ope-
Coloss. 1. 15. ratus sit. Item scriptum est, quod imago Patris B
sit Filius: nusquam autem scriptum est, quod imago Filii sit Pater. Deinde quod ille genitor, ille genitus; et cetera hujuscemodi, quæ non ad æqualitatem substantiæ; sed ad proprietatem pertinent personarum: in quibus illi æqualitatem cum dicunt esse non posse, quoniam ad hæc
a penetranda (*a*) crassiores mentes adhibent, pondere auctoritatis urgendi sunt. Si enim in his non posset intelligi æqualitas ejus per quem facta sunt omnia et ejus a quo facta sunt, imaginis et ejus cujus imago est, geniti et genitoris; nullo modo Apostolus contentiosorum hominum ora concludens ipsum etiam verbum poneret, dicens, Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.
Philip. 2. 6.

2. Cum ergo ea quæ ad distinctionem Patris et Filii scripta sunt, partim propter personarum C
proprietates, partim propter susceptionem hominis, ita scripta sint; dum tamen divinæ substantiæ Patris et Filii deitas et unitas et æqualitas maneat: recte quæritur in hoc loco, utrum secundum personarum proprietates an secundum hominis susceptionem Apostolus dixerit,
1. Cor. 15. 28. *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia.* Solet circumstantis Scripturæ illuminare sententiam, cum ea quæ circa scripta sunt, præsentem quæstionem contingentia, diligenti discussione tractantur. Invenimus itaque ita ventum esse ad hunc locum, ut supra dice-
Ibidem 20. ret, *Nunc autem Christus surrexit a mortuis, primitiæ dormientium.* Agebat enim de resurrectione mortuorum, quod in Domino secundum susceptionem hominis factum est: quamquam D
Ibid. 21, etc. apertissime sequatur et dicat, *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine: initium Christus; deinde ii qui sunt Christi, in * præsentia ejus;*
* παρουσία. *deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub*
b *pedibus suis* (*b*). *Novissima inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus.*
A *Cum autem dixerit, quod omnia subjecta sunt, manifestum est quia præter eum qui subjecit illi omnia. Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Manifestum est ergo hoc secundum susceptionem hominis dictum.

3. Sed alia in hoc capitulo, cujus totum textum commemoravi, solent habere quæstionem: primo quod dictum est, *Cum tradiderit regnum* 1. Cor. 15. 24.
Deo et Patri: quasi nunc non teneat regnum Pater. Deinde quod dictum est, *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis:* quasi postea non sit regnaturus, et ad hoc valeat quod supra dictum est, Lib. 1. de Trinit. cap. 8. et 10.
Deinde finis. Quod sacrilega opinione sic acci-
B piunt, quasi finem dixerit consummationem regni ejus: cum scriptum sit in Evangelio, Et regni ejus non erit finis. Postremo quod dictum Luc. 1. 33.
est, *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia:* sic volunt intelligi, quasi nunc aut aliquid Filio non sit subjectum, aut Patri non sit ipse subjectus.

4. Genere igitur locutionis solvitur quæstio. Locutionis genus in Scripturis usitatum.
Sic enim plerumque Scriptura loquitur, ut quod semper est, tunc fieri dicatur in aliquo, cum (*c*) c
in eo cognosci cœperit. Ita enim dicimus in oratione, Sanctificetur nomen tuum: quasi aliquando Matth. 6. 9.
sanctum non sit. Ergo sicut sanctificetur, est sanctum esse innotescat: ita quoque, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri*, id est, cum Patrem
C regnare monstraverit, ut per speciem manifestationemque clarescat, quod nunc a fidelibus creditur et ab infidelibus non putatur. Evacuabit autem omnem principatum et potestatem, manifestando utique regnum Patris, ut omnibus notum sit, nullum principum et potestatum, sive cælestium, sive terrestrium per se habuisse aliquid principatus et potestatis, sed ab illo ex quo sunt omnia, non solum ut sint, verum etiam ut ordinata sint. In illa enim manifestatione nulli spes aliqua remanebit in quoquam principe, aut in quoquam homine. Quod etiam nunc prophetice canitur: Bonum est sperare in Domino, Psal. 117. 8. et 9.
quam sperare in homine, bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus: ut ista meditatione anima jam in regnum Patris adsurgat,
D nec cujusquam potestatem præter illum magni faciens, nec sua sibi ipsi perniciosissime blandiens. Tradet ergo regnum Deo et Patri, cum per illum per speciem cognoscetur Pater. Regnum enim ejus sunt in quibus nunc regnat per fidem. Aliter enim dicitur regnum Christi secundum potestatem divinitatis, secundum quod Regnum Christi aliter et aliter dictum.
ei cuncta creatura subjecta est, et aliter regnum ejus dicitur Ecclesia, secundum proprietatem fidei quæ in illo est, secundum quod orat qui dicit, Posside nos. Neque enim non ipse possidet omnia. Secundum quod dicitur etiam illud, Cum servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ. Eva- Isa. 26. 13. sec. LXX.

(a) Rat. Er et MSS. *grossiores.*
(b) Editi constanter, *Novissime*: repugnantibus MSS plerisque.
(c) MSS. *ab eo.*

Rom. 6. 20. cuabit ergo omnem principatum et omnem potestatem et virtutem, ut nulli Patrem intuenti per Filium opus sit aut libeat in cujusquam creaturæ vel in sua conquiescere potestate.

I.Cor.15.25. 5. *Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis:* id est, oportet regnum ejus in tantum manifestari, donec omnes inimici ejus ipsum regnare fateantur. Hoc enim intelligitur, sub pedibus ejus futuros inimicos. Quod si de justis acceperimus, ideo dictum est *inimicos*, quia ex injustis justificantur, et ei credendo subduntur. De injustis autem qui ad justorum beatitudinem futuram non pertinent, sic accipiendum est quoniam et ipsi eum regnare ipsa regni ejus manifestatione confusi fatebuntur. Ergo, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis*, non ita dictum est, quasi cum posuerit inimicos suos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus: sed, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis*; oportet eum, inquit, ad tantam evidentiam regnum suum perducere, donec inimici ejus nullo modo audeant negare quod regnet. Nam scriptum est:
Psal. 122. 2. Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Nec ideo tamen, cum misertus nostri fuerit, oculos ab eo debemus avertere. In tantum enim est beatitudo nostra, in quantum ejus contemplatione perfruimur. Sic ergo et hoc dictum est. Oculorum nostrorum intentio ad Dominum non porrigitur, nisi usque ad impetrationem misericordiæ ipsius, non ut postea inde avertatur, sed ut nihil inde amplius requirat. *Donec* ergo pro eo positum est, ut non amplius, intelligas. Quo enim amplius, id est, usque ad quam majorem manifestationem manifestabitur regnum Christi, nisi quo usque omnes inimici eum regnare fateantur? Aliud est ergo non amplius manifestari, aliud non amplius permanere. Non amplius manifestari, est non fieri manifestius: non amplius permanere, non fieri perseverantius. Quando autem manifestius erit regnum Christi, quam cum omnibus claruerit inimicis?

I.Cor.15.26. 6. *Novissima inimica destruetur mors.* Non enim erit aliud quod destruatur, postea quam mortale hoc induerit immortalitatem. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus:* hoc est, ut etiam mortem destruat. *Cum autem dixerit, quia omnia subjecta sunt:* dixit utique Propheta in
Psal. 8. 8. Psalmis: *manifestum est quia præter eum qui subjecit illi omnia:* Patrem vult intelligi omnia Filio subjecisse, sicut multis locis idem Dominus in Evangelio commendat et prædicat, non solum propter formam servi, sed etiam propter principium de quo est, et quo æqualis est ei de quo est. Amat enim ad unum principium referre
Col. 2. 9. omnia, tamquam imago ejus, sed in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis.

I.Cor.15 28. 7. *Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia.* Non quasi modo non ita sit, sed tunc manifestum erit, secundum locutionem superius tractatam. *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Ipse est finis, quem superius commemoravit, cum totum primo breviter vellet concludere, deinde quasi membratim explicare et exponere. Loquebatur enim de resurrectione, ubi ait, *Initium Christus, deinde ii qui sunt Christi in præsentia ejus, deinde finis.* Ibidem 23. Ipse scilicet finis est, *ut sit Deus omnia in omnibus*. Aliter enim dicitur finis qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem. Finis consummationis, et consumptionis. Aliter enim finitur tunica texendo, aliter cibus comedendo. Deus autem omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum qui ei cohærent, amet adversus eum suam propriam voluntatem, manifestumque sit omnibus quod idem Apostolus alio loco dicit, Quid autem habes quod non accepisti? I. Cor. 4. 7.

8. Sunt item qui sic intelligant hunc locum, I.Cor.15.25. *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis*, ut sub alia significatione positum hic dicant *regnare*; non sub ea qua positum est *regnum*, de quo ait, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri:* Ibidem 24. ut illud sic appellaverit regnum, quo universam creaturam Deus regit; hoc autem sic appellaverit regnare, ut intelligatur tamquam adversus hostem exercitum ducere, vel defendere civitatem: ut ideo dixerit, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis*; quia talis regni, quale habent principes armatorum, nulla erit caussa, hoste ita subjecto ut rebellare non possit. Nam utique dictum est in Evangelio, Et Lucæ 1. 33. regni ejus non erit finis, secundum quod regnat in æternum: secundum autem id quod adversus diabolum sub eo militatur, tamdiu erit utique ista militia, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis: postea vero non erit, cum pace perpetua perfruemur.

9. Hæc autem ita dicta sint, ut noverimus diligentius etiam illud considerari oportere, secundum quid regnet nunc Dominus dispensatione sacramenti sui per incarnationem atque passionem. Regnum Christi nunc per fidem incarnationis suæ. Nam secundum id quod Verbum Dei est, tam sine fine quam sine initio et sine intermissione est regnum ejus. Secundum id autem quod Joban. 1. 14. Verbum caro factum est, cœpit regnare in credentibus per fidem incarnationis suæ. Unde est etiam illud: Dominus regnavit a ligno. Psal. 95. 10. Hinc autem evacuavit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem, dum non per claritatem ejus, sed per humilitatem salvi fiunt credentes in eum. Hoc est absconditum a sapientibus et Matth. 11. 25. prudentibus, et revelatum parvulis; quoniam I.Cor. 1. 21. placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Neque quidquam se inter parvulos scire dicit Apostolus, nisi Jesum Christum, I. Cor. 2. et hunc crucifixum. Qua prædicatione tamdiu opus est, donec ponantur omnes inimici sub pedibus ejus: id est, ipsi humilitati ejus, quam pedum nomine significari arbitror, cedat atque subdatur omnis superbia sæcularis, sicut ex maxima parte jam factum est, et quotidie fieri videmus. Sed quo fine ista fiunt? Ut tradat regnum Deo et Patri, id est, ut nutritos fide incarnatio-

nis suæ, perducat ad speciem qua æqualis est
Patri. Jam enim eis qui crediderant, loquebatur,
Johan. 8. 31. cum diceret, Si manseritis in verbo meo, vere
discipuli mei estis, et cognoscetis veritatem, et
veritas liberabit vos. Regnum enim tradet Patri,
cum per id regnabit in contemplantibus verita-
tem, quo æqualis est Patri, et per se unigenitum
per speciem faciet videri Patrem. Nunc enim
per hoc regnat in credentibus, quo se ipsum
Philip. 2. 7. exinanivit formam servi accipiens. Tunc autem
tradet regnum Deo et Patri, cum evacuaverit
omnem principatum et potestatem et virtutem.
a Unde (a) evacuabit, nisi humilitate et patientia
et infirmitate? Quis enim principatus non eva-
b cuetur, cum Filius (b) Dei propterea regnat in
credentibus, quia eum principes sæculi judica-
verunt? Quæ potestas non evacuetur, cum ipse
per quem facta sunt omnia, propterea regnat in
Johan. 19, 11. credentibus, quia ita subjectus est potestatibus,
ut diceret homini, Non haberes in me potesta-
tem, nisi data tibi esset desuper? Quæ virtus
non evacuetur, cum ipse per quem cœli solidati
sunt, ideo regnat in credentibus, quia usque ad
crucem mortemque infirmatus est? Hoc autem
modo Filius proprie regnat in fide credentium.
Non enim Pater dici aut credi potest vel incar-
natus, vel judicatus, vel crucifixus. Per speciem
autem, qua æqualis est Patri, cum Patre regnat
in contemplantibus veritatem. Quod autem tra-
det regnum Deo et Patri, a fide incarnationis
suæ ad speciem deitatis perducens eos qui sibi
nunc credunt, non ipse amittit, sed uterque se
unum ad fruendum contemplantibus præbet.
Tamdiu autem opus est, ut in hominibus non-
dum valentibus æqualitatem Patris et Filii per-
spicua mentis luce contueri, per hoc regnet Chri-
stus, quod tales capere possunt, et quod pro-
prie ipse suscepit, id est, incarnationis humili-
tatem, donec ponat omnes inimicos sub pedibus
suis: id est, donec omnis superbia sæcularis in-
carnationis ejus humilitati subdatur.

1. Cor. 15. 28. 10. Sane quod dictum est, *Tunc et ipse Filius
Christus de capite et aliquando de toto corpore Ecclesiæ dictus. subjectus erit ei qui illi subjecit omnia;* quam-
vis secundum susceptionem hominis dicatur,
quia inde est quæstio nata, cum ageret de resur-
rectione mortuorum: tamen recte quæritur u-
Ephes. 5. 23. trum secundum ipsum tantum dictum sit, quod
est caput Ecclesiæ; an secundum universum
Christum, annumerato corpore et membris ejus.
Gal. 3. 16. Cum enim sit ad Galatas, Non dicit, Et semini-
» bus, tamquam in multis, sed tamquam in uno,
Ibid. 28. et 29. Et semini tuo, quod est Christus: se ipsum hoc
» loco solum intelligeremus Christum, qui de Ma-
» ria virgine est natus; postea dicit, Omnes enim
» vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos
Christi, ergo Abrahæ semen estis. Et ad Corin-
thios cum de caritate diceret, de membris cor-
1. Cor. 12. 12. poris similitudinem ducens: Sicut enim corpus
» unum est, inquit, et membra habet multa, omnia

A autem membra corporis cum sint multa, unum
est corpus, ita et Christus. Non dixit, et ita
Christi; sed, ita et Christus, ostendens Christum
recte appellari etiam universum, hoc est, caput
cum corpore suo, quod est Ecclesia. Et multis
Scripturarum locis invenimus Christum etiam
hoc modo appellari, ut cum omnibus suis mem-
bris intelligatur, quibus dictum est, Vos estis
corpus Christi et membra. Non ergo absurde sic
intelligimus, *Tunc et ipse Filius subjectus erit* Ibidem 27.
ei, qui illi subjecit omnia; ut Filium non solum
caput Ecclesiæ, sed et omnes cum eo sanctos in-
telligamus, qui sunt unum in Christo, unum
semen Abrahæ: subjectum autem secundum con-
templationem sempiternæ veritatis, ad obtinen-
dam beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte
B corporis resistente; *ut* in illa vita nemine aman-
te propriam potestatem, *sit Deus omnia in o-
mnibus.*

QUÆST. LXX. De eo quod Apostolus dicit, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum: virtus vero peccati lex. 1. Cor. 15. 54. etc. Gal. 5. 17. Sanctificatio et sanitas perfecta.

Mortem significari arbitror hoc loco carnalem
consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati de-
lectatione (c) temporalium fruendorum. Non
enim diceretur? *Ubi est mors contentio tua?* si
non restitisset et repugnasset. Ipsius contentio
etiam illo loco describitur: Caro concupiscit ad-
versus spiritum, et spiritus adversus carnem.
Hæc enim invicem sibi resistunt et adversantur,
ut non quæ vultis illa faciatis. Fit ergo per san-
ctificationem perfectam, ut omnis carnalis appe-
titus spiritui nostro illuminato et vivificato, id
est, bonæ voluntati subjiciatur. Et sicut nunc
videmus multis puerilibus delectationibus nos
C carere, quæ nos pueros, si denegarentur, acer-
rime cruciabant: ita credendum est de omni car-
nali delectatione futurum esse, cum perfecta san-
ctitas totum hominem reparaverit. Nunc autem
quamdiu est in nobis quod resistat bonæ volun-
tati, auxilio Dei per bonos homines et bonos
Angelos indigemus, ut donec sanetur vulnus c
nostrum, non ita (d) molestet, ut perimat etiam d
bonam voluntatem. Hanc autem mortem peccato
meruimus, quod peccatum erat ante omni modo
in libero arbitrio, cum in paradiso nullus do-
lor (e) denegatæ delectationis voluntati bonæ e
hominis resistebat, sicut nunc. Verbi gratia, si
quisquam existat, quem numquam delectavit ve-
natio, omni modo liber est utrum venari velit,
an nolit, nec eum cruciat quisquis hoc prohi-
D bet. An si ista libertate male usus, venatus fue-
rit contra prohibentis imperium, paullatim sub-
repens delectatio, mortificat animam, ut si se
abstinere velit, absque molestia et sine angore
non possit, cum id ante tota sanitate non age-
ret. Ergo *aculeus mortis peccatum est;* quia pec-
cato facta est delectatio, quæ jam possit resi-
stere bonæ voluntati, et cum dolore cohiberi.
Quam delectationem, quia in defectu est animæ
deterioris effectæ, jure mortem vocamus. *Virtus
autem peccati lex est:* quia multo sceleratius et

(a) Sic Rat. et MSS. At Er. et Lov. *evacuarit.*
(b) Editi: *filius hominis:* quibus MSS. prope omnes dissentiunt.
(c) Hic editi addunt *bonorum:* quæ vox abest a MSS.

(d) Sexdecim MSS. *molestetur.*
(e) Sic Rat. et MSS. At Er. et Lov. *denegata delectatione.*

flagitiosius quæ lex prohibet committuntur, quam si nulla lege prohiberentur. Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfecta delectatione spiritalium delectatio carnalis obruetur.

QUÆST. LXXI. De eo quod scriptum est, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Gal. 6. 2. Joan. 13. 34.

1. Quia veteris Testamenti custodia timorem habebat, non potuit apertius significari novi Testamenti donum esse caritatem, quam hoc loco, ubi Apostolus dicit, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Hanc enim Christi legem dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcepit ut nos invicem diligamus, tantum in ea sententia præcepti pondus constituens, ut diceret, In hoc cognoscetur, quoniam discipuli mei estis, si vos invicem diligatis. Hujus autem dilectionis officium est, invicem onera nostra portare. Sed hoc officium, quod sempiternum non est, perducet sane ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt nostra onera, quæ invicem portare jubemur. Nunc vero cum in hac vita, id est, in hac via sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam quæ caret omni onere pervenire possimus. Sicut enim de cervis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum quæ gestant in cornibus super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem cervice projecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse, qui ceteros præcedens, non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; ut lassatus sui capitis onere ille qui præcedit, post omnes (a) recedat, et ei succedat cujus ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Istam fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait, Cervus amicitiæ et pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.

Cervorum natura. Plin. lib. 8. cap. 32.

Prov. 5. 19. sec. LXX.

2. Nec tamen invicem onera nostra portaremus, si unum tempus esset infirmitatis amborum, qui onera sua sustinent, aut unum infirmitatis genus: sed diversa tempora et diversa genera infirmitatis faciunt ut onera nostra portare invicem valeamus. Verbi gratia, iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris; ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate sua supportet. Hoc exemplum ad id pertinet, cum diversa sunt tempora portantium onera sua, quamvis ipsa diversa non sit infirmitas: in ambobus enim ab invicem ira portatur. Ad diversum autem infirmitatis genus aliud exemplum videndum est: veluti si quis loquacitatem in se vicerit, et pertinaciam nondum vicerit, alius vero adhuc loquax, sed jam pertinax non sit; debet ille hujus loquacitatem et iste illius pertinaciam, donec illud in illo et hoc in isto sanetur, caritate portare. Par quippe infirmitas in duobus si uno accidat tempore, tolerare se invicem non valent, cum adversum se intenditur. Nam adversus aliquem tertium; et duo irati sibi conveniunt; et se tolerant: quamquam nec tolerare se invicem dicendi sunt, sed potius se invicem consolari. Sicuti et tristes de re una, magis se portant et quasi incumbunt sibi, quam si unus tristis esset et alius gauderet: si autem adversus se tristes sint, prorsus se tolerare non possunt. Et ideo in hujusmodi affectionibus suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo; de qua vis alium per te liberari; et sic suscipienda, ut ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat: quemadmodum se inclinat, qui manum jacenti porrigit. Non enim se projicit, ut ambo jaceant; sed incurvat tantum, ut jacentem erigat.

Ægritudo alterius quomodo suscipienda ex caritate ut subleve- tur.

3. Neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Hinc enim admonens Apostolus ait: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Superius enim dixerat, Non quæ sua sunt unusquisque intendens, sed ea quæ aliorum. Huic sententiæ contexuit quod dictum est; nam ita sequitur: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Ad hoc dumtaxat, ut quemadmodum ille in eo quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendit sua, sed nostra; ita et nos libenter, ad ejus imitationem, invicem onera nostra portemus.

Christi exemplo ad portanda onera aliorum incitamur. Philip. 2. 5. etc.

Ibidem 4.

Joan. 1. 14.

4. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio, quia ille suscepit hominem, nos autem homines sumus: et considerare debemus, quod ægritudinem sive animi, sive corporis, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si forte nos in ea essemus, et ipse non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem: cogitando scilicet in eo vitio etiam se esse potuisse, unde cupiebat alium liberare. Compatiendo enim potius id agebat, non mentiendo, sicut quidam suspicantur, et hi maxime qui suis mendaciis defendendis, quæ negare non possunt, alicujus magni exempli patrocinium quærunt.

1. Cor. 9. 22.

5. Deinde etiam illud cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet, ne arbitraris quoniam tua quædam bona eminent et apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, et fortassis majoris ponde-

(a) Er. Rat. et MSS. redeat.

deris bona quibus te superat nescientem. Non
a enim (a) falli nos, aut adulatione potius uti, Apo-
Philip. 2. 3. stolus jubet, cum dicit, Nihil per contentionem
» neque per inanem gloriam sed in humilitate men-
» tis alter alterum existimantes superiorem sibi.
Non hoc ita debemus existimare, ut non existi-
memus, sed nos existimare fingamus; sed vere
existimemus aliquid occultum esse posse in alio,
quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum,
quo illo videmur superiores esse, non sit occul-
tum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam,
b et (b) acuentes caritatem, faciunt onera fraterna
invicem, non solum æquo animo, sed etiam li-
bentissime sustineri. Nullo modo autem de quo-
quam homine incognito ferenda sententia est:
et nemo nisi per amicitiam cognoscitur. Et ideo
amicorum mala firmius sustinemus, quia bona
eorum nos delectant et tenent.

Amicitia nullius repudianda.

6. Nullius itaque repudianda est amicitia sese
ingerentis ad amicitiam copulandam; non ut sta-
tim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque
ita tractetur, ut recipi possit. Illum enim rece-
ptum in amicitiam possumus dicere, cui omnia
consilia nostra refundere audeamus. Et si quis-
quam est qui se non audet ingerere ad amici-
tiam faciendam, cum aliquo nostro temporali
honore aut dignitate revocetur; discendendum
est ad eum, et offerendum illi quodam comitate
et submissione animi, quod petere per se ipse
non audet. Sane quamvis rarius, tamen aliquo-
ties accidit, ut ejus quem volumus in amicitiam
recipere, prius nobis innotescant mala quam
bona, quibus offensi et quodam modo repercussi
c relinquimus eum, et ad (c) bonorum ejus, quæ
forte occultiora sunt, indagationem non perve-
nimus. Admonet itaque Dominus Jesus Christus,
qui nos vult effici imitatores suos, ut ejus infir-
ma toleremus, ut ad quædam sana, in quorum
delectatione adquiescamus, per caritatis toleran-
Matth. 9. 12. tiam perducamur. Ait enim: Non est opus sanis
medicus, sed ægrotantibus. Ideoque si propter
Christi caritatem etiam eum qui omni ex parte
fortassis ægrotat, repellere ab animo non debe-
mus, quoniam sanari potest per verbum Dei;
quanto minus eum, qui propterea nobis videri
potest totus ægrotus, quia quædam ejus saucia
in primo ingressu amicitiæ non potuimus susti-
nere, et quod est gravius, cum offensione animi
de toto homine ausi sumus temerariam præju-
dicii ferre sententiam, non timentes quod dictum
Matth. 7. 2. et 2. est, Nolite judicare ut non judicemini. Et in qua
mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vo-
bis. Sæpe autem illa quæ bona sunt, prius appa-
rent: in quibus etiam temerarium benevolentiæ
judicium cavendum est, ne cum totum bonum
putaveris, ea quæ postea mala apparuerint, se-
curum et imparatum te inveniant, et gravius of-
fendant; ut eum quem temere dilexeras, acer-
bius oderis, quod nefas est. Quia etiamsi nulla
ejus bona præcederent, et hæc quæ postea ap-
paruerunt mala, prius eminerent, toleranda ta-
A men erant, donec omnia cum illo ageres, qui-
bus talia sanari solent: quanto magis cum ea
bona præcesserunt, quæ tamquam pignora nos
debent ad posteriora toleranda constringere.

7. Ipsa est ergo lex Christi, ut invicem onera
nostra portemus. Christum autem diligendo, fa-
cile sustinemus infirmitatem alterius, etiam quem
nondum propter bona sua diligimus. Cogitamus 1. Cor. 8. 11.
enim quia ille, quem diligimus, Dominus pro-
pter eum mortuus est. Quam caritatem aposto-
lus Paulus nobis ingessit, cum diceret, Et peri-
bit infirmus in tua scientia frater, propter quem
Christus mortuus est. Ut si illum infirmum,
propter quem vitium, quo infirmus est, minus
diligimus, illum in eo consideremus, qui mor-
tuus est propter illum. Christum autem non di-
B ligere, non infirmitas, sed mors est. Quapropter
ingenti cura, et implorata Dei misericordia co-
gitandum est, ne Christum negligamus propter
infirmum, cum infirmum debeamus diligere pro-
pter Christum.

QUÆST. LXXII. De temporibus æternis. Tit. 1. 2. de Civit. Dei cap. 16.

QUÆRI potest quomodo ab ipso apostolo Paulo
dictum sit, *Ante tempora æterna*. Si enim tem-
pora, quomodo æterna? Nisi forte ante omnia
tempora intelligi voluit. Quia si dixisset, *ante
tempora;* neque addidisset, *æterna:* posset acci-
pi, ante quædam tempora, quæ ante se haberent
alia tempora. Æterna autem maluit dicere, quam
omnia, fortassis ideo, quia tempus non cœpit
ex tempore. An tempora æterna ævum signifi-
cavit; inter quod et tempus, hoc distat, quod
illud stabile est, tempus autem mutabile?

QUÆST. LXXIII. De eo quod scriptum est, Et habitu inventus ut homo. Philip. 2. 7. Habitus dicitur multis modis.

C 1. MULTIS modis habitum dicimus: vel habi-
tum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ
perceptio, usu roborata atque firmata: vel habi-
tum corporis, secundum quem dicimus alium
alio esse succulentiorem et validiorem, quæ ma-
gis proprie habitudo dici solet: vel habitum eo-
rum quæ membris nostris accommodantur ex-
trinsecus, secundum quem dicimus vestitum,
calceatum, armatum, et si quod ejusmodi est.
In quibus omnibus generibus (siquidem nomen
hoc ductum est ab illo verbo, quod est habere)
manifestum est in ea re dici habitum, quæ acci- 3. Sent. dist. 6 c. Ne autem.
dit alicui, ita ut eam possit etiam non habere.
Nam et doctrina accidit animo, et succus ac ro-
bur corpori, et vestis atque arma, non dubium
est quin accidant membris nostris: ita ut et im-
D peritus possit esse animus, si ei doctrina non
accideret; et exile atque languidum corpus sine
succo viscerum et robore; et nudus sine veste,
et inermis sine armis, et pede nudo sine calcea-
mentis esse homo potest. Habitus ergo in ea re
dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Verum-
tamen hoc interest, quod quædam eorum quæ
accidunt nobis, ut habitum faciant, non mutan-
tur a nobis, sed ipsa nos mutant in se, ipsa in-
tegra et inconcussa manentia: sicuti sapientia,
cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed ho-
minem mutat, quem de stulto sapientem facit.
Quædam vero sic accidunt, ut et mutent et mu-

(a) Sic plerique MSS. At editi, *fallit*.
(b) Tres MSS. *et augentes caritatem*.

(c) Septem MSS. *et ad bona ejus*: paulloque post *indagatione*.

tentur: sicuti cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur; et nos refecti cibo, ab exilitate atque languore in robur atque valentiam commutamur. Tertium vero genus est, cum ipsa quæ accidunt, mutantur ut habitum faciant, et quodam modo formantur ab eis, quibus habitum faciunt, sicuti est vestis: nam cum (a) reposita vel projecta est, non habet eam formam, quam sumit cum induitur atque inducitur membris. Ergo induta accipit formam, quam non habebat exuta: cum ipsa membra, et cum exuuntur, et cum induuntur, in suo statu maneant. Potest esse et quartum genus, cum ea quæ accidunt, ad faciendum habitum, nec ea mutant quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur: sicuti annulus digito, si non nimis subtiliter adtendatur. Verumtamen hoc genus aut nullum est, si diligenter discutias, aut omnino rarissimum.

Philip. 2. 6. et 7.

2. Cum ergo Apostolus de unigenito Dei Filio loqueretur, quantum pertinet ad ejus divinitatem, secundum id quod verissimus Deus est, *æqualem* dixit esse *Patri*, quod *non* ei fuit tamquam *rapinam*, id est, quasi alienum appetere, si semper manens in ea æqualitate, nollet homine indui, et hominibus ut homo apparere: sed *semetipsum exinanivit*, non formam suam mutans, sed *formam servi accipiens;* neque conversus aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed (b) quamquam verum hominem suscipiendo, ipse susceptor *in similitudinem hominum factus*, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit, *habitu inventus est ut homo;* id est, habendo hominem, inventus est ut homo. Non enim poterat inveniri (c) Deus ab iis, qui cor immundum habebant, et Verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo, quod possent videre, et per quod ad illud lumen interius ducerentur. Iste autem habitus non est ex primo genere; non enim manens in se natura hominis naturam Dei commutavit: neque ex secundo; non enim et mutavit homo Deum, et mutatus est ab illo: neque ex quarto; non enim sic assumptus est homo, ut neque ipse mutaret Deum, nec ab illo mutaretur: sed potius ex tertio; sic enim assumptus est, ut commutaretur in melius, et ab eo formaretur ineffabiliter excellentius atque conjunctius quam vestis, cum ab homine induitur. Hoc ergo habitus nomine satis significavit Apostolus quemadmodum dixerit, *in similitudinem hominum factus:* quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est homine, quem sibi uniens quodam modo atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. Sed illum habitum, qui est in perceptione sapientiæ et disciplinæ, Græci ἕξιν vocant: hunc autem, secundum quem dicimus vestitum vel armatum, σχῆμα potius vocant. Ex quo intelligitur de isto genere habitus locutum Apostolum; quandoquidem in Græcia exemplaribus σχήματι scriptum est, quod nos in Latinis *habitu* habemus. Quo nomine oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicuti nec membra veste induta mutantur: quamquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit: sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanæ fragilitatis (d) assumptione, electum est ut Græce σχῆμα, et Latine diceretur habitus illa susceptio.

QUÆST. LXXIV. De eo quod scriptum est in epistola Pauli ad Colossenses, In quo habemus redemptionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis. Coloss. 1. 14. et 15. Imago, æqualitas et similitudo non idem sunt.

Imago et æqualitas et similitudo distinguenda sunt. Quia ubi imago, continuo similitudo, non continuo æqualitas: ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago: ubi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas. Ubi imago, continuo similitudo, non continuo æqualitas: ut in speculo est imago hominis, quia de illo expressa est; est etiam necessario similitudo, non tamen æqualitas; quia multa desunt imagini, quæ tamen insunt illi rei, de qua expressa est. Ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago: velut in duobus ovis paribus, quia inest æqualitas, inest et similitudo, quæcumque enim adsunt uni, adsunt et alteri; imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Ubi similitudo; non continuo imago, non continuo æqualitas: omne quippe ovum omni ovo, in quantum ovum est, simile est; sed ovum perdicis, quamvis in quantum ovum est, simile sit ovo gallinæ, nec imago tamen ejus est, quia de illo expressum non est; nec æquale, quia brevius est, et alterius generis animantium. Sed ubi dicitur, non continuo, utique intelligitur quia esse aliquando potest. Potest ergo esse aliqua imago, in qua sit etiam æqualitas: ut in parentibus et filiis inveniretur imago et æqualitas et similitudo, si intervallum temporis defuisset; nam et de parente expressa est similitudo filii, ut recte dicatur imago, et potest esse tanta, ut recte etiam dicatur æqualitas, nisi quod parens tempore præcessit. Ex quo intelligitur et aliquando æqualitatem non solum similitudinem habere, sed etiam imaginem: quod in superiori exemplo manifestum est. Potest etiam aliquando similitudo esse et æqualitas, quamvis non sit imago: ut de duobus ovis paribus dictum est. Potest etiam similitudo et imago esse, quamvis non sit æqualitas: ut in speculo ostendimus. Potest et similitudo esse, ubi et æqualitas et imago sit: sicut de filiis commemoravimus, excepto tempore, quo præcedunt parentes. Sic enim æqualem syllabam syllabæ dicimus; quamvis altera præcedat, altera subsequatur. In Deo autem, quia conditio temporis vacat; non enim potest recte videri Deus in tempore generasse Filium, per quem condidit tempora: consequens est, ut non solum sit imago ejus, quia de illo est, et similitudo, quia imago; sed etiam æqualitas tanta, ut nec temporis quidem intervallum impedimento sit.

(a) Magister sententiarum, *deposita.*
(b) Sic MSS. octo. At editi, *sed tamquam.*
(c) Cisterciensis codex omittit, *Deus:* cujus vocis loco plures MSS. habent, *ut homo.*
(d) Rat. Er. et plerique MSS. *assumptor.*

QUÆST. LXXV. De hereditate Dei.

1. Sicut Apostolus ad Hebræos dicit, *Testamentum testatoris morte firmatur*. Propterea mortuo pro nobis Christo, novum Testamentum Hebr. 9. 17. firmatum esse asserit: cujus similitudo vetus Testamentum erat, in quo mors testatoris per victimam præfigurabatur. Si ergo quæratur quomodo simus, secundum ejusdem Apostoli verba, Rom 8. 17. *coheredes Christi*, et *filii* atque *heredes Dei;* cum etiam hereditas morte decessoris firma teneatur, nec ullo alio modo possit hereditas intelligi: respondetur, ipso quidem mortuo factos nos esse heredes, quoniam filii ejus etiam dicti sumus. Matth. 9. 15. *Non jejunant*, inquit, *filii sponsi, quamdiu cum* a *illis est sponsus.* Heredes ergo (a) ejus dicimur, quia reliquit nobis pacis Ecclesiasticæ possessionem per fidem temporalis dispensationis, quam in hac vita possidemus, quod testatus est B dicens, Johan. 14. 27. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Coheredes autem ejus efficiemur, cum in fine sæculi mors adsorbebitur in victoriam. 1. Cor. 15. 54. Tunc enim similes ei erimus, quando videbimus 1. Johan. 3. 2. eum sicuti est. Quam hereditatem non ejus Patris morte adipiscimur, qui mori non potest; quandoquidem ipse fit hereditas nostra, secundum illud quod scriptum est, Psal. 15. 5. *Dominus pars hereditatis meæ:* sed quoniam, cum vocati sumus adhuc parvuli, et ad spiritalia contemplanda minus idonei, usque ad humillimas nostras cogitationes se divina miseratio porrexit, ut quomodocumque cernere niteremur, quod non evidenter atque perspicue cernebamus, idipsum moritur quod in ænigmate cernebamus, cum facie ad faciem cernere cœperimus. Convenienter ergo C dicitur moriturum esse quod auferetur: 1. Cor 13. 10. *Cum autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est.* Ita nobis quodam modo moritur pater in ænigmate et idem ipse fit hereditas, b cum facie ad faciem (b) videtur: non quia ipse moritur, sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur: et tamen nisi illa prior nos nutriret, ad aliam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei.

2. Quod si etiam de Domino Jesu Christo, Johan. 1. 1. non secundum Verbum in principio Deum apud Luc. 2. 40. Deum, sed secundum puerum, qui proficiebat ætate ac sapientia, pius intellectus admittit, propria illa susceptione servata, quæ communis ei cum ceteris hominibus non est, cujus tamquam morte possideat hereditatem, manifestum est. D Non enim nos coheredes ejus esse possumus, nisi et ipse heres sit. Si autem pietas hoc non admittit, ut primo ex parte videret homo Domi- * 1. Retr. 19. nicus, deinde ex toto, quamquam in sapientia proficere dictus sit; in corpore suo intelligatur heres, id est Ecclesia, cujus coheredes sumus: quemadmodum filii ejus matris dicimur, quamvis ex nobis constet.

3. Sed rursum quæri potest, cujus morte facti simus etiam nos hereditas Dei, secundum Psal. 2. 8. illud, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, nisi A forte hujus mundi, quo prius tamquam dominante tenebamur. Post autem cum dicimus, Gal. 6. 14. *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo;* possidet nos Christus, mortuo illo, qui nos possidebat: cum ei renuntiamus, morimur illi, et ipse nobis.

QUÆST. LXXVI. De eo quod apostolus Jacobus dicit, Vis autem scire, o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est. Jacobi 2. 20.

1. Quoniam Paulus apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiamsi male operarentur, et facinorose flagitioseque viverent, salvos se esse posse per fidem: locus iste hujus epistolæ eumdem sensum Pauli apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit. Ideoque magis Abrahæ utitur exemplo, vacuam esse fidem (c), si non bene o- Rom. 3. 28. c B peretur; quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus apostolus usus est, ut probaret justificari Rom. 4. 2. hominem per fidem sine operibus legis. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit Paulum apostolum non ita per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari; sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum (d) d operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide. In hoc enim se Gentibus in Christum credentibus Judæi præferre cupiebant, quod dicebant se meritis bonorum operum quæ in lege sunt, ad Evangelicam gratiam pervenisse: ideoque scandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quod incircumcisis C Gentibus Christi gratia traderetur. Unde apostolus Paulus dicit, posse hominem sine operibus, sed præcedentibus, justificari per fidem. Nam justificatus per fidem quomodo potest nisi juste deinceps operari, quamvis antea nihil operatus juste, ad fidei justificationem pervenerit, non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quæ in illo jam vacua esse non potest, cum jam per dilectionem bene operatur? Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam sed gratia pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur. Unde manifestum est, quod Paulus apostolus dicit, *Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus*, non ita Rom. 3. 28. D intelligendum esse, ut accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum, etiamsi male vixerit. Ideo exemplo Abrahæ et apostolus Paulus utitur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est; ut Jacobus, quia fidem ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus apostolus prædicavit.

2. Nam qui putant istam Jacobi apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli apostoli sententiæ; possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco, Non Rom. 2. 13.

(a) Vox *ejus* abest a Rat. et pluribus MSS.
(b) Rat. Er. et viginti MSS. *possidetur.*
(c) Duo MSS. cum Rat. *fidem sine operibus*, quoniam etc.
(d) Editi cum aliquot MSS. addunt hic, *bonorum*,

enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et alio loco: Sed Gal. 5. 6. fides quæ per dilectionem operatur. Et iterum: Rom. 8. 13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; » si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, » vivetis. Quæ sint autem facta carnis, quæ operibus spiritalibus mortificanda sunt, alio loco demonstrat, dicens, Manifesta autem sunt opera Gal. 5. 19. etc. carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, » dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis » sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum 1. Cor. 6. 9. etc. Dei non possidebunt. Et ad Corinthios ait, Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque » masculorum concubitores, neque fures, neque » avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, » sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu » Christi, et in spiritu Dei nostri. Quibus sententiis manifestissime docet, non eos præterito bono opere ad fidei justificationem pervenisse; nec meritis eorum istam gratiam datam, quando dicit, Et hæc quidem fuistis. Sed cum dicit, Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: satis ostendit, jam ex quo crediderunt, bene operari debere. Quod et Jacobus dicit, et multis omnibus locis idem apostolus Paulus satis aperteque prædicat, recte vivendum omnino qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perveniant. Quod et ipse Matth. 7. 21. Dominus commemorat, dicens, Non omnis qui » dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum » cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, Luc. 6. 46. qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum: Et alibi: Ut quid dicitis mihi, Domine, Domine, Matth. 7. 24. etc. et non facitis quæ dico vobis? Et, Omnis » qui audit verba mea hæc, et facit ea, similabo » eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam » supra petram, etc. Et qui audit verba mea hæc, » et non facit ea, similabo eum viro stulto, qui » ædificavit domum suam super arenam, etc. Quapropter non sunt sibi contraria duorum apostolorum sententiæ, Pauli et Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur: sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.

QUÆST. LXXVII. De timore, utrum peccatum sit.

Omnis perturbatio, passio: omnis cupiditas, perturbatio: omnis igitur cupiditas passio. Omnis autem passio, cum est in nobis, ipsa passione patimur; et in quantum passio est, patimur: omnis igitur cupiditas, cum est in nobis, ipsa cupiditate patimur; et in quantum cupiditas est, patimur. Omnis autem passio, in quantum ipsa passione patimur, non est peccatum: sic et si patimur timorem, non est peccatum. Tamquam si diceretur, Si bipes est, non est pecus. Si ergo propterea hoc non est consequens, quia multa sunt pecora bipedia: propterea et illud non est consequens, quia multa sunt peccata quæ patimur. Hoc enim contra dicitur, non esse consequens, ut si patimur timorem, ideo non sit peccatum. Tu autem dicis consequens esse, ut si patimur timorem, non sit peccatum: cum tamen (a) concedas aliqua esse peccata quæ patimur.

QUÆST. LXXVIII. De pulcritudine simulacrorum.

Ars illa summa omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta sunt omnia, quæ etiam sapientia ejus dicitur, ipsa operatur etiam per artifices, ut pulchra atque congruentia faciant, quamvis non de nihilo, sed de aliqua materia operentur, velut ligno, aut marmore, aut ebore, et si quod aliud materiæ genus manibus artificis subditur. Sed ideo isti non possunt de nihilo aliquid (b) fabricare, quia per corpus operantur: cum tamen eos numeros, et lineamentorum convenientiam, quæ per corpus corpori imprimunt, in animo accipiant ab illa summa sapientia, quæ ipsos numeros et ipsam convenientiam longe artificiosius universo mundi corpori impressit, quod de nihilo fabricatum est: in quo sunt etiam corpora animalium, quæ jam de aliquo, id est, de elementis mundi fabricantur; sed longe potentius excellentiusque, quam cum artifices homines easdem figuras corporum et formas in suis operibus imitantur. Non enim omnis numerositas humani corporis invenitur in statua: sed tamen quæcumque ibi (c) invenitur, ab illa sapientia per artificis (d) manum trajicitur, quæ ipsum corpus humanum naturaliter fabricat.

1. Artefactorum forma per artificis manum trajicitur a Sapientia Dei.

Nec ideo tamen pro magno habendi sunt, qui talia opera fabricant, aut diligunt: quia minoribus rebus intenta anima, quas per corpus corporaliter facit, minus inhæret ipsi summæ sapientiæ, unde istas potentias habet: quibus male utitur, dum foris eas exercet; illa enim, in quibus eas exercet, diligens, interiorem earum formam stabilem negligit, et inanior infirmiorque efficitur. Qui vero talia opera etiam (e) coluerunt, quantum deviaverint a veritate, hinc intelligi potest, quia si ipsa animalium corpora colerent, quæ multo excellentius fabricata sunt, et quorum sunt illa imitamenta, quid eis infelicius diceremus?

QUÆST. LXXIX. Quare magi Pharaonis fecerunt quædam miracula, sicut Moyses famulus Dei. Exod. 7. 11.

1. Omnis anima partim privati cujusdam juris sui potestatem gerit, partim universitatis legibus sicut publicis coercetur et regitur. Quia ergo unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur, de ea re cui præposita est, aliter quasi privato jure agi, aliter tamquam publice agere cogitur. Potentior

(a) Rat. et sex MSS. *cum tamen constet.*
(b) Multis in libris verbum istud cum passiva terminatione, sicuti frequens apud Ciceronem, adhibetur tamquam deponens; proque *fabricare*, reperitur *fabricari*: et paulo post *fabricata est* pro *fabricatum est* etc.

(c) Er. et Lov. *invenluntur.* et infra, *trajiciuntur.* Sed verius Rat. et MSS. *invenitur* etc. subaudi numerositas.
(d) MSS. quinque *per artificis animum.* Alii tres, *per artificis voluntatem.*
(e) Plures MSS. *colunt.*

Cuique rei visibili angelus præpositus.

est enim parte universitas; quoniam illud quod ibi privatim agit tantum agere sinitur, quantum lex universitatis sinit. Sed unaquæque anima tanto est pietate purgatior, quanto privato suo minus delectata, legem universitatis intuetur, eique devote ac libenter obtemperat. Est enim lex universitatis divina sapientia. Quanto autem amplius privato suo gaudet, et neglecto Deo, qui omnibus animis utiliter ac salubriter præsidet, ipsa sibi, vel aliis quibus potuerit, vult esse pro Deo, suam potius in se vel in alios, quam illius in omnes diligens potestatem, tanto est sordidior, tantoque magis pœnaliter divinis legibus, tamquam publicis servire cogitur. Quanto igitur etiam humana anima deserto Deo, suis honoribus vel sua potestate fuerit delectata, tanto magis subditur talibus potestatibus, quæ privato suo gaudent, et honorari ab hominibus sicut dii cupiunt: quibus divina lege sæpe conceditur, ut eis quos sibi secundum eorum merita subjugaverint, privato illo jure etiam miraculorum aliquid præstent, in his rebus exhibendorum, quibus sunt infimo, sed tamen ordinatissimo potestatum gradu præpositæ. Sed ubi divina tamquam publica lex jubet, vincit utique privatam licentiam: quamquam et ipsa privata licentia, nisi universalis potestatis divinæ permissione, nulla esset. Ideoque fit, ut sancti Dei servi, quando hoc donum eos habere utile est, secundum publicam et quodam modo imperialem legem, hoc est, summi Dei potestatem imperent infimis potestatibus ad quædam visibilia miracula facienda: in illis enim Deus ipse imperat, cujus templum sunt, et quem contempta sua privata potestate ardentissime diligunt. In magicis autem (*a*) imprecationibus, ad illecebram deceptionis, ut sibi subjugent eos quibus talia concedunt, præstant effectum precibus et (*b*) ministeriis eorum, privato illo jure largientes, quod sibi licet largiri honorantibus se, sibique servientibus, et quædam secum in sacramentis suis pacta servantibus. Et quando videntur (*c*) imperare magi, per sublimiorum nomina inferiores terrent; et nonnulla visibilia, quæ propter infirmitatem carnis magna videntur hominibus non valentibus æterna contueri, quæ per se ipsum præstat dilectoribus suis verus Deus, mirantibus exhibentur. Hæc autem permittit Deus juste omnia moderans, ut pro cupiditatibus et electionibus suis servitutes eorum libertatesque distribuat. Et si quando invocatione summi Dei, aliquid pro suis malis cupiditatibus impetrant, vindicta est illa, non gratia. Non enim frustra dicit Apostolus, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* QUORUMDAM enim PECCATORUM PERPETRANDORUM FACILITAS pœna est aliorum præcedentium.

Lex universitatis. — *In edendis miraculis alia potestate sancti, alia magi nituntur.* — Rom. 1. 26.

Marci 3. 23. 2. Quod autem Dominus dicit, *Non potest satanas satanam excludere:* ne forte quisquam utens nominibus aliquarum infirmarum potestatum, cum dæmonium excluserit, falsam putet esse istam Domini sententiam; ad hoc intelligat dictum, quia hoc modo satanas, etiamsi corpori aut corporis sensibus parcit, ideo parcit, qui ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majore dominetur. Hoc autem modo non exit satanas, sed potius in intima ingreditur, ut in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus: *Secundum principem potestatis aeris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Non enim sensus corporis eorum turbabat atque torquebat, aut eorum corpora collidebat, sed in eorum voluntate, vel potius cupiditate regnabat. Ephes. 2. 2.

3. Quod autem dicit pseudo-prophetas multa signa et prodigia facturos, ita ut fallant etiam, si fieri potest, electos; admonet utique ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum esse arbitrandi sunt. Non enim acceptiores erant Deo, quam populus Israel, magi Ægyptiorum, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant: quamvis Moyses in virtute Dei majora potuerit. Sed ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere discipulos, cum ait, *Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subjiciuntur; sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Matth. 4. 24. — **Miracula facere cur non omnibus sanctis conceditur.** — Luc. 10. 20.

4. Cum ergo talia faciunt magi, qualia nonnumquam sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed et diverso fine et diverso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, isti quærentes gloriam Dei: et illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia vel (*d*) veneficia, isti autem publica administratione, jussu ejus cui cuncta creatura subjecta est. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter eum tradit emptori, vel cuilibet donat aut commodat. Et quemadmodum plerique mali milites, quos imperialis disciplina condemnat, signis imperatoris sui nonnullos possessores territant, et ab eis aliquid, quod publice non jubetur, extorquent: ita nonnumquam mali Christiani, vel schismatici, vel hæretici per nomen Christi aut verba aut sacramenta Christiana exigunt aliquid a potestatibus quibus honori Christi cedere indictum est. Cum autem malis jubentibus cedunt, voluntate ad seducendos homines cedunt, quorum errore lætantur. Quapropter aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani: magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ justitiæ. Nec mirum est, quod hæc signa valent, cum ab eis adhibentur; quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino

Miracula per magos alio fine et jure fiunt, alio per sanctos.

(a) Er. Rat. et quinque MSS. *imperationibus.* Michaelinus codex, *impetrationibus.*
(b) Quindecim MSS. *mysteriis.*
(c) Duo MSS. *impetrare.*
(d) Sic. Rat. et tres MSS. At Er. Lov. et alii codices, *beneficia.*

suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Ex quibus fuit ille, de quo discipuli Domino nuntiaverunt, quod in nomine ejus ejiceret dæmonia, quamvis cum eis eum non sequeretur. Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum atque utile judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere: contremiscunt enim hæc, ubicumque illa conspexerint. Sed nescientibus hominibus aliud jubetur divinitus, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi; sicut de Scevæ filiis in Actibus Apostolorum legimus, quibus ait immundus spiritus, *Jesum scio, et Paulum novi, vos autem qui estis?* vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide, atque ista non jactanter, sed utiliter possint: vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ; sicut Apostolus ait, *Numquid omnes virtutes? numquid omnes habent dona curationum?* Propter has igitur caussas plerumque, ut dictum est, nescientibus hominibus jubetur divinitus, id est, ut his signis adhibitis hujusmodi potestates voluntati hominum non obtemperent.

Act. 19. 14. et 15.

1.Cor.12.30.

Malis datur potestas in bonos propter bonorum utilitatem.

5. Ut autem mali bonis sæpe temporaliter noceant, potestatem in eos accipiunt, ad majorem bonorum utilitatem, propter exercitationem patientiæ. Itaque anima Christiana semper invigilet in tribulationibus suis sequi voluntatem Domini sui, ne ordinatione Dei resistendo adquirat sibi gravius judicium. Quod enim ipse Dominus agens hominem Pontio Pilato dixit, hoc et Job diabolo posset dicere: *Non haberes in me potestatem, nisi data esset tibi desuper.* Non ergo ejus voluntas cujus malitiæ potestas in bonos datur, sed ejus voluntas a quo hæc potestas datur, debet nobis esse carissima. *Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.*

Johan. 19. 11.

Rom. 5. 3. etc.

QUÆST. LXXX. Adversus Apollinaristas.

Cum quidam hæretici, qui Apollinaristæ ex Apollinari quodam auctore suo dicti esse perhibentur, assererent Dominum nostrum Jesum Christum, in quantum homo fieri dignatus est, non habuisse humanam mentem, inhærentes eis nonnulli, et eos studiose audientes, delectati sunt quidem ea perversitate, qua ille hominem in Deo minuebat, dicens eum non habuisse mentem, hoc est rationalem animam, qua homo a pecoribus secundum animum differt. Sed cum secum ipsi cogitarent, fatendum esse, si ita est, ut unigenitus Dei Filius, Sapientia et Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, belluam quamdam cum figura humani corporis suscepisse credatur, displicuerunt sibi, non tamen ad correctionem, ut redirent ad veritatis viam, totumque hominem a Sapientia Dei susceptum esse confiterentur, nulla diminutione naturæ: sed ampliore (*a*) usi audacia, ipsam etiam animam totumque utile hominis alienantes ab eo, solam carnem humanam eum suscepisse dixerunt, adhibentes etiam testimonium ex Evangelio; immo illam sententiam non intelligendo, perversi confligere audent adversus catholicam veritatem, dicentes scriptum esse, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Sub his enim verbis ita Verbum volunt carni esse copulatum atque concretum, ut nulla ibi non solum mens, sed nec anima humana intersistat.

Johan.1.14.

Lib. 14. de Civit. Dei, cap. 2.

Convellitur eorum argumentum.

3. Quibus primo respondendum est, ideo sic esse illud in Evangelio positum, quia usque ad visibilem carnem assumptio illa humanæ naturæ a Domino facta est, atque in tota illa unitate susceptionis principaliter Verbum est, extrema autem atque ultima caro. Volens itaque Evangelista commendare pro nobis (*b*) dejectionem humilitatis Dei, qui sese humiliaverit, et quo usque humiliaverit exprimens, Verbum carnemque nominavit, prætermittens animæ naturam, quæ Verbo inferior est, carne vero præstantior. Magis enim commendat humilitatem, quia dictum est, *Verbum caro factum est:* quam si diceretur, Verbum homo factum est. Nam si (*c*) nimis hæc intuentur verba, potest alius non minus perversus ex istis verbis ita calumniari fidei nostræ, ut dicat ipsum Verbum conversum et commutatum esse in carnem, et Verbum esse destitisse; quia scriptum est, *Verbum caro factum est:* sicut caro humana, cum sit cinis, non est caro et cinis. Sed ex carne cinis. Et secundum loquendi modum consuetudinemque celebriorem, quidquid fit quod non erat, desinit esse quod erat. Nec tamen ita hæc verba intelligimus; sed etiam ipsi nobiscum ita intelligunt, ut manente Verbo quod est, ex eo quod accepit formam servi, non ex eo quod in illam formam aliqua mutatione conversum est, dictum sit, *Verbum caro factum est.* Deinde si ubicumque caro fuerit nominata et anima tacita, sic intelligendum est, ut anima ibi non esse credatur, nec illi habebunt animam de quibus dictum est, *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Et illud in Psalmo: *Exaudi preces meas, ad te omnis caro veniet.* Et illud in Evangelio: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Unde intelligitur, solere homines per nominationem solius carnis significari, ut secundum hanc locutionem etiam illud possit intelligi: ut, quod dictum est, *Verbum caro factum est*, nihil sit dictum, nisi Verbum homo factum est. Sicut enim a parte totum plerumque nominata sola anima homo intelligitur, sicut est illud; *Tot animæ descenderunt in Ægyptum:* sic rursus a parte totum, etiam nominata sola carne homo intelligitur, sicut ista quæ posuimus.

Lucæ 3. 6.

Psal. 64. 3.

Johan.17.2.

Gen. 46. 22.

Exodi 1. 5.

Lib. 16. de Civit. Dei cap. 40.

(a) Plerique MSS. *sed ampliore ipsi audacia etiam animam totumque utile etc.* Fossatensis liber, *sed ampliore sibi audacia etiam animam totam, quam habent alii homines, alienantes ab eo.*

(b) Excusi, *dilectionem*: pro quo melius tres MSS. *dejectionem.*

(c) Septem MSS. *si minus.*

Animæ affectiones fuisse in Christo.

3. Proinde quemadmodum nos huic objectioni eorum, quam ex evangelio proponunt, ita respondemus, ut nullus hominum ita desipiat, ut putet nos per hæc verba cogi ad credendum et confitendum, quod Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus animam humanam non habuit (1.Tim. 2. 5.); sic quæro quomodo ipsi respondeant tam manifestis objectionibus nostris, quibus ostendimus per innumerabiles locos evangelicæ Scripturæ narratum de illo ab Evangelistis, quod in his affectionibus fuerit, quæ sine anima esse non possunt. Non enim ea profero, quæ ipse Dominus tam multa commemorat: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Matth. 26. 38.): *et*, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (Johan. 10. 11.): *et*, *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Johan. 15. 13.): quæ B mihi pervicax contradictor potest dicere figurate a Domino dicta, sicut multa in parabolis eum locutum esse manifestum est. Nam etsi ista non ita sunt, non tamen opus est pugnaciter agere, ubi habemus Evangelistarum narrationes, per quas eum et natum de Maria virgine cognovimus, et comprehensum a Judæis, et flagellatum, et crucifixum atque interfectum, et sepultum in monumento: quæ omnia sine corpore intelligere facta nemo potest. Nec ficte aut figurate accipienda quisquam vel dementissimus dixerit; cum dicta sint ab eis, qui res gestas, ut meminerant, narraverunt. Sicut ergo ista corpus eum habuisse testantur, sic eum indicant habuisse animam affectiones illæ, quæ non possunt esse nisi in anima: quas C nihilo minus eisdem Evangelistis narrantibus legimus. Et miratus est Jesus, et iratus, et contristatus, et exilaratus, et multa talia innumerabilia (Matth. 8. 10.; Marci. 3. 5.). Sicut etiam illa quæ conjuncta simul officia et corporis et animæ ostendunt: sicut sunt quod esurivit, quod dormivit, quod fatigatus ab itinere sedit, et alia hujuscemodi (Matth. 4. 2. et 8. 24. Johan. 4. 6.). Non enim possunt dicere, etiam in veteribus libris dictam esse iram Dei et lætitiam, et nonnullos hujus generis motus, nec ideo tamen esse consequens, ut Deum habuisse animam credendum sit. Dicta sunt enim illa propheticis imaginationibus, non narratoria manifestatione. Nam et membra Dei dicta sunt, et manus, et pedes, et oculi, et facies, et similia: et quemadmodum ista non indicant eum habere corpus, sic nec illa animam. D Quemadmodum autem narratum aliquid, ubi nominata sunt manus Christi et caput, et cetera quæ indicant ejus corpus: ita etiam quæ de animæ affectionibus eodem narrationis tenore nominata sunt, indicant ejus animam. Stultum est autem credere narrati Evangelistæ quod manducaverit, et non ei credere quod esurierit (Gen. 1. 28.). Etsi enim non est consequens, ut omnis qui manducat esuriat; nam et Angelum legimus manducasse, sed esurisse non legimus (Tob. 1. 19.): neque ut omnis qui esurit manducet, si aut officio aliquo se cohibeat, aut desit ei cibus facultasque manducandi (Matth. 4. 2. et 9. 11.): tamen

A cum utrumque narrat Evangelista, utrumque credendum est; quia utrumque sicut rerum gestarum index factum gestumque conscripsit. Sicut autem quia manducavit sine corpore intelligi non potest: sic quia esurivit, sine anima fieri non potuit.

Christus affectiones animæ non necessitate, sed voluntate suscepit.

4. Nec illa nos terret inanis atque inepta calumnia, qua invidiose resistentes ajunt: Ergo sub necessitate positus fuit, si has affectiones animi veras habuit. Facile quippe respondemus, Ergo sub necessitate positus fuit, quia comprehensus, flagellatus, crucifixus et mortuus est: ut tandem sine pertinacia, si volunt, intelligant, sic eum passiones animi, hoc est affectiones (a) voluntate dispensationis, veras tamen, ut placuit, suscepisse (a Lib. 4. de Civit. Dei, cap. 9.), quemadmodum passiones corporis B eadem dispensationis voluntate sine ulla necessitate suscepit. Quemadmodum nos non voluntate morimur, sic et non voluntate nascimur: ille autem voluntate utrumque, ut oportebat, exhibuit, et tamen verissime exhibuit. Sicut ergo necessitatis nomine nec nos nec illos quisquam avellit a fide verissimæ passionis, per quam corpus ejus ostenditur: sic et nos ipso nomine necessitatis nemo deterret a fide verissimæ affectionis, per quam animam ejus agnoscimus: nec ipsos debet deterrere a consentiendo catholicæ fidei, si non eos deterret exitiabilis pudor mutandæ, quamvis falsæ, diu tamen et cum temeritate defensæ sententiæ.

QUÆST. LXXXI. De Quadragesima et Quinquagesima.

1. Omnis sapientiæ disciplina, quæ ad homines erudiendos pertinet, est creatorem creatu- C ramque dignoscere, et illum colere dominantem, istam subjectam fateri. Est autem creator Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (Rom. 11. 36.): et ideo Trinitas, Pater et Filius et Spiritus-sanctus. Creatura vero partim est invisibilis, sicut anima; partim visibilis, sicut corpus. In visibili ternarius numerus tribuitur; quare diligere Deum tripliciter jubemur, ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente (Matt. 22. 37. Deut. 6. 5.): corpori quaternarius numerus, propter evidentissimam naturam ejus, id est, calidam et frigidam, humidam et siccam. Universæ ergo creaturæ tribuitur septenarius. Quapropter omnis disciplina dignoscens et discernens creatorem atque creaturam, denario numero insinuatur: quæ disciplina, quamdiu corporeis motibus temporaliter significatur, cre- D dendo constat, et rerum gestarum venientium atque transeuntium auctoritate quasi lacte parvulos nutrit; ut idoneos faciat contemplationi, quæ non venit et transit, sed semper manet: in qua quisque narratis sibi rebus divinitus temporaliter pro salute hominum gestis, sive gerendis quæ adhuc futura prædicantur, si permanserit in fide et promissa speraverit, et quæ divina auctoritas præcipit infatigabili caritate implere curaverit, recte aget vitam hujus necessitatis et temporis, quæ numero quadragenario commendatur. Quoniam denarius numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus, id

(a Sic decem MSS. Editi autem hoc tantum loco voluntatis dispensatione.

est, numero qui corpori tribuitur multiplicatus, a quia per (*a*) motum corporalis administratio geritur, qua dictum est fidem constare, quadragenarium numerum conficit. Ita impetrat etiam stabilem et nullius temporis indigentem sapientiam, quæ denario numero commendatur, ut ne quadraginta addantur decem: quia et partes æquales quadragenarii numeri simul ductæ ad quinquaginta perveniunt. Partes autem æquales habet quadragenarius numerus, primo quadraginta in singulis, deinde viginti in binis, decem in quaternis, octo in quinis, quinque in octonis, quatuor in denis, duas in vicenis. Unum ergo et duo et quatuor et quinque et octo et decem et viginti simul ducta efficiunt quinquaginta. Quapropter sicuti quadragenarius numerus æqualibus suis partibus computatis parit amplius denarium, et fit quinquagenarius: sic tempus fidei rerum pro salute nostra gestarum et gerendarum cum æquitate vitæ actum, impetrat intellectum stabilis sapientiæ; ut non solum credendo, sed etiam intelligendo disciplina firmetur.

Ecclesia præsens per Quadragesimam, futura per Quinquagesimam figuratur.

2. Et ideo ea quæ nunc est Ecclesia, quamvis *filii Dei simus*, ante tamen quam *appareat quid erimus*, in laboribus et afflictionibus agit, et in ea justus ex fide vivit. *Nisi enim credideritis*, inquit, *non intelligetis*. Et hoc est tempus, quo ingemiscimus et dolemus, expectantes redemptionem corporis nostri, quod Quadragesima celebratur. *Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*: cum addetur denarius quadragenario, ut non solum credere quæ pertinent ad fidem, sed etiam perspicuam veritatem intelligere mereamur. Talis Ecclesia, in qua nullus erit mœror, nulla permixtio malorum hominum, nulla iniquitas, sed lætitia et pax et gaudium, Quinquagesimæ celebratione præfiguratur. Propterea postea quam Dominus noster resurrexit a mortuis, quadraginta diebus peractis cum discipulis suis, eadem ipsa scilicet per hunc numerum insinuata temporali dispensatione, quæ ad fidem pertinet, adscendit in cœlum, et decem aliis diebus peractis misit Spiritum-sanctum: id est, ut non ad humana et temporalia, sed ad divina et æterna contuenda quodam amoris et caritatis spiramento et incendio quadragenario denarius adderetur. Et ideo jam hoc totum, id est, quinquagenarius numerus dierum, lætitiæ celebratione signandus est.

1. Joh. 3. 2. Hab. 2. 4. Rom. 1. 17. Isai. 7. 9. Rom. 8. 23. Act. 1. 3. Act. 2. 1.

3. Hæc autem duo tempora, id est, unum laboris et sollicitudinis, alterum gaudii et securitatis, etiam retibus missis in mare Dominus noster significat. Nam ante passionem de reticulo dicitur misso in mare; quia tantum piscium ceperunt, ut vix ad littus trahendo perducerent, et ut retia rumperentur. Non enim missa sunt in dexteram partem; habet enim multos malos Ecclesia hujus temporis: neque in sinistram; habet enim etiam bonos: sed passim, ut permixtionem bonorum malorumque significaret. Quod autem

Lucæ 5. 6.

A rupta sunt retia, caritate violata multas hæreses exiisse significat. Post resurrectionem vero, cum vellet Ecclesiam futuri temporis premonstrare, ubi omnes perfecti atque sancti futuri sunt, jussit mitti retia in dexteram partem: et capti sunt ingentes pisces centum-quinquaginta-tres, mirantibus discipulis quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta. Horum magnitudo magnitudinem sapientiæ justitiæque significat; numerus vero ipsam disciplinam et temporali dispensatione et æterna regeneratione perfectam, quam diximus quinquagenario numero commendari. Quis enim tunc non erit opus corporalibus adjumentis, et animo continebitur fides atque sapientia; quis animo ternarium numerum tributum diximus, quinquaginta ducimus B ter, et fiunt centum-quinquaginta; cui numero trinitas additur, quia omnis illa perfectio in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti consecrata est: ita fiunt centum-quinquaginta-tres, qui numerus piscium ad dexteram partem captorum invenitur.

Joan. 21. 6.

QUÆST. LXXXII. De eo quod scriptum est, *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit*. Heb. 12. 6.

1. Multi murmurantes sub disciplina Dei, quæstionem movent, cum vident justos sæpe graves molestias secundum hanc vitam pati: quasi propterea nihil eis prosit quod Deo serviunt, quia vel communes labores, atque indifferenter corporum atque damnorum et contumeliarum cæterorumque omnium, quæ mala mortales putant, vel etiam ceteris ampliores patiuntur propter verbum Dei atque justitiam, quæ onerosa peccantibus in ejus prædicatores tumul- C tuosas seditiones aut insidias aut odia concitat. Quibus respondetur, quia si vita ista sola esset hominum, aut nihil prodesse, aut etiam nocere justa vita non usque quaque absurde videretur. Quamquam non defuerint, qui justitiæ suavitatem et internum ejus gaudium cum corporalibus omnibus laboribus et molestiis quas genus humanum pro conditione suæ mortalitatis patitur, cum omnibus etiam quæ propter ipsam justitiam in eos qui juste vivunt, injuriosissime (*b*) b cogitantur, ita compensarent, ut sequestrata spe futuræ vitæ jucundius et lætius præ amore veritatis torquerentur, quam luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epularentur.

Justorum labores improbis quibusdam scandalum.

2. Sed iis tamen qui putant injustum Deum, cum justos in doloribus et laboribus vident, aut certe si non audent injustum Deum dicere, vel D res humanas non curare arbitrantur, vel semel statuisse necessitates fatorum, contra quas nec ipse aliquid facit, ne ordinem rerum a se dispositum inconstantia turbare credatur; aut aliquid aliud opinantur, quod Deus in aliquo invalidus non possit a justis ista mala prohibere: dicendum est, nullam fuisse futuram justitiam in hominibus, si res humanas non curaret Deus. Quia omnis ista hominum justitia, quam et tenere animus humanus recte faciendo potest, et peccando amittere, non imprimeretur animæ, nisi esset aliqua incommutabilis justitia, quæ inte-

In eos qui Deum injustum aut invalidum, aut res humanas non curare dicunt, cum vident justos affligi.

(*a*) Tres MSS. *per motus corporales*. Paulo post Rat. et duodecim MSS. *quam dictum est fide constare*. Er. *quo dictum est etiam constare*.

(*b*) Tres MSS. *concitantur*.

gra inveniretur a justis, cum ad eam converterentur; integra relinqueretur a peccantibus, cum ab ejus lumine averterentur. Quæ justitia incommutabilis utique (a) Dei est, nec eam porrigeret ad illustrandos ad se conversos, si res humanas non curaret. Si vero propterea gravia perpeti justos (b) sineret, quia contra ordinem rerum a se dispositum nollet venire, nec ipse justus esset; non quia dispositionem suam servare vult, sed quia ita disposuit ipsum ordinem rerum, ut immeritis pœnis justi affligantur. In aliquo autem Deum esse invalidum ad repellenda mala quæ justi patiuntur, quisquis opinatur ideo desipit, quia non intelligit, sicut nefas est injustum Deum dicere; ita nefas esse omnipotentem negare.

Justis expedit affligi in hac vita.

3. Quibus pro tempore susceptæ quæstionis breviter constitutis, quia et ipsum Deum et justum atque omnipotentem esse, perniciosissimæ iniquitatis est dubitare; nulla caussa probabilior occurrit, cur justi homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit. Alia est enim quæ nunc est justitia hominum ad recipiendam sempiternam salutem, alia tunc in paradiso constituti hominis esse debuit ad retinendam et non amittendam eamdem sempiternam salutem. Sicut enim justitia Dei est, utilia præcipere, et inobbedientibus pœnas, obedientibus autem præmia distribuere: ita justitia est hominis, præceptis utilibus obedire. Sed quoniam sic est in animo beatitudo, ut in corpore sanitas: quemadmodum in ipso corpore alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia vero, ut amissa recuperetur; sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur, ut eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis medici, quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut sanari possit; quæ sæpe non sufficiunt, si talis est morbus, nisi adhibeantur a medico quædam adjutoria, plerumque aspera et dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam salutem; unde fit ut homo, quamvis jam obtemperans medico patiatur tamen adhuc dolores, non solum de ipso morbo nondum sanato, verum etiam de adjutorio medicinæ: ita homo per peccatum lapsus in hujus vitæ morbidam et calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accepit, quibus obtemperans jam quidem non absurde dicitur juste vivere, sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur quod scriptum est, *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Qui vere non obtemperantes præceptis saluberrimis inique vivunt, augent etiam

Heb. 12. 6.

atque etiam morbos suos et aut ex ipsis patiuntur innumerabiles miseriarum labores doloresque etiam in hac vita, aut pœnis quoque adhibitis, ut quod sanum non est, tangatur et doleat, in quo malo sint, misericorditer admonentur, ut ad medicinam conversi per gratiam Dei sani fiant. Quæ omnia si contemserint, id est præcepta (c) verborum et dolorum, justam post hanc vitam sempiternam damnationem merebuntur. Ideoque ille potest dicere injuste ista fieri, qui solam vitam mortalem, quam nunc agimus, esse existimans, quæ divinitus prædicta sunt futura non credit, pensurus gravissima supplicia perseverantiæ peccatorum atque infidelitatis suæ.

QUÆST. LXXXIII. De conjugio, in eo quod Dominus ait, *Si quis dimiserit uxorem suam excepta caussa fornicationis, etc.* Matth. 5. 32.

Si Dominus dimittendæ conjugis solam caussam fornicationis admittit, et paganum conjugium dimitti (d) non prohibet, consequens est ut paganismus fornicatio deputetur. Solam autem fornicationis caussam exceptam facere Dominum, cum de dimittenda conjuge loquitur in Evangelio, manifestum est. Paganum vero conjugium hinc non prohibetur dimitti, quia cum Apostolus de hac re consilium daret, ut fidelis volentem secum esse conjugem infidelem, non dimittat, ait, *Ego dico, non Dominus:* ut Dominus intelligatur, non quidem jubere ut dimittatur, ne contra jussum ejus consilium dare videatur Apostolus, sed tamen permittere; ut nemo in ea re jussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat. Verumtamen si quisquam asserat solam illam fornicationem Dominum admittere ad caussam relinquendæ conjugis, quæ vulgo dicitur fornicatio, id est quæ concubitu illicito perpetratur: hoc potest dicere, Dominum, cum de hac re loqueretur, de utroque fideli dixisse, et marito et uxore, ut si ambo fideles sint, neutri liceat alterum relinquere, nisi caussa fornicationis; ubi non potest paganismus intelligi, quia uterque fidelis est. Sic enim et Apostolus videtur distinguere, cum ait: *His autem qui in conjugio sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si recesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi etiam intelligitur, quod si una illa caussa, qua sola relictio conjugii permittitur, mulier a viro recesserit, innupta perseverare debet: aut si se non continet, viro potius reconciliari vel correcto vel certe tolerando, quam alteri nubere. Sequitur autem, et dicit, *Et vir uxorem non dimittat:* breviter eamdem formam intimans in viro, quam præcipiebat in fœmina. Quibus ex præcepto Domini insinuatis ita sequitur: *Ceteris autem ego dico, non Dominus, Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: et mulier si habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Ubi dat intelligi Dominum de his locutum, ut neuter alterum dimitteret, si fideles ambo essent.

1. Cor. 7. 12.

Ibid. et 11.

Ibidem.

Ibid. 12 et 13.

(a) Tres MSS. *Deus est.*
(b) Er. et Lov. *non sineret:* et infra, *servare non vult:* quibus duobus locis particula negans e multis MSS. abest et ab editione Rat.
(c) Ad marginem Rat. *verberum.*

(d) Editi, *dimitti prohibet; consequens est paganismus fornicatio* (vel *fornicationi*) *non deputetur.* Sed solidior codicum aliquot MSS. lectio, negante particula verbo *prohibet* præfixa, non verbo *deputetur.*

DE SUBSEQUENTI OPERE

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT I.

LIBRORUM quos episcopus (a) elaboravi, primi duo sunt *ad Simplicianum* ecclesiæ Mediolanensis antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, *de diversis quæstionibus;* quarum duas ex epistola Pauli apostoli ad Romanos, in primum librum contuli. Harum prior est de eo quod scriptum est, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit* usque ad illud, ubi ait, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* In qua illa Apostoli verba, *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum* etc. quibus caro contra spiritum confligere ostenditur, eo modo exposui, tamquam homo describatur adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutus. Longe enim postea et spiritalis hominis (et hoc probabilius) esse posse illa verba cognovi. Posterior in hoc libro quæstio est, ab eo loco ubi ait, *Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri,* usque ad illud ubi ait, *Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.* In cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia: nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.

Rom. 7. 7. — Ibid. 9. 10. — 1. Cor. 4. 7. — Cyp. lib. 3. Testim. 4.

2. In secundo libro tractantur ceteræ quæstiones, et pro nostra quantalacumque facultate solvuntur, quæ sunt omnes de scriptura quæ Regnorum appellatur. Harum prima est de eo quod scriptum est, *Et insiliit spiritus Domini in Saul;* cum alibi dicatur, *Et spiritus Domini malus in Saul.* Quam cum exponerem dixi, *Quamvis sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusquam potestate quid possit.* Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit; ubi prius et maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa, cum volumus: sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum præparatur voluntas a Domino. Secunda quæstio est, quomodo dictum sit, *Pœnitet me quod constituerim regem Saul.* Tertia, utrum spiritus immundus qui erat in pythonissa potuerit agere ut Samuel a Saule videretur, et loqueretur cum eo. Quarta, de eo quod scriptum est, *Intravit rex David, et sedit ante Dominum.* Quinta, de eo quod dixit Elias, *O Domine testis hujus viduæ cum qua ego inhabito apud ipsam, tu male fecisti, occidere filium ejus.* Hoc opus sic incipit. *Gratissimam plane.*

1. Reg. 10. 10. — Ibid. 16. 14. — Lib. 2. quæst. 1. — Prov. 19. 21. — 1. Reg. 15. 11. — Ibid. 28. 7. — 2. Reg. 7. 18. — 1. Reg. 17. 20.

(a) Episcopatum sumpsit Augustinus labente anno 395. Ambrosius autem obiit 4 Aprilis an. 397. Ita subsequens opus ad Simplicianum Ambrosii successorem in exordio episcopatus Augustini scriptum pertinet ad annum 397.

EX LIBRO DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM, cap. 4.

* In expositione quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos Tom.3 .p.2.
** Ib. infra.
* 1.Cor.4.7.

Videtis certe quid tunc de fide atque operibus * sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, episcopum Medialanensis ecclesiæ, sancti Ambrosii successorem, in ipso exordio episcopatus mei. **

Ecce quare dixi superius, hoc * apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem; quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit.

EX LIBRO DE DONO PERSEVERANTIÆ, cap. 20.

Plenius sapere cœpi is ea disputatione, quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum, episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio, quando et initium fidei donum Dei esse **Ib.cap 21. cognovi et asserui. **

Videant utrum in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos mei episcopatus initio, ante quam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: et utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: et utrum ex iis quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum et gloriam.

EX II. TOMO EPISTOLA XXXVII.

Domino beatissimo et venerabiliter sincerissima caritate amplectendo Patri Simpliciano Augustinus in Domino salutem.

Plenas bonorum gaudiorum litteras, quod sis memor mei, meque ut soles diligas, magnæque gratulationi tibi sit quidquid in me donorum suorum Dominus conferre dignatus est misericordia sua, non meritis meis, missas munere sanctitatis tuæ accepi: in quibus affectum in me paternum de tuo benignissimo corde non repentinum et novum hausi, sed expertum plane cognitumque repetivi, Domine beatissime et venerabiliter sincerissima caritate amplectende.

2. Unde autem tanta exorta est felicitas litterario labori nostro, quo in librorum quorumdam conscriptione sudavimus, ut a tua dignatione legerentur? nisi quis Dominus, cui subdita est anima mea, consolari voluit curas meas, et a timore recreare, quo me in talibus operibus necesse est esse sollicitum, necubi forte indoctior vel incautior, quamvis in planissimo campo veritatis, offendam, Cum enim tibi placet quod scribo, novi cui placeat: quoniam quis te inhabitet novi. Idem quippe omnium munerum spiritalium distributor atque largitor per tuam sententiam confirmabit obedien-
Gen. 1. tiam meam. Quidquid enim habent illa scripta delectatione tua dignum, in meo ministerio dixit Deus, Fiat, et factum est: in tua vera approbatione vidit Deus, quia bonum est.

3. Quæstiunculas sane, quas mihi enodandas jubere dignatus es, etsi mea tarditate implicatus non intelligerem, tuis meritis adjutus aperirem. Tantum illud quæso, ut pro mea infirmitate depreceris Deum, et sive in iis quibus me exercere benigne paterneque voluisti, sive in aliis quæcumque nostra in tuas sanctas manus forte pervenerint, (quia sicut Dei data, sic etiam mea errata cognosco,) non solum curam legentis impendas, sed etiam censuram corrigentis assumas. Vale.

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS
AD SIMPLICIANUM
LIBRI DUO. *

* Scripti circiter an. 397.

LIBER PRIMUS

In quo Simpliciani quæstiones ex epistola Pauli ad Romanos duæ tractantur.

PRÆFATIO. GRATISSIMAM plane atque suavissimam interrogationum tuarum dignationem mihi, pater Simpliciane, misisti: quibus nisi respondere conarer non solum contumax, verum etiam ingratus existerem. Et illa quidem quæ de Paulo apostolo dissolvenda proposuisti, jam a nobis erant utcumque discussa litterisque mandata. Sed tamen eadem ipsa verba Apostolica tenoremque sententiarum, non contentus inquisitione atque explicatione præterita, ne quid in ea negligentius præterissem, cautius adtentiusque rimatus sum. Non enim tu ea percontanda censeres, si eorum intellectus facilis atque expeditus foret.

QUÆST. I. Rom. 7. 7. 1. NAM ex eo loco ubi scriptum est, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit:* usque ad eum locum, ubi ait, *Igitur lex volenti mihi bonum est;* et cetera, credo usque ad illud, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum:* primam nos voluisti enodare
2. Retr. 1. quæstionem. Quo loco videtur mihi Apostolus transfigurasse in se hominem sub lege positum, cujus verbis ex persona sua loquitur. Et quis
Rom. 7. 6. paulo ante dixerat, *Evacuati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ,* atque ita per hæc verba quasi reprehendisse legem posset videri, subjecit statim, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

2. Hic rursus movet, Si lex non est peccatum,

A sed (a) insinuatrix peccati, nihilo minus his verbis reprehenditur. Quare intelligendum est, legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, neque ut exstirparetur, sed tantum ut demonstraretur, quo animam humanam quasi de innocentia securam ipsa peccati demonstratione ream faceret: ut quia peccatum sine gratia Dei vinci non posset, ipsa reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur. Itaque non ait, Peccatum non feci nisi per legem: sed, *Peccatum non cognovi nisi per legem.* Neque rursus ait, Nam concupiscentiam non habebam, nisi lex diceret, Non concupisces: sed ait, *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Unde apparet concupi-
B scientiam per legem non insitam, sed demonstratam.

a Lex ad quid data.

Rom. 7. 7.

3. Consequens autem erat, ut quoniam nondum accepta gratia concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam: quia majores vires habet concupiscentia crimine prævaricationis adjuncto, cum etiam contra legem facit, quam si nulla lege prohiberetur. Consequenter itaque subjungit, *Occasionem autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Erat enim et ante legem, sed non omnis erat, quando crimen prævaricationis adhuc deerat. Unde alio loco dicit, Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.

Concupiscentia aucta per legem.

Ibidem 8.

Rom. 4. 15.

4. Quod autem adjungit, *Sine lege enim pec-*
C *catum mortuum est:* pro eo positum est, ac si diceret, latet, hoc est, mortuum putatur: quod paulo post evidentius dicturus est. *Ego autem,*

Peccatum quomodo mortuum erat sine lege

Rom. 7. 8.

(a) Am. et Er. *inseminatrix.* Favet Corbejensis vetustissimus codex, qui habet, *inseminatrix.*

Ibidem 9. inquit, *vivebam sine lege aliquando:* id est, nulla (a) ex peccato morte (a) terrebar; quis non apparebat, cum lex non esset. *Adveniente autem* * Ibid. 10. *mandato, peccatum revixit;* hoc est, apparuit.* *Ego autem mortuus sum:* id est, mortuum me esse cognovi; vel, quia reatus prævaricationis certum mortis supplicium comminatur. Sane

Quomodo revixit. quod ait; *Peccatum revixit adveniente mandato,* satis significavit hoc modo aliquando vixisse peccatum, id est notum fuisse, sicut arbitror, in prævaricatione primi hominis, quia et ipse man-

Gen. 2. 17. datum acceperat. Nam et alio loco dicit, Mulier I. Tim. 2. 14. autem (b) seducta in prævaricatione facta est. b Et iterum, In similitudine prævaricationis Adæ, Rom. 5. 14. qui est forma futuri. Non enim potest reviviscere, nisi quod vixit aliquando. Sed mortuum fuerat, id est occultatum, cum mortales nati sine mandato legis homines viverent, sequentes concupiscentias carnis sine ulla cognitione, quia sine ulla prohibitione. Ergo, *Ego*, inquit, *vivebam sine lege aliquando.* Unde manifestat, non ex perc sona sua proprie, sed generaliter ex persona (c) veteris hominis se loqui. *Adveniente autem mandato peccatum revixit. Ego autem mortuus sum; et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem.* Mandato enim si obediatur, utique vita est. Sed inventum est esse in mortem, dum fit contra mandatum, ut non solum peccatum fiat, quod etiam ante mandatum fiebat, sed hoc abundantius et perniciosius, ut jam a sciente et prævaricante peccetur.

Rom. 7. 11. 5. *Peccatum enim,* inquit, *occasione accepta per mandatum, fefellit me, et per illud occidit.* * f. utenti. Peccatum non legitime* utens lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcius factum est, et ideo fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines consequuntur. Quis ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine. Quia vero etiam accedit reatus prævaricationis, occidit.

Rom. 7. 12. 6. *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Jubenda enim ju-Ibidem 13. bet, et prohibenda prohibet. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* In male utente quippe vitium est, non in mandato ipso, quod I Tim. 1. 8. bonum est. Quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur. Male autem utitur lege, qui non

Lege quis male utitur. se subdit Deo pia humilitate, ut per gratiam lex possit impleri. Itaque ad nihil aliud accipit legem, qui non ea legitime utitur, nisi ut peccatum ejus quod latebat ante prohibitionem, apparere incipiat per prævaricationem. Et hoc *supra modum;* quia jam non solum peccatum fit, sed etiam contra mandatum. Sequitur ergo, et Rom. 7. 13. adjungit, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Unde manifestat quo sensu dixerit superius, *Sine lege enim peccatum mortuum est;* non Ibidem 8. quia non erat, sed quia non apparebat, et quomodo dictum sit. *Peccatum revixit;* non ut esset quod erat et ante legem, sed ut appareret, Ibidem 9. quoniam fiebat contra legem: quando quidem hoc loco ait, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Non enim ait, ut sit peccatum: sed, *ut appareat peccatum.*

7. Deinde subjungit caussam, cur ita sit: *Sci-* Rom. 7. 14. *mus enim*, inquit, *quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum.* In quo satis ostendit, non

Lex nonnisi a spiritalibus impletur. posse impleri legem nisi a spiritalibus, qui non fiunt nisi per gratiam. Spiritali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis et ipse in spiritalem surgit affectum, tanto eam magis implet; quia tanto magis ea delectatur, jam non sub ejus onere afflictus, sed ejus lumine vegetatus: quia præceptum Domini lucidum est illuminans oculos, et lex Domini immacu- Psal. 18. 8. lata convertens animas; gratia donante peccata, et infundente spiritum caritatis, quo et non sit molesta, et sit etiam jucunda justitia. Sane cum dixisset, *Ego autem carnalis sum:* contexuit et-

Carnales dupliciter dicti. iam qualis carnalis. Appellati sunt enim ad quemdam modum carnales, jam etiam sub gratia constituti, jam redempti sanguine Domini, et renati per fidem, quibus idem Apostolus dicit, Et ego I. Cor. 3. 1. et 2. fratres, non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Quod dicens, utique ostendit jam renatos fuisse per gratiam, qui erant parvuli in Christo et lacte potandi, et tamen eos adhuc carnales vocat. Qui autem nondum est sub gratia, sed sub lege, ita carnalis est, ut nondum sit renatus a peccato, sed venumdatus sub (d) peccato: quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam, qua fallitur, et delectatur etiam contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minus licet. Qua suavitate frui non potest quasi pretio conditionis suæ, nisi cogatur tamquam emptum mancipium servire libidini. Sentit enim se servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, et se recte prohiberi cognoscit, et tamen facit.

8. *Quod enim operor,* ait, *ignoro.* Non ita hic Rom. 7. 15. dictum est, *ignoro*, quasi peccare se nesciat. Nam contrarium erit quod dixit, *Sed peccatum, ut* Ibidem 13. *appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Et illud superius, *Sed peccatum non* Ibidem 7. *cognovi nisi per legem.* Quomodo enim apparet, aut quomodo cognovit quod ignorat? Sed ita dictum est, quomodo dicturus est Dominus impiis, Matth. 25. 12. Non novi vos. Neque enim aliquid Deum latet, Psal. 33. 17. quando vultus Domini superfacientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Sed dicimur aliquando ignorare quod non approbamus. Ita ergo ait, *Quod enim operor, ignoro:* id est, non

(a) Sex MSS. terrebar.
(b) Ita MSS. juxta Græc. At editi, *in prævaricatione seducta fuit.*
(c) Abest *veteris* a Victorino codice et vetustissimo Corbejensi.
(d) Editi, *sub lege a peccato.* At MSS. *sub peccato*, vel *sub peccatum.*

approbo. Quod consequenter ostendit, dicens, A *Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio*. Quod ergo ait, *odi*; hoc ait, *ignoro*: quia et quibus dicturus est Dominus, Non novi vos; de
Psal. 5. 7. his illi dicitur, Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem.

Rom. 7. 16. 9. *Si autem quod nolo, hoc facio; consentio legi, quoniam bona est*. Hoc enim non vult, quod et lex: nam hoc vetat lex. Consentit ergo legi, non in quantum facit quod illa prohibet, sed in quantum non vult quod facit. Vincitur enim nondum per gratiam liberatus, quamvis jam per legem et noverit se male facere, et nolit. Quod
Ibidem 17. vero sequitur, et dicit, *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum*: non ideo dicit, quia non consentit ad faciendum peccatum, quamvis legi consentiat ad hoc im- B
2. Retr. 1. probandum. Loquitur enim adhuc ex persona hominis sub lege constituti, nondum sub gratia, qui profecto trahitur ad male operandum concupiscentia dominante atque fallente dulcedine peccati prohibiti, quamvis ex parte notitiæ legis hoc improbet. Sed propterea dicit, *Non ego operor illud*, quia victus operatur. Cupiditas quippe id operatur, cui superanti ceditur. Ut autem non cedatur, sitque mens hominis adversus cupiditatem robustior, gratia facit, de qua post dicturus est.

Rom. 7. 10. *Scio enim*, inquit, *quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*. Ex eo quod scit, consentit legi: ex eo autem quod facit, cedit peccato. Quod si quærit aliquis unde hoc scit, quod dicit habitare in carne sua non utique bonum, id C est peccatum: unde, nisi ex traduce mortalitatis
a et assiduitate (a) voluptatis; illud est ex pœna originalis peccati, hoc est ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur, hoc vi-
b vendo addimus. Quæ duo, scilicet, (b) tamquam natura et consuetudo, conjuncta, robustissimam faciunt et invictissimam cupiditatem, quod vocat peccatum, et dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quemdam et quasi regnum obtinere. Unde est illud in Psalmo: Elegi abjici in
Psal. 83. 11. domo Domini; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum; quasi non habitet, quamvis
c ibi sit, qui abjectus (c) ibi est, ubicumque sit: unde insinuat habitationem cum quodam principatu intelligendam. Si autem per gratiam fiat
Rom. 6. 12. in nobis quod alio loco dicit, Ut non regnet pec- D catum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, jam nec habitare proprie dicitur.

Rom. 7. 18. 11. *Velle enim*, inquit, *adjacet mihi, perfice-*
d *re autem bonum* (d) *non invenio*. His verbis videtur non recte intelligentibus velut auferre liberum arbitrium. Sed quomodo aufert, cum dicat, *Velle adjacet mihi*? Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet nobis: sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non enim est

hæc prima natura hominis, sed delicti pœna, per quam facta est ipsa mortalitas, quasi secunda natura, unde nos gratia liberat conditoris subditos sibi per fidem. Sed istæ nunc voces sunt sub lege hominis constituti, nondum sub gratia. Non enim quod vult facit bonum, qui nondum Originalis est sub gratia; sed quod non vult malum, hoc peccati pœna. agit, superante concupiscentia, non solum vinculo mortalitatis, sed (e) mole consuetudinis robo- e rata. Si autem quod non vult, hoc facit; jam non ipse operatur illud, sed quod habitat in eo peccatum: sicut superius dictum est et expositum.

12. *Invenio ergo*, inquit, *legem mihi volenti* Rom. 7. 21. *facere bonum, quoniam mihi malum adjacet*: id est, invenio legem bonum mihi esse, cum volo facere quod lex * habet, quoniam mihi malum * f. jubet. adjacet, ad facile faciendum. Quia superius quod ait, *Velle adjacet mihi*: ad facilitatem dixit enim. Quid facilius homini sub lege constituto, quam velle bonum et facere malum? Nam et illud sine difficultate vult, quamvis non tam facile faciat, quam facile vult; et hoc quod odit facile habet, quamvis id nolit: sicut præcipitatus sine difficultate venit in profundum, quamvis id nolit atque oderit. Hoc dixi propter verbum quod ait, *adjacet*. Perhibet igitur testimonium legi, quod bona sit, homo sub ea positus et nondum gratia liberatus: perhibet omnino eo ipso quod se reprehendit facere contra legem: et invenit eam bonum sibi esse, volens facere quod illa jubet, et concupiscentia superante non valens: atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.

13. *Condelector enim*, inquit, *legi Dei secundum* Rom. 7. 22. *interiorem hominem*: ei utique legi, quæ Exodi 20. 17. dicit, Non concupisces. *Video autem*, inquit, *legem aliam in membris meis repugnantem legi* Rom. 7. 23. *mentis meæ, et captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis*. Legem appellat in Lex peccati membris suis, onus ipsum mortalitatis, in quo in membris quid. ingemiscimus gravati. Corpus enim quod cor- 2. Cor. 5. 4. rumpitur aggravat animam. Per quod fit etiam Sap. 9. 15. sæpe, ut (f) invicte delectet quod non licet. Quam f sarcinam prementem et urgentem ideo legem appellat, quia jure supplicii divino judicio tributa et imposita est ab eo qui præmonuit hominem, dicens, Qua die manducaveritis, morte mo- Gen. 2. 17. riemini. Hæc lex repugnat legi mentis dicenti, Non concupisces: cui condelectatur homo secundum interiorem hominem: et ante quam sit quisque sub gratia, ita repugnat, ut et captivet eum sub lege peccati, id est sub semetipsa. Cum enim dicit, *quæ est in membris meis*: hanc ostendit eamdem esse de qua superius ait, *Video aliam legem in membris meis*.

14. Hoc autem totum ideo dicitur, ut demonstretur homini captivo non esse præsumendum de viribus suis. Unde Judæos arguebat tamquam de operibus legis superbe gloriantes, cum trabe-

(a) MSS. Sorbonicus et Corbejensis, *voluntatis*.
(b) Er. omittit, *tamquam*.
(c) Tres Vaticani codices carent particula *ibi*.
(d) Verbum *invenio* abest a MSS.

(e) Sic Er. et potiores MSS. At Lov. *malæ consuetudinis*.
(f) Lov. *turpe delectat quod licet*. Locum partim ad alias editiones restituimus, partim ad MSS.

rentur concupiscentia ad quidquid illicitum est, A cum lex de qua gloriabantur, dicat, Non concupisces. Humiliter ergo dicendum est homini victo, damnato, captivo, et nec saltem accepta lege victori, sed potius prævaricatori, humiliter
Rom. 7. 24, et 25. exclamandum est, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.

Loci in quibus lex videri possit dici mala.
15. In hac ergo tota, quam tractavimus, apostolici contexione sermonis, quisquis putat sensisse Apostolum quod mala sit lex, quoniam di-
Rom. 5. 20. cit, *Lex subintravit, ut abundaret delictum:* et, *Ministratio mortis in litteris figurata lapi-* B
2. Cor. 3. 7. *deis:* et, *Virtus peccati lex:* et, *Mortui estis le-*
1. Cor. 15. 56. *gi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex*
Rom. 7. 4. *mortuis resurrexit:* et *Passiones peccatorum,*
Ibidem 5. *quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti; nunc vero evacuati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ:* et alia si qua hujusmodi Apostolum dixisse invenimus, attendat ideo esse ista dicta, quia lex auget concupiscentiam ex prohibitione, et reum obligat ex prævaricatione, jubendo quod implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant. Et ideo sub illa esse dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur, quos punit: punit autem prævaricatores omnes. Porro qui
a acceperunt legem, (*a*) prævaricant eam, nisi per gratiam consequantur posse quod jubet. Ita fit, ut non dominetur eis qui jam sub gratia sunt,
b implentibus eam per (*b*) caritatem, qui erant sub ejus timore damnati.

Legem esse bonam.
16. Nam ai illis quæ dicta sunt, movent, ut putetur Apostolus legem reprehendere; quid agimus de eo quod dicit, *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem;* Hoc enim dicens, legem utique laudat. Quod cum illi audiunt, respondent, hoc loco Apostolum de alia lege dicere, id est, de lege Christi, non de illa quæ data est Judæis. Quærimus ergo ab eis, de qua lege dicat, *Lex autem subintravit ut abundaret de-*
Rom. 5. 20. *lictum?* Respondent, de illa procul dubio, quam Judæi acceperunt. Vide ergo utrum ipsa sit, de qua D dicitur, *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Quid est enim aliud *operatum est in me omnem concupiscentiam,* quam id quod ibi est, *ut abundaret delictum?* Vide quoque utrum consonet etiam illa sententia, *ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum.* Hoc est enim, *ut fiat supra modum peccatum;* quod est, *ut abundaret delictum.* Si igitur ostenderimus bonum esse mandatum, unde occasione accepta peccatum operatum est omnem concupiscentiam,

ut fieret supra modum; simul ostendemus bonam esse legem, quæ subintravit ut abundaret delictum, id est, ut operaretur peccatum omnem concupiscentiam, et fieret supra modum. Audiant ergo eumdem Apostolum dicentem, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit.* Hoc, inquiunt, de lege Christi dictum est: hoc est, de lege gratiæ. Respondeant itaque de qua intelligant illud, quod sequitur: *Sed ego peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ecce verborum ipsa contextio satis indicat de qua lege dixerit, *Lex peccatum est? Absit.* De illa scilicet, per cujus mandatum occasio fuit peccato, ut operaretur omnem concupiscentiam. De illa ergo, quæ subintravit ut abundaret delictum, quam putant illi malam. Sed quid apertius, quam id quod paulo post ait, *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum?* Hoc rursus dicunt non de illa lege, quæ Judæis data est, sed de Evangelio dictum est. Manichæorum est enim tam ineffabiliter cæca ista perversitas. Non enim attendunt quod apertissimum et manifestissimum sequitur: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum:* hoc est, per mandatum sanctum et justum et bonum; quod tamen subintravit ut abundaret peccatum, hoc est, ut fieret supra modum. Manichæorum error de veteri lege.

C 17. Cur ergo *ministratio mortis* dicitur, si bona est lex? Quia *peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Nec mireris, cum de ipsa prædicatione Evangelii dictum sit, Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem. Ad Judæos enim dicta est lex ministratio mortis, ad quos et in lapide scripta est ad eorum duritiam figurandam; non ad eos qui legem per caritatem implent. Plenitudo enim le- Rom. 13. 10.
gis, caritas. Ipsa enim lex, quæ in litteris est figurata lapideis, dicit, Non adulterabis, non Deut. 5. 17.
homicidium facies, non furaberis, non concupisces, etc. Quam legem dicit Apostolus impleri D per caritatem, ita loquens: Qui enim diligit alterum, legem implevit. Nam non adulterabis, non Rom. 13. 8.
homicidium facies, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum: quia et hoc in eadem legem scriptum est. Cur *virtus peccati lex*, si lex bona 1. Cor. 15. 56.
est? Quia peccatum per bonum operatum est mortem, ut fiat supra modum, hoc est, majores vires ex prævaricatione concipiat. Cur *mor-* Rom. 7. 4.
tui sumus legi per corpus Christi, si bona est lex? Quia mortui sumus legi (*c*) damnati, li- c

2. Cor. 3. 7. Explicantur testimonia, quibus lex videri possit non bona. 2. Cor. 2. 15. et 16.

(a) Sic Er. et MSS. At Lov. prævaricantur eam.
(b) Ita in MSS. At in editis, per gratiam.
(c) Er. et plerique veteres codices, dominanti. Tom infra loco minatur, quinque ex iisdem MSS. habent dominatur.

berati ab eo affectu quem lex punit et damnat. Usitatius enim vocatur lex, quando minatur et terret et vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex est, amantibus gratia est. Inde
Joan. 1. 17. est illud in Evangelio: Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Eadem quippe lex quæ per Moysen data est, ut formidaretur, gratia et veritas per Jesum Christum facta est, ut impleretur. Sic ergo dictum est, *Mortui estis legi*, ac si diceretur, Mortui estis supplicio legis, *per corpus Christi*, per quod sunt delicta donata, quæ legitimo supplicio constringebant. Cur *passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*, si lex bona est? Quia illas hic voluit intelligi peccatorum passiones, de quibus jam sæpe dictum est, augmentum concupiscentiæ de prohibitione, et reatum pœnæ de prævaricatione: hoc est, quia per bonum operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum. Cur *liberati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ*, si lex bona est? Quoniam lex littera est eis, qui non eam implent per spiritum caritatis, quo pertinet Testamentum novum. Itaque mortui peccato liberantur a littera, qua detinentur rei qui non implent quod scriptum est. Lex enim quid aliud quam sola littera est eis, qui eam legere noverunt, et implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conscripta est: sed quoniam in tantum nota est, in quantum scripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil est aliud talibus nisi littera; quæ littera non est adjutrix legentium, sed
a testis peccantium. Ab ejus ergo (*a*) damnatione liberantur, qui per spiritum innovantur, ut jam non sint obligati litteræ ad pœnam, sed intellectui per justitiam copulati. Inde est et illud,
2. Cor. 3. 6. Littera occidit, spiritus autem vivificat. Lex enim tantummodo lecta et non intellecta vel non impleta, utique occidit: tunc enim appellatur littera. Spiritus autem vivificat; quia plenitudo
Rom. 13. 10. legis est caritas, quæ diffusa est in cordibus no-
Rom. 5. 5. stris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.

QUÆST. II. 1. SED jam, ut arbitror, tempus est ad aliam transire quæstionem quam sic proposuisti, ut ab
Rom. 9. 10. etc. eo quod scriptum est, *Non solum autem* (*b*), *sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac pa-*
b *tris nostri. Cum enim nondum nati essent, neque aliquid egissent bonum aut malum:* usque
Ibidem 29. ad id quod scriptum est, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus:* tota ipsa contextio disseratur; et profecto est latebrosior. Sed certe, qualem te erga me novi, ju-
c bere mihi ut aperirem ista non (*c*) posses, nisi

A a Domino deprecareris ut possem. Quo adjutorio fidentior factus, aggredior.

2. Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo, quam consulam. Argumentum epistolæ ad Romanos. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servissent, et ex hoc Evangelicam gratiam tamquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant eamdem gratiam dari Gentibus, tamquam indignis nisi Judaica sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio in Apostolorum Actibus solvitur. Act. 15. 7.
Non enim intelligebant, quia eo ipso quo gratia est Evangelica, operibus non debetur. Alioquin Rom. 11. 6.
gratia jam non est gratia. Et multis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præponens operi- Gratia fidei præcedit bona opera.
B bus, non ut opera extinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: ut scilicet non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est; sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere, gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione sacramentorum gratia plenior et evidentior infundantur. Non enim catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis et orationibus dignum se præberet cui Angelus mitteretur: sed nullo modo Act. 10. 1.
ista operaretur, nisi ante credidisset: nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa
C mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in Gratia fidei minor in catechumenis, major in renatis.
quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum; sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio ante quam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi et sancto Dei templo deputentur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Aposto- 1. Cor. 3. 17.
lus, quod estis vos. Et ipse Dominus, Nisi quis Johan. 3. 5.
renatus fuerit ex aqua et Spiritu-sancto, non intrabit in regnum cælorum. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil tamen horum sine gratia misericordiæ Dei: quia
D et opera si qua sunt bona, consequuntur, ut dictum est, illam gratiam, non præcedunt.

3. Quam rem persuadere Apostolus volens, Scopus Apostoli in exemplo Jacob et Esau.
quia sicut alio loco dicit, (*d*) Gratia enim Dei salvi facti sumus, et non ex nobis sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extol-
latur: de his qui nondum nati erant, documen- Ephes. 2. 8.
tum dedit. Nemo enim posset dicere, quod operibus promeruerat Deum Jacob nondum natus, Gen. 25. 23.

(*a*) Er. ac tres MSS. *dominatione*.

(*b*) Editi cum Vulgata consentientes, *Non solum autem illa*. At MSS. convenientes cum Græca lectione minime addunt *illa*. Cujus quidem vocis loco in antiquis Latinis Bibliis reperire est *illi*: sed neutram vocem legisse videtur Augustinus, qui hic n. 3. putat propositionem, *Non solum autem*, compleri subintellectis hisce verbis, *Isaac promissus est*.

(*c*) Sic MSS. Editi vero, *possem*.

(*d*) Isthæc verba (*Gratia enim Dei salvi facti sumus, etc*) desunt hic in Er. et plerisque MSS.

Rom. 9. 10. ut divinitus diceretur, *Et major serviet minori.* A
Gen. 18. 10. Ergo, *Non solum*, inquit, Isaac promissus est, cum dictum est, Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius : qui utique nullis operibus prome-
Gen. 21. 12. ruerat Deum, ut nasciturus promitteretur, ut in Isaac vocaretur semen Abrahæ; id est, illi pertinerent ad sortem sanctorum quæ in Christo est, qui se intelligerent filios promissionis, non superbientes de meritis suis, sed gratiæ (*a*) vocationis deputantes quod coheredes essent Christi ; cum enim promissum est ut essent, nihil utique meruerant qui nondum erant: *sed et Rebecca ex uno concubito habens Isaac patris nostri*. Vigilantissime ait, *ex uno concubitu :* gemini enim concepti erant, ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam forte diceret, ideo talis natus est filius, quia pater ita erat affectus B illo in tempore, quo eum sævit in utero matris: aut ita erat mater affecta, cum eum concepit. Simul enim ambos uno tempore ille sævit, eodem tempore illa concepit. Ad hoc commendandum ait, *ex uno concubitu:* ut nec astrologis daret locum, vel eis potius quos genethliacos appellaverunt, qui de natalibus nascentium mores et eventa conjectant. Quid enim dicant, cur una conceptione sub uno utique temporis puncto, eadem dispositione cœli et siderum, ut diversa singulis annotari omnino non possent, tanta in illis geminis diversitas fuerit, prorsus non inveniunt: et facile animadvertunt, si volunt, responsa illa quæ miseris venditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione proferri. Sed ut de re quæ agitur potius loquamur, ad frangen- C dam atque dejiciendam superbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, et audentium gloriari de
Rom. 9. 11. etc. meritis suis, ista commemorantur. *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum vel malum, non ex operibus, sed ex vocante*
Bona opera ex gratia, non gratia ex operibus. *dictum est ei*, *Quia major serviet minori.* Vocantis est ergo gratia; percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet: nec ideo bene currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest juste vivere, qui non fuerit justificatus? quomodo sancte vivere, qui non fuerit sanctificatus? vel omnino vivere, qui non fuerit vivifica- D tus? Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere juste. Prima est igitur gratia, secunda
Rom. 4. 4. opera bona: sicut alio loco dicit, Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Sicut illa immortalis post opera bona, si tamen ita vel ipsa ex
2. Tim. 4. 7. et 8. debito poscitur: sicut idem ait, Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cetero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Forte enim quia dixit, reddet, jam sit ex debito. Cum
Ephes. 4. 8. vero adscendens in altum captivavit captivitatem, non reddidit, sed dedit dona hominibus. Unde enim ipse Apostolus tamquam debitum reddi sibi præsumeret: nisi prius indebitam gratiam percepisset, qua justificatus bonum agonem certaret? Fuit enim blasphemus et persecutor et injuriosus; sed misericordiam consecutus est, 1. Tim. 1. 13.
ut ipse testatur: credens utique in eum qui justificat non pium, sed impium, ut justificando pium faciat. Rom. 4. 5. Rom. 9. 11. 12.

4. *Non ex operibus*, inquit, *sed ex vocante dictum est ei*, *Quia major serviet minori.* Ad hoc pertinet quod ait, *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum aut malum:* ut posset dici, *Non ex operibus, sed ex vocante*. Unde occurrit animo quærere, cur dixerit, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret;* Quomodo est enim justa, aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob nondum natus et nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla existente differentia, qua eligeretur. Item si nullo merito improbatus est Esau, quia et ipse nondum natus et nihil operatus erat, cum diceretur, *Et major serviet minori;* quomodo ejus improbatio justa dici potest? Qua ergo discretione, quo æquitatis examine quod sequitur intelligimus, *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui?* Quod quidem scriptum est in Propheta, qui longe posterior prophetavit, quam illi nati et mortui sunt: sed tamen illa sententia videtur commemorata, qua dictum est, *Et major serviet minori:* et ante quam nati et aliquid operati essent. Unde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis nondumque aliquid operatis nulla sunt momenta meritorum? An forte sunt aliqua naturarum? Quis hoc intelligat, ex uno patre, ex una matre, ex uno concubitu, ex uno creatore? An quemadmodum ex eadem terra idem creator produxit diversa animantium atque gignentium genera, ita ex eodem hominum conjugio atque complexu produxit in geminis diversam prolem, unam quam diligeret, alteram quam odisset? Nulla ergo (*b*) electione, ante quam esset quod eligeretur. Si enim bonus factus est Jacob, ut placeret; unde placuit ante quam fieret, ut bonus fieret? Non itaque electus est ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.

Quomodo justa electio Jacob et reprobatio Esau.

Malach. 1. 2. et 3.

5. An ideo *secundum electionem*, quia omnium Deus præscius etiam futuram fidem vidit in Jacob nondum nato? ut quamvis non ex operibus suis justificari quisque mereatur, quando quidem bene operari nisi justificatus non potest, tamen quia ex fide justificat gentes Deus, nec credit aliquis nisi libera voluntate, hanc ipsam fidei voluntatem futuram prævidens Deus, etiam nondum natum præscientia, quem justificaret, elegerit. Si igitur electio per præscientiam, præscivit autem Deus fidem Jacob; unde probas quia non etiam ex operibus elegit eum? Si propterea quia nondum nati erant et nondum aliquid egerant bonum seu malum; ita etiam nondum cre-

Electio Jacob an ex præscientia futuræ fidei.

Galat. 3. 8.

(a) Er. et quatuor MSS *gratia vocationi.*

(b) Sic MSS. At excusi. *electio est.*

diderat aliquis eorum. Sed præscientia vidit crediturum? Ita præscientia videre poterat operaturum: ut quomodo dicitur electus propter fidem futuram, quam præsciebat Deus, sic alius possit dicere, propter futura opera potius electum, quæ nihilo minus præsciebat Deus. Quapropter unde ostendit Apostolus, non ex operibus, dictum esse, *Major serviet minori*? Si quoniam nondum nati erant: non solum non ex operibus, sed nec ex fide dictum est; quia utrumque deerat nondum natis. Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret. Volens enim ostendere non ex operibus factam, propterea intulit, dicens, *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum seu malum*. Alioquin poterat ei dici, Sed jam sciebat Deus, quis quid esset acturus. Quamobrem unde illa electio facta sit quæritur: quia si non ex operibus, quæ non erant in nondum natis; nec ex fide, quia nec ipsa erat; unde igitur?

Electio ex gratia et proposito Dei. 6. An dicendum est quod nulla electio fuerit non existente aliqua diversitate in utero matris vel fidei, vel operum, vel quorumlibet omnino
Rom. 9. 11. meritorum? Sed dictum est, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*. Et ideo quærimus, quia dictum est. Nisi forte sic est distinguenda sententia, non ut intelligamus tamquam ideo *non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori, ut secundum electionem propositum Dei maneret*: sed ita potius, ut ad hoc de nondum natis et nondum aliquid operatis exemplum datum accipiatur, ne aliqua electio hic possit intelligi. *Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent sive bonum sive malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret*; id est, neque aliquid egissent bonum aut malum, ut propter ipsam actionem electio aliqua fieret ejus qui bene egerat: cum ergo nulla esset electio bene agentis, secundum quam maneret propositum Dei, *non ex operibus, sed ex vocante*, id est, ex eo qui vocando ad fidem gratia justificat impium, *dictum est ei, Quia major serviet minori*. Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum cælorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur, Quia accusabit adversus electos Dei? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio.
Rom. 8. 33. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui
Ephes. 1. 4. rejicitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem: non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori*: non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.
Ephes. 2. 8. Gratia enim Dei salvi facti sumus; et hoc non ex

A nobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne forte quis extollatur.

7. Quæritur autem, utrum vel fides mereatur hominis justificationem; an vero nec fidei merita præcedant misericordiam Dei, sed et fides ipsa inter dona gratiæ numeretur. Quia et hoc loco cum dixisset, *Non ex operibus*; non ait, sed ex fide *dictum est ei, Quia major serviet minori*: ait autem, *sed ex vocante*. Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens; quia merita fidei sequuntur vocationem potius, quam præcedunt. Quomodo enim credent, quem non audierunt? Et quomodo audient sine prædicante? Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat
B justificari, et accipere facultatem bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia. Etenim Christus pro impiis mortuus est. Ex vocante igitur minor accepit, non ex ullis meritis operum suorum, ut major ei serviret: ut etiam quod scriptum est, *Jacob dilexi*, ex vocante sit Deo, non ex operante Jacob.

An fides inter dona gratiæ numeretur. Rom. 10. 14. Rom. 5. 6.

8. Quid deinde Esau, quod servit minori, et quod scriptum est, *Esau autem odio habui*, quibus malis suis hoc meruit, cum et ipse nondum natus fuisset, neque aliquid egisset boni aut mali, quando dictum est, *Et major serviet minori*? An forte quemadmodum illud de Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esau nullis meritis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea
C eum prædestinavit ut serviret minori; propterea prædestinavit et Jacob ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est jam quod ait, *Non ex operibus*. Si autem verum est, quod non ex operibus, et inde hoc probat, quia de nondum natis nondumque aliquid operatis hoc dictum; unde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat: quo merito Esau odio habetur ante quam nascatur? Quod enim fecit Deus ea quæ diligeret, nulla quæstio est. Si autem dicamus eum fecisse quæ odisset, absurdum est, occurrente alia Scriptura et dicente, Neque enim odio habens aliquid constituisses, et nihil odisti horum quæ fecisti. Quo enim merito sol factus est sol, aut quid offendit luna ut tanto illo inferior, vel quid promeruit
D ut sideribus ceteris tanto clarior crearetur? Sed hæc omnia bona creata sunt quæque in genere suo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi, lunam autem odio habui; aut, Lunam dilexi, stellas autem odio habui: sicut dixit, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Sed illa omnia dilexit, quamvis excellentiæ diversis gradibus ordinata; quoniam vidit Deus quia bona sunt, cum dicto ejus sunt instituta: ut autem odisset Esau, nisi injustitiæ merito; injustum est. Quod si concedimus, incipit et Jacob justitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est quod non ex operibus. An forte ex justitia fidei? Quid ergo te adjuvat, *Cum enim nondum nati fuissent*? Quandoquidem in nondum nato nec justitia fidei poterat esse.

Quomodo justa reprobatio Esau. Sap. 11. 25. Gen. 1.

9. Vidit itaque Apostolus quid ex his verbis A posset animo audientis vel legentis occurrere, statimque subjecit: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Et quasi docens quomodo absit: *Moysi enim dicit*, inquit, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Quibus verbis solvit quæstionem, an potius arctius colligavit? Idipsum est enim quod maxime movet, si miseretur cui misertus erit, et misericordiam præstabit cui misericors fuerit, cur hæc misericordia defuit Esau ut etiam ipse per illam esset bonus, quemadmodum per illam bonus factus est Jacob. An ideo dictum est, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero;* quia cui misertus erit Deus ut eum vocet, miserebitur ejus ut credat; et cui misericors fuerit ut credat, misericordiam præstabit, hoc est faciet eum misericordem, ut etiam bene operetur? Unde admonemur, nec ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari et extolli, quod eis quasi suis Deum promeruerit: quandoquidem ut haberet ipsam misericordiam, ille præstitit, qui misericordiam præstabit cui misericors fuerit. Quod si eam credendo se meruisse quis jactat, noverit eum sibi præstitisse ut crederet, qui miseretur inspirando fidem, cujus misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret. Jam enim discernitur fidelis ab impio. Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Rom. 9. 14. et 15. — Exodi 33. 19. — Fides donum Dei miserentis. — I. Cor. 4. 7.

10. Recte quidem hoc: sed cur hæc misericor- C dia subtracta est ab Esau, ut non sic vocaretur, ut et vocato inspiraretur fides, (a) et credens misericors fieret ut bene operaretur? An forte quia noluit? Si ergo Jacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, et habuit aliquid quod non accepit. An quia nemo potest credere nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare ut vocetur, vocando Deus præstat et fidem? quis sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus. Quomodo enim credent, quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicante? Nemo itaque credit non vocatus: sed non omnis credit vocatus. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi: utique ii qui vocantem non contempserunt, sed cre- D dendo secuti sunt; volentes autem sine dubio crediderunt. Quid est ergo quod sequitur. *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei?* An quia nec velle possumus nisi vocati, et nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus. Opus est ergo velle et currere. Non enim frustra diceretur, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et, Sic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut quod volumus adipiscamur, et quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau et non cucurrit: sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus. Ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere, et semper beate. Verumtamen vivere Esau nondum natus, nihil horum posset velle seu nolle. Cur ergo in utero positus improbatus est? Redditur enim ad illas difficultates, non solum sua obscuritate, sed etiam nostra tam multa repetitione molestiores.

Cur donum fidei subtractum ab Esau. — Rom. 10. 14. — Matth. 20. 16. — Rom. 9. 16. — Lucæ 2. 14. — I. Cor. 9. 24.

11. Cur enim est improbatus Esau, nondum natus, qui nec credere poterat vocanti, nec contemnere vocationem, nec boni vel mali aliquid B operari? Si præscientia Dei futuræ malæ voluntatis ejus, cur non et Jacob præscientia Dei approbatus est futuræ bonæ voluntatis ejus? Quod si semel concesseris, potuisse quemquam vel approbari vel improbari ex eo quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat; conficitur eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quamvis nondum esset aliquid operatus; et omnino te nihil adjuvabit quod nondum nati erant, cum dictum esset, *Et major serviet minori*, ut hinc ostendas non ex operibus dictum, quia nondum quidquam erat operatus.

An ex præscientia futuræ voluntatis improbatus Esau et approbatus Jacob.

12. Illa etiam verba si diligenter adtendas, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: non hoc Apostolus propterea tantum dixisse videbitur, quod adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus; sed etiam ex illa intentione, qua et alio loco dicit, Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini, Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Ubi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam si propterea solum dictum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei;* quia voluntas hominis sola non sufficit ut juste recteque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei: potest et hoc modo dici, Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus: Deus enim est qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate. Nam si quæramus, utrum Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non igitur ideo dictum putandum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est*

Rom. 9. 16. Bona voluntas in nobis fit operante Deo. — Philip. 2. 12. et 13. — 3. Sent. dist. 36. c. Voluntatem.

(a) Unus e Vatic. MSS. addit ut *crederet*.

Dei, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci, quod volumus: sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione non volumus.

Vocatio an sit effectrix bonæ voluntatis.

13. Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit, Multi vocati, pauci electi? (Matth. 22. 14.) Quod si verum est, et non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut (a) non obtemperet in ejus est positum voluntate, recte etiam dici potest, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit, Multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; et illud non minus verum sit, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt, vocationem? (Vocatio congrua.) Ad alios autem vocatio quidem pervenit: sed quia talis fuit, qua moveri non possent (b), nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: et non jam similiter verum est, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui (c) congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.

Cur Esau non congruenter vocatus.

14. Hic dicet aliquis, Cur ergo Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire? Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moveri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum Jesum Christum adhuc infantem parvulum credidit, Spiritu ei revelante cognoscens (Lucæ 2. 25.). Nathanael ad unam sententiam, quam ab illo audivit, Prius quam te Philippus vocaret, cum esses sub arbore fici vidi te; respondit, Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel (Johan. 1. 48. et 49.). Quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire, quod beatus sit, et quod ei darentur claves regni cælorum (Matth. 16. 16.). Miraculo facto in Cana Galilææ, quod initium signorum Jesu Johannes evangelista commemorat, aqua in vinum conversa, crediderunt in eum discipuli ejus (Johan. 2. 11). Multos loquendo (d) incitavit ad fidem: multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce atque morte ejus conterriti etiam discipuli titubarunt; et tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem (Lucæ 23. 10). Unus etiam de numero discipulorum post ejus resurrectionem, non tam viventibus membris, quam recentibus cicatricibus credidit (Johan. 2. 27.): multi ex eorum numero a quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserant, discipulis eum prædicantibus et in nomine ejus talia facientibus crediderunt (Act. 37. et cap. 4. 4.). Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio; quæritur utrum de divina pœna sit ipsa duritia, cum Deus deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest. Quis enim dicat modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?

15. Sed quid hoc quærimus? cum ipse subjungat Apostolus, *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra* (Rom. 9. 17. Exodi 9. 16.). Hoc autem subjecit Apostolus documentum, quo probaret quod supra dixerat, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Tamquam enim ei diceretur, Unde hoc doces? *Dicit enim Scriptura*, inquit, *Pharaoni, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra*. Utique hinc ostendens quod non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Concluditque ita; *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (Rom. 9. 18.): cum superius non utrumque dictum sit. Neque enim quomodo dictum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*; sic etiam dictum est, Non (e) nolentis neque contemnentis, sed obdurantis est Dei. Unde datur intelligi, quod infra utrumque posuit, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat*, ita sententiæ superiori posse congruere, ut obduratio Dei sit nolle misereri: ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur. (Obduratio Dei quæ sit. 1. Sent. dist. 41. cap. 1.) Quod si fit nulla distinctione meritorum, quis non erumpat in eam vocem, quam sibi ipse objecit Apostolus? *Dicis itaque, mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* (Rom. 9. 19.) Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, sicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos,

(a) Hac MSS. auctoritate revocavimus negantem particulam, quæ in ante editis exciderat.
(b) Sic MSS. At editi, ut eam capere.
(c) Tres Vaticani codices, qui congruebant vocationi.
(d) Er. et plerique MSS. invitavit.
(e) Sic Er. et aliquot MSS. At Lov. Non volentis.

quod nolint credere et recte vivere. Unde fideles A et facientes voluntatem Dei, conversari dicuntur sine querela, quod de illis non queratur Scriptu-
Lucæ 1. 16. ra. Sed, *Quid conqueritur*, ait? *Nam voluntati ejus quis resistit*, quando *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat?* Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus.

Ibidem 14. Solutio quæstionis de reprobatione Esau. 16. Ait enim paulo ante, *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente sobria pietate atque stabili in fide, quod nulla est iniquitas apud Deum: atque ita tenacissime firmissimeque credatur, idipsum quod Deus cujus vult miseretur et quem vult obdurat, hoc est, cujus vult miseretur et cujus non vult non miseretur, esse alicujus occultæ atque ab humano modulo B investigabilis æquitatis, quæ in ipsis rebus humanis terrenisque contractibus animadvertenda est; in quibus nisi supernæ justitiæ quædam impressa vestigia teneremus, numquam in ipsum cubile ac penetrale sanctissimum atque castissimum spiritalium præceptorum nostræ infirmi-
Matth. 5. 6. tatis suspiceret atque inhiaret intentio. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. In ista igitur siccitate vitæ conditionisque mortalis, nisi adspergeretur de super velut tenuissima quædam aura justitiæ, citius aresceremus, quam sitiremus. Quapropter cum dando et accipiendo inter se hominum societas connectatur, dentur autem et accipiantur vel debita vel non debita; quis non videat iniquitatis argui C neminem posse, qui quod sibi debetur, exegerit? nec eum certe, qui quod ei debetur, donare voluerit? hoc autem non esse in eorum qui debitores sunt, sed in ejus cui debetur arbitrio? Hæc imago, vel, ut supra dixi, vestigium nego-
a tiis hominum de fastigio (a) summo æquitatis
2. Cor. 15. 22. impressum est. Sunt igitur omnes homines, (quando quidem, ut Apostolus ait, In Adam o-
Omnes homines una massa peccati. mnes moriuntur, a quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei,) una quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæque justitiæ, quod sive exigatur, sive
Matth. 20. 11. donetur, nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, et quibus donandum sit, superbe judicant debitores: quemadmodum conducti ad illam vineam injuste indignati sunt, cum tantumdem illis donaretur, quantum illis redderetur. Ita- D que hujus impudentiam quæstionis ita retundit
Rom. 9. 20. Apostolus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Sic enim respondet Deo, cum ei displicet
1 Sent. dist. c. 40. Cumque prædestinatio. quod de peccatoribus conqueritur Deus, quasi quemquam Deus peccare cogat, (b) si tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam ju-
b stificationis suæ non largiatur, et ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent.

Eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam, æquitate occultissima et ab humanis sensibus remotissima judicat. Inscrutabilia enim sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius. Conqueritur autem juste Rom. 11. 33.
de peccatoribus, tamquam de his quos peccare ipse non cogit. Simul etiam ut hi quorum miseretur, hanc quoque habeant vocationem, ut dum conqueritur Deus de peccatoribus, compungantur corde, atque ad ejus gratiam convertantur. Juste ergo conqueritur, et misericorditer.

17. Sed si hoc movet, quod voluntati ejus nullus resistit, quia cui vult subvenit, et quem vult deserit; cum et ille cui subvenit, et ille quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum, et quamvis debeat uterque supplicium, ab uno tamen exigatur, alteri donetur: si hoc ergo movet; *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Lib. 1. quæst. 83. q. 68.
Arbitror enim sub eadem significatione positum, quod dictum est, *homo;* sub qua et illud dicitur, Nonne homines estis, et secundum hominem 1. Cor. 3. 3.
ambulatis? ibi enim carnales et animales notantur hoc nomine, quibus dicitur, Non potui loqui Ibid. 1. et 2.
vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Et illud: Nondum enim poteratis, sed neque ad- 1. Cor. 2. 14.
huc potestis; adhuc enim estis carnales. Et illud: Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. His ergo dicitur, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti?* *Aut * Rom. 9. 21.
non habet potestatem figulus luti, ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Eo ipso fortasse satis ostendit se homini carnali loqui; quoniam hoc limus ipse significat, unde primus homo formatus est: et quia omnes, ut jam commemoravi, secundum eumdem Apostolum, in Adam mo- 1. Cor. 15. 22.
riuntur, unam dicit esse conspersionem omnium. Et quamvis aliud vas fiat in honorem, aliud in contumeliam; tamen et illud quod fit in honorem, necesse est ut carnale esse incipiat, atque inde in spiritalem consurgat (c) ætatem. Quando c
quidem jam in honorem facti erant, et in Christo jam nati erant: sed tamen quoniam parvulos adhuc alloquitur, etiam ipsos carnales appellat, dicens, Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, 1. Cor. 3. et 2.
sed quasi carnalibus; quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: neque enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales. Quamvis ergo carnales eos esse dicat; tamen jam in Christo natos, et in illo parvulos, et lacte potandos. Et quod adjungit, nec adhuc quidem potestis; ostendit proficientes futurum esse ut possint: quia jam in eis spiritaliter renatis gratia fuerat (d) inchoata. d
Ergo jam vasa erant in honorem facta, quibus adhuc tamen recte diceretur, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et si talibus recte dicitur,

(a) Tres Vaticani MSS. *summæ*. Paulloque post iidem libri habent, *a quo universum genus humanum originem ducit offensionis Dei*.

(b) MSS. *Sed tantummodo*. Atque unus ex his Genovefæus proxime ante addit, *cum ipse neminem peccare cogat*. Alius autem ex Vatic. infra pro *largiatur* et *dicatur*, habet *largitur* et *dicitur*.

(c) Quatuor MSS. *gratiam*.

(d) Victorinus codex, *inchoatum*.

A multo rectius eis qui vel nondum ita regenerati sunt, vel etiam in contumeliam facti. Illud tantummodo inconcussa fide teneatur, quod non sit iniquitas apud Deum: qui sive donet, sive exigat debitum, nec ille a quo exigit, recte potest de iniquitate ejus conqueri, nec ille cui donat, debet de suis meritis gloriari. Et ille enim, nisi quod debetur, non reddit: et ille non habet, nisi quod accepit.

Quomodo Esau Deus odio habuit, qui nihil odit eorum quæ fecit. Sap. 11. 25. Malach. 1. 2. et 3.

18. Sed enitendum est hoc loco, si Dominus adjuvet, videre quemadmodum et illud verum sit, quod scriptum est, *Nihil odisti eorum quæ fecisti:* et illud, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Si enim propterea Esau odio habuit, quia vas factum erat in contumeliam, et aliud vas in honorem, aliud in contumeliam idem figulus fecit, B quomodo *nihil odisti eorum quæ fecisti?* Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in contumeliam. Qui nodus ita solvitur, si intelligamus omnium creaturarum esse artificem Deum. 1. Tim. 4. 4. Omnis autem creatura Dei bona est; et omnis homo in quantum homo est, creatura est, non in quantum peccator est. Est ergo creator Deus et corporis et animi humani. Neutrum horum malum, et neutrum odit Deus: nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore; Deus vero et animo et corpore, utriusque effector et conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Peccatum quid. Est autem peccatum hominis inordinatio atque perversitas, id est, a præstantiore conditore aversio, et ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed Johan. 1. 11. C odit Deus Esau peccatorem. Sicut dicitur de Domino, Johan. 8. 47. In sua propria venit, et sui eum non receperunt. Quibus item ipse dicit, Vos propterea non auditis, quia non estis ex Deo. Quomodo sui, quomodo non ex Deo? Nisi quia illud dictum est de hominibus, quos ipse Dominus fecerat; illud de peccatoribus, quos ipse Dominus arguebat: iidem tamen ipsi et homines et peccatores; sed homines Dei conditione, peccatores propria voluntate. Quod ergo Jacob dilexit, numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo, non culpam Rom. 5. 6. quam delebat, sed gratiam quam donabat. Nam et Christus pro impiis mortuus est; non tamen a ut impii (a) permanerent, sed ut justificati ab impietate converterentur, credentes in eum qui Rom. 4. 5. justificat impium. Odit enim Deus impietatem. Itaque in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per justificationem, quemadmodum ipse judicat esse faciendum illis judiciis inscrutabilibus. Et quod ex numero impiorum, quos non justificat, facit vasa in contumeliam, non hoc in eis odit quod facit: quippe in quantum impii sunt, exsecrabiles sunt; in quantum autem vasa fiunt, ad aliquem usum fiunt, ut per eorum Vasa perditionis ad usum correctionis aliorum fiunt. ordinatas pœnas vasa quæ fiunt in honorem proficiant. Non itaque odit Deus, nec in quantum homines sunt, nec in quantum vasa sunt, id est, nec quod in eis facit creando, nec quod in eis facit ordinando: nihil enim odit eorum quæ fecit. Sed tamen (b) quod vasa eos facit perditionis, b ad usum correctionis aliorum facit. Odit enim in eis impietatem, quam ipse non fecit. Sicut enim judex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum; illud enim fur, hoc judex facit: ita Deus quod ex conspersione impiorum facit vasa perditionis, non odit quod facit, id est, opus ordinationis suæ in pœna debita (c) c pereuntium, in qua occasionem salutis illi quorum miseretur, inveniant: Sic Pharaoni dictum est, *Ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum* Rom. 9. 17. *in universa terra.* Exodi 9. 16. Hæc demonstratio potentiæ Dei, et annuntiatio nominis ejus in universa terra prodest eis ut timeant, et vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit. Sic consequenter dicit: *Si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam; adtulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem:* subauditur, *Tu quis es, qui respondeas Deo?* ut recurrente sententia ad verba superiora, iste sit sensus: Si volens Deus ostendere iram, adtulit vasa iræ; tu quis es, qui respondeas Deo? Non autem solum *volens ostendere* Rom. 9. 22. *iram, et demonstrare potentiam suam adtulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem;* sed etiam quod sequitur, *ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Quid enim prodest vasis perfectis in perditionem, quod ea patienter Deus sustinet, ut ordinate disperdat, utaturque illis ad instrumentum salutis aliorum, quorum miseretur? Sed illis utique prodest, ad quorum salutem istis sic utitur; ut sicut scriptum est, justus manus Psal. 57. 11. lavet in sanguine peccatoris, id est, mundetur ab operibus malis per timorem Dei, cum videt supplicia peccatorum. Quod ergo *volens ostendere iram adtulit vasa iræ*, valet ad utilem aliis præstandum timorem, *et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Etenim obduratio illa impiorum utrumque demonstrat, et quid timendum sit, ut quisque pietate convertatur ad Deum; et quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna quid aliis donet ostendit. Si autem illa, quam de aliis exigit, non est justa pœna; nihil donat aliis, a quibus eam non D exigit. Quia vero illa justa est, et nulla est iniquitas apud vindicantem Deum, quis sufficiat agere gratias ei, qui hoc remittit, quod si vellet exigere, nemo se recte diceret non debere?

19. *Quos et vocavit nos*, inquit, *non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus:* id est, vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. Rom. 9. 24. Vocati non omnes, sed ex omnibus et Judæis et Gentibus. Non enim omnes Judæos, sed ex Judæis: nec omnes omnino homines Gentium, sed ex Gentibus. Una est enim ex Adam massa peccatorum et impiorum, in qua et Judæi et Gentes remota gratia Dei ad unam pertinent conspersionem. Si enim

(a) Editi, *ut impii mortui permanerent.* Abest *mortui* a MSS.

(b) In MSS. habetur sic: *Sed tamen ut vasa eos faciat perditionis, ad usum correctionis aliorum, odit in eis impietatem etc.*

(c) Omnes fere MSS. *pereuntibus.*

figulos luti ex eadem conspersione facit aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam; manifestum est autem quod et ex Judæis sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam, sicut ex Gentibus: sequitur ut ad unam conspersionem omnes pertinere intelligantur. Deinde incipit reddere attestationes (*a*) Prophetæ singulis generibus converso ordine. Prius enim dixit (*b*) *ex Judæis*, posterius *ex Gentibus*: prius autem reddit testimonium pro Gentibus, deinde pro Judæis.
Ibidem 25. et 26. *Etenim sicut Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam:*
* Osee 1. 10. *et erit in loco ubi dictum est, Non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi*: de Gentibus intelligitur dictum, quia non habebant destinatum unum sacrificiorum locum, sicut Judæi in Jerusalem. Missi sunt autem ad Gentes Apostoli, ut in loco suo quique crederent, et ubicumque credidissent, ibi sacrificium laudis offerrent, quibus dedit potestatem filios Dei fieri.
Joan. 1. 12. Rom. 9. 27. *Isaias autem*, inquit, *clamat pro Israel*. Ne rursus omnes Israelitæ in perditionem isse credantur, docet et inde facta alia vasa in honorem, alia in contumeliam.
Isai. 10. 22. *Si fuerit*, inquit, *numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient*. Cetera ergo turba, vasa perfecta ad perditionem. *Verbum enim consummans et brevians*, inquit, *faciet Dominus super terram*: id est, ut compendio fidei per gratiam salvos faciat credentes, non per innumerabiles observationes, quibus illa multitudo serviliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans et brevians fecit super terram, dicens,
Matth. 11. 30. Jugum meum lene est, et sarcina mea levis est. Quod et paulo post hic dicitur,
Rom. 10. 8. etc. *Prope* (*c*) *te est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris: Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Hoc est verbum consummans et brevians, quod fecit Deus super terram, qua consummatione atque (*d*) breviatione latro justificatus est, qui defixis in cruce omnibus membris, et habens libera hæc duo; corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem; statimque audire meruit,
Lucæ 23. 43. Hodie mecum eris in paradiso. Consequerentur enim bona opera ejus, si percepta gratia diu inter homines viveret. Sed tamen non ea præcesserant, ut eamdem gratiam mereretur, ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradisum translatus. *Et sicut prædixit*, inquit, *Isaias*,
Rom. 9. 29. Isai. 1. 9. *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus*. Quod hic ait, *reliquisset nobis semen*; hoc ibi, *reliquiæ salvæ fient*. Ceteri autem tamquam perditionis vasa debito supplicio perierunt. Et ut non omnes perissent sicut in Sodoma et Gomorrha, non meritum eorum fecit, sed gratia Dei relinquentis semen, unde alia messis toto orbe consurgeret. Hoc et paulo post:
Rom. 11. 5. etc. *Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri vero excæcati sunt*. Consecuta sunt vasa misericordiæ, excæcata sunt vasa iræ: ex eadem tamen conspersione, sicut in plenitudine Gentium.

20. Est locus quidam Scripturæ ad rem, de qua nunc agimus, maxime necessarius, eadem quæ tractata sunt, mira contestatione confirmans, in eo libro qui ab aliis Jesus Sirach, ab aliis Fcclesiasticus dicitur, in quo ita scriptum est:
Eccl. 33. 10. etc. *Et omnes homines de solo, et ex terra* (*e*) *Adam creatus est. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, et immutavit vias eorum. Et ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex his sanctificavit et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit et humiliavit: et convertit illos ad dissensionem illorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus; sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum judicium suum. Contrarium malo bonum est, et contra mortem vita est; sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: duo*, (*f*) *duo; unum contra unum*. Primo hic commendata est disciplina Dei: *In multitudine*, inquit, *disciplinæ Dominus separavit eos*: unde, nisi a beatitudine paradisi? *Et immutavit vias eorum*, ut jam tamquam mortales viverent. Tunc facta est una massa omnium, veniens de traduce peccati et de pœna mortalitatis, quamvis Deo formante et creante quæ bona sunt. In omnibus est enim species et compago corporis in tanta membrorum concordia, ut inde Apostolus ad caritatem obtinendam similitudinem duceret.
1. Cor. 12. 12. In omnibus est etiam spiritus vitalis terrena membra vivificans, omnisque natura hominis dominatu animæ et famulatu corporis conditione mirabili temperata: sed concupiscentia carnalis de peccati pœna jam regnans, universum genus humanum tamquam totam et unam conspersionem originali reatu in omnia permanante confuderat. Et tamen sequitur, *Ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit et humiliavit, et convertit illos in dissensionem ipsorum*. Tamquam Apostolo dicente,
Rom. 9. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ideoque illud quod contexitur, nec ab ipsa similitudine vacat: *Quasi lutum*, inquit, *figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus*

(a) MSS. *Prophetiæ*.
(b) Editi, *conversos ex Judæis*. Abest *conversos* a MSS. plerisque.
(c) Particulam *te* hic addit vetustissimus Corb. codex Græco consentiens.
(d) Er. et MSS. *atque brevitate*.
(e) In editis *ex terra unde Adam*. Particula *unde* abest a MSS. et a textu Græco apud LXX.
(f) Editi, *duo contra duo*. Abest *contra* e veteribus libris.

sic homo in manu illius, qui se fecit. Sed quia dicit Apostolus, *Numquid iniquitas apud Deum?* vide et hic quid adjungat: *Redde illi*, inquit, *secundum judicium suum.* Sed cum damnatis justa tribuantur supplicia; tamen quia hoc ipsum in usum convertitur, quo illi proficiant quibus præbetur misericordia, attende reliqua: *Contrarium*, inquit, *malo bonum est, et contra mortem vita; sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: duo, duo; unum contra unum:* utique ut ex deteriorum comparatione emineant proficiantque meliora.
Ibidem 27. Quæ tamen quoniam per gratiam meliora sunt, tamquam diceret, *Reliquiæ salvæ fient*: sequitur et dicit ex persona reliquiarum, *Et ego novissimus vigilavi, et quasi qui racematur post vindemiatores.* Et unde probat, quia non ex meritis suis, sed ex misericordia Dei? *In benedictione*, inquit, *Domini et ipse speravi, et quasi qui vindemiat replevi torcular.* (Matth. 20. 16.) Quamvis enim novissimus vigilaverit, tamen quia erunt, ut dictum est, novissimi primi, in benedictione Domini sperans ex reliquiis Israel racematus populus implevit torcular ex ubertate vindemiæ, quæ toto orbe terrarum provenit.

Intentio Apostoli in epistola ad Romanos.
21. Nulla igitur intentio tenetur Apostoli, et omnium justificatorum per quos nobis intellectus gratiæ demonstratus est, nisi ut qui gloriatur, (2. Cor. 10. 17.) in Domino glorietur. Quis enim discutiet opera Domini, ex eadem conspersione unum damnantis, alterum justificantis? Liberum voluntatis arbitrium plurimum valet; immo vero, est quidem, sed in venumdatis sub peccato quid (Rom. 7. 14.) valet? Caro, inquit, concupiscit adversus spi- (Gal. 5. 17.) ritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis. Præcipitur ut recte vivamus, hac utique mercede proposita, ut in æternum beate vivere mereamur: sed quis potest recte vivere et bene operari, nisi justificatus ex fide? Præcipitur ut credamus, ut dono accepto Spiritus-sancti per dilectionem bene operari possimus: sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille tri- (Matth. 7. 7.) buit, ille largitur. Petere jubemur ut accipiamus, et quærere ut inveniamus, et pulsare ut aperiatur nobis. Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus, ju-

A bet? *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: (Rom. 9. 16.) quando quidem nec velle nec currere, nisi eo movente atque excitante, poterimus.

22. Quod si electio hic fit aliqua, ut sic intelligamus quod dictum est, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*; (Rom. 11. 5.) non ut justificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur qui justificentur: certe ita occulta est hæc electio, (Electio gratiæ quam occulta.) ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit; aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas utiles-
B que doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus, (nam nullis quis potest?) et acer ingenio, et liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. (1. Cor. 1. 27.) Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, et stulta mundi ut confundat sapientes, ut eum intuens et pudore correctus, ego irrideam multos et præ quibusdam peccatoribus castiores, et præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne advertimus multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam hæreticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, et tamen vel hæreticos vel paga-
C nos, vel etiam in vera fide et vera Ecclesia sic tepidos, ut eos miremur meretricum et histrionum subito conversorum, non solum patientia et temperantia, sed etiam fide, spe, caritate superari? Restat ergo ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi invadere, trahere, vincire, necare Christianos? (Act. 8. 3. et 9. 1.) Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cæca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est. Et tamen quid
D dicemus? *Numquid iniquitas est apud Deum*, (Rom. 9. 14.) exigentem a quo placet, donantem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. *Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Quare tamen huic ita, et huic non ita? *O homo, tu quis es?* Debitum si non reddis, habes quod gratuleris: si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantum (etsi capere non valemus) quoniam qui universam creaturam et spiritalem et corporalem fecit et condidit, omnia in numero et pondere et mensura disponit. (Sap. 11. 21.) Sed inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. (Rom. 11. 33.) Dicamus alleluja, et collaudemus canticum, et non dicamus, Quid hoc? vel quid hoc? (Eccli. 39. 19. et 26.) Omnia enim in tempore suo creata sunt.

LIBER SECUNDUS

In cæteras quæstiones quinque vel sex a Simpliciano propositas ex libris Regum.

PRÆFATIO. SATIS jam de Apostolo me ad proposita respondisse existimo: nunc ad ea quæ de libris Regnorum requisisti aliud volumen aggrediar; quæ, sicut multa et prope omnia veterum librorum, figuratoria sunt, et mysteriorum velaminibus 2.Cor. 3. 16. involuta. Quamvis autem ex eo quod transicrimus ad Christum, auferatur velamen: tamen vi- a demus nunc in ænigmate, tunc autem (*a*) facie ad faciem. Velamen quippe omni modo intercludit adspectum; ænigma vero, tamquam per spe- 1. Cor. 13. 12. culum, sicut idem Apostolus ait, Videmus nunc per speculum in ænigmate, nec evidentissimam b detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem (*b*). Aggrediar ergo et ista, duce Domino, tuis potius sublevatus orationibus, quam jussionibus aggra- c vatus. Præsertim quia ex epistola tua (*c*) non hoc te intellexi quærere, quid hæc in prophetia significent: in quo re vera obtemperare mihi esset difficillimum; quia et de tota eorumdem contexione librorum ducenda esset intentio, et si esset promptior intellectus; magnitudo tamen operis impediret; quæ si subeunda est, prolixius otium tempusque flagitat: sed nunc ipsas rerum proprietates gestarum, quæ his verbis quorum a te facta commemoratio est, significantur, quomodo intelligerem nosse dignatus es et meis litteris aperiri.

QUÆST. I. 1. ET primum quidem quod de primo Regno- 1.Reg. c. 10. 10. rum libro jussisti ut exponerem, quomodo di- 1. Reg. 16. 14. ctum sit, *Et insiluit spiritus Domini in Saul:* cum alibi dicat, *Et spiritus Domini malus in Saul*. Ita enim scriptum est: *Et factum est cum converteret humerum suum, ut iret a Samuel, convertit Deus in Saul cor aliud, et venerunt omnia signa illa die: et venit inde in collem, et ecce chorus prophetarum in obviam illi, et insiluit in illum spiritus Dei, et prophetavit in medio eorum*. Prædixerat enim hæc illi Samuel, cum eum jussus unxisset. Et hoc quidem non Johan. 3. 8. puto habere aliquid quæstionis. Spiritus enim ubi vult spirat: et spiritum prophetiæ nullarum Sap. 7. 24. animarum potest maculare contactus. Adtingit enim ubique propter suam munditiam. Afficit autem non omnes eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorumdem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines; alios per * fructum mentis ad intelligentiam; alios utraque inspiratione; alios etiam nescientes. Sed per informationem spiritus duobus modis: aut per so- Gen. 41. 11. Dan. 2. 1. et 4. 1. mnium, sicut non solum plerique sancti, sed et Pharao et Nabuchodonosor rex vidit quod nemo eorum intelligere valebat, sed tamen videre uterque potuerat: aut per demonstrationem in

Spiritu Dei diverso modo afficiuntur prophetæ.

* *f.* ductum vel provectum.

A ecstasi, quod nonnulli Latini (*d*) stuporem in- d terpretantur; mirum si proprie, sed vicine tamen, cum sit mentis alienatio a sensibus corporis, ut spiritus hominis divino spiritu assumptus capiendis atque intuendis imaginibus vacet; sicut Danieli demonstratum est quod non intelligebat, et Petro illud vas submissum de cælo Act. 10. 11. quatuor (*e*) lineis: nam et ipse quid illa demon- e stratio figuraret postea cognovit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam uno modo, cum hæc ipsa quæ demonstrantur imaginibus quid significent et quo pertineant revelatur; quæ certior prophetia est; nam magis ipsam vocat Apostolus prophetiam: sicut Joseph meruit intelli- 1.Cor. 13. 2. gere, quod Pharao non nisi videre; et Daniel exponit regi, quod ille cernit et nescit. Cum vero B ita mens afficitur, ut non rerum imagines conjecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur, sicut intelligitur sapientia et justitia omnisque incommutabilis et divina species, ad prophetiam de qua nunc agimus non pertinet. Utroque autem munere prophetiæ donantur hi, qui et rerum imagines in spiritu vident, et quid valeant simul intelligunt, aut certe manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quædam exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut Caiphas cum esset pontifex prophetavit de Do- Johan. 11. 49. mino, quod expediret unum mori pro tota gente, cum aliud in verbis quæ dicebat adtenderet; quæ non se a se ipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis libris exempla: et res prudentiæ tuæ notissimas loquor. Non enim ista discis ex C me, sed in eis me percontando probas, et cognoscere cupiens proficientem, et corrigere paratus errantem. Hoc autem verbo, quod positum est, *Et insiluit in eum spiritus:* tamquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significatur afflatus. Horum igitur modorum quonam potius affectum esse intelligamus Saul, satis apparet ex eo quod ibi scriptum est, *Convertit Deus in* 1.Reg. 10. 9. *Saul cor aliud*. Sic enim aliam cordis affectionem significat (*f*), quam convertendo fecit Deus f ut imaginum significantium et præfigurantium capax fieret, ad propheticam divinationem.

2. Tantum autem distat inter prophetiam prophetarum, sicut Isaias, sicut Jeremias, et ceteri hujusmodi fuerunt, atque istam transitoriam quæ D in Saul apparuit, quantum distat inter loquelam humanam, cum loquuntur homines, et cum eadem loquela propter necessarium prodigium asina locuta est, in qua sedebat Balaam prophe- Num. 22. 28. ta. Accepit enim hoc ad tempus illud jumentum,

Prophetia habitu perpetuo, et affectu transitorio.

(a) Vetustissimus liber Corb. *faciem ad faciem:* juxta Græcum.

(b) In veteribus libris, *Aggrediamur ergo*. Et consequenter infra plurali numero, *sublevati aggravati*.

(c) Locus veterum codicum ope redintegratus, qui in ante editis omissa hic negante particula, sic paullo post jacebat, *in quo re vere obtemperarem, nisi mihi esset difficillimum*.

(d) Octo MSS. *pavorem*.

(e) Sic præcipui MSS. At editi, *linteis*.

(f) Editi, *quia*. Cujus loco MSS. *quam*.

ut Deus quod statuerat demonstraret, non ut habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur. Aut si hoc exemplum majore differentia remotum est: multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momentum temporis affectu transitorio prophetiam, quando ille dederat, qui et asinam cum voluit loqui fecit. Magis enim distat pecus ab homine, quam homo reprobus ab electis, sed tamen hominibus. Non enim si quisquam dixerit aliquid quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existimandus est. Sic nec quisquam, si aliquando prophetaverit, jam inter prophetas numerabitur: cum et Dominus
Matth. 13. 20. in Evangelio dicat quosdam cum gaudio verbum excipere, et radicis altitudinem non habere, sed esse temporales. Ideoque sicut consequens indi-
1. Reg. 10. 11. cat lectio, factum est in parabolam, *Si et Saul inter prophetas*. Hoc igitur mirari desinamus, cum in hominibus apparet divinitus aliquid, quorum vel meritum vel habitum excedit, cum forte vult Deus cujusdam significationis gratia tale aliquid demonstrari.

1. Reg. 16. 14. 3. Si autem hoc movet, quod postea Saul malo spiritu invadente præfocabatur, qui prius prophetiæ spiritum acceperat; neque hoc mirandum est. Illud enim factum est ex dispensatione aliquid significandi, hoc ex merito vindicandi. Nec movere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili; præsertim eo tempore quo caro corruptibilis mortalisque portatur. An non videmus in ipso Petro, quantum indicat Evangelium, exstitisse tantam confessionem, ut audire meruerit, Beatus es Si-
Matth. 16. 17. mon Bar-Jona, quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est: et
Ibidem 23. paulo post tam carnaliter eum de Domini passione sensisse, ut statim audierit, Vade post me Satana, scandalum mihi es; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Et fortasse aliquanto interius intelligentibus tantum valet ad visa illa mentis hæc differentia, qua Petrus primo intellexit Deo Patre revelante, quod Filius Dei esset Christus et postea ne moreretur existimult; quantum valet ad distinguenda visa, quæ in spiritu hominis alienata mente imaginarie fiunt, revelatio prophetiæ qua primo afflatus est Saul, et commixtio spiritus mali quo postea premebatur.

4. Jam vero illud, quod etiam malus appellatus est spiritus Domini, sic intelligitur, quo-
Psal. 23. 1. modo dictum est, Domini est terra: tamquam creatura et in ejus posita potestate. Aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia
1. Tim. 4. 4. terra non est mala, Omnis enim creatura Dei bona est: illud congruat, quod ipse Saul jam reprobus et scelestus atque ingratus sancto David, persecutor etiam ejus, cum sævissimæ invidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Christus Domini dicebatur; sicut cum appellavit ipse David, cum
2. Reg. 1. 14. vindicavit exstinctum. Sed magis arbitror malignum spiritum a quo vexabatur Saul, ideo dictum spiritum Domini, quod occulto Domini judicio Saulem vexabat. Utitur enim Deus ministris etiam spiritibus (*a*) malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem; alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamvis enim inde sit quisque malignus (*b*) spiritus, quia mala voluntate nocere appetit: tamen nocendi potestatem non accepit nisi ab illo, sub quo sunt omnia certis et justis meritorum gradibus ordinata. Quia sicut non est mala voluntas a Deo, sic non est potestas nisi a Deo. Rom. 13. 1. Quamvis enim sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusque potestate quid possit vel facere cuiquam vel a quoquam pati. Nam et ipse Filius unicus Dei passurus ad tempus humiliter homini superbe loquenti et dicenti, quod potestatem haberet occidendi eum vel dimittendi: Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper. Johan. 19. 11. Diabolus etiam volens nocere justo viro Job, nocendi quidem (*c*) voluntas diabolo erat, sed tamen a Domino Deo potestatem petebat, Job. 2. 5. dicens, Mitte manum tuam, et tange carnem ejus: quamvis hoc esset, si permitteretur, ipse facturus. Ipsam enim permissionem petebat hoc modo, et manum Domini appellabat permissam a Domino manum suam, id est, ipsam potestatem quam volebat accipere. Cui congruit illud in Evangelio, quod Dominus discipulis ait, Hac nocte postulavit satanas vexare vos sicut triticum. Luc. 22. 31. Dictus est ergo spiritus Dei malus, hoc est, minister Dei ad faciendum in Saul, quod eum pati judex omnipotentissimus judicabat. Quoniam spiritus ille voluntate qua malus erat, non erat Dei: creatura vero qua conditus erat, et potostate quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. Verba etiam ipsa Scripturarum ita se habent: *Et perrexit*, inquit, *Samuel, et abiit in Ramatha, et spiritus Domini recessit a Saul, et comprehendit eum spiritus malignus a Domino, et suffocabat eum. Et dixerunt pueri Saul ad eum; Ecce spiritus Domini malignus suffocat te.* 1. Reg. 16. 13. etc. Hoc igitur a pueris ejus quomodo sit dictum, *Spiritus Domini malignus*, superiora verba indicant narrantis Scripturæ et dicentis, *Spiritus malignus a Domino*. Secundum enim hoc (*d*) *Domini* quod *a Domino*. Quia per se ipsum velle nocere habebat, id est, comprehendere Saul; posse autem non habebat, nisi summa justitia sineretur. Si enim juste vindicat Deus, quemadmodum ipse dicit Apostolus, cum Rom. 1. 20. tradit homines in concupiscentias cordis eorum; non mirum si nihilo minus juste vindicans tradit eos etiam in concupiscentias aliorum nocere volentium, sua semper incommutabili æquitate servata.

5. Animadvertendum sane est, cum additamento dici, *spiritus Dei malus*. Cum autem tantummodo dicitur, *spiritus Dei*, etiamsi non addatur bonus, ex hoc intelligitur bonus. Unde

Spiritus Dei sine additamento intelligitur bonus.

(a) Aliquot MSS. *immundis*.
(b) Lov. *Spiritus Domini*. Abest *Domini* ab Er. et MSS.
(c) Er. ac tres MSS. *voluntate diabolus erat*.
(d) Editi. *Secundum enim hoc, inquit, a Domino*. Emendantur ex MSS.

apparet bonum spiritum secundum substantiam,
malum autem secundum ministerium dici spiri-
tum Dei. Quamquam quæri adhuc possit, utrum
cum spiritus Dei dicitur, et ex hoc ipso jam, etsi
nihil addatur, intelligitur bonus, ille intelligatur
qui est in Trinitate consubstantialis Patri et Fi-
2 Cor. 3. 17. lio Spiritus-sanctus, de quo dicitur : Ubi autem
1 Cor. 2. 10 Spiritus Domini, ibi libertas. Et iterum : Nobis
Ibidem 11. autem revelavit Deus per spiritum suum. Et il-
lud: Sic et quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus
Dei. Et multis locis hoc modo dicitur Spiritus
Dei, et intelligitur Spiritus-sanctus, etiamsi non
addatur: quoniam ea quæ circumstant, satis in-
dicant de quo dicatur; ita ut aliquando nec Dei
Rom. 8. 16. addatur, et intelligatur tamen ille Spiritus Dei
Ibidem 26. principaliter sanctus. Nam quem alium comme-
1. Cor. 12. 11. morat, ubi dicit, Ipse Spiritus testimonium dat
spiritui nostro, quia sumus filii Dei? Et, Ipse
Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Et, Hæc
omnia operatur unus atque idem Spiritus, divi-
dens (a) singula unicuique prout vult. Et, Divi-
siones donationum sunt, idem autem Spiritus.
Ibidem 4. In his enim omnibus sententiis, nec Dei, nec
sanctus est additum, et tamen ipse intelligitur.
Sed nescio utrum manifesto aliquo exemplo pro-
bari possit, alicubi spiritum Dei dictum sine ad-
ditamento, ubi Spiritus ille sanctus non signifi-
cetur, sed aliquis quamvis bonus, creatus tamen
et conditus. Quæ proferuntur enim dubia sunt,
et indigent clariore documento; sicut illud quod
scriptum est, Spiritus Dei (b) superferebatur su-
Gen. 1. 2. per aquam. Nam et ibi Spiritum sanctum acci-
pere quid impediat, non invenio. Cum enim aqua-
rum nomine illa materies insinuetur informis,
quæ de nihilo facta est, unde omnia fierent; quid
prohibet intelligere Spiritum-sanctum condito-
ris, quod superferebatur huic materiæ, non loco-
rum gradibus intervallisque spatiorum, quod ne-
quaquam de ulla re incorporea recte dicitur, sed
excellentia et eminentia dominantis super omnia
voluntatis, ut omnia conderentur? Præsertim
cum ea locutio, sicut illarum Scripturarum mos
est, etiam propheticum (c) quiddam sonet myste-
riumque futuri baptismatis ex aqua et Spiritu-
sancto nascituri populi præfiguret. Non ergo co-
git quod dictum est, Et Spiritus Dei superfere-
batur super aquam, illum intelligere spiritum,
sicut nonnulli volunt, quo mundi moles universa
ista corporea velut animatur, ad ministerium
quorumque gignentium et in sua specie conti-
nendarum corporalium creaturarum. Creatura
est enim quidquid est tale, illud etiam quod scri-
Sap. 1. 7. ptum est, Quoniam Spiritus Domini replevit or-
bem terrarum, non desunt qui eumdem spiritum
velint accipi, invisibilem scilicet creaturam cun-
cta visibilia universali quadam conspiratione ve-
getantem atque continentem. Sed neque hic vi-
deo quid impediat intelligere Spiritum-sanctum,
cum ipse Deus dicat apud Prophetam, Cœlum Jer. 23. 24.
et terram ego impleo. Non enim sine suo Spiri-
tu-sancto implet Deus cœlum et terram. Quid
ergo mirum si de Spiritu-sancto ejus dictum est,
Replevit orbem terrarum? Aliter enim replet
sanctificando, sicut de Stephano dicitur, Reple- Act. 6. 5. et cap. 7. 55.
tus est Spiritu-sancto; et de cæteris talibus: ali-
ter ergo replet sanctificante gratia, sicut quos-
dam sanctos; aliter adtestante atque ordinante (d)
præsentia, sicut omnia. Quamobrem nescio utrum
certo aliquo documento Scripturarum possit o-
stendi, cum sine ullo additamento dicitur spiri-
tus Dei vel spiritus Domini, aliquid aliud signi-
ficari quam Spiritum-sanctum. Sed etsi est forte
quod in præsentia non occurrat, illud certe ar-
bitror non temere dici, quotiens in sanctis elo-
quiis commemoratur spiritus Dei, neque additur
aliquid, sive ille Patri et Filio consubstantialis
Spiritus-sanctus, sive aliqua creatura invisibilis
intelligatur, malum tamen non posse intelligi,
nisi addatur etiam malus. Malo enim quia bene
utitur Deus ad ministerium judicii sui, appella-
tur etiam ipse spiritus Dei, ad vindictam malo-
rum et disciplinam vel probationem bonorum.

6. Nec illud movere jam nos debet, quod postea Spiritus Dei in Saule bonus et malus, quomodo.
scriptum est, eumdem Saulem spiritu Dei super
se facto prophetasse, quomodo post bonum spi- 2. Reg. 19. 23.
ritum spiritus malus, et rursum post malum
bonus. Hoc enim fit, non mutabilitate Spiritus-
sancti, qui est incommutabilis cum Patre et Fi-
lio, sed mutabilitate animi humani, Deo cuncta
distribuente, sive malis pro merito damnationis
vel emendationis, sive bonis pro largitate gra-
tiæ suæ. Quamquam videri possit etiam idem
fuisse Dei spiritus semper in Saul; malus autem
illi, quod ejus (e) sanctitatis capax non esset.
Sed non recte hoc videtur. Tutior est enim ille
sensus et verior, ut pro mutabilitate affectionis
humanæ Spiritus Dei bonus bene afficiat, vel
ad prophetiam, vel ad opus quodlibet aliud in
munere divino; afficiat autem malus male, qui
propter ministerium divinæ æquitatis omnia di-
stribuentis et omnibus recte utentis dicitur et
ipse spiritus Dei: præsertim quia dictum est,
Recessit ab eo spiritus Dei, et comprehendit eum 1. Reg. 16. 14.
spiritus malignus a Domino. Nullo enim pacto
potest idem videri recessisse et apprehendisse.
Porro autem in nonnullis exemplaribus, et eis
maxime quæ de lingua Hebræa ad verbum vi-
dentur expressa, invenitur Spiritus Dei sine ad-
ditamento positus; et intelligitur malus ex eo
quod arripiebat Saul, et reficiebat eum David Ibidem 23.
tangendo citharam. Manifestum est tamen, ideo
non additum malus, quia paullo superius jam
dictum erat, et de vicinitate Scripturæ subau-
diri et intelligi poterat. Ita enim in hujusmodi
exemplaribus legitur: *Igitur quandocumque spi-* Ibidem 15, et 16.
ritus Domini arripiebat Saul, tollebat David

(a) Editi cum Vulgata, *singulis prout vult*. At vetustiss. MS. Corb. *singula unicuique*: quod plenius respondet Græco ἰδίᾳ ἑκάστῳ pro quo Augustinus interdum, *propria unicuique*. Sic infra n. 7.

(b) Sic MSS. juxta Græc. lxx. At editi, *ferebatur super aquas*.

(c) Sic MSS. Editi vero, *quoddam sonet mysterium, quo futuri baptismatis ex aqua et Spiritu sancto nascituri populi præfigurarentur*.

(d) Sex MSS. *præscientia*.

(e) Veteres libri; *sancti*: forte pro *sancti*.

citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. Sive ergo quod hic non est dictum, spiritus Dei: sed tantummodo, spiritus malus: quod ibi minus dictum erat, tamquam redditum apparet, sive quia superius ita positum erat, *Et dixerunt servi Saul ad eum, Ecce spiritus Dei malus exagitat te; jubeat Dominus noster, et servi tui qui coram te sunt quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, et levius feras:* non opus erat, cum rursum diceretur quandocumque spiritus Dei arripiebat Saul, addere malum, quia notum erat de quo tunc diceretur.

Saul persequens Davidem spiritu prophetico et bono correptus.

1. Reg. 19. 23.

7. Verumtamen illa quæstio major est, et non transitoria animi intentione rimanda, quod cum Saul persequeretur David innocentem, plenus invidia et livore vesanus, *factus est super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat.* Non enim potest hic nisi spiritus bonus intelligi, per quem sancti Prophetæ futurarum rerum imagines et visa cernebant; non ex eo tantum quia dictum est, *Et prophetabat:* nam in exemplaribus quæ sunt ex Hebræo, hoc quoque invenitur de spiritu malo dictum ita,

1. Reg. 18. 10.

Post diem autem alterum invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in media domus suæ. Et in aliis divinarum Scripturarum locis sæpe invenitur, quod prophetia non tantum bona, sed et mala dicatur; et prophetæ dicti sunt Baalam, et exprobratum est quibusdam quia prophetabant in Bal.

3. Reg. 18. 16. et 22. et 25. et 40.

Non ergo necesse est intelligi propterea bonum spiritum, qui factus est super Saul postea, quia dictum est, *Et ambulabat ingrediens, et prophetabat:* sed quia sine additamento positum est, *Et factus etiam est super eum Spiritus Dei.* Non enim sicut in illo loco dictum erat supra, *Spiritus Dei malus;* ut ex hoc posset etiam in consequentibus subaudiri: quin immo superiora magis magisque adtestantur illum spiritum Dei bonum fuisse et vere propheticum.

1. Reg. 19. 20.

David enim erat cum Samuele, et misit Saul nuntios qui apprehenderent David. Quando autem Samuel erat inter prophetas et cœtum prophetarum, qui illo tempore prophetabant, nuntii qui missi sunt accepto eodem spiritu prophetaverunt, missisque aliis hoc contigit, et tertiis nihilo minus postea cum et ipse Saul venisset, *factus est etiam super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat.* Cum enim dicitur, *Factus est etiam super ipsos Spiritus Dei, et prophetabant et ipsi;* idem utique erat spiritus, qui erat in prophetis, inter quos et Samuel inventus est: ex hoc itaque necesse est intelligi illum spiritum bonum. Atque ideo quæstio diligenter discutienda est, quomodo et illi cum missi essent ad tenendum hominem et ad necem adducendum, tali spiritu affici meruerunt, et Saul ipse qui miserat, veniens et ipse, et sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit illum spiritum, et prophetare.

8. Hic nimirum occurrit illud, quod apostolus Paulus apertissime exponit, supereminentem viam demonstrans: Si linguis hominum loquar, » inquit, et Angelorum, caritatem autem non habeam, » factus sum velut æramentum sonans aut » cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, » et sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, » et si habuero omnem fidem, ita ut montes trans- » feram, caritatem autem non habeam, nihil sum. » Et si distribuero omnem substantiam meam, et » si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem » autem non habeam, nihil mihi prodest.

Munera quædam Spiritus-sancti haberi sine caritate. 1. Cor. 13. 1. etc.

1. Cor. 12. 7. etc.

Quo in loco manifestum est eum munera illa commemorasse, quæ Spiritus-sancti divisionibus dantur, sicut superius dicit: Unicuique autem datur » manifestatio Spiritus ad utilitatem; alii quidem » per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo » scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri au- » tem fides in eodem Spiritu; alii donatio curatio- » num in uno Spiritu; alii operationes virtutum, » alii prophetia, alii dijudicatio spirituum, alteri » genera linguarum. Omnia autem hæc operatur » unus atque idem Spiritus, dividens propria uni- » cuique prout vult. Satis ergo apparet inter dona » Spiritus-sancti esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, et caritatem non habeat, nihil est.

Sine caritate munera alia Spiritus sancti nihil prosunt.

Ex quo intelligitur fieri posse, ut quidam etiam indigni vita æterna regnoque cœlorum, adspergantur tamen quibusdam Spiritus-sancti muneribus non habentes caritatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Prophetia quippe sine caritate, sicut jam demonstratum est, non perducit ad regnum Dei: caritas vero sine prophetia utique perducit. Cum enim loquens de membris Christi ait, Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? indubitanter ostendit etiam eum qui prophetiam non habet, posse in membris Christi numerari: ubi quem locum haberet, si caritatem, sine qua homo nihil est, non haberet? Nullo autem modo ita diceret, quando de membris agebat quibus Christi corpus impletur, Numquid omnes habent caritatem? quemadmodum dixit, Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes virtutes? numquid omnes dona habent curationum? et cetera hujusmodi.

Ibidem. 19.

An prophetia habeatur sine caritate.

9. Sed dicit aliquis, posse quidem fieri ut prophetiam quisque non habeat, et tamen habeat caritatem, atque ideo Christi membris annumeratus inhæreat: sed fieri non posse, ut prophetiam habeat, et non habeat caritatem; nihil enim est homo habens prophetiam sine caritate. Ita fortasse, quemadmodum possumus dicere, nihil esse hominem habentem animam sine mente: non quia potest inveniri homo, qui mentem non habeat habens animam; sed quia nihil esset, si inveniri posset. Sic etiam dici potest, Si corpus figuram habeat, colorem non habeat, videri non potest: non quia est corpus cui desit color; sed quia si esset, cerni non posset. Ita fortasse dictum est, quod si quis habeat prophetiam, et caritatem non habeat, nihil est: non quia potest in quoquam esse prophetia sine caritate; sed quia si esset prodesse non posset.

Opus est igitur ad solvendam istam quæstionem, ut ostendamus aliquem reprobum hoc donum habuisse prophetiæ; quod si neminem invenerimus, hoc iste ipse Saul satis ostenderet. Sed tamen ille etiam Balaam reprobus apparet; non enim eum tacet Scriptura divino judicio esse damnatum: et tamen prophetiam habebat; et quia caritas ei deerat, inerat voluntas maledicendi populo Israel, quam hostis prætio comparaverat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat; dono tamen illo prophetandi, quo adspergebatur, benedicebat invitus. Nec verba illa parum adtestantur huic sententiæ, quæ in Evangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die, Domine, Domine, (a) in nomine tuo manducavimus et bibimus, et in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus. Quibus tamen dicturus est, Non novi vos, recedite a me operarii iniquitatis. Non enim eos mentientes putamus ista dicturos in illo judicio, ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam vocem talium legimus, dicentium, Dileximus te. Poterunt ergo dicere, In nomine tuo prophetavimus, cum sint improbi et reprobi: non autem poterunt dicere, Dilectionem quam mandasti, tenuimus. Nam si dicent, non eis respondebitur, Non novi vos. In hoc enim cognoscetur, inquit, quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis.

Num. 20. 3. et 24.
Matth. 7. 22. et seq.
Joan. 13. 35.

Hæreticos et schismaticos habere alia dona Spiritus sancti, præter caritatem.

40. Exemplum itaque hujus Saul resistit superbis nonnullis hæreticis, qui aliquid boni de muneribus sancti Spiritus negant posse dari eis qui ad sortem sanctorum non pertinent: cum eis dicimus, habere illos posse sacramentum baptismi, quod cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis ullo modo violandum, aut quasi non habeant tradendum; sed tamen eos non ideo saluti debere confidere, quia non improbamus quod illos accepisse concedimus; sed oportere cognoscere unitatis societatem vinculo caritatis ineundam, sine qua omnino quidquid habere potuerint, quamvis per se sanctum ac venerandum, ipsi tamen nihil sunt, tanto indigniores effecti vitæ æternæ præmio, quanto illis donis non bene usi sunt, quæ in hac vita, quæ transitoria est, acceperunt. Non autem bene utitur, nisi caritas; et caritas omnia tolerat, atque ideo non scindit unitatem, cujus ipsa est fortissimum vinculum. Non enim et servus ille non accepit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum quam munus aliquod utique divinum: sed, Qui habet, dabitur ei; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. Quod non habet auferri non potest; sed aliud non habet, ut merito auferatur quod habet: non habet, caritatem utendi, ut auferatur quidquid aliud habet, quod sine caritate non prodest.

1. Cor. 13. 7.
Matth. 25. 29.

11. Non igitur mirum est, regem Saul et eo tempore quo primum unctus est, accepisse spiritum prophetandi, et postea cum esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo spiritu Domini arreptum esse maligno spiritu a Domino: qui etiam spiritus Domini appellatus est propter ministerium; quia omnibus etiam spiritibus malis bene utitur Dominus, vel ad damnationem quorumdam, vel ad emendationem, vel ad probationem: et quamvis non sit malignitas a Domino, non est tamen potestas nisi a Deo. Dictusque etiam sopor Domini, qui occupaverat milites ejusdem Saul, cum David hastam et scyphum abstulisset a capite dormientis: non quia tunc sopor in Domino erat, ut ipse dormiret; sed quia ille sopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infusus, ne David servi ejus in eo loco præsentia sentiretur. Neque illud mirum est, rursum eumdem Saul accepisse spiritum prophetiæ, cum persequeretur justum, et eum comprehensurus et necaturus venisset in locum, ubi erat congregatio prophetarum. Sic enim satis demonstratum est, neminem de tali munere jam securum esse debere, tamquam sit acceptissimus Deo, si non habeat caritatem: quando quidem illud donum et Sauli dari potui, propter arcanum quidem alicujus sacramenti; sed tamen dari potuit reprobato, et invicto et ingrato, et reddenti mala pro bonis, et ne post ipsam quidem acceptionem spiritus correcto in melius atque mutato.

Spiritus malus cur dictus spiritus Domini.
Rom. 13. 1.
1. Reg. 26. 12.
1. Reg. 19. 23.

QUÆST. II.
1. Reg. 15. 11.

1. Age jam videamus quomodo dictum sit, *Pœnitet me quod constituerim regem Saul*. Quæris enim, non utique in talium verborum intellectu rudis, sed rudimenta explorans mea paterno studio et benigna cura; quomodo pœniteat aliquid Deum, in quo sit omnis præscientia. Ego vero, cum hoc de Deo dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer, si aliquid dignum inveniretur quod de illo diceretur. Cum vero verba omnia, quibus humana colloquia (b) conseruntur, illius sempiterna virtus et divinitas mirabiliter atque incunctanter excedat, quidquid de illo humaniter dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur, ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quam divinæ sublimitati; ac per hoc etiam ipsa trascendenda esse (c) sereniore intellectu, sicut ista qualicumque transcensa sunt.

De Deo nihil dignum dicitur.

2. Quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præscientia, pœnitentiam esse non posse? Et certe tamen hæc duo verba sunt, pœnitentia et præscientia, quorum quia unum congruere credimus Deo, id est præscientiam, negamus in eo esse pœnitentiam. Cum vero alius liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, et invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longe lateque superari, non miratur utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongrue diceretur. Quid est enim præ-

Præscientia an proprie sit in Deo.

(a) Editi, *coram te manducavimus*. At MSS. *in nomine tuo manducavimus*: quomodo postea Augustinus in lib. de catechizandis rudibus c. 16, et alibi sæpe.

(b) Sic MSS. Editi autem, *conferuntur*, et infra loco *humaniter*, habebant *humanitus*.

(c) In editis, *saniore*; pro quo in MSS. *sereniore*.

A scientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tem-
a pora? Si enim (a) scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia sed tantum scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit, sciendo; bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei: quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest quæ ventura prænoscit nosse cum venerint, nisi bis innotescant, et prænoscendo ante quam sint, et cognoscendo cum jam sunt. Ita fit, ut (quod longe
B a veritate seclusum est) temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, cum temporalia quæ præsciuntur etiam præsentia sentiuntur quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsciebantur. Si vero etiam cum venerint, quæ præsciebantur esse ventura, nihil novi accedet scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat etiam prius quam venirent quæ præsciebantur, quomodo jam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Jam enim præsentia sunt, quæ futura cernebat, et paullo post erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsentium, nullo modo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id, ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia: et cum ea quæ præscientia erat
C prius, postea scientia fiat in Deo, admittit mutabilitatem, et temporalis est; cum sit Deus, qui vere summeque est, nec ulla ex parte mutabilis nec ullo motu novitio temporalis. Placet ergo ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam: quæramus et hoc quomodo. Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoria retinemus; cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse; ut id cum volumus recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit proprie dici, intelligit et intellexit, sentit et sensit; admittit tempus, et subrepit nihilo minus illa mutabilitas, quæ longe a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus, et præscit Deus, ineffabili modo: sic eum et pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia

Scientia quid. et quomodo in Deo.

D Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque tamen scientia vocatur: et hæc quidem humana talis est, ut dicat de illa Apostolus etiam, scientia destruetur: quod nullo modo recte de scientia Dei dici potest. Sic et ira hominis turbida est et non sine cruciatu animi: ira vero Dei, de qua dicitur in Evangelio, Sed ira Dei manet super eum: et Apostolus, Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem: illo in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque ho-

1 Cor. 13. 8.
Ira, misericordia, et zelus Dei quo sensu dicitur.
Johan. 3. 36
Rom. 1. 18.

A minis habet nonnullam cordis miseriam, unde etiam in Latina lingua nomen accepit. Nam inde est etiam, quod non solum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus hortatur Apostolus. Quis autem sano capite dixerit, ulla miseria tangi Deum? quem tamen ubique Scriptura misericordem esse testatur? Ita zelum humanum non sine peste livoris intelligimus: zelantem vero Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.

Rom. 12. 15.

3. Longum est percurrere cætera, et sunt innumerabilia, quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari, quibus humana, cum incomparabili diversitate sejuncta sint: nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula, nisi quia hæc cognita quæ in quo-
B tidiana consuetudine versantur, et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam. Cum enim dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem cum recolimus, ut cernamus animo quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus; unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam: cum ergo hæc cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta lustrantis: immo non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero; insinuatur mihi utcumque scientia Dei: quod tamen nomen, ex eo quod scien-
C do aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune. Quamquam et in ipsis hominibus solet discerni a sapientia scientia, ut etiam Apostolus dicit, Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: in Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum. Et in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent, ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia vero ad ea quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diversa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sane si ita est, ut nomen scientiæ rebus, quas per sensus corporis experimur, deputatum sit; nulla est omnino scientia Dei. Non enim Deus per se ipsum ex
D corpore et anima constat, sicut homo. Sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, et non ejusdem generis, cujus ista est quæ hominum dicitur: sicut etiam idipsum quod Deus dicitur, longe aliud est, quam quemadmodum dictum est, Quia stetit in synagoga deorum. Tamen ad non latere quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor; atque ita utcumque adsurgo in notitiam illius, quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem (b) cum eo quem mise- b

Rebus divinis vocabula humana tribuuntur, sed ibi remotis imperfectionibus intelligenda.
1. Cor. 13. 9.
1. Cor. 13. 9.
Sapientia et scientia unde differunt.
1. Cor. 12. 8.
Psal. 81. 1.

(a) Sic MSS. excepto uno a Vatic. qui cum ante editis ferebat, *in scientia res ipsas habet.*

(b) In excusis, *cum ejus, quem miserearis, participatus es miseriæ,* corrupte, uti liquet ex MSS.

rariis, participatæ miseriæ, ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi et a miseria liberandi, insinuatur divinæ misericordiæ qualiscumque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus et aspernemur, cum scriptum (a) invenimus: sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, et morbidam perturbationem animi; remaneatque illud solum judicium, quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, et adsurgimus ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei.

Pœnitere quomodo conveniat Deo.

1. Reg. 15. 11.

4. Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem, *Pœnitet me;* consideremus quod esse soleat in hominibus opus pœnitendi. Procul dubio reperitur voluntas mutandi: sed in homine cum dolore animi est; reprehendit enim in se quod temere fecerat. Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat: sic potest aliquantum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quod pœnitet Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat ut esset: sed tamen et cum ita esset, ita esse debebat; et cum ita esse jam non sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit.

Pœnitentia et zelus cur minus videantur Deo congruere quam præscientia, ira et similia.

5. Sed quoniam præscientiam et scientiam cum laude solemus in hominibus appellare, iramque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus (b) timere potius quam reprehendere, congruenter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, et quem aliquid pœnitet, quoniam vel culpari solet, vel in se culpam corrigere, atque ideo cum reprehensione ista de hominibus dici; propterea movet, cum legimus esse aliquid in Deo ejusmodi. Sed illa Scriptura omnibus consulens, propterea magis et ista ponit, nec illa quæ placent sic intelligantur in Deo, quomodo consueverunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, cum ea non audemus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque convenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet; non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est, Non enim est illis commutatio (Psal. 54. 20). Item sunt quædam, quæ in homine laudabilia sunt, in Deo autem esse non possunt: sicut pudor, quod ætatum viridiorum magnum est ornamentum: sicut timor Dei, non enim tantum in veteribus libris laudatur, sed Apostolus etiam dicit, Perficientes sanctificationem in timore Dei (1. Cor. 7. 1); qui utique in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non recte dicuntur in Deo; sic quædam culpabilia hominum recte intelliguntur in Deo: non ita ut in hominibus, sed vocabulis tantummodo communibus, longe alia ratione et modo. Nam paulo post idem Samuel, cui dixerat Dominus, *Pœnitet me quod constituerim regem Saul*, ipsi Sauli ait de Deo, *Quoniam non est sicut homo, ut pæniteat eum* (1. Reg. 15. 29)*:* ubi videlicet satis ostendit etiam cum Deus dicit, *Pœnitet me;* non humano more accipiendum esse, sicut jam quantum valuimus disputavimus.

QUÆST. III. Samuel per pythonissam evocari quomodo potuerit.

1. Reg. 28. 12.

1. ITEM quæris, utrum spiritus immundus, qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saule videretur et loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est, quod ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, et petere tentandum Job justissimum virum: qui etiam tentandos Apostolos petiit (Job. 1. 11; Lucæ. 22. 31). Aut si hoc non ideo habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus: interest enim quid loquatur; quia et imperator multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem; et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici: si ergo hinc propterea nulla quæstio est; nulla sit quæstio quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis Deus creator et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justi, et tamquam de abditis mortuorum receptaculis evocare; nonne magis mirandum est, quod satanas ipsum Dominum assumpsit et constituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum (Matth. 4. 5), quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri; sicut ab ipsis Judæis, quamquam perversis atque immundis et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et pythonissam illam et Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi adspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, a malis vivis evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam; cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, et agant cum eis quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiis pro rerum præsentium vel usu vel necessitate tractatis?

Samuelis forte phantasma fuit, non spiritus.

2. Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua

(a) Sic Er. et nostri MSS. At Lov. *inveniamus*.

(b) MSS. *tremere*.

credamus, sed aliquod phantasma, et imagina-
riam illusionem diaboli machinationibus factam,
quam propterea Scriptura nomine Samuelis ap-
pellat, quia solent imagines rerum earum no-
minibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut
omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua
a materie metalli aut ligni, vel (*a*) cujusque rei
aptæ ad opera hujusmodi, quæque etiam viden-
tur in somnis, et omnes fere imagines, earum
rerum quarum imagines sunt, appellari nomi-
nibus solent. Quis est enim, qui hominem pi-
ctum dubitet vocare hominem? Quandoquidem
et singulorum quorumque picturam cum adspi-
cimus, propria quoque nomina incunctanter ad-
hibemus; velut cum intuentes tabulam aut pa-
rietem, dicimus, Ille Cicero est, ille Sallustius,
ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa
Roma; cum aliud nihil sint quam pictæ imagi-
nes. Unde Cherubim cum sint cœlestes potesta-
tes, ficta tamen ex metallo, quod imperavit Deus,
Exodi 25. 18. super arcam Testamenti, magnæ rei significan-
dæ gratia, non aliud quam Cherubim illa quoque
figmenta vocitantur. Item quisquis videt so-
mnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut
Simpliciani; sed, Vidi Augustinum aut Simpli-
cianum: cum eo tempore, quo tale aliquid vidit,
nos ignoraremus; usque adeo manifestum est,
non ipsos homines, sed imagines eorum videri.
Gen. 41. 18. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somnis et
boves, non spicarum aut boum imagines. Si igi-
tur liquido constat nominibus earum rerum,
quarum imagines sunt, easdem imagines appel-
lari; non mirum est quod Scriptura dicit Samue-
lem visum, etiamsi forte imago Samuelis appa-
ruit, machinamento ejus qui transfigurat se ve-
2. Cor. 11. 14. lut angelum lucis, et ministros suos velut mi-
nistros justitiæ.

Dæmones quomodo norint futura. 3. Jam vero si illud movet, quomodo et a ma-
ligno spiritu Sauli vera prædicta sunt: potest et
illud mirum videri, quomodo dæmones agnove-
rint Christum, quem Judæi non agnoscebant.
Matth. 8. 29. Cum enim vult Deus etiam per infimos infernos-
que spiritus aliquem vera cognoscere, tempora-
lia dumtaxat atque ad istam mortalitatem per-
tinentia, facile est, et non incongruum, ut o-
mnipotens et justus ad eorum pœnam, quibus ista
prædicuntur, ut malum quod eis impendet ante
quam veniat prænoscendo patiantur, occulto
b apparatu (*b*) ministeriorum suorum etiam spi-
ritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut
quod audiunt ab Angelis, prænuntient homini-
bus. Tantum autem audiunt, quantum omnium
Dominus atque moderator vel jubet vel sinit.
c Unde etiam spiritus (*c*) pythonius in Actibus Apo-
stolorum adtestatur Paulo apostolo, et evangeli-
sta esse conatur. Miscent tamen isti fallacias, et
verum quod nosse potuerint, non docendi ma-
gis quam decipiendi fine prænuntiant. Et forte

A hoc est quod cum illa imago Samuelis Saulem
prædiceret moriturum, dixit etiam secum futu-
rum: quod utique falsum est. Magno quippe in-
tervallo post mortem separari bonos a malis in
Evangelio legimus, cum Dominus inter super- Lucæ 16. 26.
bum illum divitem, cum jam apud inferos tor-
menta pateretur, et illum qui ad ejus januam
ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum;
magnum chaos interjectum esse testatur. Aut si
propterea Samuel Sauli dixit, *Mecum eris*, ut
non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem con-
ditionem mortis referatur, quod uterque homo
fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mor-
tuus mortem vivo prænuntiabat; perspicit, quan-
tum opinor, prudentia tua, secundum utrumque
intellectum habere exitum illam lectionem qui
B non sit contra fidem: nisi forte profundiore et (*d*) d
perplexiore inquisitione, quæ vel virium meo-
rum vel temporis excedit angustias, invenitur
ad liquidum, vel posse vel non posse animam
humanam, cum ex hac vita emigraverit, magicis
carminibus evocatam vivorum apparere conspe-
ctibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut
non solum videri valeat, sed agnosci. Et si pot-
est, utrum etiam justi anima, non quidem coga-
tur magicis sacris, sed dignetur ostendi occul-
tioribus imperiis summæ legis obtemperans: ut
si fieri non posse claruerit, non uterque sensus
in hujus Scripturæ tractatione atque expositione
admittatur, sed illo excluso, imaginaria simula-
tio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed
quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit,
C tamen fallacia satanæ atque imaginum simulan-
darum callida operatio decipiendis humanis sen-
sibus multiformis invigilat, pedetentim qui-
dem (*e*), ne inquisitionibus diligentioribus præ- e
scribamus, sed tamen potius existimemus tale
aliquid factum maligno pythonissæ illius mini-
sterio, quamdiu nobis aliquid amplius excogi-
tare atque explicare non datur.

Quod autem quæris, quid sit quod scriptum QUÆST. IV.
est, *Intravit rex David, et sedit ante Dominum*, 2. Reg. 7. 18.
quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in
conspectu Domini, sive ubi erat arca Testamen-
ti, per quam sacratior et commendatior quædam
præsentia Domini accipi potest; sive quia oratu-
rus sedit, quod non fit recte nisi in conspectu
Dei, hoc est in intimis cordis? Potest enim et
D sic accipi quod dictum est, *ante Dominum*, ubi
nullus esset hominum, qui audiret orantem. Sive
ergo propter arcam Testamenti, sive propter
secretum locum semotum ab arbitris, sive pro-
pter intimum cordis ubi erat orantis affectus,
convenienter dictum est, *Sedit ante Dominum*. 3. Reg. 18. 42.
Nisi forte quod sedens oravit, hoc movet: cum
et sanctus Elias hoc fecerit, quando pluviam
orando impetravit. Quibus admonemur exem- Quo situ corporis orandum.
plis non esse præscriptum quomodo corpus con-

(*a*) Editi, *cujuscumque*: pro quo Augustinus *cujusque*, quod hic MSS. constanter habent, solet usurpare.
(*b*) Editi, *mysteriorum*. At potiores MSS. *ministeriorum*: quo nomine alias nonnumquam Angelos vocat Augustinus.

(*c*) Editi, *pytonhicus*. MSS. vero, *pythonius*, vel *pythonis*.
(*d*) Aliquot MSS. *prolixiore*.
(*e*) Particula *ne* restituitur hic ex MSS. Confer lib. de octo Dulcitii quæst. in fine quæstionis 6.

stituatur ad orandum, dum animus Deo præsens A peragat intentionem suam. Nam et stantes oramus, sicut scriptum est, Publicanus autem de Lucæ 18.13 longinquo stabat: et fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: et sedentes, sicut ecce Act. 7. 59. et 20. 36. Psal. 6. 7. David et Elias. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis, Lavabo per singulas noctes lectum meum, in lacrymis meis stratum meum rigabo. Cum enim quisque orationem quærit, collocat membra, sicut ei occur- a rerit accomodata pro tempore (*a*) positio corporis ad movendum animum. Cum autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est, cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo invenerit hominem, non est b utique differenda oratio, ut quæramus quo (*b*) B secedamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudi- c nem, et sæpe etiam obliviscitur (*c*) vel ad quam cœli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus invenerit.

QUÆST. V. 3. Reg. 17. 20. In verbis autem beati Eliæ, quibus ait, *O Domine testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu male fecisti, ut occideres filium ejus*, nihil moveret, si vera pronuntiatio servaretur. Vox est enim non credentis quod tam male faceret Deus cum ea vidua, quæ tam pie Prophetam susceperat, eo præsertim tempore quo ibi erat, cui protulerat illa totum victum suum tam exiguum in tam magna et summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret, *O Domine testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu ne male fecisti, ut occideres filium ejus? ut* C sub intelligatur quod utique Dominus testis cordis illius mulieris, ubi videbat quanta esset pietas: unde etiam Eliam ipse ad eam miserat, non malefaciendi caussa mortificaverat filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo tantum Prophetam et tunc viventibus et posteris commendaret: sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glo- Johan. 11. 4. rificaretur Deus in Filio suo. Et ideo consequentia probant, et ipsa etiam fiducia qua credidit Elias, non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu hospita ejus affligeretur; sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ qualem Dei famulum suscepisset. Sequitur 3. Reg. 17. 21. Scriptura, et dicit, *Et insufflavit puero ter, et* D *vocavit Dominum, et dixit, Domine Deus meus, revertatur nunc anima pueri hujus in eum. Et factum est sic.* Hæc ergo deprecatio, qua petiit Elias tam breviter et tam fidenter, ut resurgat puer, satis indicat quo affectu dicta sint superiora. Et ipsa mulier ostendit ad hoc mortificatum filium suum fuisse, ad quod Elias factum esse præsumpserat, cum illa verba non confirmando, sed renuendo enuntiaverat. Cum enim Ibidem 24. vivum recepisset filium suum, ait, *Ecce cognovi, quoniam homo Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo certissimum.* Multa sunt autem in Scri- Rom. 8. 33. pturis, quæ nisi illo modo pronuntientur, in contrariam sententiam recidunt: sicuti est, Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Si quasi confirmans respondeas, vides quanta perversitas oriatur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceretur, Deusne qui justificat? ut subaudiatur, Non utique. Ac per hoc apertam puto esse illam Eliæ sententiam, quam non servata pronuntiatio faciebat obscuram.

QUÆST. VI. De spiritu mendacii misso ad decipiendum Achab. 3. Reg. 22. 20. De spiritu vero mendacii, per quem deceptus est Achab, hoc intelligamus, quod jam superius satis aperte tractatum arbitror: Deum scilicet omnipotentem et justum distributorem pœnarum præmiorumque pro meritis, non solum bonis et sanctis ministris uti ad opera congrua, sed etiam malis ad opera digna: cum illi pro sua perversa cupiditate nocere appetant, sinantur Sap. 11. 21. autem tantum quantum ille judicat, qui omnia in mensura et pondere et numero disponit. Dixit autem hoc Michæas propheta quomodo sibi fuerit demonstratum. Occulta enim res et nimis secreta ita demonstratur prophetis, sicut potest capere sensus humanus, cum etiam rerum imaginibus in revelatione tamquam verbis instruitur. Nam quomodo Deus hæc agat, ubique totus ac semper præsens; et quomodo ejus simplicem et incommutabilem æternamque veritatem consulant sancti angeli omnesque ab eodem Deo creati sublimes et mundissimi spiritus, atque id quod in eo sempiterne justum vident, pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragant: quomodo etiam lapsi spiritus, qui in veritate non steterunt, propter immunditiam et infirmitatem concupiscentiarum et pœnarum suarum non valentes præsentem intrinsecus contueri et consulere veritatem, signa forinsecus per creaturam exspectent, eisque moveantur sive ad faciendum aliquid sive ad non faciendum; quove modo cogantur æterna lege, qua universitas regitur, vincti atque constricti, vel (*d*) si- d nentem Deum opperiri, vel cedere jubenti, et complecti arduum, et explicare longissimum est. Vereor autem ne ista ipsa quæ sunt a me dicta, et non satisfecerint exspectationi, et tædio fuerint gravitati tuæ: quando quidem cum ut ex omnibus quæ interrogasti, unum a me libellum mitti velles, ego duos libros eosdemque longissimos misi, et fortasse quæstionibus tuis nequaquam diligenter expediteque respondi. Quamobrem preces tuas pro erratis meis multas et assiduas peto fieri: sententiam vero de hoc opere tuam brevissimam, sed gravissimam flagito, et dum sit verissima, severissimam non recuso.

(a) Sic MSS. At editi, *positi corporis.*
(b) Editi, *quo sedeamus*. At MSS. *quo secedamus.* Forte addendum hic, *et ubi sedeamus.*
(c) Editi, *obliviscitur se.* Abest *se* a MSS.

(d) Ita melioris notæ MSS. Editi autem, *sinente Deo operari, vel credere jubenti et compellenti, arduum et explicare longissimum est.*

ADMONITIO

IN LIBRUM DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS.

De Dulcitio primum, qui libri hujus scribendi argumentum Augustino præbuit, nulli dubitamus quin ille ipse sit Tribunus et Notarius in 2. Retractationum libro c. 59. laudatus, qui circiter annum 420. sicuti ex eodem loco intelligitur, in Africa agebat, datis ab Imperatore Honorio contra Donatistas legibus exsequendis præfectus. Ad eumdem, cum edoceri cuperet quid hæreticis illis responderi oporteret, scripta fuit Augustini epistola CCIV. cui titnlus, *Domino eximio et honorabili filio Dulcitio*, præficitur. Mercatorem porro, cui per Albinum Romanæ Ecclesiæ acolythum ex Africa proficiscentem litteras, hoc in opere ad quæstionem 3. citatas, misit Augustinus, Dulcitio notissimum credebat: Lanrentium vero, cui urbis Romæ Primicerio inscribitur libellus dictus Enchiridion, Dulcitii fratrem hic ad qnæstionem 1. respondens appellat.

Jam de subsequentis operis ætate, id omnino constat, editum esse post Christi annum 419. immo post 420. quandoquidem citatus in 1. quæstione liber Enchiridion anno (nti suo dicturi snmns loco) non prius 421. prodiit. Aliud etiam non minus liquet, perfectum scilicet fuisse aliquanto ante annnm 430. quippe cum in Retractionum libris anno fere 427. absolutis recenseatur. Quapropter haud immerito censent corrigendam hic in exordio consignatam (tametsi codices excusi et scripti eamdem omnes habeant) notam Paschatis, cujus Dominicum eo anno quo librum hunc concinnavit Augustinus, in tertium Kalendas Aprilis incidisse ferunt. Id siquidem per episcopatum Augustini non contigit umquam, nisi annis 419, et 430. quibus istud opusculum assignari non posse facile concedimus. Erit igitur pro III. Kal. legendum, ut quidam volunt, VII. Kal. Aprilis, ut opus ad 422. annum pertineat; aut certe reponendum XI. Kal. Aprilis, quo die Pascha anno 425. celebratum a quibusdam Latinorum fuisse asserit Bucherius.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LXV.

Lissa quem prænotavi, *De octo Dulcitii quæstionibus*, non esset in hoc opere commemorandus inter libros meos, cum sit confectus ex iis, quæ a me in aliis antea conscripta sunt, nisi et disputationis aliquid a nobis interpositum reperiretur in eo, et uni earum quæstionum non ex opusculo aliquo alio meo responsionem, sed tunc quæ potuit occurrere, reddidissem. Hic liber sic incipit: *Quantum mihi videtur, dilectissime fili Dulciti.*

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS
LIBER UNUS. *

* Scriptus forte an. 422 aut 425.

Quæstio I. est, An baptizati peccatores exituri sint de gehenna. II. An mortuis prosit oblatio, quæ fit pro ipsis. III. Utrum in adventu Domini mox futurum sit judicium, ante illi morituri sint, qui rapientur in nubibus obviam Domino. IV. Quomodo justorum filiis benedictio in Psalmo promittitur. V. (quæ novissimo loco tractatur) Quomodo electus David secundum cor Dei. VI. Utrum Samuel per pythonissam vere fuerit de inferno evocatus. VII. Quomodo stuprum Abimelech et Pharaonis effugit Sara. VIII. Denique de Spiritu Dei qui superferebatur super aquam, an ipse sit Spiritus-sanctus.

PRÆFATIO.

QUANTUM mihi videtur, (a) dilectissime fili Dulciti, non tardavi respondere interrogationibus tuis. Per Pascha quippe hoc anno, quo (b) Dominicus ejus fuit tertio Kalendas Aprilis, a Carthagine mihi missas litteras tuæ dilectionis accepi. Post eos autem dies sanctos confestim Cathaginem sum profectus: in qua civitate nihil me dictare permisit occupationum, quæ ibi non potest deesse, nimia multitudo. Sed postea quam inde regressus sum, peractis apud nostros quindecim diebus, qui me post absentiam diuturnam curare alia compulerunt, (nam post tres menses redire permissus sum,) rescribere ista non distuli, et abs te missis quæstionibus, quæ a me per diversa opuscula mea jam fuerant pertractatæ, ex eisdem opusculis reddere vel solutionem vel certe disceptationem meam. Denique illud tantummodo, ubi quæris quare dixerit Dominus nimirum præscius futurorum, *Elegi David secundum cor meum*, cum ille talia et tanta commiserit, ubi tractaverim, et quomodo id exposuerim, non potui reperire, et utrum sit in aliquo libro meo vel epistola nescio. Ac per hoc quoniam mihi de hoc intulisti novæ disputationis necessitatem, in hac mea rescriptione id ultimum feci, prius volens ea ponere, quæ habebam in aliis meis voluminibus præparata: ut nec studio tuæ sanctitatis (c) deessem, quod mihi est gratissimum; nec alio modo eadem dicere cogerer, quod mihi esset laboriosissimum, nec te aliquo amplius adjuvaret.

3. Reg. 8. 16. Act. 13. 22.

QUÆST. I. An baptizati peccatores exituri sint de gehenna.

1. PRIMA itaque propositio tua est, *Utrum aliquando, qui sunt post baptismum peccatores, exeant de gehenna. Aliquantorum namque super hoc*, inquis, *diversa sententia est, respondentium, sicut justorum præmium, ita peccatorum finem non habere tormenta. Asseverare etenim cupiunt*

A *tam perpetem vindictam manere, quam præmium. Quibus contra præscribitur Evangelica illa sententia, quæ ait, Non inde exies, donec reddas novissimum quadrantem. Superest ergo ut hoc reddito possit exire. Credimur hoc et Apostoli definitione dicentis, Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed quoniam alibi legimus*, inquis, *Et non cognovit eam, donec peperit: quod ita interpretari non possumus, idcirco de hoc cupimus fieri certiores.* Huc usque est propositio tua.

Matth. 5. 26. 1. Cor. 3. 15. Matth. 1. 25.

2. Cui respondeo ex libro meo, qui inscribitur, *De fide et operibus*, * ubi de hac re ita locutus sum: JACOBUS, inquam, tam vehementer infestus est eis qui sapiunt fidem sine operibus
B valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet, dicens, *Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis, et dæmones credunt, et contremiscunt.* Quid brevius, verius, vehementius dici potuit, cum et in Evangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum Filium Dei confiterentur, et ab illo corriperentur, quod in Petri confessione laudatum est? *Quid proderit*, ait Jacobus, *fratres mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides servare eum?* Dicit etiam, *quia fides sine operibus mortua est.* Quo usque ergo falluntur, qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?

* Cap. 14. et seq. Jacobi 2. 19. Marci 1. 24. Matth. 16. 16. Jacobi 2. 14. Ibidem 20.

3. Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sen-
C tentia, plane ad intelligendum difficilis, ubi ait, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestabitur. Dies enim declarabit, quia in*

Locus Apostoli difficilis male intellectus. 1. Cor. 3. 11. etc.

(a) Aliquot MSS. *dulcissime.*
(b) In plerisque MSS. *Dominicum.*

(c) Potiores MSS. *deesset.*

igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus arserit, damnum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei quæ in Christo est, bona opera adjiciunt; illi autem fœnum, ligna, stipulam, qui cum eamdem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti.

Refutatur opinio existimantium fidem sine operibus prodesse ad salutem.

4. Hoc si ita est, fatemur istos laudabili caritate conari, ut omnes indiscrete admittantur ad baptismum, non solum adulteri et adulteræ, contra sententiam Domini falsas nuptias prætendentes, verum etiam publicæ meretrices in turpissima professione perseverantes, quas certe etiam nulla negligentissima Ecclesia consuevit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione liberatas. Sed ista ratione cur non omni modo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eas posito fundamento, licet ligna, fœnum et stipulam congerant, aliquanto certe diuturniore igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt illa, quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent: (1. Cor. 13. 2.) *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum*, et, (Jacobi 2. 14.) *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* (1. Cor. 6. 9. et 10.) Falsum erit et illud: *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque fures, neque avari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* (Gal. 5. 19. etc.) Falsum et illud: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Falsa erunt hæc. Si enim tantummodo credant et baptizentur, quamvis in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem: atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Frustra autem (1. Cor. 6. 11.) dicitur, *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis:* quando et abluti hæc sunt. Inaniter etiam illud (1. Petri 3. 21.) a Petro dictum videbitur: *Sic et vos simili forma baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio:* siquidem et habentes pessimas conscientias omnium flagitiorum et scelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen baptisma salvos facit: propter fundamentum enim quod in eodem baptismate ponitur, licet per ignem, salvi erunt. Illud quoque non video cur Dominus di- (Matth. 19. 17.) xerit: *Si vis venire ad vitam, serva mandata;* et commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent: si etiam his non servatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ (Jacob. 2. 26.) *sine operibus mortua est.* Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est dicet, (Matth. 25. 41.) *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus?* Quos non increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos, (Ibidem 44.) *Domine quando te vidimus illa et illa patientem, et non ministravimus tibi?* qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tamquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei in se ipsos immisericordes fuerunt, quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo, (1. Cor. 13. 3.) *Si distribuam omnia mea pauperibus, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, aut diligat quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? (Psal. 10. 6.) *Qui enim diligit iniquitatem odit animam suam.* Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam: per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem; ut videlicet ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eis æterna; cum et hoc prævidens Dominus, tamquam Dominus, sententiam suam ita concluserit, dicens, (Matth. 25. 46.) *Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* Erit ergo æterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

5. Si ergo hæc omnia, et cætera quæ innumerabilia per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt falsa erunt; poterit verus esse ille intellectus de lignis, fœno et stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christo fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista et vera, et clara sunt; procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines pervertere (2. Petri 3. 16.) ad proprium suum interitum, ut contra evidentissima testimonia Scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequitiæ suæ pertinacissime cohærentes, nec emendando aut pœnitendo mutatos.

Locus Apostoli quo modo intelligendus.

6. Hic a me fortasse quæratur, de ipsa Pauli apostoli sententia quid ego sentiam, et quonam modo intelligendam putem. Fateor, hinc mallem audire intelligentiores atque doctiores qui sic eam exponant, ut illa omnia vera et inconcussa permaneant, quæ supra commemoravi, et quæcumque alia non commemoravi, quibus apertissime Scriptura testatur, nihil prodesse fidem,

nisi eam quam definivit Apostolus, id est, quæ
per dilectionem operatur; sine operibus autem
salvare non posse, neque præter ignem, neque
per ignem: quia si per ignem salvat, ipsa utique
salvat. Absolute autem dictum est et aperte,
Jacobi 2. 14. *Quid prodest, si dicat quis se fidem habere, opera
autem non habeat? numquid poterit fides salvare
eum?* Dicam tamen, quam brevissime potero,
etiam ipse quid sentiam de illa sententia Pauli
apostoli ad intelligendum difficili, dummodo il-
lud, quod ad meam professionem adtinet, præ-
cipue teneatur, quod de hac me malle dixi au-
dire meliores. Fundamentum Christus est in stru-
ctura architecti sapientis: hoc expositione non
1. Cor. 3. 10. indiget. Aperte enim dictum est, *Fundamentum
enim aliud nemo potest ponere præter id quod
Ephes. 3. positum est, quod est Christus Jesus.* Si autem
Christus, procul dubio fides Christi. Per fidem
quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut
idem Apostolus dicit. Porro si fides Christi, illa
Gal. 5. 6. utique quam definivit Apostolus, *quæ per dile-
ctionem operatur.* Non enim fides illa dæmonum,
cum et ipsi credant et contremiscant, et Filium
Dei confiteantur Jesum, potest accipi in funda-
mento. Quare, nisi quia non est fides quæ per
dilectionem operatur, sed quæ exprimitur per
timorem? Fides itaque Christi, fides gratiæ Chri-
stianæ, id est, ea fides quæ per dilectionem ope-
ratur, posita in fundamento, neminem perire
permittit. Sed quid sit ædificare super hoc fun-
damentum, aurum, argentum, lapides pretiosos,
et ligna, fœnum, stipulam, si subtilius disserere
coner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit
ipsa expositio: enitar tamen, quantum Dominus
adjuvat, et breviter, et quantum potero, dilucide
Matth. 19. 16. etc. expedire quod sentio. Ecce ille qui quæsivit a
magistro bono, quid boni faceret, ut haberet vi-
tam æternam; et audivit, si ad vitam venire vel-
let, servanda sibi esse mandata: et cum quære-
ret quæ mandata, dictum est ei, *Non occides,
Non mœchaberis, Non furtum facies, Non fal-
sum testimonium dices. Honora patrem tuum et
matrem tuam, Et diliges proximum tuum tam-
quam te ipsum.* Hæc faciens in fide Christi, te-
neret procul dubio fidem, quæ per dilectionem
operatur. Neque diligeret proximum tamquam
se ipsum, nisi recepta dilectione Dei, sine qua
non diligeret se ipsum. Porro si faceret etiam
Ibidem 22. quod Dominus addidit, dicens, *Si vis perfectus
esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pau-
peribus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni
sequere me:* ædificaret super illud fundamentum,
aurum, argentum, lapides pretiosos: non enim
cogitaret, nisi quomodo placeret Deo: et hæ co-
gitationes sunt, quantum existimo, aurum, ar-
gentum, lapides pretiosi. Porro si circa divitias
suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis
ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas au-
gendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut
earum minuendarum vel amittendarum metu in
aliquod facinus flagitiumve laberetur; (alioquin
jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate
subtraheret;) sed propter carnalem, ut dixi,
quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis
sine dolore carere non posset, ædificaret super
fundamentum illud ligna, fœnum, stipulam: ma-
xime si et uxorem sic haberet, ut etiam propter
ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo
placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dile-
cta carnali non sine dolore amittuntur, propterea
qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fi-
dem, quæ per dilectionem operatur, nec huic
ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in
eorum amissione passi detrimentum per ignem
quemdam doloris perveniunt ad salutem. A quo
dolore atque detrimento tanto est quisque secu-
rior, quanto ea vel minus amaverit, vel tam-
quam non habens habuerit. Qui vero propter illa
vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adul-
terium, fornicationem, idololatriam, et similia
quæque commiserit, non propter fundamentum
per ignem salvabitur, sed amisso fundamento,
æterno igne torquebitur.

7. Quamobrem et illud quod dicunt, veluti Alius Apostoli locus frustra ab iis adductus, qui fidem sine operibus salvare docent.
probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi
Apostolus dicit, *Quod si infidelis discedit, disce-
dat; non est enim servituti subjectus frater vel
soror in hujusmodi;* id est, ut propter fidem Chri-
sti etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta,
sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Chri- 1. Cor. 7. 10.
stiano, propter hoc quia Christianus est, perma-
nere noluerit: non adtendunt eo modo illam re-
ctissime dimitti, si viro suo dicat, Non ero uxor
tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias conge-
ras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram
domum transigebas, etiam Christianus exerceas;
aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum
in viro noverat, quo delectata vel libidinem ex-
plebat, vel facilem victum habebat, vel etiam
incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hoc uxor
dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus
mortuis, quando accessit ad baptismum, habet-
que in fundamento fidem quæ per dilectionem
operatur, procul dubio plus tenebitur amore di-
vinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum
quod eum scandalizat, fortiter amputat. Quem-
cumque autem in hac diremptione dolorem cor-
dis propter carnalem affectum conjugis sustine-
bit, hoc est detrimentum quod patietur; hic est
ignis per quem fœno ardente ipse salvabitur.
Si autem jam sic habebat uxorem tamquam non
habens, non propter concupiscentiam, sed pro-
pter misericordiam, ne forte eam salvam faceret,
reddens potius quam exigens debitum conjuga-
le; profecto nec dolebit carnaliter, cum ab illo
tale connubium separabitur: neque enim in ea
cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret 1. Cor. 7. 32.
Deo. Ac per hoc in quantum aurum, argentum,
et lapides pretiosos illis cogitationibus superæ-
dificabat, in tantum detrimentum nullum pate-
retur, in tantum ejus structura, quæ non erat
fœnea, nullo incendio cremaretur.

8. Sive ergo in hac tantum vita ista homines
patiantur, sive etiam post hanc vitam talia quæ-
dam judicia subsequuntur, non abhorret, quan-
tum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus

hujusce sententiæ. Verumtamen etiam si est alius, qui mihi non occurrit, potius eligendus, istum quamdiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei: Si tantummodo in Christum credatis, et sacramentum baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis.

1. Tim. 1. 9.

Chananææ fides qualis laudata est. Matth. 15. 26.

9. Unde nec illa nobis mulier Chananæa præscribit, quia Dominus ei quod petebat dedit, cum ante dixisset, *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus:* quia ille cordis inspector mutatam vidit, quando laudavit. Et ideo non ait, O canis, magna est fides tua: sed, *O mulier, magna est fides tua.* Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus, id est, fidem non talem quæ jam per dilectionem posset operari, fidem mortuam, et quod Jacobus dicere minime dubitavit, fidem non Christianorum, sed dæmonum. Postremo si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo et corripiendo redarguit: quoscumque invenerint tantummodo credere, vitam vero inquinatissimam, nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri, ac nolle mutare; sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Chananææ mulieris; non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant membra meretricis.

Jacobi 2. 19.

Cap. 67. et seq.

Opinio quorumdam, fideles baptizatos, quantumvis peccatores, salvandos esse per ignem.

10. Item in eo libro, cui titulus est, *De fide, spe, et caritate*, quem scripsi ad filium meum fratrem tuum Laurentium, ista de hac re verba mea sunt. Creduntur, inquam, a quibusdam, etiam hi qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniti. Sed qui hoc credunt, et tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur: nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione conscripsi, cujus titulus est, *De fide et operibus*, ubi secundum Scripturas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus, dicens, *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Si autem male, et non bene operatur, procul dubio, secundum apostolum Jacobum, *mortua est in semetipsa.* Qui rursus ait: *Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum quod ait beatus Paulus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit quod dixit ejus coapostolus Jacobus: falsum erit et illud quod idem ipse Paulus; *Nolite*, inquit, *errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt.

Gal. 5. 6.

Jacobi 2. 17.

Ibid. 14.

1. Cor. 3. 15.

1. Cor. 6. 9. et 10.

11. Sed quia hæc apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt; illud quod obscure dictum est, de his qui superædificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam, (de his enim dictum est, quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt,) sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et fœnum et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut ei nihil anteponatur, et malit homo, qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit, carere, quam Christo, per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, eum in fundamento non habuit: quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio non sit aliquid prius fundamento. Ignis enim, de quo eo loco locutus est apostolus Paulus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est, et qui *ædificat super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos*, et qui *ædificat lignum, fænum, stipulam.* Cum enim hoc dixisset, adjunxit, *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus exustum fuerit, damnum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non ergo unius eorum, sed utriusque opus ignis probabit.

1. Cor. 3. 11.

Ibid. 13. etc.

Ignis cujusque opus probans in hac vita. Eccli 27. 6.

12. Est quidam ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri autem cogitanti ea quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, id est, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam: illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur; exuritur autem opus hujus, quoniam SINE DOLORE NON PEREUNT, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam al-

1. Cor. 7. 32.

terutra conditione proposita, eis potius carere mallet, quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat dum amittit, salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem: quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum, sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

Purgatorius ignis post hanc vitam.

13. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit, quæri potest: et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari: non tamen tales, de

I. Cor. 6. 10.

qualibus dictum est, quod *regnum Dei non possidebunt*, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittuntur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænuntiet Dominus dextris, et earum tantummodo sterilitatem sinistris; quando his dicturus est; *Venite*

Matth. 25. 34.

benedicti Patris mei, percipite regnum: Illis autem, *Ite in ignem æternum*. Hæc de duobus opusculis meis satis puto quæstioni tuæ fuisse responsa.

Matth. 5. 13.

14. De illa vero sententia Domini, *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem:* respondere mihi necesse non fuit, quoniam tu

a ipse quæstionem (*a*) simili ex Evangelio locu-

Matth. 1. 25.

tione solvisti, ubi scriptum est, *Non cognovit eam, donec peperit*. Sane ut non te celem de hac re cogitationem meam, vellem si fieri posset; imo vero volo, si fieri potest, in hac quæstione veritate superari. Illud enim quod dicitur, quan-

b doque, etsi (*b*) post plurimum temporis, eos qui in catholica communione moriuntur, quamvis usque in finem vitæ hujus flagitiosissime et sceleratissime vixerint, de pœnis ultricibus exituros, familiarius meum tangit affectum, quem habemus erga eos, qui nobiscum corporis et sanguinis Christi sacramenta communicant; quamvis eorum mores perditos oderimus, quos disciplina Ecclesiastica emendare non possumus, aut

c a mensa Dominica separare: sed (*c*) ea veritate vinci volo, quæ sacris litteris apertissimis non resistit. Non enim quæ resistit, dicenda est ulla ratione veritas, vel putanda. Sed interim donec audiamus tale aliquid aut legamus; auscultemus

I. Cor. 6. 9. et 10.

ei qui dicit, *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes*, etc. *regnum Dei possidebunt*. Quia si talia sunt, quæ contra dicuntur, ut horum verborum apostolicorum manifestationem in alios sensus ducere nequeant, profecto adversus ea nos instruxit, et paratos esse voluit

Ephes. 5. 5. et 6.

idem Apostolus dicens, *Hoc autem scitote intelligentes, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei, nemo vos seducat inanibus verbis*. Cum ergo audierimus quosdam fornicatores, et immundos, et avaros per ignem salvari, ut habeant hereditatem in regno Christi et Dei, non obsurdescamus contra istum reclamantem et dicentem, *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hereditatem in regno Christi et Dei:* et ne adquiescamus illis verbis contra continuo subjicientem, *Nemo vos seducat inanibus verbis*.

QUÆST. II. An mortuis prosit oblatio quæ fit pro ipsis.

1. Secunda tua quæstio est, *Utrum oblatio quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus; cum evidenter nostris aut sublevemur actibus, aut gravemur: si quidem legamus, quod in inferno nemo jam possit Domino confiteri. Ad quod multi dicunt, quod si* (*d*) *ali-* d *quis beneficii in hoc locus possit esse post mortem quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigerium, sua per se illic confitendo peccata, quam in eorum refrigerium ab aliis oblatio procuratur?*

2. Dixi aliquid de hac re in eo libro, quem nuper ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum scripsi, cum me consuluisset, utrum sepultura, quæ fit in Memoriis Martyrum, prosit aliquid spiritibus mortuorum. Inde est hoc, quod his ad te litteris insero, Diu, inquam, Sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline, rescriptorum debitor fui, ex quo mihi scripsisti per homines filiæ nostræ religiosissimæ Floræ, quærens a me, utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus Memoriam sepelitur. Hoc enim abs te vidua memoranda petierat, pro defuncto in eis partibus filio suo, et rescripseras consolans eam, idque etiam nuntians de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno et pio affectu desideravit, esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur. Qua occasione factum est, ut per eosdem perlatores litterarum tuarum etiam mihi scriberes, ingerens hujuscemodi quæstionem; atque ut responderem quid mihi exinde videretur exposcens, nec tacens ipse quid sentias. Nam dicis videri tibi, non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam, vacare non posse quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit: ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum.

Ex lib. de cura pro mortuis cap. 1.

3. Sed cum hæc ita sint, quomodo huic opinioni contrarium non sit, quod ait Apostolus, 2. Cor. 5. 10.
Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum, non te satis videre significas. Hæc quippe apostolica sententia ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem; non tunc quando jam recipiendum est, quod quisque gesserit ante mortem. Verum hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere adquiritur, dum in hoc cor-

(a) Sic meliores MSS. At editi, *similem ex Evangelii lectione*.
(b) Editi, *etsi plurimi temporis*. Emendantur ex MSS.

(c) Sic MSS. Editi autem, *a veritate vinci*, at infra loco *apertissimis*, habebant *apertissime*.
(d) Plerique MSS. *aliquid beneficii in hoc loco*.

pore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos: ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos omnino nihil adjuvant ista; sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint, quæcumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesia, vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat, et tamen ferat unusquisque secundum ea quæ gessit per corpus, sive bonum, sive malum, reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita est adquisitum, quam gessit in corpore.

In Enchiridio c. 109. et 100. Animarum ante resurrectionem receptacula.

4. Dixi etiam tale aliquid ad Laurentium, quod ita se habet: TEMPUS autem, inquam, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem; nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut his non requirat, est et rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam possit relevari quispiam, vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est, *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum*: quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem pro-

2. Cor. 5. 10.

A sunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

QUÆST. III. An omnes morituri sint.

1. TERTIA tua quæstio est, *Utrum statim in adventu Domini credendum sit futurum esse judicium, an spatio interposito temporis. In cujus diebus adventus, quoniam legimus, inquis, quod qui superabunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino futuri sunt: nosse desidero, utrum mox judicium comitetur adventum; et ii qui rapientur in nubes, an solvantur in mortem? nisi forte ad vicem mortis ipsam immutationem debeamus accipere.*

1. Thess. 5. 17.

2. Huic interrogationi tuæ, qua quæris, utrum in adventu Domini mox credendum sit futurum esse judicium, puto quod sufficiat fides Symboli, B qua confitemur Christum a Patris dextera esse venturum ad vivos et mortuos judicandos. Cum ergo ipsa sit ei caussa veniendi, quid aliud acturus est mox ut venerit, nisi propter quod veniet? De illis autem qui rapientur in nubibus, in quadam epistola, quam scripsi ad filium meum nomine Mercatorem, (*a*) procul dubio notissimum a vobis, cum me consuluisset de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant mortem peccato esse retributam, quatenus disputaverim, in subditis lege. ILLI autem, inquam, de quibus dixit Apostolus, cum loqueretur de resurrectione mortuorum, *Et nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus*; afferunt quidem aliquid quæstionis, sed (*b*) per b C se ipsos, non propter istos: nam et si non sunt etiam ipsi morituri, quid istos adjuvent omnino non video, cum talia de his dici possint, qualia de illis dicta sunt duobus, Enoc scilicet et Elia. Sed re vera, quantum ad verba beati Apostoli pertinet, videtur asserere quosdam in fine sæculi adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos, in illam immortalitatem, quæ sanctis etiam ceteris datur, repente mutandos, et simul *cum illis rapiendos*, sicut dicit, *in nubibus*. Nec aliquid aliud mihi visum est, quotiens de his verbis volui cogitare.

Ex epistola 193. ad Mercatorem c. 4. 1. Thess. 4. 17.

3. Sed vellem hinc potius audire doctiores: ne illis etiam qui putant aliquos morte non præcedente vivificatos, ad vitam perpetuam transituros, dicere inveniatur Apostolus, D *Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, nisi* (*c*) *moriatur*. Nam et illud quod in plerisque codibus legitur, c *Omnes resurgemus*, unde fieri poterit, nisi omnes moriamur? Resurrectio quippe, nisi mors præcesserit, nulla est. Et quod nonnulli codices habent, *Omnes dormiemus*, multo facilius et apertius id cogit intelligi: et si quid aliud tale in sanctis litteris invenitur, ad id videtur impellere, ut nullus hominum existimetur immortalitatem, nisi mors præcesserit, adepturus. Pro-

1. Cor. 15. 36.

(a) Editi, *quæ incipit, Procul dubio notissimum vobis*. Sinceriores sunt MSS. plerique, hisce verbis, *quæ incipit*, merito carentes; quippe cum epistolæ hoc loco laudatæ initium sit, *Litteræ dilectionis tuæ*.

(b) Sic MSS. At Editi, *propter se ipsos*.
(c) Editi *prius moriatur*. Abest *prius* a MSS. et a Græco textu Apost.

1. Thess. 4. 15. etc. A inde ubi dixit Apostolus, *Et nos viventes qui re-*
liqui sumus in adventum Domini, non præcenie-
mus eos qui ante dormierunt. Ipse enim Dominus
in jussu et in voce Archangeli et in tuba Dei
descendet de cælo, et mortui in Christo resur-
a *gent* (*a*) *primo: deinde nos viventes, qui reliqui*
sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus ob-
viam Christo in aera, et ita semper cum Domino
erimus. Vellem, sicut dixi, de his verbis audire
doctiores: et si mihi potuerint hæc ita exponi,
ut in eis possit intelligi, omnes homines qui vi-
vunt vel post nos victuri sunt, esse morituros,
corrigerem quod hinc aliquando aliter sensi.
Neque enim debemus esse indociles doctores; et
b certe MELIUS HOMO corrigitur (*b*) pravus, quam
frangitur durus: cum iis quæ scribimus, ita no-
B stra vel aliorum exerceatur et erudiatur infir-
mitas, ut tamen in eis nulla velut canonica con-
stituatur auctoritas.

4. Si autem in his verbis Apostoli nullus alius
sensus poterit reperiri, et hoc eum intelligi vo-
luisse claruerit, quod videntur ipsa verba cla-
mare; id est, quod futuri sint in fine sæculi et
adventu Domini, qui non exspolientur corpore,
sed super induantur immortalitate, ut absorbea-
tur mortale a vita: huic sententiæ procul dubio
Symbolum regula fidei. conveniet, quod in Regula fidei confitemur, ven-
turum Dominum, judicaturum vivos et mortuos:
ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos
autem injustos, quamvis judicandi sint justi et
injusti; sed vivos quos nondum exiisse, mortuos
autem quos jam exiisse de corporibus, adven-
C tus ejus inveniet. Quæ si ita esse constiterit,
illa verba excutienda erunt, quomodo sic acci-
1. Cor. 15. 36. piamus, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi*
Ibidem 51. *moriatur*: et, *Omnes resurgemus*, sive *Omnes*
dormiemus: ut non adversentur huic sententiæ,
qua quidam creduntur etiam cum suis corpori-
bus in æternum non gustata morte victuri.

5. Sed utrumlibet horum veracior et perspi-
c cacior intellectus (*c*) invenietur, quid ad caus-
sam pertinebit istorum, sive omnes debita morte
d plectantur, sive aliquibus ab hac (*d*) conditione
parcatur; cum tamen constet non solum mortem
animæ, verum etiam corporis secuturam non
fuisse, si peccatum non præcessisset; et gratiæ
mirabiliore virtute justos a morte ad æternam
beatitudinem reviviscere, quam in mortis expe-
D rientiam non venire. Hæc propter illos, de qui-
bus mihi scripsisti, satis dicta sint: quamvis eos
jam non existimem dicere, etiam si non peccasset
Adam, fuisse vel corpore moriturum.

6. Ceterum quod adtinet ad quæstionem re-
surrectionis, propter illos qui creduntur non esse
morituri, sed ex hac mortalitate ad immortali-
tatem sine morte medii transituri, inquisitio di-
ligentior adhibenda est, et si quid hinc absolu-
tum ac definitum disputatione rationabili atque
perfecta vel audisti, vel legisti, vel etiam ipse

A adhuc audire aut legere aut excogitare potueris,
peto mihi mittere non graveris. Ego enim, quod
confitendum est caritati tuæ, plus amo discere
quam docere: nam hoc admonemur etiam dicente
apostolo Jacobo. *Sit autem omnis homo velox* Jacobi 1. 19.
ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Ut
ergo discamus, invitare nos debet suavitas veri-
tatis: ut autem doceamus, cogere necessitas ca-
ritatis: ubi potius (*e*) optandum est. ut transeat e
ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo, Isai. 54. 13.
et simus omnes docibiles (*f*) Dei: quamvis et hoc f
simus cum ea quæ ad veram pietatem pertinent
discimus, etiam quando illa docere videtur homo.
Quia *neque qui plantat, est aliquid, neque qui* 1. Cor. 3. 7.
rigat, sed qui incrementum dat Deus. Cum ita-
que si Deus incrementum non daret, nihil essent
B Apostoli plantatores et rigatores; quanto magis
ego vel tu vel quilibet hujus temporis homines,
quando nobis videmur esse doctores?

1. QUARTA tua quæstio est, *Quare dixerit* QUÆST. IV.
David, Potens in terra erit semen ejus, genera- Psal. 111. 2.
tio rectorum benedicetur: cum sciamus justorum
filios et fuisse et esse maledictos, et injustorum
et fuisse et esse benedictos.

2. Huic quæstioni de Psalmi ipsius expositio-
ne respondeo, quem cum in populo tractarem
dixi: BEATUS enim *vir qui timet Dominum, in*
mandatis ejus volet nimis. Viderit Deus, qui so- Ex Enarratione in Psalmum 111. n. 2
lus et veraciter et misericorditer judicat, quan-
tum iste proficiat in mandatis ejus. Quoniam
tentatio est vita humana super terram, sicut Job. 7. 1
sanctus Job dicit. Et iterum scriptum est, *Quo-* Sap. 9. 15
C *niam corpus quod corrumpitur, aggravat ani-*
mam; et deprimit terrena inhabitatio sensum
multa cogitantem. Qui autem judicat nos, Domi- 1. Cor. 4. 4. et 5.
nus est: nec ante tempus judicare debemus, do-
nec veniat Dominus, et illuminet abscondita te-
nebrarum, et manifestabit cogitationes cordis
et tunc laus erit unicuique a Deo. Viderit ergo
ille quantum quisque proficiat: in mandatis ejus
tamen volet nimis, qui pacem illius coædifica-
tionis adamaverit, nec jam desperare debet, quo-
niam in mandatis ejus volet nimis, et pax in terra Luc. 2. 14.
hominibus bonæ voluntatis.

3. Inde *potens in terra erit semen ejus.* Semen Psal. 111. 2.
futuræ messis, opera esse misericordiæ, Apo-
stolus testis est, qui dicit, *Bonum autem facien-* Gal. 6. 9.
tes non deficiamus: tempore enim proprio mete-
D *mus.* (*g*) Et iterum, *Hoc autem*, inquit, *qui parce* g
seminat, parce et metet. Quid autem, Fratres, 2. Cor. 9. 6.
potentius, quam ut regnum cælorum non solum
Zacchæus emat dimidio rerum suarum, sed et Luc. 19. 8.
vidua duobus minutis, et tantumdem ibi uter- Marci 12. 41.
que possideat? Quid potentius, quam ut idem re-
gnum et thesauris diviti et calice aquæ frigidæ
pauperi valeat? Sunt autem qui ista faciant dum
terrena conquirunt, aut hic mercedem speran-
tes a Domino, aut hominibus placere cupientes.
Sed, *Generatio rectorum benedicetur*: id est, Psal. 111. 2.

(a) Editi, *primi.* At MSS. *primo*, juxta Græci πρῶτον.
(b) Aliquot MSS. *parvus.*
(c) Nonnulli MSS. *inveniat.*
(d) Hic editi addunt, *exceptis*: quod a MSS. abest.

(e) Sic MSS. Editi autem, *orandum est.*
(f) MSS. *docibiles Deo.*
(g) Editi renitentibus MSS. addunt, *non deficientes.*

Psal. 72. 1. opera eorum quorum bonus Deus Israel, qui recto sunt corde; rectum autem cor est, non resistere patri emendanti, et credere pollicenti: non eorum quibus commoventur pedes, et effunduntur gressus atque labuntur, sicut in alio Psalmo Ibidem 2. canitur, dum zelant in peccatoribus pacem peccatorum videntes, et putant perire opera sua, quia non eis merces redditur peritura. At iste vir qui timet Dominum, et in templum sanctum Dei conversione recti cordis aptatur, nec gloriam hominum quærit, nec terrenas divitias con- Psal. 111. 3. cupiscit: et tamen, *Gloria et divitiæ in domo ejus.* Domus enim ejus cor ejus est, ubi Deo laudante opulentius habitat cum spe vitæ æternæ, quam hominibus adulantibus in marmoratis laqueatisque tectis cum timore mortis æternæ. Lucæ 16. 19. Hujus enim *justitia manet in sæculum sæculi.* Ipsa ejus gloria, ipsæ divitiæ. Illius autem purpura et byssus et epulæ splendidæ, et cum præsto sunt, transeunt; et cum ad finem venerit, aquæ guttam ex digito stillante desiderans, a ardens lingua clamabit. (a) (Hæc sunt quæ in dicto psalmo exposuisse me memini, et ad quæstionis tuæ quarto loco propositæ solutionem satis esse nunc existimo.) Quinto autem loco id proposuisti, unde post omnia disputaturum me esse promisi.

QUÆST. VI. 1. Reg. 28. 7.

1. Sexta tua propositio est, *Utrum juxta historiam libri Regnorum pythonissa ipsum prophetam Samuelem de inferno evocaverit.*

2. Hoc a me beatæ memoriæ Simplicianus Mediolanensis episcopus aliquando quæsivit. Quid Ex lib. 2. quæst. ad Simplicianum. q. 3. ergo ei responderim, subditum lege. Item quæris, inquam, utrum spiritus immundus, qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saule videretur et loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est, quod ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, et petere tentandum Job justissimum Job. 1. 11. Lucæ 22. 31. virum: qui etiam tentandos Apostolos petiit. Aut si hoc non ideo habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus: interest enim quid loquatur; quia et imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem; et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici: si ergo hinc propterea nulla quæstio est; nulla sit quæstio quomodo etiam immundus spiritus cum enim sanctis viris loqui potuerit. Omnibus anima sancti Deus creator et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justi, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis evocare; nonne magis mirandum est, quod satanas Matth. 4. 5. ipsum Dominum assumpsit et constituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum A unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri; sicut ab ipsis Judæis, quamquam perversis atque immundis et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et pythonissam illam et Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi adspectibus regis, divina eum B sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, a malis vivis evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam; cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, et agant cum eis quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiis pro rerum præsentium vel usu vel necessitate tractatis?

3. Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma, et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut C omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materie metalli aut ligni, vel cujusque rei aptæ ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in somnis, et omnes fere imagines, earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis est enim, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? Quandoquidem et singulorum quorumque picturam cum adspicimus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus: velut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil sint quam pictæ imagines. Unde Cherubim cum sint cœlestes potestates, ficta tamen ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam Testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non D aliud quam Cherubim illa quoque figmenta vocitantur. Item quisquis videt somnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani; sed, Vidi Augustinum aut Simplicianum: cum eo tempore, quo tale aliquid vidit, nos ignoraremus; usque adeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somnis et boves, non spicarum aut boum imagines. Si igitur liquido constat nominibus earum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari; non mirum est quod Scriptura dicit Samuelem visum, etiamsi forte imago Samuelis apparuit, machi-

Samuelis forte phantasma, non spiritus apparuit.

Exod. 25. 18.

Gen. 41. 18.

2. Cor. 11. 14.

(a) Absunt isthæc a quinque MSS.

namento ejus qui transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos velut ministros justitiæ.

Dæmones quomodo norint futura. Matth. 8, 29.

4. Jam vero si illud movet, quomodo et a maligno spiritu Sauli vera prædicta sunt: potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverint Christum, quem Judæi non agnoscebant. Cum enim vult Deus etiam per infimos infernosque spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia dumtaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, et non incongruum, ut omnipotens et justus ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur, ut malum quod eis impendet ante quam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu ministeriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit. Unde etiam spiritus pythonius in Actibus Apostolorum (Act. 16, 17) adtestatur Paulo apostolo, et evangelista esse conatur. Miscent tamen isti fallacias, et verum quod nosse potuerint, non docendi magis quam decipiendi fine prænuntiant. Et forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saulem prædiceret moriturum, dixit etiam secum futurum (1. Reg. 28, 19), quod utique falsum est. Magno quippe intervallo post mortem separari bonos a malis in Evangelio legimus (Lucæ 16, 26), cum Dominus inter superbum illum divitem, cum jam apud inferos tormenta pateretur, et illum qui ad ejus januam ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur. Aut si propterea Samuel Sauli dixit, *Mecum eris*, ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat; perspicit, quantum opinor, prudentia tua: secundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem qui non sit contra fidem: nisi fore profundiore et perplexiore inquisitione, quæ vel virium mearum vel temporis excedit angustias, inveniatur ad liquidum, vel posse vel non posse animam humanam, cum ex hac vita emigraverit, magicis carminibus evocatam vivorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed et agnosci. Et si potest, utrum etiam justi anima, non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi occultioribus imperiis summæ legis obtemperans: ut si fieri non posse claruerit, non uterque sensus in hujus Scripturæ tractatione atque expositione admittatur, sed illo excluso, imaginaria simulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia satanæ atque imaginum simulandarum callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis invigilat, pedetentim quidem, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid factum maligno pythonissæ illius ministerio, quamdiu nobis amplius excogitare atque explicare non datur.

5. Hæc sunt quæ tunc de pythonissa et Samuele scripsi. (a) Sed quam non frustra dixerim, pedetentim nos in (b) hac re gesta simulatam Samuelis imaginem maligno pythonissæ ministerio præsentatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, mea posterior inquisitio declaravit, quando inveni in libro Ecclesiastico, ubi patres laudantur ex ordine, ipsum Samuelem sic fuisse laudatum (Eccli. 47, 23), ut prophetasse etiam mortuus diceretur. Sed si et huic libro ex Hebræorum, quia in eorum non est, canone contradicitur: quid de Moyse dicturi sumus, qui certe et in Deuteronomio mortuus (Deut. 34, 5), et in Evangelio cum Elia qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus (Matth. 17, 3)?

QUÆST. VII.

1. Septima tua propositio est, *Qualiter satisfaciendum sit eis, qui dicunt Saram stuprum non effugisse, cum dicant Abimelech ab ejus conventione somnio esse revocatum, et immissum in ejus copulam Pharaonem.* (Gen. 20, 2. Gen. 12, 15.)

2. Quomodo dicant immissum in ejus copulam Pharaonem, non video; cum ad hoc credendum Scriptura non cogat. Accepit enim eam quidem in uxorem, continuoque ditatus est Abraham multis Ægyptiorum muneribus propter illam: sed non scriptum est, quod eum ea Pharao dormierit, eique permixtus sit; quoniam Deus eum multis magnisque cladibus affligendo id facere non permisit. Non enim placitæ regibus ad conjugium fœminæ mox etiam carne copulabantur. Sed sicut legimus in libro, qui prænotatur Esther (Esther. 2, 12), per aliquot menses, immo per totum annum unguentis, (c) pigmentis, aromatis accurabantur earum corpora, prius quam corpori regio miscerentur. Hoc ergo spatio facta sunt illa quæ scripta sunt, donec Pharao contritus et exterritus marito restituisset uxorem. Abimelech autem quoniam somnio est ab ejus commixtione prohibitus, ideo qui Saram stuprum non vitasse contendunt, putant utique regem, ut somniaret, nonnisi post ejus concubitum dormire potuisse. Quasi vero, ut omittam tempus quo accurabantur, ut supra dixi, ad voluptatem regiam corpora fœminarum, non potuerit Deus, prius quam convenirent, eum mergere in somnum, et admonere per somnium.

3. Dicam quod factum est in Mauritania Sitifensi. Neque enim Deus sanctorum Patrum, non ipse est etiam Deus noster. Viduam in proposito continentiæ constitutam (d) Celticchius quidam catechumenus juvenis rapuit, ut haberet uxorem. Ante quam concumberent, pressus somno et territus somnio, Sitifensi episcopo eam-

(a) Rat. Am. Er. e Vat. MSS. duo prætereunt sequentes tredecim versus, atque ad verbum *scripsi*, proxime subjungunt: *Septima tua propositio est.*

(b) Sic potiores MSS. At editi, *in hoc genere simulatam.*

(c) In melioris notæ MSS. loco *pigmentis*, legitur *lomentis*. In aliis, *linimentis*. In Vaticanis duobus, *fomentis aromatum.*

(d) Rat. Am. et Sorbonicus MS. *Celcichius*. Vaticani codices duo, *Celtichius*. Corbejensis et Floriacensis, *Celticius*. Germanensis denique, *Celtitius*. In Carthaginensis Concilii epistola ad Cælestinum undecimus inter episcopos Celticius nominatur.

dem vehementissime requirenti, revocavit intactam. Vivunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus et ipso in se facto miraculo conversus ad Dominum, ad episcopatum venerabili probitate pervenit, illa in sancta viduitate persistit.

Ex lib. 22. contra Faustum c. 33. 4. Quid autem dixerim contra Faustum Manichæum, cum calumniaretur patri Abrahæ, quod uxorem suam duobus regibus ad concubitum venditasset, (a) indicant quæ subjeci: Quod autem justum, inquam, et fidelem virum matrimonii sui infamissimum nundinatorem appellans, avaritiæ ac ventris causa duobus regibus, Abimelech ac Pharaoni, diversis temporibus Saram conjugem suam sororem mentitum, quia erat pulcherrima, in concubitum asserit venditasse; non ore veridico a turpitudine separat honestatem, sed ore maledico totum vertit in crimen. Hoc enim Abrahæ factum lenocinio simile videtur, sed non valentibus ex illius æternæ legis lumine a peccatis recte facta discernere, quibus et constantia, pertinacia videri potest; et virtus fiduciæ, vitium putatur audaciæ; et quæcumque similiter objiciuntur quasi non recte agentibus a non recte cernentibus. Neque enim Abraham flagitio consensit uxoris, ejusque vendidit adulterium: sed sicut illa famulam suam non libidini mariti permisit, sed officio generandi ultro intulit, turbato ordine naturali, ubi ejus potestas erat jubens potius obedienti, quam cedens concupiscenti; sic et ipse conjugem castam, et casto corde sibi cohærentem; de cujus animo, ubi pudicitiæ virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorem, dixit sororem, ne se occiso ab alienigenis atque impiis captiva possideretur; certus de Deo suo, quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides ac spes fefellit. Namque Pharao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, ubi ejus esse uxorem divinitus didicit, illæsam cum honore restituit. Abimelech autem somnio commonitus et edoctus, similiter fecit.

QUÆST. VIII. Gen. I. 2. 1. Novissime exponendum poscis *de spiritu Dei qui superferebatur super aquam. Quidam enim asseverant*, inquis, *Spiritum-sanctum, alii mundanum spiritum dicunt, dicentes quia non potuit historiographus cum creaturis enumerare creatorem, nec huic locum aliquem deputare, qui ubique sit totus, cum Patre videlicet atque Filio.*

2. Quid ergo istorum ego senserim, ex primo libro eorum quos de Genesi duodecim, sicut potui, non secundum allegorias; sed secundum rerum gestarum fidem scripsi, in hoc opusculum

Ex lib. 1. de Genesi ad litteram c. 5. et seq. transtuli. INEST, inquam, Deo benignitas summa et sancta et justa, et quidam, non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Propterea prius quam scriberetur, *Dixit Deus,*

Gen. 1. 3. *Fiat lux;* præcessit Scriptura, dicens, *Et spiritus Dei superferebatur super aquam.* Quia sive aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret unde facta et formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus; appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concrescere: sive spiritalem vitam quamdam ante formam conversionis quasi fluitantem; superferebatur utique Spiritus Dei: quia subjacebat scilicet bonæ voluntati creatoris, quidquid illud erat, quod formandum perficiendumque inchoaverat; ut dicente Deo in Verbo suo, *Fiat lux;* in bona Voluntate, hoc est, in beneplacito ejus, pro modo sui generis maneret quod factum est. Et ideo rectum est quod placuerit Deo, Scriptura dicente, *Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quia bona est.* Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cœli et terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur creatoris: (nam dicente Scriptura, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, intelligimus Patrem in Dei nomine, et Filium in principii nomine, qui non Patri, sed per se ipsum creatæ primitus, ac potissimum spiritali creaturæ, et consequenter etiam universæ creaturæ principium est; dicente autem Scriptura, *Spiritus Dei superferebatur super aquam*, completam commemorationem Trinitatis agnoscimus:) ita et in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuetur; Verbum Dei scilicet, et Verbi Generator, cum dicitur, *Dixit Deus;* et sancta Bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur; *Vidit Deus quia bonum est.*

3. Sed cur commemorata prius, quamvis imperfecta creatura, postea commemoratur Spiritus Dei, prius dicente Scriptura, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum;* ac deinde inferente, *Et spiritus Dei superferebatur super aquam?* An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur, propterea cum commemoraretur Spiritus Dei, in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est? ne facienda opera sua, per indigentiæ necessitatem potius, quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur. Cujus rei me- 1.Cor.12.31. mor Apostolus dicturus de caritate, supereminentem viam demonstraturum se ait. Et alio loco, *Supereminentem*, inquit, *scientiæ caritatem Christi.* Ephes.3. 19. Cum ergo sic oporteret insinuari Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est, ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur: non utique loco, sed omnia superante ac præcellente potentia.

1. Jam nunc illud quod disserendum distuleram, paullisper intende. QUÆST. V. Act. 13. 22. Quæris enim *quare dixerit Dominus, nimirum præscius futurorum, Elegi David secundum cor meum cum talia tantaque ipse homo commiserit.*

2. Quod quidem, si de ipso David, qui reprobato Saule et exstincto fuit rex Israel: dictum

(a) Sic aliquot MSS. Alii cum editis *indignansque subjeci.*

A intelligamus; magis quia Deus præscius futurorum est, prævidit in eo tantam pietatem tamque veracem pœnitentiam, ut esset in eorum Psal. 31. 1. numero, de quibus ipse dicit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Cum ergo præsciret eum Deus peccaturum, et peccata sua pia humilitate et sincera pœnitentia deleturum, cur non diceret, *Inveni David secundum cor meum;* cui non erat imputaturus peccatum tam multa bona facienti, et cum tanta pietate viventi, et ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter hæc omnia verissime dictum est, *Inveni David secundum cor meum.* Quia licet secundum cor Dei non esset, quod ille peccavit: tamen secundum cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit. Hoc solum ergo in illo secundum cor Dei non fuit, quod illi Deus non imputavit. Hoc itaque ablato, id est non imputato, quid remansit, nisi unde verissime diceretur, *Inveni David secundum cor meum?*

3. Si autem hoc prophetice dictum de Christo velimus accipere, nullus nodus quæstionis occurret; nisi forte ut quæratur a nobis, quomodo Christum recte isto nomine vocare potuerit. Sed respondemus propter semen David, ex quo carnem Christus assumpsit. Christus David appellatus. Nec sine exemplo rationem hujus in Christo nominis reddimus. Invenimus quippe apertissime Jesum Christum apud prophetam Ezechielem David esse appellatum, ubi legitur ex persona Dei Patris: *Et suscitabo super pecora mea pastorem unum, qui* Ezech. 34. 23. et 24. *pascat ea, servum meum David, et ipse pascet ea, et ipse erit his in pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum; ego Dominus locutus sum.* Ezech. 37. 22. etc. Et alio loco: *Et rex*, inquit, *unus erit omnibus imperans, et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna, neque polluentur ultra in idolis, suis et abominationibus suis et in cunctis iniquitatibus suis: et salvos eos faciam de universis* (a) *sedibus suis in quibus peccaverunt, et mundabo eos. Et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus; et servus meus David rex super eos et pastor unus erit omnium eorum.* Osee quoque Propheta, cum prænuntiaret tempus Judæorum, quale nunc habent et in Christum eos postea credituros, eumdem Christum David nomine prophetavit, dicens: *Quoniam* Osee 3. 4. *diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus.* Sic nunc esse Judæos ambigit nemo. Sed quod ait apostolus Paulus, Gentibus loquens, *Sicut enim vos* Rom. 11. 30. et 31. *aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate; sic et isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur:* hoc Propheta iste tanto ante prædicens, secutus adjunxit, *Et postea revertentur* Osee 3. 5. *filii Israel: et inquirent Dominum Deum suum et David regem suum, et stupescent in Domino et in bonis ipsius in novissimis diebus.* Ecce et hic per David nomen prophetatus est Christus; quoniam quando ista prophetabantur, ille David rex Israel jam olim ante dormierat: Dominus autem Jesus ex ejus semine fuerat in carne venturus; B propter quod prophetico loquendi modo appellabatur David. Videtur autem apostolus Paulus hoc testimonium ita posuisse in Actibus Apostolorum, ut non nisi de illo rege David qui Sauli successit possit intelligi. Nam inter cætera, *Et exinde*, inquit, *postulaverunt regem, et* Act. 13. 21. *dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. Et amoto illo suscitavit illis David regem, cui et testimonium perhibens dixit, Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Sed quoniam secutus adjungit et dicit, *Hujus Deus ex semine, secundum promis-* Act. 13. 23. *sionem, adduxit Israel Salvatorem Jesum:* altius significavit in Domino Jesu potius esse intelligendum illud testimonium, qui vere fecit C omnes voluntates Dei Patris, quam in illo rege David; qui licet secundum superiorem disputationem, remissis peccatis et non imputatis, propter ipsam quoque piam pœnitentiam, non immerito dici possit inventus secundum cor Dei; tamen omnes voluntates Dei quomodo fecit? Qui cum excellentissime laudaretur, quando ejus tempora et facta Scriptura narravit, notatus est tamen, quod non destruxit excelsa, ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, qui tantummodo in tabernaculo testimonii sibi sacrificari jusserat; quamvis et in eisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo: quæ postmodum excelsa ex ipsius David semine propagatus rex Ezechias, cum testimonio magnæ suæ laudis evertit. 4. Reg. 18. 4.

4. Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. D Si quid de istis rebus invenisti melius, sive invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse. Ego enim, quod et supra de me commemoravi, magis amo discere, quam docere.

(a) Unus e Vatic. MSS. *sordibus.* Apud LXX. est ἀνομιῶν.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Augustino restituendum curavimus opusculum subsequens, quod quidem a Lovaniensibus Theologis abjudicatum ipsi, et amandatum in Appendicem fuerat, præfixa illa, quam ab Erasmo mutuati sunt, censura: *Libellus hic ex diversis Augustini epistolis consarcinatus est, maxime quod ad sententias adtinet.* Addebat Erasmus, probabile videri opus esse Hugonis Victorini: quam ejus conjecturam refellit vel sola ejusdem libri scriptura in Gemmeticensi codice ante Hugonis ætatem exarata, et gerens in fronte nomen Augustini. Res etiam ac phrasis non Hugonem refert, sed prorsus Augustinum: qui postremo, quod Erasmum fugiebat, in epistola ccxxxi. ad Darium Comitem, post Frobenianam editionem reperta, et in Plantiniana Lovaniensium primum vulgata, suum esse librum contestatur his verbis n. 4. *Misi et alios libros, quos non petisti, ne hoc tantummodo facerem quod petisti, De fide rerum quæ non videntur, De patientia, De continentia, De providentia, et unum grandem De fide et spe et caritate.* Is haud dubie locus præteriit etiam Bellarminum, qui Lovanienses secutus, hunc librum spuriis accensendum eo lubentius volebat, quod notatus non inveniatur in Retrectationibus: libros tamen ipse nunc laudatus, De patia et de continentia, quamvis nulla ibidem facta sit de illis mentio, pro genuinis habens, qui a Possidio et a Beda vulgato citantur. Hæc nimirum opuscula ex iis sunt Tractatibus popularibus, qui Augustino, sicuti ad Quodvultdeum in epistola ccxxiv. n. 2. scribit, post absoluta jam duo de librorum suorum recensione volumina, retractandi cum Epistolis restabant. Nobiscum vero consentit Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano; et titulum qui in editis præfixus erat, *De fide rerum invisibilium*, emendandum haud immerito censet, quando de fide hic agitur, non earum tantummodo rerum quæ corporeis oculis adtingere numquam licet, sed quarumdam etiam quæ iis si præsentes exhiberentur, videri possent. Opusculum post annum 399. quo leges ab Honorio contra idola datæ sunt, collocandum esse, ex iis quæ n. 10. de idolorum subversione leguntur, nemo non agnoscet.

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE
RERUM QUÆ NON VIDENTUR
LIBER UNUS. *

* Scriptus post annum 399.

In quo demonstratur, nos in Christiana religione, non culpabili temeritate, sed laudabili fide credere res, quas oculis nostris non videmus.

CAPUT I. *Etiam in rebus humanis multa credi, quæ non cernuntur oculis.*

Sunt qui putant Christianam religionem propterea ridendam potius quam tenendam, quia in ea, non res quæ videatur ostenditur, sed fides rerum quæ non videntur, hominibus imperatur. Nos ergo ad hos refellendos, qui prudenter sibi videntur nolle credere, quod videre non possunt, etsi non valemus humanis adspectibus monstrare divina quæ credimus, tamen humanis mentibus etiam illa quæ non videntur credenda esse monstramus. Ac primum isti, quos oculis carneis sic stultitia fecit obnoxios, ut quod per eos non cernunt, non sibi existiment esse credendum, admonendi sunt quam multa non solum credant, verum etiam sciant, quæ talibus oculis videri non possunt. Quæ cum sint innumerabilia in ipso animo nostro, cujus invisibilis B est natura, ut alia taceam, fides ipsa qua credimus, sive cogitatio qua nos vel credere aliquid, vel non credere novimus, cum prorsus aliena sit ab istorum conspectibus oculorum, quid tam nudum, tam clarum, quid tam certum est interioribus visibus animorum? Quomodo ergo credendum non est quod corporeis oculis non videmus, cum vel credere nos, vel non credere, ubi corporeos oculos adhibere non possumus, sine ulla dubitatione videamus?

Voluntas amici bona non videtur, sed creditur.

2. Sed, inquiunt, ista quæ in animo sunt, cum possimus ipso animo cernere, non opus habemus per oculos corporis nosse: quæ autem dicitis vos ut credamus, nec foris ostenditis, ut ea per oculos corporis noverimus, nec intus in ani- C mo nostro sunt, ut ea cogitando videamus. Sic ista dicunt, quasi quisquam credere juberetur, si jam sibi præsentatum posset videre quod creditur. Ideo utique debemus credere nonnulla etiam temporalia, quæ non videmus, ut æterna etiam mereamur videre, quæ credimus. Sed quis- A quis es, qui non vis credere nisi quod vides, ecce præsentia corpora corporeis oculis vides, præsentes voluntates et cogitationes tuas, quia in animo tuo sunt, ipso animo vides: dic mihi, obsecro te, amici tui erga te voluntatem quibus oculis vides? Nulla enim voluntas corporeis oculis videri potest. An vero etiam hoc vides animo tuo, quod in animo agitur alieno? Quod si non vides, quomodo (a) amicali benevolentiæ vicem a repensis, si quod non potes videre, non credis? An forte dicturus es, alterius voluntatem per ejus opera te videre? Ergo facta visurus, et verba es auditurus, de amici autem voluntate id quod videri et audiri non potest crediturus. Non enim voluntas illa color est aut figura, ut oculis ingeratur; B vel sonus aut cantilena, ut auribus illabatur; aut vero tua est, ut cui cordis affectione sentiatur. Restat itaque, ut nec visa, nec audita, nec apud te intus (b) conspecta credatur, ne tua b vita deserta sine ulla amicitia relinquatur, vel impensa tibi dilectio vicissim abs te non rependatur. Ubi est ergo quod dicebas, te credere non debere, nisi quod videres aut extrinsecus corpore, aut intrinsecus corde? Ecce ex corde tuo, credis cordi non tuo; et quo nec carnis nec mentis dirigis aciem, accomodas fidem. Amici faciem cernis corpore tuo, fidem tuam cernis animo tuo: amici vero non abs te amatur fides, si non in te mutuo illa sit fides, qua credas quod in illo non vides. Quamvis homo possit et fal- C lere fingendo benevolentiam, tegendo malitiam: aut si nocere non cogitat, tamen exspectando a te aliquam commoditatem, simulat, quia caritatem non habet.

Amici etiam probati benevolentia nobis

3. Sed dicis, ideo te credere amico, cujus videre cor non potes, quia in tuis tentationibus eum probasti, et cujusmodi animum erga te ha-

(a) Aliquot MSS. amicabili.

(b) Sic MSS. Editi vero, conscripta.

non constat sine aliqua fide. beret in tuis periculis, ubi te non deseruit, cognovisti. Numquid ergo, ut amicorum probetur erga nos caritas, videtur tibi nostra optanda calamitas? Nec quisquam erit ex amicis certissimis felix, nisi fuerit adversis rebus infelix: ut videlicet explorato alterius amore non fruatur, nisi suo dolore vel timore crucietur. Et quomodo in habendis veris amicis optari ea, non potius timeri felicitas potest, quam probare nisi infelicitas non potest? Et tamen verum est haberi posse amicum etiam in rebus prosperis, probari autem certius in rebus adversis.

** CAPUT II.* * Sed utique ut eum probes, periculis tuis nec te committeres, nisi crederes. Ac per hoc cum te committis ut probes, credis ante quam probes. Certe enim si rebus non visis credere non debemus, ** Locus perplexus, et vitiatus.* * quandoquidem et nondum certius probatis amicorum cordibus credimus; et cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potius, quam videmus: nisi quia tanta fides est, ut non incongruenter quibusdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus: cum propterea credere debeamus, quia videre non possumus.

Fide de rebus humanis sublata, quam horrenda confusio sequeretur. 4. Sed auferatur hæc fides de rebus humanis, quis non attendat quanta earum perturbatio, et quam horrenda confusio subsequatur? Quis enim mutua caritate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis ipsa dilectio, si quod non video, credere non debeo? Tota itaque peribit amicitia, quia non nisi mutuo amore constat. Quid enim ejus poterit ab aliquo recipere, si nihil ejus creditum fuerit exhiberi? Porro amicitia pereunte, neque connubiorum neque cognationum et affinitatum vincula in animo servabuntur; quia et in his utique amica consensio est. Non ergo conjugem conjux vicissim diligere poterit, quando se diligi, quia ipsam dilectionem non potest videre, non credit. Nec filios habere desiderabunt, quos vicissim sibi (a) reddituros esse non credunt. Qui si nascantur et crescant, multo minus ipsi parentes suos amabunt, quorum erga se amorem in eorum cordibus, quia est invisibilis, non videbunt; si ea quæ non videntur, non laudabili fide, sed culpabili temeritate creduntur. Quid jam de cæteris necessitudinibus dicam, fratrum, sororum, generorum atque socerorum, et qualibet consanguinitate et affinitate junctorum, si caritas incerta, voluntasque suspecta est, et filiis parentum, et parentibus filiorum, (b) dum benevolentia non redditur debita; quia nec deberi putatur, quando in alio quæ non videtur, esse non creditur? Porro si non ingeniosa, sed odiosa est ista cautela, ubi nos amari non credimus, quod amorem amantium non videmus, vicemque non rependimus, quibus eam nos debere mutuam non putamus: usque adeo res humanæ perturbantur, si quod non videmus, non credamus, ut omnino funditus evertantur, si nullas credamus hominum voluntates, quas utique videre non possumus. Omitto dicere quam multa isti,

A qui nos reprehendunt, quia credimus quæ non videmus, credant famæ et historiæ, vel de locis, ubi ipsi non fuerunt; nec dicant, Non credimus, quia non vidimus. Quoniam si hoc dicant, coguntur fateri incertos sibi esse parentes suos: quia et hoc aliis narrantibus, nec tamen quia jam præteritum est id ostendere valentibus, crediderunt, nullum retinentes illius temporis sensum, et tamen aliis inde loquentibus adhibentes sine ulla dubitatione consensum: quod nisi fiat, incurratur necesse est adversus parentes infidelis impietas, dum quasi vitatur in his quæ videre non possumus credendi temeritas. * Si ergo ** CAPUT III.* non credentibus nobis quæ videre non possumus, ipsa humana societas, concordia pereunte, non stabit; quanto magis est fides, quamvis quæ B non videntur, rebus adhibenda divinis: quæ si non adhibeatur, non amicitia quorumlibet hominum, sed ipsa summa religio violatur, ut summa miseria consequatur.

Indicia quæ confirmant fidem. 5. Sed amici hominis, inquies, erga me benevolentiam quamquam videre non possum, multis tamen indiciis indagare possum: vos autem quæ vultis ut non visa credamus, nullis indiciis potestis ostendere. Interim non parum est, quod fateris quorumdam indiciorum perspicuitate res aliquas, etiam quæ non videntur, credi oportere: etiam sic enim constat, non omnia quæ non videntur, non esse credenda; jacetque illud abjectum atque convictum, quod dicitur, ea quæ non videmus, non debere nos credere. Multum autem falluntur, qui putant nos sine ullis de C Christo indiciis credere in Christum. Nam quæ sunt indicia clariora, quam ea quæ nunc videmus prædicta et impleta? Proinde qui putatis nulla esse indicia, cur de Christo credere debeatis quæ non vidistis, attendite quæ videtis. Ipsa vos Ecclesia ore maternæ dilectionis alloquitur. Ego, quam miramini per universum mundum fructificantem atque crescentem, qualem me conspicitis aliquando non fui. Sed, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* *Gen. 22. 18.* Quando Deus Abrahæ benedicebat, me promittebat: per omnes enim gentes in Christi benedictione diffundor. Semen Abrahæ Christum succedentium generationum ordo testatur. Quod ut breviter colligam, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit duodecim filios, ex quibus ortus est po- D pulus Israel. Jacob quippe ipse appellatus est Israel. In his duodecim filiis genuit Judam, unde nomen est Judæorum, ex quibus nata est virgo Maria, quæ peperit Christum. Et ecce in Christo, id est, in semine Abrahæ benedici omnes gentes, videtis et stupetis; et adhuc in eum credere timetis, in quem non credere potius timere debuistis. An credere dubitatis vel recusatis virginis partum, cum magis credere debeatis, sic decuisse nasci hominem Deum? Et hoc namque accipite per Prophetam fuisse prædictum: *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum,* *Isai. 7. 14.*

(a) Codex Vatic. *credituros.*
(b) Plures MSS. *dum benevolentiæ non redditur debitum.*

tatum, nobiscum Deus Non ergo dubitabitis virginem parientem, si velitis credere Deum nascentem; mundi regimen non relinquentem, et ad homines in carne venientem; matri fœcunditatem afferentem, integritatem non auferentem. Sic hominem nasci oportebat, etsi semper erat Deus, ex quo nascendo fieret nobis Deus. (*a*) Hinc de eo rursus Propheta dicit, *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis.* Ista unctio spiritalis est, qua Deus unxit Deum, Pater scilicet Filium: unde appellatum a chrismate, id est, ab unctione novimus Christum. Ego sum Ecclesia, de qua illi in eodem Psalmo dicitur, et tamquam factum quod futurum fuerat prænuntiatur: *Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate*, id est, (*b*) in sacramento sapientiæ, linguarum varietate decorata. Ibi mihi dicitur, *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; quia concupivit rex speciem tuam; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi: adducentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, et in sæculum sæculi.*

Psal. 44. 7. et 8.

Ibidem 10. etc.

Prophetiæ de Ecclesia impletæ.

6. Si hanc reginam non videtis, jam etiam regia prole fœcundam. Si non videt impletum, quod audivit esse promissum, cui dictum est, *Audi filia, et vide.* Si non reliquit ritus pristinos mundi, cui dictum est, *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Si non ubique Christum Dominum confitetur, cui dictum est, *Concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus.* Si non videt civitates gentium Christo preces fundere, et munera offerre, de quo illi dictum est, *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Si non etiam superbia deponitur divitum, et ab Ecclesia deprecantur auxilium cui dictum est, *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Si non agnoscit filiam regis, cui dicere jussa est, *Pater noster qui es in cœlis;* et in sanctis suis in interiore homine renovatur de die in diem, de qua dictum est, *Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus:* quamvis et oculos extraneorum* fulgentes fama prædicatorum suorum in diversitate linguarum velut in fimbriis aureis et in vestis varietate perstringat. Si non postea quam diffamatur in quocumque loco odore bono ejus, etiam consecrandæ virgines adducuntur ad Christum, de quo dicitur, et cui dicitur. *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi.* Et ne quasi captivæ in aliquem velut carcerem viderentur adduci, *Adducentur*, inquit, *in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis.* Si non parit filios ex quibus habeat tamquam patres, quos constituat sibi ubique rectores, cui dicitur, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram:* quorum se orationibus mater et prælata et subjecta commendat; unde subjunctum est, *Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generatione.* Si non propter eorumdem patrum prædicationem, in qua nominis ejus sine intermissione nominarunt, tam magnæ in ea multitudines congregantur, eique laudem gratiæ sine fine linguis propriis confitentur, cui dicitur, *Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, et in sæculum sæculi.* * Si non ista ita demonstrantur esse perspicua, ut non inveniant oculi inimicorum in quam partem avertantur, ubi non eadem perspicuitate feriantur, ut ex ea fateri (*c*) manifeste cogantur: merito fortasse dicitis, quod nulla vobis ostendantur indicia, quibus visis credatis etiam illa quæ non videtis. Si vero hæc quæ videtis, et longe ante prædicta sunt, et tanta manifestatione complentur; si se ipsa veritas et præcedentibus vobis et consequentibus declarat effectibus, o reliquiæ infidelitatis, ut credatis quæ non videtis, his erubescite quæ videtis.

Matth. 6. 9.

f. fulgente.

* CAPUT IV.

Ad credenda quæ non vidimus movere debent quæ nunc impleta conspicimus.

7. Me attendite, vobis dicit Ecclesia; me attendite quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judæa terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem, ac passionem, resurrectionem, adscensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta præsentes præsentia didicerunt. Hæc vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo hæc adspicite, in hæc intendite, hæc quæ cernetis cogitate, quæ vobis non præterita narrantur, nec futura prænuntiantur, sed præsentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod prædictum et impletum est de humana Christi nativitate, *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium:* sed videtis quod prædictum et impletum est ad Abraham Dei verbum, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Non vidistis quod de mirabilibus Christi prædictum est, *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram:* sed videtis quod prædictum est, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Non vidistis quod prædictum est, et impletum de passione Christi, *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt*

Isai. 7. 14.

Gen. 22. 18.

Psal. 45. 9.

Psal. 2. 7. et 8.

Psal. 21. 17. etc.

(*a*) Aliquot MSS. *Hinc de eo rursus.*
(*b*) Ita MSS. At editi, *sacrario.*

(*c*) In MSS. *manifesta.*

sortem: sed videtis quod in eodem Psalmo prædictum est, et nunc apparet impletum, *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Non vidistis quod de resurrectione Christi prædictum atque completum est, loquente Psalmo ex persona ejus prius de traditore et persecutoribus
Psal. 40. 7. etc. ejus: *Egrediebantur foras, et loquebantur simul in unum; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me.* Ubi ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait, *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Et paulo post cum de ipso suo traditore per eamdem prophetiam prædixisset, quod in Evangelio quoque
Joh. 13. 18. scriptum est, *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum;* hoc est, conculcavit me: continuo subdidit, *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et reddam illis.* Impletum est hoc, dormivit Christus, et evigilavit, hoc est, resurrexit: qui per eamdem prophetiam in alio
Psal. 3. 6. Psalmo ait, *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Verum hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam, de
Jerem. 16. 19. qua similiter dictum et impletum est, *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas.* Hoc certe sive velitis seu nolitis adspicitis, etiam si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem: certe tamen innumeros gentium populos relictis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus audistis dicere, *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas: si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii.* Nec putetis autem ad unum aliquem Dei locum gentes prædictas fuisse venturas, quoniam dictum est, *Ad te gentes venient ab extremo terræ.* Intelligite, si potestis, ad Deum Christianorum, qui summus et verus est Deus, non ambulando venire gentium populos, sed credendo. Nam res eadem ab alio Propheta sic
Sophon. 2. 11. prænuntiata est: *Prævalebit*, inquit, *Dominus adversus eos, et exterminabit omnes Deos gentium terræ; et adorabunt eum unusquisque de loco suo omnes insulæ gentium.* Quod ait ille, *Ad te omnes gentes venient:* hoc ait iste, *Adorabunt eum unusquisque de loco suo.* Ergo venient ad eum non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo. Non vidistis quod prædictum et impletum est de ad-
Psal. 107. 6. scensione Christi, *Exaltare super cœlos Deus:* sed videtis quod continuo sequitur, *Et super omnem terram gloria tua.* Illa de Christo jam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista præsentia in ejus Ecclesia videre vos non negatis. Utraque vobis prædicta monstramus: utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectum præterita non valemus.

CAPUT V. Præsentium exhibitio adstruit fidem præteritorum et futurorum.

8. Sed quemadmodum voluntates amicorum quæ non videntur, creduntur per indicia quæ videntur: sic Ecclesia quæ nunc videtur, omnium quæ non videntur, sed in eis litteris ubi et ipsa est prædicta monstrantur, et index est præteritorum, et prænuntia futurorum. Quia et præterita quæ jam non possunt videri, et præsentia quæ (a) nec possunt videri omnia, cum prænuntiarentur, nihil horum poterat tunc videri. Cum ergo fieri prædicta cœperunt, ex illis quæ facta sunt usque ad ista quæ fiunt, de Christo et Ecclesia quæ prædicta sunt ordinata serie cucurrerunt: ad quam seriem pertinent de die judicii, de resurrectione mortuorum, de impiorum æterna damnatione cum diabolo, et de piorum æterna remuneratione cum Christo, quæ similiter prædicta ventura sunt. Cum ergo res primas et novissimas quas non videmus non credamus, cum testes utrarumque res medias quas videmus habeamus, atque in propheticis libris et primas et medias et novissimas vel audiamus prænuntiatas ante quam fierent, vel legamus? Nisi forte arbitrantur homines infideles a Christianis illa esse conscripta, ut ista quæ jam credebant majus haberent pondus auctoritatis, si ante quam venirent, putarentur esse promissa.

CAPUT VI. Judæorum codices fidei nostræ adstipulantur.

9. Quod si suspicantur, inimicorum nostrorum Judæorum codices perscrutentur. Ibi legant ista, quæ commemoravimus, prænuntiata de Christo in quem credimus, et Ecclesia quam (b) cernimus ab initio laborioso fidei usque ad sempiternam beatitudinem regni. Sed cum legunt, non mirentur quod ista illi, quorum codices sunt, propter inimicitiarum tenebras non intelligunt. Nam eos non intellecturos ab eisdem Prophetis ante prædictum est: quod ut cætera oportebat impleri, et occulto justoque judicio Dei meritis eorum pœnam debitam reddi. Ille quippe, quem crucifixerunt, et cui fel et acetum dederunt, quamvis in ligno pendens, propter eos quos fuerat in lucem de tenebris educturus, dixerit Patri, *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt:* (Lucæ 23. 34.) tamen propter cæteros, quos occultioribus caussis fuerat deserturus, per Prophetam tanto ante prædixit, *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto; fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et in retributionem et in scandalum; obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum illorum semper incurva.* (Psal. 68. 22. etc.) Cum caussæ itaque nostræ præclarissimis testimoniis circumquaque ambulant oculis obscuratis, ut per eos hæc probentur, ubi et ipsi reprobantur. Ideo factum est, ne sic delerentur, ut eadem (c) secta omnino nulla esset; sed dispersa est super terras, ut portans in nos collatæ gratiæ prophetias ad convincendos firmius infideles, nobis ubique prodesset. Et hoc ipsum

Judæorum secta quare non prorsus deleta.

(a) MSS. *quæ nunc possunt videri, omnia cum* etc.
(b) MSS. Vatic. et Gallicani, *quam tenemus.* Et ex his quidam, *ab initio laboriosæ fidei.*

(c) Sic potiores MSS. At editi, *ut eadem facta omnino nulla essent.*

A quod dico, accipite quemadmodum fuerit prophetatum : *Ne occideris eos*, inquit, *ne quando obliviscantur legem tuam, disperge eos in virtute tua*. (Psal. 58. 12.) Non sunt ergo occisi, in eo quod non sunt quæ apud eos legebantur, et audiebantur obliti. Si enim Scripturas sanctas, quamvis eas non intelligant, penitus obliviscerentur, in ipso Judaico ritu occiderentur : quia cum Legis et Prophetarum nihil nossent Judæi, prodesse non possent. Ergo occisi non sunt, sed dispersi : ut (a) quamvis in fide, unde salvi fierent, non haberent; tamen unde nos adjuvaremur, memoria retinerent, in libris suffragatores, in cordibus nostri hostes, in codicibus testes.

CAPUT VII. Totius mundi fides in Christum mirabiliter conciliata.

10. Quamquam etiam si de Christo et Ecclesia testimonia nulla præcederent, quem non movere deberet ut crederet, repente illuxisse divinam B humano generi claritatem, quando videmus relictis diis falsis, et eorum confractis usquequaque simulacris, templis subversis, sive in usus alios commutatis, atque ab humana veternosissima consuetudine tot vanis ritibus extirpatis, unum verum Deum ab omnibus invocari? Et hoc esse factum per unum hominem ab hominibus illusum, comprehensum, vinctum, flagellatum, (b) expalmatum, exprobratum, crucifixum, occisum : discipulis ejus, quos idiotas, et imperitos, et piscatores, et publicanos, per quos ejus magisterium commendaretur, elegit, annuntiantibus ejus resurrectionem, adscensionem, quam se vidisse dixerunt, et impleti Spiritu-sancto, hoc Evangelium linguis omnibus, quas non didicerant, sonuerunt. Quos qui audierunt, partim crediderunt, partim non credentes prædicantibus C feróciter restiterunt. Ita fidelibus usque ad mortem pro veritate, non mala rependendo, sed repetiendo certantibus, nec occidendo, sed moriendo vincentibus; sic in istam religionem mutatus est mundus, sic ad hoc Evangelium corda conversa mortalium, marium et fœminarum, parvulorum atque magnorum, doctorum et indoctorum, sapientium et insipientium, potentium et infirmorum, nobilium et ignobilium, excelsorum et humilium, et per omnes gentes Ecclesia diffusa sic crevit, ut etiam contra ipsam catholicam fidem nulla secta perversa, nullum genus exoriatur erroris, quod ita reperiatur Christianæ veritati adversari, ut non affectet atque ambiat Christi nomine gloriari : quod quidem non sineretur pullulare per terram, nisi exerceret sanum et ipsa contradictio disciplinam. Quando tantum crucifixus ille potuisset, nisi Deus hominem suscepisset, etiam si nulla per Prophetas futura talis prædixisset? Cum vero tam magnum pietatis sacramentum habuerit (c) antecedentes vates suos atque præcones quorum divinis vocibus est prænuntiatum, et sic venerit quemadmodum est prænuntiatum, quis ita sit demens, ut dicat Apostolos de Christo fuisse mentitos, quem sic venisse prædicaverunt, quemadmodum eum venturum Prophetæ ante prædixerunt, qui nec de ipsis Apostolis vera futura tacuerunt? De his quippe dixerant : *Non sunt loquelæ neque sermones : quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*. (Psal. 18. 4. et 5.) Quod certe in orbe videmus impletum, etsi in carne nondum vidimus Christum. Quis itaque nisi mirabili dementia cæcatus, aut mirabili pertinacia durus ac ferreus, nolit habere sacris litteris fidem, quæ totius orbis prædixerunt fidem?

CAPUT VIII. Ad fidei immobilem observantiam cohortatio.

11. Vos autem carissimi, qui hanc fidem habetis, vel qui nunc novam habere cœpistis, nutriatur et crescat in vobis. Sicut enim venerunt temporalia (d) tanto ante prædicta, venient et sempiterna promissa. Nec vos decipiant vel vani Pagani, vel falsi Judæi, vel fallaces hæretici, nec non in ipsa Catholica mali Christiani, tanto nocentiores, quanto interiores inimici. Quia et hinc ne perturbarentur infirmi, prophetia divina non tacuit, ubi loquens in Cantico canticorum sponsus ad sponsam, id est, Christus Dominus ad Ecclesiam : *Sicut lilium*, inquit, *in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum*. (Cant. 2. 2.) Non dixit, in medio extranearum; sed, *in medio filiarum. Qui habet aures audiendi, audiat* : (Matth 13. 9.) et dum sagena, quæ missa est in mare, et congregat omnia genera piscium, sicut sanctum loquitur Evangelium, trahitur ad littus, id est, ad sæculi finem, secernat se a piscibus malis, (Ibidem 47.) corde, non corpore; mores malos mutando, non retia sancta rumpendo : (e) ne qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non vitam, sed pœnam reperiant sempiternam, cum cœperint in littore separari.

(a) Codex Vatic. ut quamvis fidem.
(b) Editi, exspoliatum. At MSS. expalmatum; quod verbum familiare est Augustino.
(c) Editi, atque credentes vates suos. Castigantur ad fidem MSS.
(d) MSS. tanta prædicta, omisso ante.
(e) Nonnulli codices, ut qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non pœnam, sed vitam.

DE SUBSEQUENTE OPUSCULO

LIBRI I. RETRACTATIONUM CAPUT XVII.

Per idem tempus coram episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ (*a*) concilium Hippone-regio habebant, *de Fide, ac Symbolo* presbyter disputavi. Quam disputationem, nonnullis eorum qui nos familiarius diligebant studiosissime instantibus, in librum contuli: in quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter Competentibus traditur. In hoc libro cum de resurrectione carnis ageretur, *Resurget*, inquam, *corpus secundum Christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro attendit, qualis autem tunc futura sit, non considerat: quia illo tempore immutationis angelicæ, non jam caro erit et sanguis sed tantum corpus*, et cætera quæ ibi de corporum terrestrium in corpora cælestia mutatione disserui, quoniam dixit Apostolus cum inde loqueretur, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Sed quisquis ea sic accipit, ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus cæleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, procul dubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini qui post resurrectionem in eisdem membris non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit, carnemque se habere etiam sermone firmavit, dicens, *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Unde constat, Apostolum non carnis substantiam negasse in Dei regno futuram; sed aut homines qui secundum carnem vivunt, carnis et sanguinis nomine noncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit. Nam cum dixisset, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt:* bene intelligitur tamquam exponendo quid dixerit continuo subdidisse, *Neque corruptio incorruptionem possidebit*. De qua re ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter quantum potui me disseruisse reperiet, quisquis *de Civitate Dei* librum legerit novissimum. Hoc opus sic incipit: *Quonium scriptum est*.

a

Cap. 10.

1. Cor. 15, 50.

Lucæ 21, 39.

1. Cor. 15, 50.

Cap. 5 et 21.

(*a*) Hipponense istud concilium in secretario basilicæ Pacis habitum notatur anno 393. octavo idus Octobris.

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE ET SYMBOLO
LIBER UNUS. *

* Scriptus anno 393.

Symboli capitis singula studiose explicantur, cum hæreticorum fidei catholicæ adversantium, et maxime Manichæorum reprehensione.

CAPUT I. Quæ caussa et scopus operis præsentis. Hab. 2. 4. Gal. 3. 11. Rom. 10. 10.

A Quoniam scriptum est et Apostolicæ disciplinæ robustissima auctoritate firmatum, *Quia justus ex fide vivit;* eaque fides officium a nobis exigit et cordis et linguæ; ait enim Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* oportet nos esse et justitiæ memores et salutis. Quando quidem in sempiterna justitia regnaturi, a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus: quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cautaque vigilantia providendum est. Est autem catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quanta res passa est brevitate sermonis: ut B incipientibus atque lactentibus, eis qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima et spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate surgentibus. Sub ipsis ergo paucis verbis in Symbolo constitutis, plerique hæretici venena sua occultare conati sunt: quibus restitit et resistit divina misericordia per spiritales viros, qui catholicam fidem, non tantum in illis verbis accipere et credere, sed etiam Domino revelante intelligere atque cognoscere meruerunt. Scriptum est enim, *Nisi credideritis, non intelligetis.* C Sed tractatio fidei ad muniendum Symbolum valet: non ut ipsa pro Symbolo gratiam Dei consequentibus memoriæ mandanda et reddenda tradatur, sed ut illa quæ in Symbolo retinentur, contra hæreticorum insidias auctoritate catholica et munitiore defensione custodiat.

Isai. 7. 9. sec. LXX.

CAPUT II. Quod nulla fuerit natura coæterna Deo, ex qua mundum fecerit.

2. Conati sunt enim quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem: non quia hoc A dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam, quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulcre (a) ordinatum esse concedunt: a ita omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quæ jam fuerat, et quam ipse non fecerat, uteretur: carnali scilicet consuetudine videndi fabros et domorum structores et quoslibet opifices, qui nisi adjuventur parata materia, effectum suæ artis pervenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse omnipotentem, (b) si mundum fabricare b non posset, nisi eum aliqua non ab illo fa- B bricata natura, tamquam materies adjuvaret. Aut si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quæ fecit. Non enim aliquid esse potest, cujus creator non esset, cum esset omnipotens. Quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem de limo, non utique fecit ex eo quod ipse non fecerat; quia terram unde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum cœlum et terram, id est, mundum et omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est, *Qui fecisti mundum ex materia invisa*, vel etiam *informi*, sicut nonnulla exemplaria tenent; nullo modo credendum est illam ipsam materiam de qua factus est mundus quamvis informem, quamvis C invisam, quocumque modo esset, per se ipsam esse potuisse tamquam coæternam et coævam Deo: sed quemlibet modum suum, quem habebat, ut quoquo modo esset, et distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente Deo, cujus beneficio est res non solum quæcumque formata, sed etiam quæcumque formabilis. Inter formatum autem et formabile hoc interest, quod formatum jam accepit

Quomodo mundus ex nihilo, si ex materia informi factus.

Sap. 11. 18.

(a) Editi, ornatum. At MSS. ordinatum.

(b) MSS. duo qui.

formam, formabile autem potest accipere. Sed A
qui præstat rebus formam, ipse præstat etiam
posse formari: quoniam de illo et in illo est o-
mnium speciosissima species incommutabilis:
et ideo ipse unus est, qui cuilibet rei, non solum
ut pulchra sit, sed etiam ut pulchra esse possit
ndtribuit. Quapropter rectissime credimus omnia
Deum fecisse de nihilo: quia etiam si de aliqua
materia factus est mundus, eadem ipsa materia
de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei mune-
a re (a) prima capacitas formarum fieret, ac de-
inde formarentur quæcumque formata sunt. Hoc
autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi
esse divinarum Scripturarum sententias, quo-
niam et omnia Deum fecisse de nihilo scriptum
est, et mundum esse factum de informi materia.

3. Credentes itaque in Deum Patrem omnipo- B
tentem, nullam creaturam esse quæ ab omnipo-
tente non creata sit, existimare debemus. Et
Johan. 14. quia omnia per Verbum creavit, quod Verbum
1. Cor. 1. 18. et Veritas dicitur, et Virtus et Sapientia Dei,
b multisque aliis insinuatur vocabulis (b) qui no-
stræ fidei Jesus Christus Dominus commenda-
c tur, liberator scilicet noster et (c) rector Filius
Dei; non enim Verbum illud per quod sunt o-
mnia condita, generare potuit nisi ille qui per
* CAPUT III. ipsum condidit omnia: * credimus ETIAM IN JE-
SUM CHRISTUM FILIUM DEI, Patris unigenitum,
id est, UNICUM DOMINUM NOSTRUM. Quod tamen
Verbum non sicut verba nostra debemus acci-
pere, quæ voce atque ore prolata verberato aere
transeunt, nec diutius manent quam sonant.
Manet enim illud Verbum incommutabiliter: nam C
de ipso dictum est, cum de Sapientia diceretur,
Sap. 7. 27. *In se ipsa manens innovat omnia.* Verbum au-
Verbum quare dictum de Filio Dei. tem Patris ideo dictum est, quia per ipsum in-
notescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agi-
mus, cum verum loquimur, ut noster animus
innotescat audienti, et quidquid secretum in cor-
de gerimus, per signa hujusmodi ad cognitio-
nem alterius proferatur: sic illa Sapientia, quam
Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innote-
d scit (d) dignis animis secretissimus Pater, Ver-
bum ejus convenientissime nominatur.

Quod Verbum sit idipsum quod Pater. 4. Inter animum autem nostrum et verba no-
stra, quibus eumdem animum ostendere cona-
mur, plurimum distat. Nos quippe non gigni-
mus sonantia verba, sed facimus; quibus facien-
dis materia subjacet corpus. Plurimum autem D
interest inter animum et corpus. Deus vero cum
Verbum genuit: id quod est ipse genuit: neque
de nihilo, neque de aliqua jam facta conditaque
materia: sed de seipso id quod est ipse. Hoc enim
et nos conamur, cum loquimur, si diligenter con-
sideremus nostræ voluntatis appetitum; non cum
mentimur, sed cum verum loquimur. Quid enim
aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum, si
fieri potest, cognoscendum et perspiciendum
animo auditoris inferre; ut in nobis ipsi quidem
maneamus, nec recedamus a nobis, et tamen
tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia,
proferamus; ut, quantum facultas conceditur,
quasi alter animus ab animo per quem se indi-
cet proferatur? Id facimus (e) conantes et ver- e
bis, et ipso sono vocis, et vultu, et gestu cor-
poris, tot scilicet machinamentis id quod intus
est demonstrare cupientes: quia tale aliquid pro-
ferre non possumus; et ideo non potest loquen-
tis animus penitus innotescere; unde etiam men-
dacis locus patet. Deus autem Pater, qui veris-
sime se indicare animis cognituris et voluit et
potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod
est ipse qui genuit: qui etiam Virtus ejus ut Sa- 1. Cor. 1. 24.
pientia dicitur, quia per ipsum operatus est et
disposuit omnia; de quo propterea dicitur, *Ad-*
tingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit Sap. 8. 1.
omnia suaviter.

5. QUAMOBREM unigenitus Filius Dei, neque CAPUT IV.
factus est a Patre; quia sicut dicit Evangelista, Johan. 1. 3.
omnia per ipsum facta sunt: neque ex tempore Filius Dei, non factus nec minor a Patre.
genitus; quoniam (f) sempiterne Deus sapiens,
sempiternam secum habet sapientiam suam: ne- f
que impar est Patri, id est, in aliquo minor;
quia et Apostolus dicit, *Qui cum in forma Dei* Philip. 2. 6.
esset constitutus, non rapinam arbitratus est
esse æqualis Deo. Hac igitur fide catholica, et
illi excluduntur qui eumdem dicunt Filium esse
qui Pater est; quia et hoc Verbum apud Deum
esse non posset nisi apud Patrem Deum, et nulli
est æqualis qui solus est. Excluduntur etiam
illi, qui creaturam esse dicunt Filium, quamvis
non talem, quales sunt cæteræ creaturæ. Quan-
tamcumque enim creaturam dicant, si creatura
est, condita et facta est. Nam idem est condere, Creare et condere, idem.
quod creare: quamquam in Latinæ linguæ con-
suetudine dicatur aliquando creare, pro eo quod
est gignere: sed Græca discernit. Hoc enim di-
cimus creaturam, quod illi κτίσμα vel κτίσιν
vocant: et cum sine ambiguitate loqui volumus,
non dicimus creare, sed condere. Ergo si crea-
tura est Filius, quamlibet magna sit, facta est.
Nos autem in eum credimus per quem facta sunt
omnia, non in eum per quem facta sunt cætera,
neque enim hic aliter accipere possumus omnia, Johan. 1. 14.
nisi quæcumque sunt facta.

6. Sed quoniam *Verbum caro factum est, et* Filius Dei cur factus homo.
habitavit in nobis; eadem Sapientia quæ de Deo
genita est: dignata est etiam in (g) hominibus g
creari. Quo pertinet illud, *Dominus creavit me* Prov. 8. 22.
in principio viarum suarum. Viarum enim ejus
principium (h) caput est Ecclesiæ, quod est Chri- h
stus homine indutus, per quem vivendi exem-

(a) MSS. quatuor, *prima.*
(b) Quinque MSS. *quibus.*
(c) MSS. Colbert. *et creator.*
(d) Am. et Lov. *innotescit animas secretissimus Pa-*
tris. Et *innotescit signis secretissimus Pater.* MSS. sex,
innotescit dignis animis secretissimus Pater. Hanc le-
ctionem esse veriorem, id partim persuasit quod in-
ferius n. 4. dicitur, *se indicare animis* etc. partim quod
in cæteris MSS. post verbum *innotescit*, habetur *ignis*,
aut *signis animi.*
(e) MSS. tres melioris notæ, *conante fœtu verbi.* For-
te legendum, *conantes fœtu verbi.*
(f) Editi, *sempiternus.* At MSS. omnes, *sempiterne.*
(g) MSS. Remigianus, *in omnibus;* id est, inter o-
mnia quæ facta sunt; nec male.
(h) Sic MSS. At editi, *principium et caput Ecclesiæ*
est Christus.

a plum nobis daretur, (*a*) hoc est via certa, qua A perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus,
Gen. 3. 5. sicut dictum est primæ nostræ creaturæ, *Gustate, et eritis tamquam dii.* Hujus igitur humilitatis exemplum, id est, viæ qua redeundum fuit, ipse Reparator noster in se ipso demonstrare
Phil. 2. 6. dignatus est, *qui non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum evacuavit formam servi accipiens;* ut crearetur homo in principio viarum ejus, Verbum per quod facta sunt omnia. Quapropter secundum id, quod unigenitus est, non habet fratres; secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes
b qui post (*b*) ejus et per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum,
c sicut apostolica (*c*) disciplina commendat. Na- B
Luc. 3. 21. turalis ergo Filius de ipsa Patris substantia uni-
Hebr. 2. 11. cus natus est, (*d*) id existens quod Pater est,
d Deus de Deo, Lumen de Lumine: nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo Lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus. *Erat*
Johan. 1. 9. enim, inquit, *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Addimus itaque fidei rerum æternarum etiam temporalem dispensationem Domini nostri, quam gerere nobis et ministrare pro nostra salute dignatus est. Nam secundum id quod unigenitus est Dei Filius, non potest dici, Fuit et erit; sed tantum, Est: quia et quod fuit, jam non est; et quod erit, nondum est. Ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum et varietate. Nec aliunde arbitror manare illud, quod famulo suo C Moysi tale nomen suum insinuavit. Nam cum ab eo quæreret, si se populus ad quem mittebatur contemneret, a quo se diceret esse mis-
Exodi 3. 14. sum; responsum dicentis accepit, *Ego sum qui sum.* Deinde subjunxit, *Hæc dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.*

Contra Manichæorum hæresim. 7. Ex quo jam spiritalibus animis patere confido, nullam naturam Deo esse posse contrariam. Si enim ille est, et de solo Deo proprie dici potest hoc Verbum; (Quod enim vere est, incommutabiliter manet; quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est, et erit quod nondum est:) nihil ergo habet Deus contrarium. Si enim quæreretur a nobis quid sit albo contrarium, responderemus nigrum: si quæreretur quid sit calido contrarium, responderemus frigidum: si D quæreretur quid veloci contrarium, responderemus tardum; et quæcumque similia. Cum autem quæritur quid sit contrarium ei quod est, recte respondetur quod non est.

8. Sed quoniam per temporalem, ut dixi, dispensationem, ad nostram salutem et reparationem, operante Dei benignitate, ab illa incommutabili Dei Sapientia natura mutabilis nostra suscepta est, temporalium rerum salubriter pro A nobis gestarum adjungimus fidem, credentes in eum Dei Filium, QUI NATUS EST PER SPIRITUM SANCTUM EX VIRGINE MARIA. Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum (*e*) deserens. Cui e
temporali dispensationi multis modis insidiantur hæretici. Sed si quis tenuerit catholicam fidem, ut totum hominem credat a Verbo Dei esse susceptum, id est corpus, animam, spiritum, satis contra illos munitus est. Quippe cum ista susceptio pro salute nostra sit gesta, cavendum est ne cum crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem. Et cum homo excepta forma membro- Totus homo susceptus a Verbo.
B rum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est, non distet a pecore nisi rationali spiritu, quæ mens etiam nominatur; quomodo Mens, ...
sana est fides, qua creditur, quod id nostrum susceperit Dei Sapientia quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit quod illustratur luce Sapientiæ, et quod hominis proprium est?

9. Detestandi autem etiam illi sunt, qui Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant, cum illa dispensatio utrumque sexum, et masculinum et fœmininum honoraverit, et ad curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de fœmina. Nec nos ad negandam Christi ma- Nativitas Christi ex fœmina. Contra Manichæos.
C trem cogit, quod ab eo dictum est, *Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Sed admonet potius ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est; et illa erat hora, quæ nondum venerat, quando dictum est, *Mihi et tibi quid est? nondum venit hora mea*, id est, qua te cognoscam. Tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, et dilectissimo discipulo humanissime commendavit. Nec illud nos moveat, quod cum ei nuntiaretur mater ejus, et fratres, respondit, *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* etc. Sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, paren- Johan. 2. 4. Johan. 19. 3.
D tes cum impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisque putaverit non eum habuisse matrem in terris, quia dixit, *Quæ mihi mater?* cogatur necesse est et Apostolos negare habuisse patres in terris, quoniam præcepit eis dicens, *Nolite vobis patrem dicere in terris: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Matth. 12. 48. Matt. 23. 9.

10. Nec nobis fidem istam minuat cogitatio muliebrium viscerum, ut propterea recusanda videatur talis Domini nostri generatio, quod eam

(*a*) Editi *Hæc est via certa.* MSS. vero, *hoc est.* Tum ex iis quatuor, *via recta.*
(*b*) Er. *post ejus primitias in Dei gratia nascimur.*
(*c*) Editi, *doctrina* pro quo MSS. *disciplina.*
(*d*) Sic MSS. At vulgati, *idem existens quod Pater Deus.*
(*e*) Emanuel Sa. putavit legendum *deferens.* Verum codices omnes habent, *deserens:* quo verbo significatur Christi nativitate detractum nihil esse Virginis matris integritati.

1.Cor. 1. 25. Tit. 1. 15. sordidi sordidam putant. Quia et *stultum Dei sapientius esse hominibus*, et *omnia munda mundis*, verissime Apostolus dicit. Debent igitur intueri, qui hoc putant, solis hujus radios, quem certe non tamquam creaturam Dei laudant, sed tamquam Deum * adorant, per cloacarum fœtores et quæcumque horribilia usquequaque diffundi, et in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior : quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de fœmineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis (*a*) fragilitate secretius? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cum regit corpus atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur. Quod si animæ maculas illi vitare vellent, hæc mendacia potius et sacrilegia formidarent.

* Manichæi.

CAPUT V. Passio Christi et sepultura.

11. Sed parva erat pro nobis Domini nostri humilitas in nascendo : accessit etiam ut mori pro mortalibus dignaretur. *Humiliavit* enim *se, factus subditus usque ad mortem, mortem autem crucis:* (Philip. 2. 8.) ne quisquam nostrum etiam si mortem posset non timere, aliquod genus mortis, quod homines ignominiosissimum arbitrantur, horreret. Credimus itaque in eum qui SUB PONTIO PILATO CRUCIFIXUS EST, ET SEPULTUS. Addendum enim erat judicis nomen, propter temporum cognitionem. Sepultura vero illa cum creditur, fit recordatio novi (*b*) monumenti, quod resurrecturo ad vitæ novitatem præberet testimonium, sicut nasciluro uterus virginalis. Nam sicut in illo monumento nullus alius mortuus sepultus est, nec ante, nec postea; (Joban. 19. 41.) sic in illo utero nec ante, nec postea, quidquam mortale conceptum est.

Resurrectio Christi.

12. Credimus etiam illum TERTIO DIE RESURREXISSE A MORTUIS, primogenitum consecuturis fratribus, (Ephes. 1. 5.) quos in adoptionem filiorum Dei vocavit, quos comparticipes et coheredes suos esse dignatus est.

CAPUT VI. Adscensus in cœlum.

13. Credimus IN CÆLUM ADSCENDISSE, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens, *Erunt sicut Angeli in cœlis*, (Matt. 22. 30.) in illa civitate quæ est mater omnium nostrum Jerusalem æterna in cœlis. (Gal. 4. 26.) Solet autem quosdam offendere vel impios gentiles vel hæreticos, quod credamus assumptum terrenum corpus in cœlum. Sed gentiles plerumque Philosophorum argumentis nobiscum agere student, ut dicant, terrenum aliquid in cœlo esse non posse. (1.Cor. 15. 44.) Nostras enim Scripturas non noverunt, nec sciunt quomodo dictum sit, *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale.* (1.Cor. 15. 44.) Non enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in spiritum, et spiritus fiat; quia et nunc corpus nostrum quod animale dicitur, non in animam versum est et anima factum. Sed spiritale corpus intelligitur, (*c*) quod ita spiritui subditum est, ut cælesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cælestem puritatem et stabilitatem mutata atque conversa. Hæc est immutatio, de qua item dicit Apostolus: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* (Ibidem 51.) Quam immutationem non in deterius, sed in melius fieri docet idem, cum dicit, *Et nos immutabimur.* Sed ubi et quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum et supervacaneum est quærere; tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia et honesta sentire.

CAPUT VII. Sessio ad dexteram Patris.

14. Credimus etiam, quod SEDET AD DEXTERAM PATRIS. Nec inde tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat; aut idipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo exsecratur Apostolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis: (Rom. 1. 23.) Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare; multo magis in corde nefarium est, ubi vere est templum Dei, si a terrena cupiditate atque errore mundetur. Ad dexteram ergo intelligendum est sic dictum esse, in summa beatitudine, ubi justitia et pax et gaudium est: sicut ad sinistram hœdi constituuntur, (Matth. 25. 33.) id est in miseria, propter (*d*) iniquitates, labores atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem, qua illa majestas numquam caret, semper digna dignis tribuendo; quamvis in extremo judicio multo manifestius inter homines unigeniti Filii Dei judicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata (*e*) futura sit.

CAPUT VIII. Adventus ad judicium.

15. Credimus etiam INDE VENTURUM convenientissimo tempore, et JUDICATURUM VIVOS ET MORTUOS. Sive istis nominibus justi et peccatores significentur; sive quos tunc ante mortem (*f*) in terris inventurus est, appellati sint vivi, mortui vero qui in ejus adventu resurrecturi sunt: hæc dispensatio temporalis, non tantum est, sicut illa generatio secundum Deum; sed etiam fuit, et erit. Nam fuit Dominus noster in terris, et nunc est in cœlo, et erit in claritate judex vivorum atque mortuorum. Ita enim veniet, sicut adscendit, secundum auctoritatem quæ in Actibus Apostolorum continetur. (Act. 1. 11.) Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsi, ubi scriptum est, *Hæc dicit qui est, et qui fuit, et qui venturus est.* (Apoc. 1. 8.)

(a) Sic Lov. et nonnulli MSS. Alii vero cum Er. *ad humani corporis fragilitatem.*
(b) Editi, *testamenti.* Verius MSS. *monumenti.*
(c) Er. et tres MSS. *quia ita coaptandum est.*
(d) Tres MSS. *propter iniquitatis labores.*
(e) Ita in MSS. At in excusis *fultura sit.*
(f) Hic editi addunt *nostram:* renitentibus MSS.

CAPUT IX. De fide in Spiritum-sanctum.

16. Digesta itaque (a) fideique commendata et divina generatione Domini nostri et humana dispensatione, adjungitur confessioni nostræ, ad perficiendam fidem, quæ nobis de Deo est, Spiritus-sanctus, (b) non minore natura quam Pater et Filius, sed, ut ita dicam, consubstantialis et coæternus: quia ista Trinitas unus est Deus: non ut idem sit Pater qui et Filius et Spiritus-sanctus; sed ut Pater sit Pater, et Filius sit Filius, et Spiritus-sanctus sit Spiritus-sanctus, et hæc Trinitas unus Deus, sicut scriptum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Tamen si interrogemur de singulis, et dicatur nobis, Deus est Pater? respondebimus, Deus. Si quæratur utrum Deus sit Filius; hoc respondebimus. Nec si fuerit de Spiritu-sancto talis interrogatio, alium eum esse debemus respondere quam Deum: vehementer caventes sic accipere, quomodo de hominibus dictum est, *Dii estis.* Non enim sunt naturaliter dii, quicumque sunt facti atque conditi ex Patre per Filium dono Spiritus-sancti. Ipsa enim significatur Trinitas, cum Apostolus dicit, *Quoniam ex ipso et in ipso et per ipsum sunt omnia.* Quamquam ergo de singulis interrogati, respondeamus Deum esse de quo quæritur, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum-sanctum; non tamen tres deos a nobis coli quisquam existimaverit.

[Trinitatis mysterium. — Deut. 6. 4. — Psal. 81. 6. — Rom. 11. 36.]

17. Nec mirum quod hæc de ineffabili natura dicuntur, cum in iis etiam rebus, quas corporeis oculis cernimus, et corporeo sensu dijudicamus, tale aliquid accidat. Nam cum de fonte interrogati non possimus dicere quod ipse sit fluvius; nec de fluvio interrogati possimus eum fontem vocare; et rursum potionem quæ de fonte vel fluvio est, nec fluvium possimus appellare nec fontem: tamen in hac trinitate aquam nominamus, et cum de singulis quæritur, singillatim aquam respondemus. Nam si quæro utrum aqua in fonte sit, respondetur aqua; et si quæramus utrum aqua sit in fluvio, nihil aliud respondetur, et in illa potione non poterit esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. Sane cavendum est, ne quisquam ineffabilem illius majestatis substantiam sicut fontem istum visibilem atque corporeum vel fluvium vel potionem cogitet. In his enim aqua illa, quæ nunc in fonte est, exit in fluvium, nec in se manet; et cum de fluvio vel de fonte in potionem transit, non ibi permanet, unde sumitur. Itaque fieri potest ut eadem aqua nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc ad fluvii, nunc ad potionis. cum in illa Trinitate dixerimus, non posse fieri ut Pater aliquando sit Filius, aliquando Spiritus-sanctus: sicut in arbore non est radix nisi radix, nec robur est aliud quam robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere: non enim quod dicitur radix, id potest dici robur et rami; nec lignum quod pertinet ad radicem, potest aliquo transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, sed tantummodo in radice: cum illa regula nominis maneat, ut radix lignum sit, et robur lignum, et rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed unum. Aut si hæc habent aliquam dissimilitudinem, ut possint non absurde tria ligna dici, propter firmitatis diversitatem; illud certe omnes concedunt, si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici, sed omnino unam aquam; quamquam de singulis poculis interrogatus in quolibet horum aquam esse respondeas: quamvis nullus hic transitus fiat, sicut de fonte in fluvium dicebamus. Sed hæc non propter illius divinæ naturæ similitudinem, sed propter visibilium etiam unitatem corporalia exempla data sunt, ut intelligeretur fieri posse, ut aliqua tria non tantum singillatim, sed etiam simul unum singulare nomen obtineant; nec quisquam miretur et absurdum putet, quod Deum dicimus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum-sanctum, nec tamen tres Deos in ista Trinitate, sed unum Deum, (c) unamque substantiam.

[Similitudinibus explicatur.]

18. Et de Patre quidem ac Filio multis libris disseruerunt docti et (d) spiritales viri, quibus quantum homines hominibus poterant, et quemadmodum non unus esset Pater et Filius, sed unum essent; et quid proprie Pater esset, et quid Filius insinuare conati sunt: quod ille genitor, hic genitus; ille non de Filio, hic de Patre; hujus ille principium, unde et caput Christi dicitur, quamvis et Christus principium, sed non Patris; hic vero illius imago, quamvis nulla ex parte dissimilis et omnino indifferenter æqualis. Tractantur hæc latius ab eis, qui non tam breviter quam nos, totius Christianæ fidei professionem volunt explicare. Itaque in quantum Filius est, de Patre accepit ut sit, cum ille de Filio id non acceperit: et in quantum hominem, mutabilem scilicet creaturam in melius commutandam, ineffabili misericordia, temporali dispensatione suscepit, multa de illo in Scripturis inveniuntur ita dicta, ut impias hæreticorum mentes prius volentes docere quam nosse, in errorem miserint, ut putarent eum non æqualem Patri, nec ejusdem esse substantiæ, qualia sunt illa, *Quoniam Pater major me est*, et *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus;* et, *Tunc ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia;* et, *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum;* et nonnulla hujusmodi: quæ omnia posita sunt, non ut naturæ atque substantiæ inæqualitatem significent, ne falsa sint illa, *Ego et Pater unum sumus;* et, *Qui me vidit, vidit et Patrem meum;* et, *Deus erat Verbum;* non enim factus est, cum omnia per ipsum facta sint: et, *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo;* et cætera talia: sed illa posita sunt, partim propter administrationem suscepti hominis, qua di-

[1. Cor. 11. 3. — Johan. 8. 25. — Coloss. 1. 15. — Professio Christianæ fidei. — Johan. 14. 28. — 1. Cor. 11. 3. — 1. Cor. 15. 28. — Johan. 20. 17. — Johan. 10. 30. — Johan. 14. 9. — Philip. 2. 6.]

(a) Sic in MSS. At apud Lov. *fide atque commendata divina.*

(b) Er. *non de minore.* Forte legendum, *non minor.*

(c) MSS. *sed unum colamus unamque substantiam.*

(d) In vulgatis, *religiosi.* Cujus loco in MSS. *spiritales.*

citur, *Semetipsum exinanivit;* non quia mutata est illa Sapientia, cum sit omnino incommutabilis; sed quia tam humiliter hominibus innotescere voluit: partim ergo propter hanc administrationem illa ita scripta sunt, de quibus hæretici calumniantur; partim propter hoc, quia Filius Patri debet quod est, hoc etiam debens utique Patri quod eidem Patri æqualis aut par est; Pater autem nulli debet quidquid est.

19. De Spiritu-sancto autem nondum tam copiose ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit et ejus proprium, quo proprio fit ut eum neque Filium neque Patrem dicere possimus, sed tantum Spiritum-sanctum; nisi quod eum donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non seipso inferius donum dare. Servant tamen ut non genitum Spiritum-sanctum tamquam Filium de Patre prædicent; unicus enim est Christus: neque de Filio tamquam nepotem summi Patris: nec tamen id quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia; ne duo constituamus principia sine principio, quod falsissimum est et absurdissimum, et non catholicæ fidei, sed quorumdam * hæreticorum errori proprium. Ausi sunt tamen quidam ipsam communionem Patris et Filii, atque (ut ita dicam) deitatem, quam Græci θεότητα appellant, Spiritum-sanctum credere: ut, quoniam Pater Deus et Filius Deus, ipsa deitas: qua sibi copulantur et ille gignendo Filium et ille Patri cohærendo, ei a quo est genitus æquetur. Hanc ergo deitatem, quam etiam dilectionem in se invicem amborum caritatemque volunt intelligi, Spiritum-sanctum appellatum dicunt, multisque Scripturarum documentis adsunt huic opinioni suæ; sive illo quod dictum est, *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis;* sive aliis multis talibus testimoniis; et eo ipso quod per Spiritum-sanctum reconciliamur Deo, unde etiam cum donum Dei dicitur, satis significari volunt caritatem Dei esse Spiritum-sanctum. Non enim RECONCILIAMUR ILLI, NISI PER DILECTIONEM, qua etiam filii (*a*) appellamur: nos jam sub timore tamquam servi, quia consummata dilectio foras mittit timorem; et Spiritum libertatis accepimus, *in quo clamamus, Abba Pater.* Et quia reconciliati et in amicitiam revocati per caritatem poterimus omnia Dei secreta cognoscere, propterea de Spiritu-sancto dicitur, *Ipse vos inducet, in omnem veritatem.* Propterea et confidentia prædicandæ veritatis, qua impleti sunt in adventu ejus Apostoli, recte caritati tribuitur: quia et diffidentia timori datur, quem consummatio caritatis excludit. Ideo etiam donum Dei dicitur, quia eo quod quisque novit non fruitur, nisi et id diligat. Frui autem sapientia Dei, nihil est aliud quam ei dilectione cohærere: neque quisquam in eo quod percipit permanet nisi dilectione: et

* Manichæorum. De Spiritu-sancto opinio quorumdam, quod sit ipsa Deitas Patris et Filii.

Rom. 5. 5. — I. Joh. 3. 1. — I. Johan. 4. 18. — Rom. 8. 15. — Rom. 5. 10. — Johan. 16. 13. — Act. 2. 4. — Ephes. 3. 7.

(a) In vulgatis additur, *Dei*: quod abest a MSS.
(b) Editi, *sanctificantur*. At MSS. constanter, *sanciuntur*.
(c) Ita MSS. Editi vero, *Hoc enim ... dicunt.*

ideo Spiritus-sanctus dicitur, quoniam ad permanendum sanciuntur quæcumque (*b*) sanciuntur, nec dubium est a sanciendo sanctitatem vocari. Maxime autem illo testimonio utuntur assertores hujus sententiæ, quod scriptum est, *Quod natum est de carne, caro est; et quod natum est de Spiritu, spiritus est: quoniam Deus Spiritus est.* (*c*) Hic enim regenerationem nostram dicit, quæ non secundum Adam de carne est, sed secundum Christum de Spiritu-sancto. Quapropter si Spiritus-sancti hoc loco facta est commemoratio, cum dictum est, *Quoniam Deus Spiritus est;* animadvertendum dicunt, non dictum esse, Quoniam Spiritus (*d*) Deus est; sed, *Quoniam Deus Spiritus est;* ut ipsa deitas Patris et Filii hoc loco dicta sit Deus, quod est Spiritus-sanctus. Huc accedit aliud testimonium quod dicit Joannes apostolus, *Quoniam Deus dilectio est.* Etiam hic enim non ait, Dilectio Deus est; sed, *Deus dilectio est;* ut ipsa deitas dilectio intelligatur. Et quod in illa enumeratione connexarum sibi rerum, ubi dicitur, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei,* et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus;* nulla fit commemoratio Spiritus-sancti, ad hoc pertinere dicunt, quia non fere in iis quæ sibi connexa sunt numerari solet ipsa connexio. Unde in illo etiam loco Trinitatem ipsam videntur agnoscere qui legunt attentius, cum dicitur, *Quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ex ipso,* tamquam ex eo qui nulli debet quod est; *per ipsum,* tamquam per mediatorem; *in ipso* tamquam in eo qui continet, id est, copulatione conjungit.

20. Huic sententiæ contradicunt, qui arbitrantur istam communionem, quam sive deitatem sive dilectionem sive caritatem appellamus, non esse substantiam: quærunt autem secundum substantiam sibi exponi Spiritum sanctum, nec intelligunt non aliter potuisse dici, *Deus dilectio est,* nisi esset dilectio substantia. Ducuntur quippe consuetudine rerum corporalium; quoniam si duo sibi corpora copulentur, ita ut juxta invicem collocentur, ipsa copulatio non est corpus; quandoquidem separatis illis corporibus, quæ copulata fuerant, nulla invenitur: nec tamen quasi discessisse et migrasse intelligitur, sicut illa corpora. Sed hi tales cor mundum faciant, quantum possunt, ut videre valeant in Dei substantia non esse aliquid tale, quasi aliud ibi non sit substantia, aliud quod accidat substantiæ, et sit substantia; sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est. Verum hæc dici possunt facile, et credi: videri autem nisi corde puro quomodo se habeant, omnino non possunt. Quapropter sive ista vera sit sententia, sive aliud aliquid sit, fides inconcussa tenenda est, ut Deum dicamus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum-sanctum; neque tres deos, sed istam Trinitatem unum Deum; neque diver-

Sanctitas a sanciendo.

Johan. 3. 6. — Johan. 4. 24. — I. Johan. 4. 16. — I. Cor. 3. 22. — I. Cor. 11. 3. — Rom. 11. 36. — I. Johan. 4. 16.

(d) Editi et aliquot MSS. *Spiritus Dei est.* Iidemque paulo post, non ait, *Dilectio Dei est.* Alii codices utroque loco, *Deus est*: nec minus bene.

sos natura, sed ejusdem substantiæ; neque ut
Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiri-
tus-sanctus; sed Pater semper Pater, et Filius
semper Filius, et Spiritus-sanctus semper Spi-
ritus-sanctus. Nec temere de invisibilibus ali-
quid affirmemus tamquam scientes, sed tam-
quam credentes; quoniam videri nisi mundato
1. Cor. 13. 12. corde non possunt: et qui ea videt in hac vita
ex parte, ut dictum est, atque in ænigmate,
non potest efficere ut et ille videat cui loquitur,
Matth. 5. 8. si cordis sordibus impeditur. *Beati* autem *mun-
do corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Hæc fides
est de Deo conditore et renovatore nostro.

Deut. 6. 5. 21. Sed quoniam dilectio non tantum in Deum
nobis imperata est, cum dictum est, *Diliges Do-
minum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota
anima tua, et ex tota mente tua*; sed etiam in
Lucæ 10. 27. proximum; nam, *Diliges*, inquit, *proximum
tuum tamquam te ipsum*: si autem ista fides con-
gregationem societatemque hominum non teneat,
in qua fraterna caritas operetur, minus fructuo-
*CAPUT X. Ecclesia catholica. sa est; * credimus et (a) SANCTAM ECCLESIAM,
utique CATHOLICAM. Nam et hæretici et schisma-
a tici congregationes suas ecclesias vocant. Sed
hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem vio-
lant; schismatici autem discissionibus iniquis a
fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant
quæ credimus. Quapropter nec hæretici perti-
nent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum;
nec schismatici, quoniam diligit proximum; et
ideo peccatis proximi facile ignoscit, quia sibi
precatur ignosci ab illo, qui nos reconciliavit
sibi, delens omnia præterita, et ad vitam novam
nos vocans: quam vitam donec perfectam capia-
mus, sine peccatis esse non possumus: interest
tamen qualia sint.

Remissio peccatorum. 22. Nec de peccatorum differentia modo tra-
ctandum est, sed credendum omnino, nullo modo
Matth. 6. 15. nobis ignosci ea quæ peccamus, si nos inexora-
biles ad ignoscenda peccata fuerimus. Itaque
credimus et REMISSIONEM PECCATORUM.

Totius hominis in melius commutatio resurrectione perficienda. 23. Et quoniam tria sunt quibus homo con-
stat, spiritus, anima et corpus: quæ rursus duo
dicuntur, quia sæpe anima simul cum spiritu
nominatur. Pars enim quædam ejusdem ratio-
nalis, qua carent bestiæ, spiritus dicitur; prin-
cipale nostrum spiritus est: deinde vita qua con-
τὸ ἡγεμόνικον. jungimur corpori, anima dicitur: postremo ipsum
corpus quoniam visibile est, ultimum nostrum
est. Hæc autem omnis creatura ingemiscit et
Rom. 8. 22. parturit usque nunc: dedit tamen primitias spi-
ritus, quia credidit Deo, et bonæ jam voluntatis
est. Hic spiritus etiam vocatur mens, de quo
Rom. 7. 25. dicit Apostolus, *Mente servio legi Dei*. Qui item
Rom. 1. 9. alio loco dicit, *Testis est enim mihi Deus, cui
servio in spiritu meo*. Anima vero cum carnalia
b bona adhuc appetit, caro nominatur. (b) Pars
enim ejus quædam resistit spiritui, non natura,
sed consuetudine peccatorum. Unde dicitur,
Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

A Quæ consuetudo in naturam versa est secundum
generationem mortalem peccato primi hominis.
ideoque scriptum est, *Et nos aliquando fuimus* Ephes. 2. 3.
naturaliter filii iræ, id est vindictæ, per quam
factum est ut serviamus legi peccati. Est autem
animæ natura perfecta, cum spiritu suo subdi-
tur, et cum sequitur sequentem Deum. Ideo
animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus 1. Cor. 2. 14.
Dei. Sed non tam cito anima subjugatur spiritui
ad bonam operationem, quam cito spiritus Deo
ad veram fidem et bonam voluntatem: sed ali-
quando tardius ejus impetus, quo in carnalia et
temporalia defluit, refrenatur. Sed quoniam et
ipsa mundatur, recipiens stabilitatem naturæ
suæ dominante spiritu, quod sibi caput est, cui
ejus capiti caput est Christus, non est desperan-
B dum etiam corpus restitui naturæ propriæ: sed
utique non tam cito quam anima, sicut neque
anima tam cito quam spiritus; sed tempore op-
portuno in novissima tuba, cum *mortui resur-* 1. Cor. 15. 52.
gent incorrupti, et nos immutabimur. Et ideo
credimus et CARNIS RESURRECTIONEM; non tan- Carnis resurrectio.
tum quia reparatur anima, quæ nunc propter
carnales affectiones caro nominatur; sed hæc
etiam visibilis caro quæ naturaliter est caro,
cujus nomen anima non propter naturam, sed
propter affectiones carnales accepit: hæc ergo
visibilis, quæ proprie dicitur caro, sine dubita-
tione credenda est resurgere. Videtur enim Pau-
lus apostolus eam tamquam digito ostendere,
cum dicit; *Oportet corruptibile, hoc induere in-* 1. Cor. 15. 53.
corruptionem. Cum enim dicit, *hoc*, in eam quasi
C digitum intendit. Quod autem visibile est, id
potest digito ostendi: quoniam posset etiam ani-
ma corruptibilis dici; nam vitiis morum ipsa
corrumpitur. *Et mortale hoc induere immorta-
litatem*, cum legitur, eadem significatur visibi-
lis caro, quia in eam identidem velut digitus in-
tenditur. Potest enim et anima sicut corruptibi-
lis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici.
Mors quippe *animæ est apostatare a Deo*: quod Eccli. 10. 14.
primum ejus peccatum in paradiso sacris litte- Gen. 3. 6.
ris continetur.

24. Resurget igitur corpus secundum Chri- 1. Retr. 17.
stianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui Resurrectionis futuræ veritas confirmatur.
videtur incredibile, qualis nunc sit caro adten-
dit, qualis autem futura sit non considerat: quia
illo tempore immutationis angelicæ non jam
D caro erit et sanguis, sed tantum corpus. Cum
enim de carne Apostolus loqueretur. *Alia*, in- 1. Cor. 15. 39.
quit, *caro pecorum, alia volucrum, alia piscium,
alia serpentum; et corpora cœlestia, et corpora
terrestria*. Non enim dixit, et caro cœlestis: di-
xit autem, *et cœlestia et terrestria corpora*. O-
mnis enim caro etiam corpus est, non autem
omne corpus etiam caro est: primo in istis ter-
restribus, quoniam lignum corpus est, sed non
caro: hominis autem vel pecoris et corpus et
caro est: in cœlestibus vero nulla caro, sed cor-
pora simplicia et lucida, quæ appellat Apostolus

(a) Tres MSS. *in sanctam Ecclesiam* etc. Et aliquanto post, *in remissionem peccatorum*. Sic etiam inferius, *in carnis resurrectionem*.

(b) Quatuor probæ notæ MSS. *nominatur* et *resistit spiritui*: omisso, *Pars ejus quædam*.

spiritalia; nonnulli autem vocant ætherea. Et ideo non carnis resurrectioni contradicit illud
1.Cor.15.50. quod ait, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt:* sed quale futurum sit quod nunc caro et sanguis est, prædicat. In qualem naturam quisquis hanc carnem converti posse non credit, gradibus ducendus est ad fidem. Si enim ab eo quæras utrum terra in aquam possit converti; propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rursum si quæras, utrum aqua possit in aerem; neque hoc absurdum esse respondet, vicina enim sunt sibi. Et de aere si quæratur, utrum in æthereum corpus, id est, cœleste possit mutari; jam ipsa vicinitas persuadet. Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, ut terra in corpus æthereum convertatur, cur non accedente Dei voluntate, qua corpus humanum supra aquas potuit ambulare, celerrime id fieri pos-
1.Cor.15.52. se, quemadmodum dictum est, *in ictu oculi*, sine ullis talibus gradibus credit, sicut plerumque fumus in flamma mira celeritate convertitur? Caro enim nostra utique ex terra est: philosophi autem, quorum argumentis sæpius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum esse posse terrenum corpus in cœlo, quodlibet corpus in omne corpus converti et mutari posse concedunt. Qua corporis resurrectione facta (*a*) a temporis conditione liberati, æterna vita ineffabili caritate atque stabilitate sine corruptione perfruemur. Tunc enim fiet illud quod scriptum est, *Absorpta est mors in victoriam, Ubi est mors* 1.Cor.15.54.
aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?

25. Hæc est fides quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis Christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

(*a*) Aliquot MSS. *corpus a temporis conditione liberatum æterna vita ineffabili caritate perfruetur.*

ADMONITIO

IN LIBRUM DE FIDE ET OPERIBUS.

Ad initium anni 413. referendus est iste liber. In eo enim Augustinus librum de spiritu, et littera, qni sub anni 412. finem prodiit, a se paulo ante scriptum commemorat capite 14. *Modo* ait, *de hac quæstione prolixum librum edidi, qui inscribitur, De littera et spiritu*. Propterea in Retract. 2. recensito eodem libro de spiritu et littera, mox in eum qui de fide et operibus est retractationem subjecit in hæc verba: *Interea missa sunt mihi a quibusdam fratribus... scripta nonnulla*: ea nimirum quæ refellenda hic suscepit.

Scripta vero illa eruditus Garnerius in append. ad 1. part. oper. M. Mercatoris pag. 117. censet non alia fuisse, quam quæ Hieronymus sive in Isaiam edidit, sive in epistolas Pauli, et snmptas ab Hieronymo arbitratur quæstiones illas tres, quas hic Augustinns, tacito nomine, *præ reverentia*, inquit, *tanti viri*, tractat et refellit. Opinionem hanc nos confirmare non audemus. Nam quod spectat quæstionem primam, quæ est de omnibus citra discrimen admittendis ad baptismum, ita ut adulteri nec ipsi repellantur noti ac pertinaces, qui vitam mutare nolunt, nihil in Hieronymo consentaneum huic errori deteximus. Ad secundam vero quæstionem, qua perversum ac præposterum dicebatur, prius morum Christianorum doctrinam tradere, ac deinde baptizare, id posset facile pertrahi quod Hieronymus in Matth. 28. scripsit: *Ordo præcipuus jussit Apostolis ut primum docerent universas gentes deinde fidei intinguerent sacramento, et post fidem ac baptisma quæ essent observanda præciperent.* Quamquam forte prius interpres minime curabat ne baptismo præmitteretur, sed tantum ne omnino prætermitteretur morum doctrina, tradenda certe vel post baptismnm, et baptizatis observanda. Pro tertia demum quæstione, quæ fuit de baptizatis, etiamsi mores quantumlibet improbos emendare noluerint, per fidem salvandis, profertur illud ex ejus dialogo 1. adversns Pelag. *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui diabolum et satellites ejus omnesque impios et prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Et ex commentariis in Isai. nlt. *Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda atque purganda sunt, moderatam arbitramur et mistam clementiæ sententiam judicis.* Hæc tamen Theologi alii, et similia si qua sunt loca, eo pacto explicant, ut ab illo errore, qui graviter itidem in Enchiridio, libroque de Civitate Dei 21. confutatur, defendat Hieronymum. Cui nec nos putamns tribuenda omnia argumenta, qnæ in præsenti opere diluuntur, et quidem prætermissis ab Augustino iis Scripturæ te-

stimoniis, quibus Hieronymus in Isaiam observat uti eos qui volunt peccatorum aliquando finiri supplicia.

Libri de fide et operibus meminit Augustinus in Enchiridio, c. 67. in lib. de octo quæstionibus Dulcitii q. 1. n. 2. et in epistola 205. Ad Consentium n. 18.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT XXXVIII.

INTEREA missa sunt mihi a quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent a bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est, *De fide et operibus*. In quo disputavi, non solum quemadmodum vivere debeant gratia Dei regenerati, verum etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti. Hic liber sic incipit: *Quibusdam videtur*.



SANCTI AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE ET OPERIBUS
LIBER UNUS. *

* Scriptus circ. initium anni 413.

Refellitur error quorumdam triplex, et contra demonstratur. 1. Non omnes indiscrete admittendos ad baptismum, sicque esse tolerandos in Ecclesia malos, ut non negligatur ecclesiastica disciplina. 2. Baptizandis non solius fidei, sed vitæ etiam Christianæ tradendas esse regulas. 3. Baptizatos demum, nisi vitam malam mutarint, numquam ad salutem æternam fide sola perventuros.

CAPUT I. Error quorumdam triplex. 1. Omnes ad baptismum citra discrimen admittendos sentiunt.

A QUIBUSDAM videtur indiscrete omnes admittendos esse ad lavacrum regenerationis, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, etiamsi malam turpemque vitam facinoribus et flagitiis evidentissimis (a) notam mutare noluerint, atque in ea se perseveraturos aperta etiam professione declaraverint. Verbi gratia, si quisquam meretrici adhæret, non ei prius præcipiatur ut a ab ea discedat, et tunc veniat ad baptismum, sed etiam cum ea manens mansurumque se confidens, seu etiam profitens, admittatur et baptizetur, nec impediatur fieri membrum Christi, etiamsi membrum meretricis esse perstiterit: (1. Cor. 6. 15.) sed postea doceatur quam sit hoc malum, jamque baptizatus de mutandis in melius moribus instruatur.

2. Morum doctrinam censent nonnisi post baptismum esse tradendam.

B Perversum enim putant atque præposterum, prius docere quemadmodum debeat vivere Christianus, et deinde baptizari. Sed censent præcedere debere baptismi sacramentum, ut deinde sequatur vitæ morumque doctrina: quam si tenere et custodire voluerit, utiliter fecerit; si autem noluerit, retenta fide Christiana, sine qua in æternum periret, in quolibet scelere immunditiaque permanserit, salvum eum futurum tamquam per ignem, velut qui ædificaverit super fundamentum quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam; id est, non justos castosque mores, sed iniquos et impudicos. (1. Cor. 3. 12.)

3. Propter fidem Christianam salvandos esse baptizatos, etiamsi mores quamlibet malos non correxerint.

C 2. Ad hanc autem disputationem videntur impulsi, quod eos (b) moverit, non admitti ad baptismum qui dimissis uxoribus alias duxerint, b vel fœminas quæ dimissis viris aliis nupserint: quia hæc non conjugia, sed adulteria esse Dominus Christus sine ulla dubitatione testatur. (Matth. 19. 9.) Cum enim negare non possent esse adulterium, quod c Veritas adulterium esse sine (c) ambage confirmat, eisque suffragari vellent ad accipiendum baptismum, quos hujusmodi laqueo ita captos viderent, ut si non admitterentur ad baptismum, sine ullo sacramento mallent vivere vel etiam mori, quam disrupto adulterii vinculo liberari: humana quadam miseratione commoti sunt ad eorum caussam sic suscipiendam, ut omnes cum eis facinorosos et flagitiosos, etiam nulla prohibitione correptos, nulla instructione correctos, nulla pœnitentia mutatos ad baptismum admittendos esse censerent; existimantes eos, nisi fieret, in æternum esse perituros; si autem fieret, etiam in illis malis perseverantes salvos per ignem futuros.

Unde moti illi ut ita sentirent.

CAPUT II. Mali in Ecclesia sic tolerandi ut non omittatur correptio et disciplina.

3. QUIBUS respondens, hoc primum dico, ne quis ea testimonia Scripturarum, quæ commixtionem bonorum et malorum in Ecclesia vel præsentem indicant, vel futuram prænuntiant, sic accipiat, ut disciplinæ severitatem sive diligentiam solvendam omnino atque omittendam, non illis edoctus litteris, sed sua opinatione deceptus existimet. Neque enim, quia illam primi populi permixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicavit. Et Phinees sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit. (Num. 25. 5. et 7.) Quod utique degradationibus et excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. Nec, quia beatus Apostolus inter falsos fratres tolerantissime congemiscit, (2. Cor. 11. 26.) et quosdam etiam diabolicis invidentiæ stimulus agitatos, Christum tamen prædicare permittit, (Philip. 1. 15.) ideo parcendum censet illi, qui uxorem patris sui habuit, quem præcipit congregata Ecclesia tradendum satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu: (1. Cor. 5. 1.) aut ideo ipse

(a) Unus e Vatic. MSS. *deditam*.
(b) Sic Er. et MSS. At Lov. *noverint*.
(c) Plerique MSS. *sine ambiguitate*.

1. Tim. 1. 20. alios non tradidit satanæ, ut discerent non blasphemare: aut frustra dicit: *Scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exire: nunc autem scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum hujusmodi nec cibum quidem sumere. Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? De his autem qui foris sunt Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.* Ubi quidem aliqui id quod dictum est, *ex vobis ipsis*, ita intelligunt, ut ex se ipso unusquisque auferat malum, hoc est, ut ipse sit bonus. Sed utrolibet modo intelligatur, sive ut severitate Ecclesiæ mali excommunicationibus corripiantur, sive ut se quisque corripiendo et corrigendo a se ipso auferat malum; illud tamen quod supra dictum est, non habet ambiguitatem, ubi præcipit non commisceri eis fratribus, qui in aliquo supra dicto vitio nominantur, id est, noti famosique sunt.

1. Cor. 5. 9. etc.

*CAPUT III. Quo animo peccantes corripiendi.

* Quo autem animo et qua caritate misericordi ista severitas adhibenda sit, non solum eo loco ubi ait, *ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu;* sed alibi quoque evidenter ostendit dicens, *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo, ut erubescat, et non ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem.*

2. Thess. 3. 14.

Domini præceptum de corrigendis malis.

4. Et ipse Dominus exemplum singulare patientiæ, qui etiam in duodecim Apostolis usque ad passionem diabolum pertulit; et qui ait, *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne forte dum vultis colligere zizania, simul eradicetis et triticum;* retiaque illa in similitudine Ecclesiæ usque ad littus, hoc est, usque ad sæculi finem bonos et malos pisces habitura prædixit; et cætera, si qua de permixtione bonorum et malorum sive aperte sive per similitudines locutus est: non ideo tamen omittendam censuit Ecclesiæ disciplinam; immo vero admonuit adhibendam, quando ait, *Attendite vobis: si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si audierit te, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit te, assume tecum unum vel duos, ut in ore testium duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus.* Deinde ipsius severitatis terrorem gravissimum adjecit etiam eo loco, dicens, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cælo; et quæ ligaveritis in terra, ligata erunt et in cælo.* Prohibet etiam sanctum dari canibus. Nec contrarius est Apostolus Domino, qui dicit, *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant:* cum ille dicat, *Corripe eum inter te et ipsum.* Utrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diversitas admonet eorum, quos utique non perdendos, sed corrigendos curandosque suscepimus; et alius sic, alius autem sic sanandus est. Ita etiam est ratio dissimulandi et tolerandi malos in Ecclesia: et est rursus ratio castigandi et corripiendi, non admittendi vel a communione removendi.

Matth. 13. 29. — Matth. 18. 15. etc. — Ibidem 18. — Matth. 7. 6. — 1. Tim. 5. 20. — Matth. 18. 15.

CAPUT IV. Errores non servantium modum in Scripturis intelligendis.

5. ERRANT autem homines, non servantes modum; et cum in unam partem proclive ire cœperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, et in ea quæ ex utrisque temperata est veritate ac moderatione consistere: nec in hac re tantum, de qua nunc quæstio est, sed etiam in aliis multis. Nam quidam intuentes divinarum testimonia litterarum, quibus unus Deus colendus insinuatur, eumdem Patrem qui est Filius, sanctumque Spiritum putaverunt: alii rursus velut morbo contrario laborantes, cum adtenderent ea quibus Trinitas declaratur, nec valerent intelligere quomodo sit unus Deus, cum et Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater, nec Spiritus-sanctus aut Filius aut Pater, diversitates etiam substantiarum asserendas putaverunt. Quidam intuentes in Scripturis sanctæ virginitatis laudem, connubia damnaverunt: quidam rursus ea testimonia consectantes quibus casta conjugia prædicantur, virginitatem nuptiis æquaverunt. Quidam cum legerent, *Bonum est, fratres non manducare carnem, neque bibere vinum,* et non nulla similia; creaturam Dei, et, quas voluerunt, escas immundas esse senserunt: quidam vero legentes, *Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur,* in voracitatem vinolentiamque collapsi sunt, non sibi valentes auferre vitia, nisi eis e contrario vel tanta vel majora succederent.

Rom. 14. 21. — 1. Tim. 4. 4.

Donatistarum errori alius errori contrarius ex Scripturis perperam acceptis.

6. Sic etiam in hac caussa, quæ habetur in manibus, quidam intuentes præcepta severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut ethnicum habere Ecclesiæ contemptorem, a compage corporis membrum quod scandalizat avellere: ita perturbant Ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare zizania, atque hoc errore cæcati ipsi potius a Christi unitate separentur. Qualis nobis caussa est adversus schisma Donati. Et hoc non cum illis qui noverunt Cæcilianum, non veris, sed calumniosis criminibus appetitum, ut perniciosam sententiam suam mortifero pudore non deserunt; sed cum illis quibus dicimus, Etiamsi mali fuissent propter quos in Ecclesia non estis, vos tamen eos ferendo quos emendare aut segregare minime poteratis, in Ecclesia permanere debuistis. Quidam vero a contrario periclitantes, cum bonorum malorumque commixtionem in Ecclesia demonstratam vel prædictam esse perspexerint, et patientiæ præcepta didicerint, (* quæ ita nos firmissimos reddunt, ut etiamsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediatur aut fides, aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus,) (*a*) destituendam putant

* Ex Cypriani epist. 51. ad Confessores de schismate reversos. a

(a) Ita MSS. Editi autem, *instituendam putant esse et Ecclesiam et disciplinam.*

A Ecclesiæ disciplinam, quamdam perversissimam securitatem præpositis tribuentes; ut ad eos non pertineat nisi dicere quid cavendum quidve faciendum sit, quodlibet autem quisque faciat non curare.

CAPUT V. Sana doctrina est ut nec propter malos recedatur ab Ecclesia, nec in malos ipsos negligatur disciplina.

7. Nos vero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utrisque testimoniis (a) vitam sententiamque moderari, ut et canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, et canibus sanctum, ubi pax Ecclesiæ tuta est, non demus. Cum ergo sive per negligentiam præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in Ecclesia
a malos, quos ecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus; tunc, (ne adscendat in cor nostrum impia et perniciosa præsumptio, qua existimemus nos ab his esse separan-
B dos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur veluti mundos sanctosque discipulos, ab unitatis compage quasi a malorum consortio segregatos,) veniant in mentem illæ de Scripturis similitudines et divina oracula vel certissima exempla, quibus demonstratum et prænuntiatum est, malos in Ecclesia permixtos bonis usque in finem sæculi tempusque judicii futuros, et nihil bonis in unitate ac participatione sacramentorum qui eorum factis non consenserint obfuturos. Cum vero eis per quos Ecclesia regitur, adest salva pace Ecclesiæ potestas disciplinæ adversus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus, ne socordia segnitiaque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad severitatem coercitionis perti-
C nent, excitandi sumus, ut gressus nostros in via Domini ex utriusque testimoniis illo duce at-
b que (b) adjutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæviamus.

CAPUT VI. Ad baptismum an admittendus adulter et peccator non correctus.

8. Hac ergo secundum sanam doctrinam moderatione servata, videamus unde agitur, id est, utrum ad percipiendum baptismum sic admittendi sunt homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur; usque adeo ut nec apertissimi adulterii perpetratores et ejus perseverantiæ professores a sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi: quo sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus da-
D tis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis et veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos. Quomodo igitur ad illa sancta recusans correctionem adulter admittitur, quo recusans observationem non admittitur conjugatus?

An præcepta bene vivendi non prius tradenda quam baptismus.

9. Sed prius, inquiunt, baptizetur; deinde doceatur quid ad bonam vitam moresque pertineat. Fit hoc ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen
A omnia continentur, credat, sacramentumque percipiat, ut si ex hac vita emigraverit, liberatus exeat a reatu præteritorum omnium peccatorum. Si autem sanus petit, spatiumque discendi est, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat quemadmodum fidelis fieri ac vivere debeat, quam illud cum adtentiore animo atque ipsa religione suspenso saluberrimæ fidei sacramentum petit? An usque adeo dissimulamus a sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur quam fuerimus adtenti atque solliciti quid nobis præciperent a quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur; vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt,
B quales sint ipsis diebus quibus catechizantur; exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo studio ferveant, qua cura pendeant?
c Si tunc tempus non est (c) discendi, quæ vita congruat tanto, quod accipere desiderant sacramento; quando erit? An vero cum acceperint, in tantis criminibus permanentes etiam post baptismum, non novi homines, sed rei veteres? ut videlicet perversitate mirabili prius eis dicatur, Induite hominem novum, et cum induti fuerint, postea dicatur, Exuite veterem: cum Apostolus sanum ordinem tenens dicat, *Exuite veterem, et induite novum;* (Coloss. 3. 9. et 10.) et ipse Dominus clamet: *Nemo assuit pannum novum vestimento veteri, et nemo mittit vinum novum in utres veteres.* (Matth. 9. 16. et 17.) Quid autem aliud agit totum tempus, quo Catechumeno-
C rum locum et nomen tenent, nisi ut audiant quæ fides et qualis vita debeat esse Christiani; ut cum se ipsos probaverunt, tunc de mensa Domini manducent, et de calice bibant? Quoniam *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* (1. Cor. 11. 29) Quod autem fit per omne tempus, quo in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes Cathecume-
d norum gradus (d) excipiat; hoc fit multo diligentius et instantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt.

CAPUT VII. Virgo quæ nesciens nupsit alieno viro, an censenda sit adultera.

10. Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera: si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cu-
D baverit. Sicut in jure prædiorum, tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur. Absit ergo, ut sensu plane non humano, sed plane vano sic doleamus cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur: maxime in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, (Psal. 47. 2.) hoc est, in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem

(a) Am. et Er. *tutam sententiam moderari,*
(b) MSS. *atque tutore.*
(c) MSS. *dicendi.*

(d) Editi. *accipiant.* Concinnius MSS *excipiat*, ipse scilicet gradus Catechumenorum eos qui ad Christi nomen accedunt.

suam alteri tradere: quod in republica tunc Romana, non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter * Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutius modo disputare opus est, cum et illi quibus respondeo non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque negent esse adulterium, ne ipsi Domino sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere. Sed cum eis placet primum admittendos esse tales ad percipiendum baptismi sacramentum et ad Dominicam mensam, etiamsi correctionem voce manifestissima recusaverint; immo vero nihil eos de hac re prorsus admoneri oportere, sed postea doceri; ut si præcepti observationem receperint, culpamque correxerint, habeantur in tritico; si autem contempserint, inter zizania tolerentur: satis ostendunt non se crimina ista defendere, aut quasi levia vel nulla sint agere. Quis enim alterius bonæ spei Christianus nullum seu parvum crimen existimet?

* Plutarch. in Catone minore.

Apostolorum exemplo et litteris nil juvari qui nolunt baptizandos de sola fide baptizatos vero de moribus admonendos.

11. Ordinem tamen, quo hæc in aliis vel corrigantur vel ferantur, de Scripturis sanctis se proferre arbitrantur, cum dicunt Apostolos sic egisse: et de litteris eorum quædam testimonia proferunt, ubi reperiuntur prius insinuasse doctrinam fidei, ac deinde morum tradidisse præcepta. Atque hinc intelligi volunt, fidei tantummodo regulam baptizandis esse insinuandam, postea vero jam baptizatis etiam vitæ in melius mutandæ præcepta tradenda: quasi aliquas Apostolorum epistolas legant ad eos qui baptizandi sunt datas, ubi de sola fide disputaverunt; et alias ad baptizatos, quibus præcepta de malis cavendis bonisque instituendis moribus continentur. Cum igitur ad Christianos jam baptizatos dedisse litteras constet, cur utroque sermone contextæ sunt, et eo scilicet qui ad fidem, et eo qui ad vitam bonam pertinet? An forte jam placet ut baptizandis utrumque non demus, et baptizatis utrumque reddamus? Quod si absurde dicitur, ergo fateantur Apostolos doctrinam suam ex utroque perfectam suis epistolis indidisse; sed propterea plerumque insinuasse prius fidem, ac deinde quod ad vitam bonam pertinet subjecisse, quia et in homine ipso nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit. QUIDQUID enim HOMO VELUTI RECTE FECERIT, nisi ad pietatem quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet. Quod si arbitrarentur aliqui stulti et nimis imperiti Apostolorum epistolas ad Catechumenos datas, profecto etiam ipsi faterentur, nondum baptizatis præcepta morum qui fidei congruant, simul cum fidei regulis intimanda: nisi forte ad hanc necessitatem sua nos isti disputatione compellunt, ut primas partes epistolarum apostolicarum ubi de fide loquuntur, Catechumenis legendas velint; posteriores autem fidelibus, ubi jam præcipitur quemadmodum Christiani vivere debeant. Quod si stultissimum est dicere; nullum ergo documentum est hujus opinionis ex epistolis Apostolorum, cur ideo arbitremur baptizandos de sola fide, baptizatos autem de moribus admonendos, quia illi primis

A partibus litterarum suarum commendaverunt fidem, ac postea consequenter ut bene a fidelibus viveretur hortati sunt. Quamvis enim illud prius, hoc posterius, sæpissime tamen una contextione sermonis utrumque Cathecumenis, utrumque fidelibus, utrumque baptizandis, utrumque baptizatis, sive ut instruantur, sive ne obliviscantur, sive ut profiteantur, sive ut confirmentur, doctrina sanissima et diligentissima prædicandum est. Epistolæ itaque Petri, epistolæ Johannis, de quibus quædam testimonia commemorant, addant et Pauli et aliorum Apostolorum, ea ratione accipiendum est quod adverterunt prius de fide ac postea de moribus dici, quam, nisi fallor, apertissime exposui.

CAPUT VIII.

A Petro non sola fides, sed et pœnitentia baptizandis prædicata.

B 12. SED in Actibus Apostolorum Petrus, inquiunt, sic allocutus est illos, qui verbo audito baptizati sunt uno die tria millia, ut eis solam fidem, qua in Christum crederent, prædicaret. Qui cum dixissent, *Quid faciemus?* respondit eis, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus-sancti.* Cur ergo non advertunt quod dictum est, *Agite pœnitentiam?* Ibi est enim vitæ veteris exspoliatio, ut nova induantur qui baptizantur. Cui autem fructuosa est pœnitentia, quæ agitur de mortuis operibus, si in adulterio perseveret aliisque sceleribus, quibus dilectio mundi hujus involvitur? Act. 2. 38.

Pœnitentia indicta, non solius infidelitatis, sed vitæ veteris mutandæ in novam.

13. Sed infidelitatis, inquiunt, tantummodo, qua in Christum non crediderunt, eos voluit agere pœnitentiam. Mira præsumptio, (nolo quidC quam gravius dicere,) quando eo audito quod dictum est, *Agite pœnitentiam*, solius infidelitatis acta dicitur, cum vita mutanda ex vetere in novam doctrina Evangelica traderetur, ubi utique et illud est quod in ea sententia ponit Apostolus, *Qui furabatur, jam non furetur:* et cætera, quibus exsequitur quid sit deponere veterem hominem et induere novum. In his autem ipsis verbis Petri habent unde admoneri potuissent, si diligenter attendere voluissent. Cum enim dixisset, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus-sancti. Nobis enim hæc est promissio et filiis nostris, et omnibus qui sunt longe quoscumque advocaverit Dominus Deus noster:* continuo subjecit qui librum scripsit, D atque ait, *Et cæteris verbis pluribus testificabatur, dicens, Eripite vos a sæculo hoc pravo. At illi avidissime capientes exceperunt verba et crediderunt et baptizati sunt, et adjectæ sunt illa die tria millia animæ.* Quis hic non intelligat, cæteris pluribus verbis, quæ a scriptore propter longitudinem reticentur, id egisse Petrum, ut eriperent se ab hoc sæculo pravo; quandoquidem ipsa sententia breviter indita est, cui persuadendæ verbis pluribus Petrus instabat. Ipsa quippe summa posita est, cum dictum est, *Eripite vos a sæculo hoc pravo.* Verbis autem pluribus, ut hoc fieret, testificabatur Petrus. In

Ephes. 4. 28.

Act. 2. 38. et 39.

Ibidem 40, et 41.

bis verbis erat mortuorum operum condemnatio, quæ nequiter agunt hujus sæculi dilectores, A
et commendatio vitæ bonæ, quam teneant atque sectentur qui se ab hoc pravo sæculo eripiunt. Jam itaque, si placet, affirmare conentur, eum se eripere ab hoc sæculo pravo, qui tantummodo credit in Christum, etiamsi in flagitiis quibus voluerit perseveret usque ad professionem adulterii. Quod si dicere nefas est, audiant baptizandi, non solum quid credere debeant, sed etiam quemadmodum se ab hoc pravo sæculo eripiant. Ibi enim necesse est ut audiant quemadmodum credentes vivere debeant.

CAPUT IX. Act. 8. 37. Spadonis post fidei professionem statim baptizati exemplo male uti adversarios.

14. Spado, inquiunt, ille quem Philippus baptizavit, nihil plus dixit, quam, *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*: et in hac professione continuo baptizatus est. Num ergo placet, ut B
hoc solum homines respondeant, et continuo baptizentur; nihil de Spiritu-sancto, nihil de sancta Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum, postremo de ipso Domino Jesu Christo nihil nisi quia Filius Dei est, non de incarnatione ejus ex virgine, non de passione, de morte crucis, de sepultura, de tertii diei resurrectione, de adscensione ac sede ad dexteram Patris aliquid dicendum est catechizanti, ac profitendum credenti? Si enim Spado cum respondisset, *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*, hoc ei sufficere visum est, ut continuo baptizatus abscederet; cur non id sequimur? Cur non imitamur, atque auferimus cætera quæ necesse habemus, etiam cum ad baptizandum temporis urget angustia, exprimere interrogando, ut baptizandus ad cuncta respondeat, C
etiamsi ea memoriæ mandare non vacavit? Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda dimisit cætera, quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo quod ait, *Baptizavit eum Philippus*, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda: pari modo etiam in eo quod scriptum est evangelizasse Philippum Spadoni Dominum Jesum, nullo modo dubitandum est et illa in cathechismo dicta esse, quæ ad vitam moresque pertinent ejus qui credit in Dominum Jesum. Hoc est enim evangelizare Christum, non tantum dicere quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ observanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi: immo vero cuncta dicere quæ sunt credenda D
de Christo, non solum cujus sit filius, unde secundum divinitatem, unde secundum carnem genitus, quæ perpessus et quare, quæ sit virtus resurrectionis ejus, quod donum Spiritus promiserit dederitque fidelibus; sed etiam qualia membra, quibus sit caput, quærat, instituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam honoremque perducat. Hæc cum dicuntur, aliquando brevius atque constrictius, aliquando latius et uberius, Christus evangelizatur; et tamen non solum quod ad fidem, verum etiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur.

CAPUT X. 2. Cor. 2. 2.

15. Hoc intelligi potest etiam in eo quod commemorant dixisse apostolum Paulum, *Nihil me duxi scire in vobis, nisi Christum Jesum; et hunc crucifixum*. Quod illi putant ita dictum, tamquam nihil aliud eis insinuatum esset; (a) ut primitus crederent, ac deinde baptizati quidquid ad vitam moresque pertinet discerent. a
Hoc, inquiunt, Apostolo satis superque suffecit, qui eis dixit, quod etsi multos pædagogos haberent in Christo, sed non multos patres, quia eos in Christo Jesu per Evangelium ipse genuisset. Si ergo ille qui per Evangelium genuit, quamvis gratias agat quod neminem ipsorum baptizaverit nisi Crispum et Gaium et Stephanæ domum, nihil eos amplius docuit quam Christum crucifixum; quid si dicat aliquis, nec resurrexisse Christum eos audisse, quando per Evangelium geniti sunt? Unde est igitur quod eis dicit, *Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas*, si nihil nisi crucifixum docuerat? Si autem non ita intelligunt, sed hoc quoque ad Christum crucifixum pertinere (b) contendunt; sciant in Christo crucifixo multa homines discere, et maxime quod b
vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Unde etiam de ipso dicit, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Proinde adtendant, et videant quemadmodum doceatur atque discatur Christus crucifixus, et ad ejus crucem noverint pertinere, quod etiam nos in ejus corpore crucifigimur mundo; ubi intelligitur omnis coercitio malarum concupiscentiarum: ac per hoc fieri non potest, ut eis qui (c) cruce Christi formantur, professa a- c
dulteria permittantur. Nam et Apostolus Petrus de sacramento ipsius crucis, hoc est, passionis Christi, admonet, ut qui ea consecrantur peccare desinant, ita loquens: *Christo ergo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini; quia qui mortuus est carne, desiit peccare, ut jam non hominum desideriis, sed voluntate Domini Dei reliquum in carne vivat*; et cætera, quibus consequenter ostendit, eum pertinere ad Christum crucifixum, hoc est, per carnem passum, qui in ejus corpore crucifixis carnalibus desideriis bene vivit per Evangelium.

1. Cor. 1. 14. 1. Cor. 15. 3. Rom. 6. 6. Gal. 6. 14. 1. Petr. 4. 8.

Præcepta duo de dilectione Dei et proximi male referri, alterum ad baptizandos, alterum ad baptizatos. Matth. 22. 40.

16. Quid, quod etiam duo illa præcepta, in quibus Dominus ait totam Legem Prophetasque pendere, huic suæ opinioni suffragari arbitrantur? et sic ea commemorant, ut quoniam primum præceptum dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*: *secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum*: primum credant pertinere ad baptizan-

(a) Editi, *nisi ut primitus*. Ab est *nisi* a MSS.
(b) Sic MSS. At editi, *concedunt*.
(c) Lov. *in cruce Christi informantur*. Abest *in* ab editis aliis et a MSS. quorum præcipui loco *informantur* habent *formantur*.

Deut. 3. 5. Levit. 19. 18. 1. Johan. 4. 20. dos, ubi dilectio Dei percipitur; secundum autem ad baptizatos, ubi videntur esse mores conversationis humanæ: sic obliti quod scriptum est, *Si fratrem tuum quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere poteris?* Et
1. Johan. 2. 15. illud aliud in eadem epistola Johannis: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in illo*, Quo autem pertinent omnia flagitia morum malorum, nisi ad mundi hujus dilectionem? Ac per hoc illud primum præceptum, quod ad baptizandos pertinere arbitrantur, sine bonis moribus observari nullo pacto potest. Nolo pluribus immorari, nam diligenter considerata ista duo præcepta, ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei possit esse in homine si non diligit proximum, nec dilectio proximi si non diligit Deum. Sed ad rem quæ nunc agitur, quod de his duobus præceptis diximus sufficit.

CAPUT XI. Objectio, quod Israelitæ prius mare transierint et post legem acceperint.

Exodi 14. 21. 17. At enim populus Israel primum per mare rubrum ductus est, quo significatur baptismus; et postea legem accepit, ubi disceret quemadmodum viveret. Cur ergo baptizandis vel Symbolum tradimus, reddendumque reposcimus? Nihil enim tale factum est erga illos, quos per mare rubrum Deus ab Ægyptiis liberavit. Si autem recte intelligunt hoc significari præcedentibus mysteriis de sanguine ovis postibus illito, et de azymis sinceritatis et veritatis; cur non etiam illud consequenter intelligunt, ipsam ab Ægyptiis separationem significare discessionem a peccatis, quam baptizandi profitentur? Ad hoc
Act. 2. 38. enim pertinet quod a Petro dictum est, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi:* tamquam diceret, Recedite ab Ægypto, et per mare rubrum transite. Unde et in epistola quæ ad Hebræos inscribitur, cum eorum qui baptizantur commemorarentur initia, posita est ibi pœnitentia a mortuis operibus. Sic enim dicit: *Ideo*
Hebr. 6. 1. et 2. *remittentes initia Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ a mortuis operibus, et fidei in Deum; lavacri doctrinæ, impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum et judicii æterni.* Hæc igitur omnia pertinere ad initia neophytorum satis aperteque Scriptura testatur. Quid est autem a mortuis operibus pœnitentia, nisi ab his quæ oportet mortificari, ut vivamus? quæ si adulteria fornicationesque non sunt, quid jam inter opera mortua nominandum est? Sic autem non sufficit professio recessionis a talibus, nisi etiam lavacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut persequuntur, peccata deleantur; sicut non suffecit Israelitis recedere ab Ægypto, nisi ea quæ insequebatur hostium multitudo ejusdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo transituro liberandoque patuerunt. Qui ergo profitetur ab adulterio nolle se mutare, quomodo per mare rubrum ducetur, cum ab Ægypto adhuc recuset abscedere? Deinde non attendunt in ea lege, quæ post transitum maris rubri illi

A populo data est, primum esse præceptum, *Non erunt tibi alii dii præter me. Non facies tibi idola, neque ullum simulacrum, quæcumque in* Exodi 20. 4.
cælo sunt sursum, et quæcumque in terra deorsum, et quæcumque in aqua et sub terra; non adorabis ea, neque servies eis: et cætera ad hoc præceptum pertinentia. Affirment itaque isti, si volunt, contra ipsam suam assertionem, etiam de unius Dei cultu cavendaque idololatria, non adhuc baptizandis, sed jam baptizatis esse prædicandum: et non jam dicant, eis qui baptismum percepturi sunt, fidem tantum quæ in Deum est intimandam, et post ejus sacramenti perceptionem de moribus vitæ tamquam de secundo præcepto eos quod ad dilectionem proximi pertinet instruendos. Utrumque enim lex continet, quam
B post mare rubrum tamquam post baptismum populus accepit; nec ita facta est distributio præceptorum, ut ante illius maris transitum de cavenda idololatria plebs doceretur, et postea quam transierunt, audirent honorandum patrem et matrem, non mœchandum, non occidendum, et cætera bonæ atque innocentis conversationis humanæ.

CAPUT XII. Incommodum grave in adversa sententia.

18. Si ergo ita quisque veniat ad sancti lavacri petitionem, ut profiteatur se ab idolorum sacrificiis non recessurum, nisi forte postea quando placuerit, baptismum tamen jam jamque deposcat, templumque Dei vivi se fieri flagitet, non solum cultor idolorum, verum etiam in aliquo tam nefario (a) sacerdotio perseverans; quæro ab istis utrum eum faciendum vel catechumenum
C censeant: quod procul dubio fieri non debere clamabunt. Neque enim aliud de illorum corde sentiendum est. Reddant itaque rationem secundum testimonia Scripturarum, quæ sic intelligenda putant, quo modo huic sudeant contradicere, nec admittendum esse confirment reclamantem atque dicentem: Didici et veneror Christum crucifixum, credo Filium Dei esse Christum Jesum; non me ultra differas, nihil amplius jam requiras. Quos per Evangelium generabat Apostolus, nihil eos nosse tunc amplius quam Christum crucifixum volebat; post vocem Spadonis, qua se credere Jesum Christum Filium Dei esse respondit, continuo Philippus eum baptizare non distulit: quid me ab idolorum cultu prohibes, nec ad sacramentum Christi admittis,
D prius quam inde discessero? Illud a pueritia didici, consuetudine ibi gravissima premor: faciam cum potuero, cum commodum fuerit; quod etsi non faciam, non tamen sine Christi sacramento hanc vitam finiam, ne Deus exigat animam meam de manibus tuis. Quid huic respondendum existimant? An placet ut admittatur? Absit: nullo modo crediderim in tantum eos progredi. Quid ergo respondebunt hæc dicenti, et addenti quod nihil sibi de idololatria relinquenda saltem dici debuit ante baptismum, sicut nihil inde ante mare rubrum populus ille primus audivit, quoniam lex hoc habet, quam ex Ægypto jam

(a) Sic melioris notæ MSS. Quidam addunt *sacrilego:* alii autem pro *sacerdotio scelere*. At editi, *sacrilegio*.

liberatus accepit. Profecto dicturi sunt homini: Templum Dei futurus es, cum baptismum acceperis; dicit autem Apostolus, *Quæ compositio templo Dei cum idolis?* Quare ergo non vident similiter esse dicendum: Membrum Christi futurus es, cum acceperis baptismum; non possunt membra Christi esse membra meretricis? Quia et hoc Apostolus dicit: qui et alio loco, *Nolite*, inquit, *errare; neque fornicatores, neque idolis servientes*, et cætera quæ illic enumerat, *regnum Dei possidebunt.* Cur ergo ad baptismum idolis servientes non admittimus, et fornicatores admittendos putamus, cum et his et cæteris malis dicat, *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi et in spiritu Dei nostri?* Quid igitur caussæ est, ut cum potestas pateat utrumque prohibendi, venientem ad baptismum permittam fornicarium permanere, et non permittam idolis servientem? cum et illis et illis dici audiam, *Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis.* Sed eo moventur isti, quia putant esse in tuto salutem eorum, quamvis per ignem, qui in Christum crediderint, sacramentumque ejus acceperint, id est baptizati fuerint, etiamsi morum corrigendorum ita negligentes sint ut nequiter vivant. Unde mox videbo, si Deus juverit, quid secundum Scripturas sentiendum sit.

2.Cor. 6. 16. — 1.Cor. 6. 15. — Ibidem 9. — Ibid. 11.

CAPUT XIII. Baptizandis præcepta morum a Johanne tradita.

19. Nunc in hac quæstione adhuc versor, in qua eis videtur, baptizatos admonendos esse de moribus ad Christianam vitam pertinentibus, baptizandis autem solam insinuandam fidem. Quod si ita esset, præter tam multa quæ diximus, non Joannes Baptista venientibus ad baptismum suum diceret, *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ:* et cætera, quæ utique non de fide, sed de bonis operibus admonet. Unde et militibus dicentibus, *Quid faciemus?* non dixit, Interim credite et baptizamini, post audietis quid facere debeatis: sed ante dixit, ante præmonuit, ut venturo Domino in cor eorum tamquam præcursor mundaret vitam; *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Similiter publicanis quærentibus quid facere deberent, *Nihil amplius*, inquit, *exigatis præter quam constitutum est vobis.* His breviter commemoratis Evangelista, (non enim totos catechismos inserere debuit,) satis significavit pertinere ad eum a quo baptizandus catechizatur, docere et monere de moribus. Quod si respondissent Johanni, Prorsus non faciemus fructus dignos pœnitentiæ, calumniaturi sumus, concussuri sumus, ea quæ nobis non debentur exacturi sumus, et nihilo minus eos post hanc professionem baptizaret: nec sic tamen dici posset, unde modo quæstio est, non esse temporis cum quisque baptizandus est, ut prius illi sermo fiat quemadmodum vitam bonam agere debeat.

Matth. 3. 7. — Lucæ 3. 10. — Ibidem 11.

Ab consequendam vitam æternam præcepta servari jussit Christus.

20. Quid ipse Dominus, ut alia omittam, cum ab eo dives ille quæreret quid boni faceret ut vitam æternam consequeretur; recolant quid responderit: *Si vis venire*, inquit, *ad vitam, serva mandata.* At ille, *Quæ?* Tunc Dominus commemoravit præcepta legis, *Non occides, Non mæchaberis*, et cætera. Ubi cum ille respondisset hæc se fecisse a juventute sua, addidit etiam perfectionis præceptum, ut venditis suis omnibus et in pauperum eleemosynas erogatis haberet thesaurum in cœlo, et eumdem Dominum sequeretur. Videant igitur, non ei dictum esse ut crederet et baptizaretur, quo solo adjutorio putant isti venire hominem ad vitam, sed morum præcepta homini data, quæ utique sine fide custodiri observarique non possunt. Nec tamen quia hic de insinuanda fide Dominus videtur tacuisse, præscribimus nos atque contendimus, morum tantummodo præcepta dicenda esse hominibus ad vitam pervenire cupientibus. Utraque enim mutuo connexa sunt, sicut ante dixi: quia neque dilectio Dei potest esse in homine qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo qui non diligit Deum. Ideo aliquando alterum sine altero, sive illud, sive illud, pro plena doctrina invenitur Scriptura commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse: quia et qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus; et qui propterea facit quia præcepit Deus, necesse est ut credat Deo.

Matth. 19. 1.

CAPUT XIV. De 3. quæstione, quod fides ad salutem non sufficit sine operibus.

21. Quamobrem jam illud videamus, quod excutiendum est a cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere fidem putaverint, bene autem vivere et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam sub obscuris sententiis apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona:* quia dixerat, *Lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Quod ideo verum est, quia legem accipientes homines qui de suis viribus superbissime præsumebant, nec divinum adjutorium vincendarum malarum concupiscentiarum recte fide impetrantes, pluribus gravioribusque delictis etiam lege prævaricata onerati sunt: ac sic magno reatu compellente confugerent ad fidem, qua misericordiam indulgentiæ mererentur, et *auxilium a Domino qui fecit cœlum et terram:* ut diffusa per Spiritum-sanctum caritate in cordibus suis, cum dilectione agerent quæ contra sæculi hujus concupiscentias juberentur, secundum id quod prædictum fuerat in Psalmo: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Cum ergo dicit Apostolus, arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus legis: non hoc agit, ut percepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur; sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum. Unde in præsenti opere non opus est latius disputare; præsertim quia modo de hac quæstione prolixum librum edidi, qui inscribitur *De littera et spiritu.* Quo-

Rom. 5. 8. — Psal. 120. 2. — Rom. 5. 5. — Psal. 15. 4. — Rom. 3. 1.

A niam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ epistolæ, Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus non prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: *Et fides*, inquit,
Gal. 5. 6. *quæ per dilectionem operatur*. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita
1. Cor. 13. 2. nihil prodesse asseverat, ut dicat, *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum*. Ubi autem (a) fidelis caritas operatur, sine dubio bene vivitur.
Rom. 13. 10. *Plenitudo* enim *legis caritas*.

22. Unde evidenter in secunda epistola sua Petrus, B cum ad vitæ et morum sanctitatem hortaretur, mundumque istum transiturum prænuntiaret, cœlos vero novos et terram novam exspectari, quæ justis inhabitanda traderetur, ut ex hoc adtenderent qualiter eos oporteret vivere, ut habitatione illa digni fierent, sciens de apostoli Pauli quibusdam subobscuri sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem, ut tamquam securi de salute quæ in fide est, bene vivere non curarent, commemoravit quædam ad intelligendum difficilia esse in epistolis ejus, quæ homines perverterent, sicut et alias Scripturas, ad proprium suum interitum: eum tamen et illum Apostolum de salute æterna, quæ nisi bene viventibus non daretur, eadem sentiret, quæ cæteri Apostoli. Sic itaque Petrus: *His ergo*, inquit,
2. Petri 3. 11. etc. C *omnibus pereuntibus, quale oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes ad præsentiam diei Domini, per quam cœli ardentes solventur, et elementa ardore ignis decoquentur: novos vero cœlos et terram novam secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia inhabitat. Quapropter, carissimi, hæc exspectantes satagite inviolati et immaculati apud eum reperiri in pace, et Domini nostri patientiam salutem existimate. Sicut et dilectissimus frater noster Paulus secundum eam, quæ data est illi, sapientiam scripsit vobis, ut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti et instabiles pervertunt, sicut et cæteras Scripturas, ad proprium suum interitum. Vos* D *igitur amantissimi præscientes, cavete ne* (b) *infaustorum errore seducti decidatis a corroboratione vestra: crescite vero in gratia et intellectu Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi: ipsi gloria, et nunc et in diem æternitatis.*

23. Jacobus autem tam vehementer infestus est eis qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet,
Jacob. 2. 19. dicens, *Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis, et dæmones credunt et contremiscunt*. Quid brevius, verius, vehementius dici potuit, cum et in Evangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum Filium Dei confiterentur, et ab illo corriperentur, quod in Petri confessione laudatum est? *Quid proderit*, ait Jacobus, *fratres*
Marci 1. 24. Matth. 16. 16. Jacobi 2. 14. *mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Dicit etiam, *quia fides sine operibus mortua est*.
Ibidem 20. Quousque ergo falluntur, qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur.

CAPUT XV. Locus Apostoli difficilis, male intellectus.

24. Quapropter diligenter oportet adtendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia, plane ad intelligendum difficilis, ubi ait,
1. Cor. 3. 11. etc. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestabitur. Dies enim* (c) *declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus arserit, damnum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei quæ in Christo est, bona opera adjiciunt; illi autem fœnum, ligna, stipulam, qui cum eamdem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti.

Refutatur opinio existimantium fidem sine operibus prodesse ad salutem.

25. Hoc si ita est, fatemur istos laudabili caritate conari, ut omnes indiscrete admittantur ad baptismum, non solum adulteri et adulteræ, contra sententiam Domini falsas nuptias prætendentes, verum etiam publicæ meretrices in turpissima professione perseverantes, quas certe etiam nulla negligentissima Ecclesia consuevit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione liberatas. Sed ista ratione cur non omni modo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eos posito fundamento, licet ligna, fœnum et stipulam congerant, aliquanto certe diuturniore igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt illa, quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent:
1. Cor. 13. 2. *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non*
Jacobi 2. 14. *habeam, nihil sum*, et, *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?*
1. Cor. 6. 9 et 10. Falsum erit et illud *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque fures, neque avari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Falsum et illud:
Gal. 5. 19. etc. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animosi-*

(a) Casalinus liber, *Ubi autem fides est et caritas operatur.*
(b) Sic tredecim MSS. At editi, *infalsorum*: forte pro *insulsorum*, quod melius respondet, Vulgatæ, *insipientium*. Sed in Græco texto est, ἀθέσμων, nefariorum.
(c) Editi, *dies enim Domini*. Abest *Domini* a MSS. et a Græco textu Apostoli.

tates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Falsa erunt hæc. Si enim tantummodo credant et baptizentur, quamvis in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem: atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt regnum Dei possidebunt. Frustra autem dicitur, *Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis:* (1. Cor. 6. 11.) quando et abluti hæc sunt. Inaniter etiam illud a Petro dictum videbitur: *Sic et vos simili forma baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio:* (1. Petri 3. 21.) siquidem et habentes pessimas conscientias omnium flagitiorum et scelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen baptisma salvos facit: propter fundamentum enim quod in eodem baptismate ponitur, licet per ignem, salvi, erunt. Illud quoque non video cur Dominus dixerit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata* (Matth. 19. 17.); et commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent: si etiam his non servatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ *sine operibus mortua est* (Jacob. 2. 26.). Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est dicet, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus?* (Matth. 25. 41.) (a) Quos non increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixte eisdem (b) pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos, *Domine quando te vidimus illa et illa patientem, et non ministravimus tibi?* (Ibidem 43.) qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tamquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei in se ipsos immisericordes fuerunt, quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo, *Si distribuam omnia mea pauperibus, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest,* (1 Cor. 13. 3.) aut diligat quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* (Psal. 10. 6.) Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem æternum dictum, non ipsam (c) pœnam æternam: per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem; ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis non sit in eos æterna: cum et hoc prævidens Dominus, tamquam Dominus, sententiam suam ita concluserit, dicens, *Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* (Matth. 25. 46.) Erit ergo æterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

26. Si ergo hæc omnia, et cætera quæ innumerabilia per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt; poterit verus esse ille intellectus de lignis, fœno et stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christum fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista et vera et clara sunt; procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu, (d) quæ non debeant homines pervertere ad proprium suum interitum, (2. Petri 3. 16.) ut contra evidentissima testimonia Scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequitiæ suæ pertinacissime cohærentes, nec emendando aut pœnitendo mutatos.

CAPUT XVI. Locus Apostoli quomodo intelligendus.

27. Hic a me fortasse quæratur, de ipsa Pauli Apostoli sententia quid ego sentiam, et quonam modo intelligendam putem. Fateor, hinc mallem audire intelligentiores atque doctiores, qui sic eam exponant, ut illa omnia vera et inconcussa permaneant, quæ supra commemoravi, et quæcumque alia non commemoravi, quibus apertissime Scriptura testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit Apostolus, id est, quæ per dilectionem operatur; sine operibus autem salvare non posse, neque præter ignem, neque per ignem; quia si per ignem salvat, ipsa utique salvat. Absolute autem dictum est et aperte, *Quid prodest, si dicat quis se fidem habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* (Jacobi 2. 14.) Dicam tamen, quam brevissime potero, etiam ipse quid sentiam de illa sententia Pauli apostoli ad intelligendum difficili, dummodo illud, quod ad meam professionem adtinet, præcipue teneatur, quod de hoc me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus est in structura architecti sapientis: hoc expositione non indiget. Aperte enim dictum est, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* (1. Cor. 3. 10.) Si autem Christus, procul dubio fides Christi. Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris sicut idem Apostolus dicit. (Ephes. 3. 17.) Porro si fides Christi, illa utique quam definivit Apostolus, *quæ per dilectionem operatur.* (Gal. 5. 6.) Non enim fides illa dæmonum, cum et ipsi credant et contremiscant, et Filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in fundamento. Quare, nisi quia non est fides quæ per dilectionem operatur, sed quæ exprimitur per timorem? Fides itaque Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento neminem perire permittit. Sed quid sit ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, et ligna, fœnum, stipulam, si subtilius disserere coner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio: enitar tamen,

(a) Plerique MSS. *Quibus non increpat*, vel *increpitet*.
(b) Tres melioris notæ MSS. *pastoribus*.
(c) In MSS. plerique, *pœnam æternam*. At in editis, *combustionem*.
(d) MSS. *quam*.

quantum Dominus, adjuvat, et breviter, et quantum potero, dilucide expedire quod sentio. Ecce ille qui quæsivit a magistro bono, quid boni faceret, ut haberet vitam æternam; et audivit, si ad vitam venire vellet, servanda sibi esse mandata; et cum quæreret quæ mandata, dictum est ei, *Non occides, Non mæchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem tuam, Et diliges proximum tuum tamquam te ipsum*: hæc faciens in fide Christi teneret procul dubio fidem, quæ per dilectionem operatur. Neque enim diligeret proximum tamquam se ipsum, nisi recepta dilectione Dei, sine qua non diligeret se ipsum. Porro si faceret etiam quod Dominus addidit, dicens, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me*: ædificaret super illud fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: non enim cogitaret, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo: et hæ cogitationes sunt, quantum existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi. Porro si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur; (alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret:) sed propter carnalem, ut dixi, quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud ligna, fœnum, stipulam: maxime si et uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem. A quo dolore, atque detrimento tanto est quisque securior, quanto ea vel minus amaverit, vel tamquam non habens habuerit. Qui vero propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, et similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquebitur.

Matth. 19. 16, etc.

Ibidem 22.

28. Quamobrem et illud quod dicunt, volenti probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit, *Quod si infidelis discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater vel soror in hujusmodi*; id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum (a) in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hoc uxor dicit: si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat. Quemcumque autem in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis sustinebit, hoc est detrimentum quod patietur, hic est ignis per quem fœno ardente ipse salvabitur. Si autem jam sic habebat uxorem tamquam non habens, non propter concupiscentiam, sed propter misericordiam, ne forte eam salvam faceret, reddens potius quam exigens debitum conjugale, profecto nec dolebit carnaliter, cum ab illo (b) tale connubium separabitur: neque enim in ea cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo. Ac per hoc in quantum aurum, argentum, et lapides pretiosos illis cogitationibus superædificabat, in tantum detrimentum nullum pateretur, in tantum ejus structura, quæ non erat fœnea, nullo incendio cremaretur.

Alius Apostoli locus frustra ab iis adductus, qui fidem sine operibus salvare docent. 1. Cor. 7. 15.

1. Cor. 7. 32.

29. Sive ergo in hac tantum vita ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujusce sententiæ. Verumtamen etiam si est alius, qui mihi non occurrit, potius eligendus; istum quamdiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei: Si tantummodo in Christum credatis, et sacramentum baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis.

1. Tim. 1. 9.

30. Unde nec illa nobis mulier Chananæa præscribit, quia Dominus ei quod petebat dedit, cum ante dixisset, *Non est bonum tollere panem filiorum et mittere canibus*: quia ille cordis inspector mutatam vidit, quando laudavit. Et ideo non ait, O canis, magna est fides tua: sed, O *mulier, magna est fides tua*. Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus, id est, fidem non talem quæ jam per dilectionem posset operari, fidem mortuam, et quod Jacobus dicere minime dubitavit, fidem non Christianorum, sed dæmonum. Postremo si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo, et cor-

Chananææ fides qualis laudata est. Matth. 15. 26.

Jacobi 2. 19.

(a) Remensis MS. *virum agere noverat*.
(b) Sic MSS. At editi, *tali conjugio separabitur: neque enim in eo cogitabat*.

ripiendo redarguit: quoscumque invenerint tantum modo credere, vitam vero inquinatissimam, nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri, ac nolle mutare; sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Cananææ mulieris; non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi

Gal. 5. 6.

esse non desinant membra meretricis. Illud sane non absurde intelligunt, eum peccare in Spiritum-sanctum, et esse sine venia rerum æterni peccati, qui usque in finem vitæ noluerit credere in Christum, sed si recte intelligerent, quid sit credere in Christum. Non enim hoc est habere dæmonum fidem, quæ recte mortua perhibetur; sed fidem quæ per dilectionem operatur.

CAPUT XVII. Argumentum frustra ductum ex parabolis zizaniorum et adductorum ad convivium pro obstinatis in peccato admittendis ad baptismum.

31. Quæ cum ita sint, quando tales ad baptismum non admittimus, non ante tempus zizania evellere conamur, sed nolumus insuper, sicut diabolus, zizania seminare: nec ad Christum volentes venire prohibemus, sed eos ad Christum venire nolle, ipsa sua professione convincimus: nec vetamus Christo credere, sed demonstramus eos nolle Christo credere, qui vel adulterium dicunt non esse, quod ille adulterium dicit esse, vel credunt adulteros ejus membra posse esse, quos per apostolum dicit regnum Dei non possidere, et sanæ doctrinæ adversari, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei. Unde non sunt isti inter eos deputandi, qui ad convivium nuptiarum venerunt; sed inter eos qui venire noluerunt. Cum enim ipsi doctrinæ Christi audent apertissime contradicere, et sancto adversari Evangelio, non venientes repelluntur, sed venire contemnunt. Qui autem sæculo saltem verbis, etiamsi non factis, renuntiant, veniunt quidem, et inter triticum seminantur, et in aream congeruntur, et ovibus aggregantur, et retia subeunt, et conviventibus admiscentur; sed intus sive lateant, sive pareant, tunc erit ratio tolerandi, si potestas nulla est corrigendi, nec debet esse præsumptio separandi. Absit autem ut sic intelligamus quod scriptum est, ad convivium nuptiarum adductos, *quos invenerunt bonos et malos*, ut eos adduxisse credantur, qui se malos perseveraturos professi sunt. Alioquin ipsi servi patris familias zizania seminaverunt, falsumque erit illud, *Inimicus autem qui ea seminavit diabolus est.* Sed quia hoc falsum esse non potest, adduxerunt *servi bonos et malos*, sive qui laterent, sive qui jam adducti et intromissi apparerent, sive *bonos et malos* dictum est secundum quamdam humanam conversationem, in qua etiam ii qui nondum crediderunt, vel laudari vel vituperari solent. Unde est etiam et illud quod Dominus monet discipulos, quos ad Evangelium prædicandum primitus mittit, ut in quamcumque venerint civitatem, quærant quis illic dignus sit, ut apud eum habitent, donec inde proficiscantur. Profecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suorum civium bonus habebitur? et quis indignus, nisi qui eis malus innotuerit? Ex hoc utroque genere veniunt ad Christi fidem, et sic adducuntur boni et mali: quia et illi mali a mortuis operibus pœnitentiam non recusant. Si autem recusant, non intrare cupientes repelluntur, sed ab introitu ipsi aperta contradictione discedunt.

1. Cor. 6. 10. 1. Tim. 1. 10. et 11.
Lucæ 14. 16.
Matth. 22. 2.
Lucæ 14. 21.
Matth. 13. 28.
Matth. 10. 11.

32. Erit ergo et servus ille securus, nec inter pigros damnabitur, quod dominicum talentum noluerit erogare; quandoquidem illi noluerunt quod erogabat accipere. Propter illos enim hæc similitudo proposita est, qui nolunt suscipere in Ecclesia dispensatoris officium, desidiosam prætendentes excusationem, nolle se rationem reddere de peccatis alienis: qui audiunt et non faciunt, id est, accipiunt et non reddunt. Cum vero dispensator fidelis et diligens, in erogando paratissimus, et lucrorum dominicorum avidissimus, dicit adultero, Noli esse adulter, si vis baptizari; crede Christo, qui hoc quod facis dicit esse adulterium, si vis baptizari; noli esse membrum meretricis, si vis fieri membrum Christi: ille autem respondent, Non obedio, non facio: ipse non vult veram pecuniam dominicam accipere, sed suam potius adulterinam vult thesauris dominicis importare. Si autem se facturum profiteretur, nec faceret, nec postea quolibet modo corrigi posset; inveniretur quid de illo fieret, ne aliis inutilis esset, qui sibi utilis esse non posset: ut si intra retia Domini bonus piscis malus esset, non tamen pisces Domini sui malis retibus irretiret; hoc est, ut si haberet in Ecclesia vitam malam, non tamen illic institueret doctrinam malam. Cum enim tales facta sua talia defendunt, vel in eis se perseveraturos apertissime profitentes admittuntur ad baptismum, nihil (a) videtur aliud prædicari, nisi fornicatores et adulteros etiam usque in vitæ hujus finem in ea nequitia permanentes, regnum Dei possessuros, et merito fidei, quæ sine operibus mortua est, ad vitam æternam salutemque venturos. Hæc sunt mala retia, quæ cavere debent præcipue piscatores: si tamen illa evangelica similitudine piscatores episcopi, vel inferioris ordinis Ecclesiarum præpositi intelligendi sunt: quia dictum est, *Venite, et faciam vos piscatores hominum.* Retibus enim bonis capi possunt pisces et boni et mali; retibus autem malis capi non possunt pisces boni. Quoniam in doctrina bona et bonus potest esse qui audit et facit, et malus qui audit et non facit: in doctrina vero mala, et qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est; qui obtemperat, pejor est.

Similitudo servi nolentis erogare talentum ad eamdem rem inutilis. Matth. 25. 26.
Matth. 4. 19.

CAPUT XVIII. Prohiberi pertinaces malos a baptismo non novum.

33. Illud sane mirabile est, quod fratres qui aliter sapiunt, cum debeant ab ista vel nova vel vetere, perniciosa tamen opinione discedere, ipsi insuper dicunt novam esse doctrinam, qua nequissimi homines in suis flagitiis se perseveraturos in propatulo profitentes non admittuntur ad baptismum: quasi nescio ubi peregrinentur, quando meretrices et histriones, et quilibet alii publicæ turpitudinis professores, nisi solutis aut disruptis talibus vinculis, ad Christiana sacra-

(a) Ita MSS. Editi autem, *nihil videntur aliud prædicare*

A menta non permittuntur accedere : qui utique secundum istorum sententiam omnes admitterentur, nisi antiquum et robustum morem sancta Ecclesia retineret, ex illa scilicet liquidissima veritate venientem, qua certum habet, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et nisi egerint ab his mortuis operibus pœnitentiam, accedere ad baptismum non sinuntur : si autem subrepserint, nisi vel postea mutati egerint *, salvi esse non possunt. Sed ebriosi, avari, maledici, et si qua alia vitia damnabilia apertis factis convinci redarguique non possunt; præceptis tamen et catechismis validissime flagellantur, atque omnes tales mutata in melius voluntate ad baptismum videntur accedere. Sed si forte adulteros, quos non lex humana, sed divina condemnat, id est qui alienas uxores tamquam suas habent, vel fœminas quæ alienos maritos, alicubi negligentius admitti solere adverterunt ; ex illis rectis debent conari ista corrigere, hoc est, ut etiam isti non admittantur ; non ex his pravis illa recta depravare, ut neque de morum correctione catechizandos esse censeant Competentes ; et consequenter omnes etiam illarum publicarum turpitudinum et scelerum professores, hoc est, meretrices, lenones, gladiatores, ac si quid hujusmodi est, etiam in illis malis permanentes, admitti oportere arbitrentur. Omnia quippe illa quæ Apostolus enumerat, concludens, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: qui vehementius urgent, manifestata sibi congruenter increpant, et resistentes atque in eis se permansuros profitentes ad accipiendum baptismum non admittunt.

Gal. 5. 21.
1.Cor.6. 10.

* Supple, pœnitentiam.

CAPUT XIX. Tria flagitia etiam benigniorum hominum consensu mortifera et excommunicatione punienda.

34. Qui autem opinantur cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant et excommunicationibus punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Neque nunc opus est quærere qualis sit eorum ista sententia, et utrum corrigenda, an approbanda, ne opus susceptum mittamus in longum propter eam quæstionem, quæ huic (*a*) absolvendæ minime necessaria est. Sufficit enim, quia si omnia non sunt admittenda ad baptismi sacramentum, inter hæc omnia est adulterium: si autem tria illa sola excipienda sunt, etiam in his tribus est adulterium, unde ista disputatio nata est.

Unde factum ut de adulterinis conjugiis non ageretur in catechismis.

35. Sed quoniam malorum Christianorum mores, qui fuerunt antea etiam pessimi, habuisse non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, aut alienis viris fœminæ nuberent; inde fortasse apud quasdam Ecclesias negligentia ista subrepsit, ut in catechismis Competentium nec quærerentur nec (*b*) percuterentur hæc vitia; atque inde factum est, ut inciperent et defendi: quæ tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo non (*c*) densa faciamus. Talem quippe in quibusdam negligentiam, in aliis

B imperitiam, in aliis ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi ait, *Cum autem dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania.* Hinc autem existimandum est, non ea primum apparuisse in moribus, quamvis malorum Christianorum, quoniam beatus Cyprianus in Epistola de lapsis, cum deplorando et arguendo multa commemoraret, quibus merito dicit indignationem Dei fuisse commotam, ut intolerabili persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, hæc ibi omnino non nominat: cum etiam illud non taceat, et ad eosdem mores malos pertinere confirmet, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, nihil aliud esse asserens, quam prostituere gentilibus membra Christi : quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata; quoniam revera in novo Testamento nihil inde præceptum est, et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum. Sicut etiam illud ambiguum est, utrum Herodes (*d*) mortui duxerit, an vivi fratris uxorem: et ideo non ita claret, quid Johannes ei non licere dicebat. De concubina quoque, si professa fuerit nullum se alium cognituram, etiamsi ab illo cui subdita est dimittatur, merito dubitatur, utrum ad percipiendum baptismum non debeat admitti. Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, et aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta causa adulterii dimittunt et ducunt: et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. Quamobrem quæ manifesta sunt impudicitiæ crimina, omni modo a baptismo prohibenda sunt, nisi mutatione voluntatis et pœnitentia corrigantur: quæ autem dubia, omni modo conandum est ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factæ fuerint, nescio utrum ii qui fecerint, similiter ad baptismum non debere videantur admitti.

Matth 13. 25.

Cyprianus.

Matrimonium cum infidelibus.

Matth.14.3.

CAPUT XX. Ordo curationis erga baptizandos tenendus.

C 36. Quantum adtinet igitur ad doctrinam salubrem veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentissima tribuatur auctoritas, iste curationis ordo est, ut baptizandi credant in Deum Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, eo ritu quo Symbolum traditur; et a mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumque se omnino præteritorum, remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent: non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat; ut sit facti remissio, non permissio faciendi. Tunc vere dici potest, etiam spiritaliter, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare*, quod Dominus de corporali sanitate ideo dixit, quoniam sciebat ei quem salvum fecerat, meritis peccatorum illum etiam carnis accidisse languorem. Hi autem ei homini, qui et bapti-

D

Johan.5. 14.

(a) Am. Er. et duo MSS. *absolvendo.*
(b) Sic MSS. At editi, *repercuterentur.*
(c) Editi, *defensa.* Erratum corrigunt veteres libri.

(d) Fratris viventis uxorem duxisse, tradit Josephus Antiqu. jud. l. 18 c. 7. idque in celebritate Decoll. S. Johan. canitur in Breviario Rom.

zandus adulter ingreditur, et baptizatus adulter egreditur, miror quomodo dici existiment, *Ecce sanus factus es*. Quis enim gravis et exitiabilis morbus erit, si adulterium sanitas erit?

CAPUT XXI. Apostolorum factum non iis favere qui volunt adulteros admitti ad baptismum. Rom. 15. 19.

37. Sed in tribus millibus, inquiunt, quos uno die Apostoli baptizarunt, et in tot millibus credentium, in quibus Apostolus ab Jerusalem usque in Illyricum Evangelium replevit, erant utique aliqui alienis uxoribus copulati, vel feminæ alienis maritis: in quibus regulam Apostoli constituere debuerunt, quæ deinceps in Ecclesiis servaretur, utrum non admitterentur ad baptismum, nisi illa adulteria correxissent. Quasi non similiter adversus eos dici possit, quod non inveniunt aliquem commemoratum, qui cum talis esset, admissus est. Aut vero possint singulorum hominum crimina, quod infinitum erat, commemorari; cum generalis illa regula satis superque sufficiat, ubi Petrus pluribus verbis testificans baptizandis ait, *Eripite vos ab hoc sæculo pravo*. Quis enim dubitet ad hujus sæculi pravitatem adulteria pertinere, et illos qui elegerint in eadem iniquitate persistere? Similiter autem dici potest, publicas meretrices, quas utique ad baptismum, nisi ab illa turpitudine liberatas, nulla admittit Ecclesia, potuisse inveniri in tot millibus tunc credentium per tot gentes, et de his suscipiendis vel prohibendis constituere Apostolos exempla debuisse. Verumtamen de quibusdam minoribus possumus conjectare majora. Si enim ad baptismum Johannis venientes publicani prohibiti sunt aliquid amplius exigere, quam quod eis fuerat constitutum; miror si venientibus ad baptismum Christi posset permitti adulterium.

Act. 2. 40.

Luc. 3. 13.

Perperam dici Judæos propter solam infidelitatem deletos.

38. Commemoraverunt etiam Israelitas multa et gravia perpetrasse, et effudisse multum sanguinem prophetarum, nec tamen ex his factis penitus meruisse deleri, sed ex infidelitate sola, qua in Christum credere noluerunt: non intuentes quia peccatum eorum non hoc solum fuit, quia in Christum non crediderunt, verum etiam quia Christum occiderunt; quorum unum pertinet ad crimen incredulitatis, alterum ad crimen crudelitatis. Illud ergo est contra fidem rectam, istud contra bonam vitam. Utroque autem vitio caret, qui fidem Christi habet; non sine operibus mortuam, quæ etiam in dæmonibus invenitur; sed fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur.

Jacobi 2. 20.

Gal. 5. 6. Luc. 17. 21. Regnum cœlorum vim pati non dictum de fide sine caritate. Rom. 13. 10. Matth. 11. 12.

39. Hæc est fides de qua dicitur: *Regnum cœlorum intra vos est*. Hoc enim diripiunt, qui vim faciunt credendo, impetrantes Spiritum caritatis, ubi est plenitudo legis, sine qua lex in littera reos faciebat etiam prævaricationis. Non itaque putandum est ideo dictum, *Regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud;* quia etiam mali tantummodo credendo et pessime vivendo perveniunt in regnum cœlorum: sed quia reatus ille prævaricationis, quem sola lex, id est, littera sine spiritu jubendo faciebat, credendo solvitur, et violentia fidei Spiritus-sanctus impetratur; per quem diffusa caritate in cordibus nostris, lex non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur.

Rom. 5. 5.

CAPUT XXII. Cognitio Dei quænam vera et ad vitam æternam conducens. Johan. 17. 3. 1. Johan. 2. 3. et 4.

4. Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide mortua, hoc est, sine bonis operibus confiteatur, more dæmonum; et ideo se jam non dubitet ad vitam æternam esse venturam, quia Dominus dicit, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*. Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est, *In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servemus. Qui dicit, quia cognovi eum, et mandata ejus non servat, mendax est, et in hoc veritas non est*. Et ne quisquam existimet mandata ejus ad solam fidem pertinere: quamquam dicere hoc nullus est ausus, præsertim quia mandata dixit, quæ ne multitudine (a) cogitationem spargerent, *In illis duobus tota Lex pendet et Prophetæ:* licet recte dici possit, ad solam fidem pertinere Dei mandata, si non mortua, sed viva illa intelligatur fides, quæ per dilectionem operatur: tamen postea Johannes ipse aperuit quid diceret, cum ait, *Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi, et diligamus invicem*.

a Matth. 22. 40.

Gal. 5. 6.

1. Johan. 3. 13.

Indulgentia non obstinatis, sed a peccato recedentibus speranda. Psal. 40. 5.

41. Hoc itaque prodest, in Deum recta fide credere, Deum colere, Deum nosse, ut et bene vivendi ab illo sit nobis auxilium, et si peccaverimus, ab illo indulgentiam mereamur: non in factis quæ odit securi perseverantes, sed ab eis recedentes, eique dicentes, *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi:* quod non habent cui dicant, qui non in eum credunt; et frustra dicunt, qui cum tam longe ab illo sint, a gratia Mediatoris alieni sunt. Hinc illa verba sunt in libro Sapientiæ, quæ nescio quomodo intelligit perniciosa securitas: *Et si peccaverimus, tui sumus:* quoniam scilicet bonum et magnum Dominum habemus, qui et velit atque possit pœnitentium peccata sanare, non qui minime audeat permanentes in malignitate disperdere. Denique cum dixisset, *tui sumus;* addidit, *scientes potentiam tuam:* utique potentiam, cui se subtrahere nequeat aut occultare peccator. Ideoque secutus adjunxit: *Non peccabimus autem, scientes quoniam tui sumus deputati*. Quis enim digne cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundum propositum vocati sunt, non enitatur ita vivere, ut tali habitationi congruat? Quod ergo et Johannes dicit, *Hæc scripsi vobis, ut non peccetis; et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exorator pro peccatis nostris:* non id (b) agit, ut cum securitate peccemus; sed ut recedentes a peccato, si quod admissum est, propter illum advocatum, quem non habent infideles, minime de indulgentia desperemus.

Sap. 15. 2.

1. Johan. 2. 1. et 2.

b

(a) Sic MSS. Editi vero, *cogitationes parerent*.

(b) Editi, *ait*: pro quo MSS. *agit*.

CAPUT XXIII. Locus Apostoli ab adversariis male intellectus.

Rom. 2. 12.

42. Nec de his igitur verbis mitior ulla conditio promittenda est, sic in Deum credere volentibus, ut permaneant in perditis moribus: multo minus de illis ubi Apostolus ait, *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; qui autem in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*: tamquam hoc loco aliquid distet inter perire et judicari, cum alio verbo hoc idem significatum sit. Solent enim Scripturæ judicium etiam pro æterna damnatione ponere. Sicut in Evangelio Dominus loquitur, *Veniet hora in qua omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus; et procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ; qui autem male egerunt in resurrectionem judicii*. Neque hic dictum est, hoc qui crediderunt, illud autem qui non crediderunt: sed hoc *illi qui bene egerunt*, illud *qui male egerunt*. Inseparabilis est quippe bona vita a fide, quæ per dilectionem operatur: immo vero ea ipsa est bona vita. Videmus itaque resurrectionem judicii dixisse Dominum pro resurrectione damnationis æternæ. De omnibus quippe resurrecturis, (ubi procul dubio erunt etiam ii qui omnino non credunt, neque enim ipsi non sunt in monumentis,) duas partes fecit, alios in resurrectionem vitæ, alios in resurrectionem judicii resurrecturos esse declarans.

Judicium in Scripturis pro æterna damnatione. Johan. 5. 28. et 29.

Gal. 5. 6.

An soli fideles mali intelligendi sint ituri in resurrectionem judicii, ut judicium non sit æterna damnatio. Johan. 3. 18.

43. Quod si dicunt, non ibi intelligendos etiam eos qui omnino non credunt, sed eos qui per ignem salvi erunt, quia crediderunt, etiamsi male vixerunt, ut eorum transitoriam pœnam judicii nomine significatam arbitrentur. Quamquam hoc impudentissime dicatur, cum omnino Dominus omnes resurrecturos, in quibus sine dubio et increduli erunt, in duo diviserit, *vitam* et *judicium*; ita volens judicium æternum intelligi, quamvis hoc non addiderit, sicut et vitam. Neque enim ait, In resurrectionem vitæ æternæ; cum aliud utique intelligi noluerit. Videant tamen quid responsuri sunt, ubi ait, *Qui autem non credit, jam judicatus est*. Nam hic procul dubio, aut judicium pro pœna æterna positum intelligunt, aut per ignem salvos futuros etiam incredulos dicere audebunt: quoniam, *Qui non credit*, inquit, *jam judicatus est*, hoc est, jam judicio destinatus: et non erit quod pro magno beneficio polliceantur credentibus nequiterque viventibus, quando et ii qui non credunt non erunt perdendi, sed judicandi. Quod si dicere non audent, non audeant aliquid mitius polliceri eis de quibus dictum est, *per legem judicabuntur*: quia constat judicium etiam pro æterna damnatione solere nominari. Quid, quod invenimus non solum minime mitioris, verum etiam deterioris conditionis esse illos qui scientes peccant? Hi sunt enim maxime qui legem acceperunt. Nam sicut scriptum est, *Ubi lex non est, nec prævaricatio*. Hinc est et illud, *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione itaque accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*: et alia multa quæ de hac re idem Apostolus dicit. Ob hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus-sancti per Jesum Christum Dominum nostrum, quæ diffusa caritate in cordibus nostris donat justitiæ (a) delectationem, qua immoderatio concupiscentiæ superetur. Hinc itaque confirmatur non solum nihil mitius, sed gravius aliquid intelligendum, de quibus dictum est, *Qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*; quam de illis qui sine lege peccantes sine lege peribunt: nec pro pœna transitoria hoc loco dictum judicium, sed pro ea qua etiam non credentes judicabuntur.

Rom. 4. 15.

Rom. 7. 7. et 8.

Rom. 2. 12.

44. Nam qui hac utuntur sententia ad promittendam salutem per ignem illis, qui etiam credentes pessime vivunt, ut eis dicant, *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; qui autem in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*, tamquam dictum sit, non peribunt, sed per ignem salvi erunt; nec illud adtendere potuerunt, hoc Apostolum de illis qui sine lege et illis qui in lege peccaverunt dixisse, cum de Gentibus et de Judæis ageret; ut non tantum Gentibus, sed utrisque gratiam Christi, qua liberentur, necessariam demonstraret: quod (b) tota ipsa epistola ad Romanos evidenter ostendit. Jam ergo etiam Judæis in lege peccantibus, de quibus dictum est, *per legem judicabuntur*, non eos liberante gratia Christi, promittant, si placet, per ignem salutem; quoniam de his dictum est, *per legem judicabuntur*. Quod si non faciunt, (c) ne contra se ipsos veniant, qui eos gravissimo infidelitatis crimine obstrictos esse dicunt: ut quid transferunt ad infideles et fideles in eo quod ad fidem Christi adtinet, illud quod dictum est de iis qui sine lege et iis qui in lege peccaverunt, cum de Judæis et de Gentibus ageretur, ut ad Christi gratiam utrique invitarentur? * Neque enim dictum est, Qui sine fide peccaverunt, sine fide peribunt; qui autem in fide peccaverunt, per fidem judicabuntur: sed *sine lege* dictum est, et *in lege*; ut satis appareret illam caussam tangi, quæ inter Gentes et Judæos agebatur, non quæ inter bonos malosque Christianos.

Ibidem.

* CAPUT XXIV.

Libertas fidei non sit fidelibus velamen malitiæ.

45. Quamquam si illo loco legem pro fide accipi volunt, quod nimis importunum et absurdum est, etiam hinc apertissimam possunt legere sententiam apostoli Petri, qui cum loqueretur de iis qui in occasionem carnis acceperant, et in velamentum malitiæ, quod scriptum est, *nos* ad novum Testamentum pertinentes, *non ancillæ filios esse, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*: et putaverunt hoc esse libere vivere, ut tamquam de tanta redemptione securi, quidquid liberet licere sibi arbitrarentur, non intuentes quod dictum est, *Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis*: unde et ipse Petrus dicit, *Liberi, non sicut velamentum malitiæ habentes libertatem*: ait de illis et in secunda epistola sua, *Hi sunt fontes sicci, et nebulæ a turbine exagi-*

1. Petri 2. 11.

Gal. 4. 31.

Gal. 5. 13.

1. Petri 2. 16.

2. Petri 2. 17. etc.

(a) Nonnulli codices, *dilectionem*.

(b) Sic MSS. At editi, *totum*.

(c) Editi omissa particula ne, habent *contra se ipsos veniunt*. Emendantur a MSS.

latæ, quibus caligo tenebrarum reservata est: superbia enim vanitatis loquentes illiciunt in concupiscentiis carnis impudicitiæ eos qui paululum effugerunt, in errore conversati, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri et conservatoris Jesu Christi, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentes retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato. Contigit enim illis res veri proverbii, Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabris cœni.

Matth. 12. 45.
Prov. 26. 11.

Quid adhuc promittitur contra istam manifestissimam veritatem conditio melior iis qui cognoverunt viam justitiæ, hoc est, Dominum Christum, et perdite vivunt, (a) quam si omnino non cognovissent? cum apertissime dicatur, *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentes retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato.*

CAPUT XXV. Sanctum mandatum quid, idque cognoscentes actransgredientes quæ pœna maneat.

46. Neque enim illud hoc loco intelligendum est sanctum mandatum, quo præceptum est, ut in Deum credamus: quamquam eo ipso totum continetur, si eam intelligamus fidem credentium, quæ per dilectionem operatur: sed aperte expressit quid diceret sanctum mandatum, id est, quo præceptum est, ut ab hujus mundi coinquinationibus recedentes casta conversatione vivamus. Sic enim ait: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri et conservatoris Jesu Christi, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus.* Non ait, refugientes ignorantiam Dei, aut refugientes infidelitatem sæculi, vel tale aliquid: sed, *coinquinationes mundi*, in quibus est utique omnis immunditia flagitiorum. Nam de his superius loquens, dixit, *Coepulantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii et indesinentis peccati.* Ideo etiam fontes siccos eos appellat; fontes videlicet, quod acceperint agnitionem Domini Christi; siccos autem, quia non congruenter vivant. De talibus quippe etiam Judas apostolus loquens, *Ii sunt*, inquit, *qui in dilectionibus vestris maculati coepulantur, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua*: et cætera. Quod enim Petrus ait, *Coepulantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii*: hoc Judas, *In dilectionibus vestris maculati coepulantur*. Mixti sunt enim bonis in epulis sacramentorum et dilectionibus plebium. Et quod Petrus ait, *Fontes sicci*: hoc Judas, *Nubes sine aqua*: hoc Jacobus, *Fides mortua*.

2. Petri 2. 13.
Judæ 1. 12.

Pœna transitoria baptizatis scelerate viventibus non promittenda.

47. Non itaque promittatur pœna ignis transitoria turpiter scelerateque viventibus, quia viam justitiæ cognoverunt, quibus melius erat non cognoscere, sicut veracissima Scriptura testatur. De talibus quippe etiam Dominus ait, *Et erunt novissima illius hominis pejora quam*

Matth. 12. 45.

A *erant prima*: quoniam purgationis suæ habitatorem Spiritum-sanctum non recipiens, fecit in se immundum spiritum multipliciorem redire. Nisi forte ideo sunt isti, de quibus agitur, meliores habendi, quia non redierunt ad immunditiam adulteriorum, sed ab ea non recesserunt; nec purgati se rursus inquinaverunt, sed purgari recusaverunt. Neque enim, ut revelata conscientia intrent ad baptismum, dignantur saltem vomere pristinas immunditias, quas canum more iterum sorbeant; sed in lavacri ipsius sanctitate pertinaciter crudo pectore indigestam nequitiam tenere contendunt: nec occultant eam pollicitatione vel ficta, sed impudentis professionis eructant: nec exeuntes de Sodomis more uxoris Loth, in præterita iterum attendunt, sed

B omnino de Sodomis dedignantur exire; immo ad Christum cum Sodomis conantur intrare. Paulus apostolus dicit, *Qui prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et istis dicitur, Tunc potius misericordiam consequimini, si scientes male vixeritis in ipsa fide. Nimis longum est, et pene infinitum omnia testimonia Scripturarum velle colligere, quibus apparet non solum non esse mitiorem caussam eorum qui scientes, quam qui nescientes vitam nequissimam et iniquissimam ducunt, verum etiam hoc ipso esse graviorem: proinde ista sufficerint.

Lucæ 11. 26.
Gen. 19. 26.
1. Tim. 1. 13.

CAPUT XXVI. Baptismo nisi vita respondeat, non obtinebitur regnum cœlorum.

48. CAVEAMUS ergo diligenter in adjutorio Domini Dei nostri non facere homines male secu-

C ros, dicentes eis, quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternam esse venturos: ne sic faciamus Christianos, quomodo Judæi proselytos, quibus Dominus ait, *Væ vobis Scribæ et Pharisæi, qui circumitis mare et terram, facere unum proselytum; cum autem feceritis, facitis eum filium gehennæ dupla quam vos estis*: sed potius sanam doctrinam Dei magistri in utroque teneamus; ut sancto baptismo consona sit vita Christiana, nec cuiquam homini, si utrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex (b) aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum*: ipse etiam dixit, *Nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum et Pharisæorum, non introbitis in regnum cœlo-*

Matth. 23. 15.
Joban. 3. 5. b
Matth. 5. 20.

D *rum.* De illis quippe ait: *Scribæ et Pharisæi super cathedram Moysi sedent; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim et non faciunt.* Ergo justitia eorum est, dicere et non facere: ac per hoc nostram esse voluit abundantem super illorum, dicere et facere: quæ si non fuerit, non intrabitur in regnum cœlorum. Non quia quisquam ita debet extolli, ut, non dicam apud alios jactare, sed apud se ipsum putare audeat, se in hac vita esse sine peccato: sed nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, *Congregatis vobis et meo spiritu tradere*

Matth. 23. 2. et 3.
Peccata triplicis generis triplici remedio sananda.
1. Cor. 5. 4. et 5.

(a) In excusis, quasi. Varius in MSS. quam si.

(b) Veteres libri, *ex Spiritu sancto*: omisso, *aqua et*.

ejusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. Unde etiam dicit, *Ne lugeam multos, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditiam et fornicationem; quam gesserunt.* Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus, *Corripe eum inter te et ipsum solum, et si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Postremo nisi essent quædam sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, ut dicamus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

2. Cor. 12. 21.

Matth. 18. 15.

Matth. 6. 12.

CAPUT XXVII. Epilogus prædictorum.

49. Jam satis, quantum arbitror, de tota illa opinione quid mihi videretur exposui, ubi tres quæstiones moverunt: unam de permixtione in Ecclesia bonorum et malorum, tanquam tritici et zizaniorum: ubi cavendum est, ne ideo putemus esse propositas istas similitudines, vel hanc, vel de immundis in arca animalibus, vel quæcumque alia idem significant, ut dormiat Ecclesiæ disciplina, de qua in figura illius mulieris dictum est, *Severæ sunt conversationes domus ejus:* sed ut non eo usque progrediatur dementiæ potius temeritas, quam severitas diligentiæ, ut quasi bonos a malis per nefaria schismata separare præsumat. Neque enim per has similitudines et prænuntiationes consilium desidiæ datum est bonis, quo negligant quod prohibere debent; sed patientiæ, quo perferant salva doctrinæ veritatis quod emendare non valent. Nec quia scriptum est introisse ad Noe in arcam etiam immunda animalia, ideo præpositi vetare non debent, si qui immundissimi ad baptismum velint intrare saltantes, quod est certe mitius quam mœchantes: sed per hanc figuram rei gestæ prænuntiatum est immundos in Ecclesia futuros propter tolerantiæ rationem, non propter doctrinæ corruptionem, vel disciplinæ dissolutionem. Non enim quacumque libuit intraverunt immunda animalia arcæ compage confracta, sed ea integra per unum atque idem ostium, quod artifex fecerat. Altera quæstio est, in qua eis visum est fidem solam baptizandis esse tradendam, postea vero jam baptizatos docendos esse de moribus. Sed satis demonstratum est, nisi fallor, tunc magis pertinere ad curam speculatoris, cum omnes qui fidelium competunt sacramentum, omnia quæ dicuntur intentius et sollicitius audiunt, non tacere de pœna, quam male viventibus Dominus comminatur: ne in ipso baptismo rei sint gravissimorum criminum, quo veniunt ut (a) remittatur reatus omnium peccatorum. Tertia quæstio est periculosissima, qua parum considerata, et non secundum divinum eloquium pertractata, tota illa opinio mihi videtur exorta, in qua promittitur scelestissime turpissimeque viventibus, etiamsi eo modo vivere perseverent, et tantummodo credant in Christum, ejusque sacramenta percipiant, eos ad salutem vitamque æternam esse venturos: contra apertissimam Domini sententiam, qui desideranti vitam æternam respondit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata:* et commemoravit quæ mandata, ubi ea scilicet peccata vitantur, quibus nescio quomodo salus æterna promittitur propter fidem sine operibus mortuam. De his tribus quæstionibus satis, quantum existimo, disputavi: demonstravique sic tolerandos in Ecclesia malos, ut non negligatur ecclesiastica disciplina; sic catechizandos eos, qui baptismum petunt, ut non solum audiant atque suscipiant quid credere, verum etiam qualiter vivere debeant; sic promitti fidelibus vitam æternam, ut non etiam per fidem mortuam, quæ sine operibus salvare non potest, ad eam se quisque pervenire posse arbitretur, sed per illam fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur. Non itaque culpentur dispensatores fideles, non sua negligentia vel pigritia, sed quorumdam potius contumacia, qui pecuniam dominicam recusant accipere, et adulterinam suam cogunt servos dominicos erogare, dum nolunt saltem tales esse mali, quale sanctus Cyprianus commemorat, sæculo verbis solis et non factis renuntiantes: quando nec verbis renuntiare diaboli operibus volunt, cum se in adulterio permansuros voce apertissima profitentur. Si quid ab eis dici solet, quod forte disputando non adtigi, tale esse arbitratus sum, cui mea responsio necessaria non fuisset; sive quod ad rem, de qua agitur, non pertineret, sive quod tam leve esset, ut a quolibet redargui facillime posset (b).

Prov. 4. 18. sec. LXX.

Gen. 7. 2.

Matth. 19. 17.

Cyprianus Serm. de lapsis.

(a) Plures MSS. *remittantur.*

(b) In veteribus libris additur, *Deo gratias.*

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Enchiridion ad Laurentium inter postremas suas lucubrationes recensuit Augustinus in libro Retractationum secundo, postque sex contra Julianum libros, qui ad annum circiter 421. pertinent, collocavit. Hunc certe librum labente anno 420. nondum perfecerat. Nam Hyeronimum, qui anno eodem 420 juxta Prosperam, pridie Kalendas Octobris obiit, jam morte functum laudabat cap. 87. in hæc verba : *Sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit.*

Laurentius porro, cui scriptus liber, frater Dulcitii appellatur in libro de octo Dulcitii quæstionibus ad q. 1. n. 10. quia propinquitate et cognatione, uti arbitramur, naturali, non Christiana tantum Dulcitio conjunctus erat. Virum ab eruditione et a piis studiis egregie commendat, sed a laicorum fidelium grege nihilo secernit Augustinus, qui et operis initio filium ipsum vocat, et in fine eum sibi in Christi membris dilectum dicit. Neque Laurentii dignitas explorata est et probata satis ex vulgato libri titulo. Quippe codices nostri antiquiores habent tantum, *Incipit Enchiridion*: qui vero *ad Laurentium Primicerium* addunt, aliquanto recentiores sunt, atque isti secum invicem haud omnino consentientes. Carcassonensis præfert, *ad Laurentium Primicerium Notariorum urbis Romæ.* Unus e Vaticanis in fronte Operis, *ad Laurentium Primicerium Romanæ Ecclesiæ;* et ad calcem habet, *ad Laurentium Primicerium Ecclesiæ urbis Romanæ.* Cisterciensis et alii quidam MSS. *ad Laurentium Primicerium:* Regius etc. *ad Laurentium*, nihilque supra; quomodo etiam editiones Amerbachii et Erasmi. At Lovaniensium editio titulo addidit, *Primicerium orbis Romæ.* In vetere libro Compendiensi legitur, *ad Laurentium Notarium urbis Romæ.* In altero e Colbertinis, *ad Laurentium Diaconum.*

Tametsi vero liber recte appelletur *Enchiridion* ipsius concessu Augustini in cap. 122. quia scilicet Enchiridion postulaverat Laurentius, id est, opusculum mole exiguum de ejus manibus non recessurum: ibidem tamen Augustinus, itemque in Retractationibus, in libro de octo Dulcitii quæstionibus, et in epistola 231. ad Darium constanter vocat *Librum de Fide, Spe et Caritate*, nec aliter Possidius Indic. c. 6. Ad hæc enim tria commodum visum est sancto Doctori revocare Laurentii quæstiones omnes, qui sapientiæ studio incensus, ac nostræ, quam profitebatur, amore religionis, volebat in primis certum propriumque fidei catholicæ fundamentum, totius Christianæ doctrinæ summam, et universim quidquid orthodoxa fide ac religione a primo ad ultimum teneretur, ab Augustino accipere, eoque magistro institui et muniri con-

tra diversas hæreses ea tempestate grassantes. Prima quidem et quam maxima libri parte Augustinus quæ credenda sint docet servata Symboli ordine, ac varias hæreses Manichæorum, Apollinaristarum, Priscillianistarum, Arianorum præcipueque Pelagianorum, tacito earum nomine, passim refellit. Secundam partem, de iis quæ ad spem pertinent, in Dominicæ orationis expositione quam brevissima impendit. Tertiam postremo, nec eam prolixam, adjungit de Caritate.

Opus in scriptis codicibus capitulationes et sectiones non easdem sortitum est. In quibusdam centum-triginta-quatuor, aut centum-viginti-sex, vel, ut in editis, centum-viginti-duas; in aliis septuaginta et unam, in nonnullis quinquaginta-quatuor, aut rariores habet, et in quibusdam nullas.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LXIII.

Scripsi etiam librum de Fide, Spe et Caritate, cum a me ad quem scriptus est postulasset, ut aliquod opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum: quod genus Græci *Enchiridion* vocant. Ubi satis diligenter mihi videor esse complexus, quomodo sit colendus Deus, quam sapientiam esse hominis utique veram divina Scriptura definit. Hic liber sic incipit: *Dici non potest, dilectissimi fili Laurenti.*



SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
ENCHIRIDION AD LAURENTIUM
SIVE
DE FIDE SPE ET CARITATE
LIBER UNUS. *

* Scriptus anno 421, aut paulio post.

CAPUT I. Sapientiæ veræ donum exoptat Laurentio.
Dici non potest, dilectissime fili Laurenti,
quantum tua eruditione delecter, quamque
te cupiam esse sapientem: non ex eorum numero
de quibus dicitur, *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi*
conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit
1. Cor. 1. 20. *Deus sapientiam hujus mundi?* sed ex eorum
Sap. 6. 26. de quibus scriptum est, *Multitudo sapientium*
sanitas est orbis terrarum. Et quales vult Apo-
Rom. 16. 19. stolus fieri, quibus dicit, *Volo autem vos sapientes*
tes quidem esse in bono, simplices autem in ma-
a *lo.* (a) (Sicut autem nemo a se ipso esse potest,
ita etiam nemo a se ipso sapiens esse potest,
sed ab illo illustrante, de quo scriptum est,
Eccli. 1. 1. *Omnis sapientia a Deo est.*)* Hominis autem sa-
*CAPUT II. Sapientia hominis, pietas.
pientia pietas est. Habes hoc in libro sancti Job:
nam ibi legitur: quod ipsa Sapientia dixerit ho-
mini, *Ecce pietas est sapientia.* Si autem quæ-
ras quam dixerit eo loco pietatem, distinctius
Job. 28. 28. in Græco reperies *θεοσέβειαν*, qui est Dei cultus.
Dicitur enim Græce pietas et aliter, id est *εὐσέ-*
βεια, quo nomine significatur bonus cultus,
quamvis et hoc præcipue referatur ad colendum
Deum. Sed nihil est commodius illo nomine, quo
evidenter Dei cultus expressus est, cum quid
esset homini sapientia diceretur. Quærisne ali-
quid dici brevius, qui petis a me *ut breviter ma-*
gna dicantur? An hoc ipsum tibi fortasse desi-
deras breviter aperiri, atque in sermonem col-
* CAPUT III. Deum coli fide spe et caritate.
ligi brevem, quonam modo sit colendus Deus? *
Hic si respondero, fide, spe, caritate colendum
Deum, profecto dicturus es, brevius hoc dictum
A esse quam velles; ac deinde petiturus ea tibi
breviter explicari, quæ ad singula tria ista per-
tineant, quid credendum scilicet, quid speran-
dum, quid amandum sit. Quod cum fecero, ibi
erunt omnia illa quæ in epistola tua (b) quæ- b
rendo posuisti: cujus exemplum si est penes te,
facile est ut ea revolvas et relegas; si autem non
est, commemorante me recolas. * Vis enim tibi,
*CAPUT IV. Quæstiones Laurentii.
ut scribis, *librum a me fieri, quem Enchiridion*
(ut dicunt) *habeas, et de tuis manibus non re-*
cedat: continens postulata, id est, * *quid sequen-* * 1. quæst.
dum maxime, quid propter diversas principa-
liter hæreses sit fugiendum; * *in quantum ratio* * 2.
B *pro religione contendat, vel quid in* (c) *ratione,* c
cum fides sit sola, non conveniat; * *quid pri-* * 3.
mum, quid ultimum teneatur, quæ totius defi-
nitionis summa sit; * *quod certum propriumque* * 4.
fidei catholicæ fundamentum. Hæc omnia quæ
Responsiones Augustini.
requiris procul dubio scies, diligenter sciendo
quid credi, quid sperari debeat, quid amari. * * ad q. 1.
Hæc enim maxime, immo vero sola in religione
sequenda sunt. His qui contradicit, aut omnino
a Christi nomine alienus est, aut hæreticus. * * ad q. 2.
Hæc sunt defendenda ratione, (d) vel a sensi- d
bus corporis inchoata, vel ab intelligentia men-
tis inventa. Quæ autem nec corporeo sensu ex-
C perti sumus, nec mente assequi valuimus aut
valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt
testibus, a quibus ea quæ divina vocari jam me-
ruit Scriptura confecta est: qui ea sive per cor-
pus, sive per animum, divinitus adjuti, vel vi-

(a) Hac sententia carent veteres codices MSS.

(b) Sic editio Lov. at Am. id est Lovaniensium et Antonii Arnaldi. Editio autem Am. id est, Johannis Amerbachii, Er. Desiderii. Erasmi et Dan. Lamberti Danæi, ac MSS. plures habent *quærenda*.

(c) Vetus codex Germanensis, *in religione, cum fides sit sola, non veniat.* Melius Colbertinus, *in rationem, cum fides sit sola, non veniat.* Cui lectiones favent Regius, Carnutensi: Gemmeticensis et alii duo MSS. habentes, *in ratione, cum fides sit sola, non veniat.* Compendiensis vero pro *non veniat*, habet *inveniant*. Alter Colbertinus, et unus a Vaticanis ferunt, *in ratione cum fides, sit sola, non conveniat.* Antonius Arnaldus restituendum censuit, *in ratione cum fide, si sit sola, non conveniat.* Audacior Lamb. Danæus absque librorum auctoritate restituit, *in ratione cum fide non conveniat* rejectis verbis, *sit sola.*

(d) Am. Er. Dan, et quatuor MSS. *quæ vel.*

* CAPUT V. Responsio ad q. 3.

dere, vel etiam prævidere potuerunt. * Cum autem initio fidei quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis et perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas. Hoc est nimirum quod requiris, *quid primum, quid ultimum teneatur*: inchoari fide, perfici specie. Hæc etiam totius definitionis est summa. * Certum vero propriumque fidei catholicæ fundamentum Christus est. *Fundamentum enim aliud*, ait Apostolus, *nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Neque hoc ideo negandum est proprium fundamentum esse fidei catholicæ, quia putari potest aliquibus hæreticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quæ ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt: re ipsa vero non est apud eos. Quod ostendere nimis longum est: quoniam commemorandæ sunt omnes hæreses, sive quæ fuerunt, sive quæ sunt, sive quæ (a) potuerunt, esse sub vocabulo Christiano, et quam sit hoc verum per singulas quasque monstrandum. Quæ disputatio tam multorum est voluminum, ut etiam infinita videatur. * Tu autem *Enchiridion* a nobis postulas, id est, *quod manu possit adstringi, non quod armaria possit onerare*. Ut igitur ad illa tria redeamus, per quæ diximus colendum Deum, fidem, spem, caritatem, facile est ut dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit: sed quemadmodum adversus eorum qui diversa sentiunt calumnias defendatur, operosioris uberiorisque doctrinæ est; quæ ut habeatur, non brevi Enchiridio manus debet impleri, sed grandi studio pectus accendi.

* ad q. 4.

I. Cor. 3. 11.

* CAPUT VI. Quod mole exiguum possit manu contineri.

CAPUT VII. Symbolum et oratio Dominica complectuntur fidem, spem et caritatem.

2. Nam ecce (b) tibi est Symbolum et Dominica oratio; quid brevius auditur aut legitur? quid facilius memoriæ commendatur? Quia enim de peccato, gravi miseria premebatur genus humanum, et divina indigebat misericordia, gratiæ Dei tempus Propheta prædicens ait, *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, propter hoc oratio. Sed Apostolus cum ad ipsam gratiam commendandam hoc propheticum commemorasset testimonium, continuo subjecit, *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere: Fides credit, spes et caritas orant. Sed sine fide esse non possunt: ac per hoc et fides orat. Propterea quippe dictum est, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Quid autem sperari potest, quod non creditur? Porro aliquid etiam quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium pœnas non

Joel. 2. 32.

Rom. 10. 14.

* CAPUT VIII. Generalis explicatio fidei, spei et caritatis, et earum nexus.

credit impiorum? nec sperat tamen, et quisquis eas imminere sibi credit ac fugaci motu animi exhorret, rectius timere dicitur quam sperare. Quæ duo (c) quidam distinguens ait, Liceat sperare timenti. Non autem ab alio poeta, quamvis meliore, proprie dictum est, Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Denique nonnulli in arte grammatica verbi hujus utuntur exemplo ad ostendendam impropriam dictionem, et ajunt, Sperare dixit, pro timere. Est itaque fides et malarum rerum, et bonarum: quia et bona creduntur, et mala; et hoc fide bona, non mala. Est etiam fides et præteritarum rerum, et præsentium, et futurarum. Credimus enim Christum mortuum; quod jam præteriit: credimus sedere ad dexteram Patris; quo nunc est: credimus venturum ad judicandum; quod futurum est. Item fides et suarum rerum est, et alienarum. Nam et se quisque credit aliquando esse cœpisse, nec fuisse utique sempiternum; et (d) alios, atque alia: nec solum de aliis hominibus multa, (e) quæ ad religionem pertinent, verum etiam de angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cum ita sint, propter has caussas distinguenda erit fides ab spe, sicut vocabulo, ita et rationabili differentia. Nam quod adtinet ad non videre, sive quæ creduntur, sive quæ sperantur, fidei speique commune est. In epistola quippe ad Hebræos, qua teste usi sunt illustres catholicæ (f) Regulæ defensores, fides esse dicta est, * *Convictio rerum quæ non videntur*. Quamvis se quando quisque non verbis, non testibus, non denique ullis argumentis, sed præsentium rerum evidentiæ credidisse, hoc est, fidem accommodasse dicit, non ita videtur (g) absurdus, ut recte reprehendatur in verbo, eique dicatur, Vidisti, ergo non credidisti: unde putari potest non esse consequens, ut non videatur res quæcumque creditur. Sed melius hanc appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quæ non videntur. De spe quoque ait Apostolus, *Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur. Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero esse sine amore non potest. Denique, ut ait apostolus Jacobus, *Et dæmones credunt, et contremiscunt*: nec tamen sperant vel amant; sed potius quod speramus et amamus credendo venturum esse formidant. Propter quod apostolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur, approbat atque commendat, quæ utique sine spe non

Lucanus 2. Pharsal. Virgil. 4. Æneid.

3. Sent. d. 26. c. Et sicut.

* Hebr. 11. 1. ἔλεγχος.

Rom. 8. 24.

Jac. 2. 19.

Gal. 5. 6. 3. Sent. d. 23. c. Si vero.

(a) Sic Dan. et plerique MSS. At Am. Er. Lov. ut Am. *poterunt*.

(b) Aliquot MSS. *Nam ecce ibi*. Quidam, *Nam ecce et ibi*.

(c) In excusis, *Lucanus distinguens*. Non nominatur *Lucanus* in MSS. sed ejus nominis loco habetur *quidam*.

(d) Editi, *et alia atque alia*. At MSS. *et alios* (supple homines,) *atque alia* (scilicet rerum genera esse cœpisse, nec fuisse sempiterna.

(e) Istud, *quæ ad religionem pertinent*, reperitur in omnibus libris scriptis et excusis. Glossema esse volebat Lambertus Danæus, qui hunc et alios quamplures locos animo vexavit minime æquo et liberali.

(f) Quatuor MSS. *catholicæ fidei ac regulæ*. Apud Augustinum Regula fidei solet dici Symbolum, ut infra in cap. 56.

(g) Sic meliores MSS. Editi vero, *absurdum*.

potest esse. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.

CAPUT IX. Quid credendum, servato Symboli ordine deinceps explicatur.

3. Cum ergo quæritur, quid credendum sit quod ad religionem pertineat, non rerum natura ita rimanda est, quemadmodum ab eis quos physicos Græci vocant: nec metuendum est, (a) ne aliquid de vi et numero elementorum, de motu atque ordine et defectibus siderum, de figura cœli, de generibus et naturis animalium, fruticum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de spatiis locorum et temporum, de signis imminentium tempestatum, et alia sexcenta de iis rebus quas illi vel invenerunt vel invenisse se existimant, Christianus ignoret: quia nec ipsi omnia repererunt tanto excellentes ingenio, flagrantes studio, abundantes otio, et quædam humana conjectura investigantes, quædam vero historica experientia perscrutantes, et in eis quæ se invenisse gloriantur, plura opinantes potius quam scientes. Satis est Christiano rerum creatarum caussam, sive cælestium, sive terrestrium, sive visibilium sive invisibilium, non nisi bonitatem credere Creatoris, qui est Deus unus et verus; nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso: eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet, et Filium a Patre genitum, et Spiritum-sanctum ab eodem Patre (b) procedentem, sed unum eumdemque Spiritum Patris et Filii. * Ab hac (c) summe et æqualiter et immutabiliter bona Trinitate creata sunt omnia, et nec summe, nec æqualiter, nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula: simul vero universa valde bona; quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. * In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, * rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo. (d) Quid est autem aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis et vulneribus affici, quam sanitate privari: (Neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, ut mala ista quæ inerant, id est, morbi ac vulnera recedant hinc, et alibi sint; sed utique ut non sint. Non enim ulla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus aut morbus: cum caro sit ipsa substantia, profecto aliquod bonum (e), cui accidunt ista mala, id est, privationes ejus boni, quod dicitur sanitas,) ita et animorum quæcumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum: quæ cum sanantur, non aliquo transferuntur; sed ea quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.

Non opus esse curiosa inquisitione rerum naturalium.

Christiano sufficere si credat a summe bona Trinitate omnia creata esse, eaque bona.

* CAPUT X. Contra Manichæorum hæresim de origine mali.

Gen. I. 31.

* CAPUT XI. Mala cur esse sinat Deus.

* Virgil. Æneid. 10.

1. Sent. d. 46. c. Quod vers.

Malum nihil aliud nisi privatio boni.

2. Sent. d. 34. c. Ostensa. et dist. 35. c. Quocirca.

CAPUT XII. Creaturæ omnes bonæ, sed quia non summe bonæ, ideo corruptibiles.

4. Naturæ igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium Conditor summe bonus est, bonæ sunt: sed quia non sicut earum Conditor summe atque incommutabiliter bonæ sunt, ideo in eis et minui bonum et augeri potest. Sed (f) bonum minui malum est: quamvis, quantumcumque minuatur, remaneat aliquid necesse est, (si adhuc natura est,) unde natura sit. Neque enim, si qualiscumque et quantulacumque natura est, consumi bonum (g) quo natura est, nisi et ipsa consumatur, potest. Merito quippe natura incorrupta laudatur: porro si et incorruptibilis sit, quæ corrumpi omnino non possit, multo est procul dubio laudabilior. Cum vero corrumpitur, ideo malum est ejus corruptio, quia eam qualicumque privat bono: nam si nullo bono privat, non nocet: nocet autem, (h) adimit igitur bonum. Quamdiu itaque natura corrumpitur, inest ei bonum quo privetur: ac per hoc si naturæ aliquid remanebit quod jam corrumpi nequeat, profecto natura incorruptibilis erit, et ad hoc tam magnum bonum (i) corruptione perveniet. * At si corrumpi non desinet, nec bonum habere utique desinet, quo eam possit privare corruptio. Quam si penitus totamque consumpserit, ideo nullum bonum inerit, quia natura nulla erit. Quocirca bonum consumere corruptio non potest, nisi consumendo naturam. Omnis ergo natura bonum est, magnum si corrumpi non potest, parvum si potest: negari tamen bonum esse, nisi stulte atque imperite prorsus non potest. Quæ si corruptione consumitur, nec ipsa corruptio remanebit, (k) nulla ubi esse possit subsistente natura. * Ac per hoc nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum. Sed bonum omni malo carens, integrum bonum est: cui vero inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est: nec malum umquam potest esse ullum, ubi bonum est nullum. Unde res mira conficitur, ut quia omnis natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum vitiosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est: nec malum esse, nisi quod bonum est; quoniam omnis natura bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est natura non esset. Non igitur potest esse malum, nisi aliquod bonum. Quod cum dici videatur absurde, conne-

* CAPUT XIII. Nullum malum, nisi quod et bonum sit.

2. Sent. d. 30. c. Item et alter.

(a) Hic apud Am. Er. Lov. et Am. additur, quemadmodum ab eisdem: quod glossema non habent veteres libri.

(b) Duo ex Vaticanis MSS. et Filio procedentem.

(c) Lov. et Am. summa. Aptius editi alii et MSS. summe. Et sic in 1. Sent. d. 46. c. Est enim.

(d) Apud Am. Er et Lamb. Danæum additur hoc loco: De bona naturæ vitiato ipse Deus bene facit, reformando aut puniendo vitiatum: ac per hoc ergo malum nec vitium erit, quia nihil est cum evacuatur. Ineptum glossema.

(e) Editi, bonum est. Verbum est expunximus auctoritate MSS. plurium et meliorum.

(f) Vetustissimus liber Colb. bono.

(g) Ita unus ex Vaticanis. At MSS. alii et editi, quod.

(h) Editi, nocet autem adimendo bonum. Castigantur a veteribus libris.

(i) Am. Er. et Lov. corruptio non perveniet. Aliquot MSS. incorruptione perveniet. Verius Am. corruptione perveniet.

(k) Locus ex MSS. castigatus. Nam alias Am. Er. et Lov. ubi nulla esse possit subsistente natura, male. Nec melius Danæus correxerat addita negante particula sis, ubi nulla esse possit, non subsistente natura.

xio tamen ratiocinationis hujus velut inevitabiliter nos compellit hoc dicere. Et cavendum est, ne incidamus in illam propheticam sententiam, ubi legitur, *Væ iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum; qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras; qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce.* Et tamen Dominus ait, *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quid est autem malus homo, nisi mala natura; quia homo natura est? Porro si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est; sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit, Malum est hominem esse, aut Bonum est iniquum esse: ipse incidit in propheticam illam sententiam, *Væ iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum.* Opus enim Dei culpat, quod est homo; et vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura, etiamsi vitiosa est, in quantum natura est bona est; in quantum vitiosa est, mala est. * Quapropter in iis contrariis, quæ mala et bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt, Nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim aer simul est et tenebrosus et lucidus: nullus cibus aut potus simul dulcis et amarus: nullum corpus simul ubi album, ibi et nigrum; nullum simul ubi deforme, ibi et formosum. Et hoc in multis ac pene in omnibus contrariis reperitur, ut in una re simul esse non possint. Cum autem bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed mala omnino sine bonis et nisi in bonis esse non possunt: quamvis bona sine malis possint. Potest enim homo vel angelus non esse injustus: injustus autem non potest esse nisi homo vel angelus: et bonum quod homo, bonum quod angelus malum quod injustus. Et hæc duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset, in quo * esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur: quod nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, et nisi in aliquibus bonis non sunt: nec erat alias unde oriretur ulla mali natura. Nam si esset, in quantum natura esset, profecto bona esset: et aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio. * Sed cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicæ sententiæ refragari, qua dixit, *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Non potest enim, sicut Veritas ait, * colligi uva de spinis, quia non potest nasci uva de spinis: sed ex bona terra et vites nasci posse videmus et spinas. Et

Isai. 5. 20.
2. Sent. d. 34. c. Ad hoc.
Matth. 12. 35.
2. Sent. d. 34. c. Ex quo.
* CAPUT XIV. Bonum et malum, licet contraria, simul in eadem re esse posse. 2. Sent. d. 34. c. Ideoque.
* Supple, malum.
Ex bonis mala, et in bonis.
* CAPUT XV. Quomodo intelligendum illud Non potest arbor bona etc.
Matth 7. 18 Ibidem 16.

(a) Circumcelliones armati contra Augustinum vias aliquoties obsederunt, teste Possidio in ejus vita c. 12.

A eodem modo tamquam arbor mala fructus bonos, id est, opera bona, non potest facere voluntas mala, sed ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala: nec fuit prorsus unde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex angeli et hominis natura bona. Quod et ipse Dominus eodem loco, ubi de arbore et fructibus loquebatur, apertissime ostendit: ait enim, *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum:* satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse; ex ipsa tamen terra, cui loquebatur, utramque arborem posse.

2. Sent. d. 34. c. Ideoque.
Matth. 12. 33.

5. Quæ cum ita sint, quando nobis Maronis ille versus placet, Felix qui potuit rerum cognoscere caussas: non nobis videatur ad felicitatem
B consequendam pertinere, si sciamus caussas magnarum in mundo corporalium motionum, quæ abditissimis naturæ sinibus occuluntur,

Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant, obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;

et cætera hujusmodi. Sed bonarum et malarum rerum caussas nosse debemus: et id hactenus, quatenus eas homini in hac vita erroribus ærumnisque plenissima, ad eosdem errores et ærumnas evadendas nosse conceditur. Ad illam quippe felicitatem tendendum est, ubi nulla quatiamur ærumna, nullo errore fallamur. Nam si caussæ corporalium motionum noscendæ nobis essent, nullas magis nosse, quam nostræ valetudinis deberemus. Cum vero eis ignoratis, medicos quærimus, quis non videat quod de secre-
C tis cœli et terræ nos latet, quanta sit patientia nesciendum. * Quamvis enim error quanta possumus cura cavendus sit, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari: non est tamen consequens, ut continuo erret quisquis aliquid nescit; sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum. Nam in una eademque re et nescienti sciens, et erranti non errans, recta ratione præponitur. In diversis autem rebus, id est, cum iste sciat alia, ille alia; et iste utiliora, ille minus utilia, vel etiam noxia: quis non in eis quæ ille scit, ei præferat
D nescientem? Sunt enim quædam quæ nescire quam scire sit melius. Itemque nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. Nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, et non iremus per eum locum ubi opperiens transitum nostrum (a) Donatistarum manus armata subsederat: atque ita factum est, ut eo quo tendebamus, per bivium circuitum veniremus; cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo. Quis ergo viatorem sic errantem sic non erranti latroni præponere dubitaverit? Et fortasse ideo apud illum summum poetam lo-

CAPUT XVI. Rerum caussas nosse non pertineat ad felicitatem.
Georg. 2.
* CAPUT XVII. Error quid sit.
Non omnis error noxius.
Augustini error felix in bivio.

ubi hujus etiam recordatur periculi, quod hominis ductoris errore evasit Augustinus.

Virgil. Eclog. 8.

quens quidam miser amator, Ut vidi, inquit, ut perii, ut me malus abstulit error: quoniam est et error bonus, qui non solum nihil obsit, verum etiam prosit aliquid. Sed diligentius considerata veritate cum aliud nihil sit errare, quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum, sive sit verum: idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo, Est, est, Non, non: profecto et ob hoc ipsum est vita misera ista qua vivimus, quod ei nonnumquam, ut non amittatur, error est necessarius. Absit ut talis sit illa vita, ubi est animæ nostræ ipsa veritas vita; ubi nemo fallit, fallitur nemo. Hic autem homines fallunt atque falluntur; miserioresque sunt cum mentiendo fallunt, quam cum mentientibus credendo falluntur. Usque adeo tamen rationalis natura refulgit falsitatem, et quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere. Non enim sibi qui mentitur videtur errare, sed alium in errorem mittere credentem sibi. Et in ea quidem re non errat quam mendacio contegit, si novit ipse quid verum sit: sed in hoc fallitur, quod putat sibi suum non obesse mendacium; cum magis facienti quam patienti obsit omne peccatum.

Matth. 5. 37.

CAPUT XVIII. Mendacium omne est peccatum, sed aliud alio gravius.

6. Verum hic difficillima et latebrosissima gignitur quæstio, de qua jam grandem librum, cum respondendi necessitas nos urgeret, absolvimus: utrum ad officium hominis justi pertineat aliquando mentiri. Nonnulli * enim eo usque progrediuntur, ut et pejerare, et de rebus ad Dei cultum pertinentibus ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnumquam bonum piumque opus esse contendant. Mihi autem videtur peccatum quidem esse omne mendacium, sed multum interesse quo animo et quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur: (a) aut vero tantum nocet qui viatorem mentiendo in diversum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mendacio fallente depravat. Nemo sane mentiens judicandus est, qui dicit falsum quod putat verum: quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet. Potiusque e contrario, quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum ejus attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur esse quod dicit: nec ullo modo liber est a mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus

* Priscillianistæ redarguuntur.

3. Sent. d. 8. c. 5. Mentiti.

Non mentiri qui nesciens falsum dicit, sed potius qui verum dicit quod putat falsum.

A ipsis de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit. Ille namque non aliud habet in animo, aliud in verbo: huic vero, qualecumque per se ipsum sit quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est; quod malum est proprium mentientis. In ipsarum autem quæ dicuntur consideratione rerum tantum interest, qua in re quisque fallatur sive mentiatur, ut cum falli quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longe tolerabilius sit in his quæ a religione sunt sejuncta, mentiri, quam in iis sine quorum fide vel notitia Deus coli non

B potest, falli (b). Quod ut illustretur exemplis, intueamur quale sit, si quispiam dum mentitur, vivere nuntiet aliquem mortuum; et alius dum fallitur, credat iterum Christum post quamlibet longa tempora moriturum: nonne illo modo mentiri quam isto modo falli incomparabiliter præstat, multoque minoris mali est in illum errorem aliquem inducere, quam in istum ab aliquo induci? * In quibusdam ergo rebus magno, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam nonnullo etiam bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo, cum hoc non credit quod ad vitam ducit æternam, vel hoc credit quod ad mortem ducit æternam. Parvo autem malo fallitur, qui falsum pro vero approbando incidit in aliquas molestias temporales, quibus

* CAPUT XIX. Error alius quidem alio perniciosior, sed semper est malus.

3. Sent. d. 38. c. Illud.

C tamen adhibita (c) fidelis patientia, convertit eas in usum bonum. Velut si quisquam bonum hominem putando qui malus est, aliquid ab eo patiatur mali. Qui vero malum hominem ita bonum credit, ut nihil ab eo patiatur mali, nullo (d) malo fallitur: nec in eum cadit illa prophetica detestatio, *Væ iis qui dicunt quod malum est bonum*. De ipsis enim rebus quibus homines mali sunt, non de hominibus dictum intelligendum est. Unde qui adulterium dicit bonum, recte arguitur illa voce prophetica. Qui vero ipsum hominem dicit bonum, quem putat castum, nescit adulterum, non in doctrina rerum bonarum et malarum, sed in occultis humanorum fallitur morum; vocans hominem bonum, in quo putat esse quod esse (e) non dubitat bonum, et dicens

Isai. 5. 20. 2. Sent. d. 51. c. Ad hoc.

D malum adulterum et bonum castum: sed hunc bonum dicens, nesciendo adulterum esse, (f) non castum. Porro si per errorem evadit quisque perniciem, sicut superius dixi nobis in itinere contigisse, etiam boni aliquid homini errore confertur. Sed cum dico in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli; non ipsum errorem dico nullum malum vel nonnullum bonum, sed malum quo non venitur, vel

(a) Am. Er. Lov. et Dan. *Haud vero*. At MSS. et Arn. *aut vero:* concinnius quidem, sed eodem sensu; nam a sententia præcedente vis huc usque porrigitur particulæ negantis.

(b) Hic in editis Am. Er. et Dan. additur, *ut in pluribus a perquirente lucidius investigabitur.*

(c) Am. Er. Dan. et plures potioresque MSS. *fideli.*

(d) Sic Dan. Arn. et aliquot MSS. At Am. Er. et Lov. *nullo modo*: mendose.

(e) Plures MSS. *quod norit bonum.*

(f) Locus veterum librorum ope liberatus a glossemate. Sic in ante editis habebat: *sed hunc bonum dicens, nesciendo adulterum esse; illum malum, nesciendo castum.*

bonum quo venitur errando, id est, ex ipso errore quid non eveniat, vel quid proveniat. Nam ipse per se ipsum error aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget, approbare falsa pro veris aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis vel certa pro incertis? Sed aliud est bonum hominem putare qui malus est, quod est erroris; et aliud est ex hoc malo aliud malum non pati, si nihil noceat homo malus, qui est putatus bonus. Itemque aliud est ipsam viam putare, quæ non est ipsa; et aliud est ex hoc erroris malo aliquid boni consequi, velut est ab insidiis malorum hominum liberari.

CAPUT XX. Non omne genus erroris esse peccatum.

7. Nescio sane utrum etiam (*a*) hujusmodi errores: cum homo de malo homine bene sentit, qualis sit nesciens; aut pro eis quæ per sensus corporis capimus, occurrunt similia, quæ spiritu tamquam corpore, aut corpore tamquam spiritu sentiuntur; quale putabat esse apostolus Petrus, quando existimabat se visum videre, repente de claustris et vinculis per Angelum liberatus (Act. 12. 9): aut in ipsis rebus corporeis lene putatur esse quod asperum est, aut dulce quod amarum est, aut bene olere quod putidum est, aut tonare cum rheda transit, aut illum esse hominem cum alius sit, quando duo simillimi sibi sunt, quod in geminis sæpe contingit; unde ait ille, Gratusque parentibus error (Virgil. Æneid. 10); et cætera talia etiam peccata dicenda sint. Nec quæstio nodosissima, quæ homines acutissimos Academicos torsit, nunc mihi enodanda suscepta est, utrum aliquid debeat sapiens approbare, ne incidat in errorem, si pro veris approbaverit falsa, cum omnia (sicut affirmant) vel occulta sint, vel incerta. (Accademicos refellit, qui ut error vitetur, omnem assensionem suspendere volunt.) Unde tria confeci volumina in initio conversionis meæ, ne impedimento nobis (*b*) essent, quæ tamquam in ostio contradicebant. Et utique fuerat removenda inveniendæ desperatio veritatis, quæ illorum videtur argumentationibus roborari. Apud illos ergo error omnis putatur esse peccatum, quod vitari non posse contendunt, nisi omnis suspendatur assensio. Errare quippe dicunt eum quisquis assentitur incertis: nihilque certum esse in hominum (*c*) visis, propter indiscretam similitudinem falsi, etiamsi quod videtur, forte sit verum, acutissimis quidem, sed impudentissimis conflictationibus disputant. Apud nos autem, *Justus ex fide vivit* (Habac. 2. 4; Rom. 1. 17). At si tollatur assensio, fides tollitur; quia sine assensione nihil creditur. Et sunt vera quamvis non videantur, quæ nisi credantur, ad vitam beatam, quæ non nisi æterna est, non potest perveniri. Cum istis vero utrum loqui debeamus ignoro, qui, non victuros in æternum, sed in præsentia se vivere nesciunt: immo nescire se dicunt, quod nescire non possunt. Neque enim quisquam sinitur nescire se vivere: quandoquidem si non vivit, non potest aliquid (*d*) vel nescire; quoniam non solum scire, verum etiam nescire viventis est. Sed videlicet non assentiendo quod vivant, cavere sibi videntur errorem: cum etiam errando convincantur vivere; quoniam non potest qui non vivit errare. Sicut ergo nos vivere non solum verum, sed etiam certum est: ita vera et certa sunt multa, quibus non assentiri, absit ut sapientia potius quam dementia nominanda sit.

CAPUT XXI. Error non semper peccatum, sed semper malum.

In (*e*) quibus autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur, an non; vel utrum vera sive sint sive putentur, an falsa; in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse atque levissimum. Postremo qualemcumque illud et quantumcumque sit, ad illam viam non pertinet, qua imus ad Deum: quæ via fides est Christi, quæ per dilectionem operatur (Gal. 5. 6). Neque enim ab hac via deviabat in geminis filiis gratus ille parentibus error: aut ab hac via deviabat apostolus Petrus, quando se existimans visum videre, aliud pro alio sic putabat, ut a corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur, vera in quibus erat corpora non dignosceret, nisi cum ab illo Angelus, per quem fuerat liberatus, abscessit (Act. 12. 9): aut ab hac via deviabat Jacob patriarcha, quando viventem filium a bestia credebat occisum (Gen. 37. 33). In his atque hujusmodi falsitatibus, salva fide, quæ in Deum nobis est, fallimur, et via non relicta quæ ad illum ducit, erramus: qui errores etiamsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt, quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam (*f*) veram certamque ad æternam beatitudinem tendimus: ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo vel animi vel corporis sensu, si jam vera illa atque perfecta felicitate frueremur.

CAPUT XXII. Omne mendacium esse peccatum.

Porro autem omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solum quando scit ipse quod verum sit, sed etiam si quando errat et fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit: sive illud verum sit, sive putetur et non sit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim et furando, si pauper cui palam datur, sentit commodum, et dives cui (2. Sent. d. 38. c. Scien-)

(a) Am. Er. Dan. *hujuscemodi error est*. MSS. duo *hujus sit modus erroris*. Melius Lov. *ejusmodi errores*. Refer ad illud infra, *peccata dicenda sint*.

(b) Plures MSS. *esset quæ tamquam in ostio contradicebat*, subintellige *quæstio*.

(c) Sic aliquot MSS. Editi autem *visu*.

(d) Editi, *scire, vel nescire*. Et paullo post, *nonnisi viventis est*. Abest *scire*, et *nonnisi*, a MSS.

(e) Am. Er. Lov. et Dan. *In quibusdam*. Castigantur ex MSS. quibus consentit textus 3. Sent. d. 38. c. *Illud*.

(f) Sic MSS. At editi, *per quam ad veram certamque atque æternam beatitudinem tendimus*: minus bene.

dum. et c. Mentiri.

clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus et adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, et si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Si autem merito nobis placet castitas, quid offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, et violetur ista mentiendo? (a) Plurimum quidem ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: sed in eorum tali profectu merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur sat est, non ut etiam prædicetur, maxime in hæredibus Testamenti novi, quibus dicitur, *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non: quod enim amplius est, a malo est.* Propter quod malum, quia subrepere in hac mortalitate non desinit, etiam ipsi cohæredes Christi dicunt, *Dimitte nobis debita nostra.*

Matth. 5. 37.

Matth. 6. 12.

CAPUT XXIII. Caussa rerum bonarum, bonitas Dei; malarum, voluntas deficiens Boni mutabilis. 2. Sent. d. 34. c. Mala.

8. His itaque pro hujus brevitatis necessitate tractatis, quoniam caussæ cognoscendæ sunt rerum bonarum et malarum, quantum viæ satis est quæ nos perducat ad regnum, ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas: nequaquam dubitare debemus, rerum quæ ad nos pertinent bonarum caussam non esse nisi bonitatem Dei; malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius angeli, hominis postea. * Hoc primum est creaturæ rationalis malum, id est, prima privatio boni: deinde jam etiam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia noxiarum; quibus comites subinferuntur error et dolor: quæ duo mala quando imminentia sentiuntur, ea fugitantis animi motus vocatur metus. Porro animus cum adipiscitur concupita, quamvis perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit, vel delectatione morbida vincitur, (b) vel vana etiam lætitia ventilatur. Ex his morborum, non ubertatis, sed indigentiæ tamquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat. * Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. Verum hæc communia mala sunt et hominum et angelorum pro sua malitia Domini justitia damnatorum. Sed homo habet et pœnam propriam, qua etiam corporis morte punitus est. Mortis ei quippe supplicium Deus comminatus fuerat, si peccaret: sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio; atque in paradisi felicitate tamquam in umbra vitæ, unde justitia custodita in meliora conscenderet, collocavit. * Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, pœna mortis et (c) damnationis obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo et simul damnata per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus angelis vitiatoribus et possessoribus et consortibus suis sine fine supplicium. Sic *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt.* Mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum genus humanum. * Ita ergo se res habebat: jacebat in malis, vel etiam volvebatur, et de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata; et adjuncta parti eorum qui peccaverant angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet justam, quidquid cæca et indomita concupiscentia faciunt libenter mali, et quidquid manifestis (d) opertisque pœnis patiuntur inviti: non sane Creatoris desistente bonitate et malis angelis subministrare vitam vivacemque potentiam, quæ subministratio si auferatur, (e) interibunt; et hominum, quamvis de propagine vitiata damnataque nascentium, formare semina et animare, (f) ordinare membra, per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere. Et si quidem in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est angelorum, nonne merito fieret, ut natura quæ Deum deseruit, quæ præceptum sui Creatoris, quod custodire facillime posset, sua male utens potestate calcavit atque transgressa est, quæ in se sui Conditoris imaginem ab ejus lumine contumaciter aversa violavit, quæ salubrem servitutem ab ejus legibus male libero abrupit arbitrio, universa in æternum desereretur ab eo, et pro suo merito pœnam penderet sempiternam? Plane ita faceret, si tantum justus, non etiam misericors esset, suamque indebitam misericordiam multo evidentius in indignorum potius liberatione (g) monstraret.

* CAPUT XXIV. Secundæ malorum caussæ ignorantia et concupiscentia.

* CAPUT XXV. Pœnæ peccatis irrogatæ.

Gen. 2. 17.

* CAPUT XXVI. Peccati Adæ pœna in tota ipsius stirpe. Contra Pelagianos.

Rom. 5. 12.

* CAPUT XXVII. Hominis conditio post Adæ peccatum.

1. Sent. d. 46. c. Quod vero. Hominis reformatio ex sola Dei misericordia.

9. Angelis igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum, et in hujus aeris imam caliginem de superna cœlesti habitatione dejectis, residuus numerus angelorum in æterna cum Deo beatitudine et sanctitate permansit. Neque enim ex uno angelo lapso atque damnato cæteri propagati sunt, ut eos sicut homines originale ma-

CAPUT XXVIII. Dejectis desertoribus angelis, cæteri in beatitudine firmati.

(a) Hoc loco in editis inserta hæc sunt: *Non ideo mendacium poterit aliquando laudari quia nonnumquam pro salute quorumdam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat et ideo fallacia damnat* quæ verba ab omnibus prope MSS. absunt.

(b) Hic Am. Er. Dan. Arn. et aliquot MSS. omittunt, vel.

(c) Sic Am. Er. Dan. et plures MSS. At Lov. et Arn. damnatione.

(d) Am. Er. Dan. et fere omnes MSS. *apertisque.*

(e) Plures MSS. *intercidit*, vel *intercidet*: et quidam, *intercidunt.*

(f) Editi, *et ordinare membra.* Abest et a plerisque MSS. atque ex iis plures post *ordinare membra:* prosequuntur sic, *per locorum ætates, per temporum spatia.* Cisterciensis et Fuliensis, *per locorum varietates.*

(g) Danæus auctoritate veteris cujusdam exemplaris emendari vult, *non monstraret.* Sufficit tamen particula negans quæ membro proxime antecedenti præfigitur, neque hic reperitur in nostris MSS.

lum obnoxiæ successionis vinculis obligaret, atque universos traheret ad debitas pœnas: sed eo qui diabolus factus est, cum sociis impietatis elato, et (a) ipsa cum eis elatione prostrato, cæteri pia obedientia Domino cohæserunt, accipientes etiam, quod illi non habuerunt, certam scientiam, qua essent de sua sempiterna et numquam casura stabilitate securi.

*** CAPUT XXIX.** In locum angelorum ejectorum succedit pars hominum reparata.

* Placuit itaque universitatis creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo illa deserente persliterat, de sua certissime cognita semper futura felicitate (b) gauderet: alia vero creatura rationalis quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis et originalibus et propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, (c) suppleretur. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt æquales angelis Dei. (Lucæ 20.36. 2. Sent. d. 9. c. Aquibusdam. V. lib. 22. De civit. Dei. c. 1.) Ita superna Jerusalem mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, (d) aut uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctæ matris, (e) quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. (Isai. 54. 1.) Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis, qui *vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, (Rom. 4. 17.) atque in mensura et numero et pondere cuncta disponit. (Sap. 11. 21.)

*** CAPUT XXX.** Non meritis, nec libero arbitrio reparari homines, sed gratia.

* Verum hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit æternum, numquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni (f) operatur perditus, nisi quantum fuerit a perditione liberatus? Numquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit: nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum. (2. Sent. d. 25. c. Unde manifestum.) Sicut enim, qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum poterit resuscitare cum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est.* (2. Petr. 2. 19.) Petri certe apostoli est ista sententia: quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. (2. Sent. d. 25. c. Istam libertatem.) Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti (g) lætitiam, simul et pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat cujus illa vox est, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* (Johan. 8. 36.) Quod ante quam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorlatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? quam cohibet Apostolus dicens, *Gratia salvi facti estis per fidem.* (Ephes. 2. 8.)

*** CAPUT XXXI.** Fides et opera bona ex Dei dono.

* Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco dicit, se ut fidelis esset misericordiam consecutum; (1. Cor. 7. 25.) hic quoque adjunxit, atque ait, *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur.* Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adjecit, *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (Ephes. 2. 10.) Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus nos fingit, id est, format et creat, non ut homines, quod jam fecit; sed ut boni (h) homines simus, quod nunc gratia sua facit: ut simus in Christo Jesu nova creatura, (Gal. 6. 15.) secundum quod dictum est, *Cor mundum crea in me Deus.* (Psal. 50. 12.) Neque enim cor ejus, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus. (i)

*** CAPUT XXXII.** Bona voluntas a Deo.

* Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tamquam ab ipso incipiat meritum, cui tamquam debitum reddatur præmium, bene operandi ipsa libertas; audiat eumdem gratiæ præconem dicentem, *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* (Phil. 2. 13.) Et alio loco: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (Rom. 9. 16.) Cum procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. (Philip. 3. 14.) Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, nisi quia et ipsa *voluntas*, sicut scriptum est, *a Domino præparatur?* (Prov. 8. 35. sec. LXX.) Alioquin si propterea dictum est, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis, et misericordia Dei: (2. Sent. d. 26. c. Voluntatem.) ut sic dictum accipiamus, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, tamquam diceretur, Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: Non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam

(a) Lov. et Arn. *et in ipsa*. Abest *in* ab omnibus prope MSS. et ab editis Am. Er. Dan.

(b) Hic editi addunt, *secura*: quæ vox in melioribus MSS. non habetur.

(c) Ita Am. Er. Dan. et plerique MSS. At Lov. et Arn. *suppleret*.

(d) Sic Am. Er. Dan. et MSS. At Lov. et Arn. *sed uberiore*.

(e) Editi, *sanctæ matris Ecclesiæ*. Abest *Ecclesiæ* a MSS.

(f) Editi, *operari potest perditus*. At MSS. *operatur perditus*. Atque ex iis codices decem prosequuntur, *nisi quando fuerit*. Unus e Vaticanis, *nisi quanto vel quantum fuerit*. Pluresque loco *liberatus*, habent *reparatus*.

(g) Sic Am. Er. Dan. Arn. et aliquot MSS. Alii plerique cum Lov. *propter recte facti licentiam*. Nonnulli, *propter recti faciendi licentiam*. Legendum videtur, *propter recti facti libentiam*.

(h) Vox *homines* hinc abest in aliquot MSS.

(i) Apud Lov. additur, *sed renovationem animæ demorantis in corde Propheta postulat*. Manifestum glossema, quod expunximus veterum codicum auctoritate, et editionum Am. Er. Dan. Arn.

voluntas hominis: ac per hoc si recte dictum est, *Non volentis hominis, sed miserentis est Dei*, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non et e contrario recte dicitur, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere Christianus audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat: restat ut propterea recte dictum intelligatur, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, et, *Misericordia ejus præveniet me*; et, *Misericordia ejus subsequetur me*. Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus pie vivere, (*a*) nisi ut Deus in illis operetur et velle? Itemque cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit et nos: oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos.

2. Sent. d. 26. c. Ipsa tamen.
Psal. 58. 11.
Psal. 22. 6.
Matth. 5. 44.
Matth. 7. 7.

CAPUT XXXIII. Homines natos omnes iræ filios egisse reconciliatore Christo.

40. Tenebatur itaque justa damnatione genus humanum, et omnes erant iræ filii. De qua ira scriptum est: *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus: anni nostri sicut aranea meditabuntur*. De qua ira dicit etiam Job: *Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ et plenus iræ*. De qua ira dicit et Dominus Jesus: *Quis credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem non credit in Filium, non habet vitam* (*b*), *sed ira Dei manet super eum*: non ait, veniet, sed *manet*. Cum hac quippe omnis homo nascitur. Propter quod dicit Apostolus: *Fuimus enim et nos natura filii iræ, sicut et cæteri*. In hac ira cum essent homines per originale peccatum, tanto gravius et perniciosius, quanto majora vel plura insuper addiderant, necessarius erat mediator, hoc est reconciliator, qui hanc iram sacrificii singularis, cujus erant umbræ omnia sacrificia Legis et Prophetarum, oblatione placaret. Unde dicit Apostolus: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati nunc in sanguine ejus salvi erimus ab ira per ipsum*. Cum autem Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis: sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, iræ nomen accepit. Quod ergo per mediatorem reconciliamur Deo, et accipimus Spiritum sanctum, ut ex inimicis efficiamur filii: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*: hæc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Psal. 89. 9.
Job. 14. 1.
Johan. 3. 36.
Ephes. 2. 3.
Rom. 5. 10.
Ibidem 9. Ira Dei quid.
Rom. 8. 14.

CAPUT XXXIV. Christus mediator ineffabili Verbi incarnatione natus ex Maria.

De quo mediatore longum est, ut quanta dignum est, tanto dicantur, quamvis ab homine dici (*c*) digne non possint. Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, ut crederemus in Dei Patris omnipotentis unicum Filium natum de Spiritu-sancto et Maria virgine? Ita quippe Verbum caro factum est, a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate mutata. Carnem porro hic hominem debemus accipere, a parte totum significante locutione: sicut dictum est, *Quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro*, id est omnis homo. Nam nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse; sed naturæ ab omni peccati nexu omni modo liberæ: non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cujus reatus regeneratione diluitur; sed qualem de virgine nasci oportebat, (*d*) quem fides matris, non libido conceperat: quo si vel nascente corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine nasceretur; eumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia; quæ imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus, et virgo est. Lege, si placet, de virginitate sanctæ Mariæ meas litteras ad illustrem virum, quem cum honore ac dilectione nomino, Volusianum.

Johan. 1. 14.
Contra Apollinaristas.
Rom. 3. 20.
Epist. 137.

CAPUT XXXV. Christus Deus simul et homo.

Proinde Christus Jesus Dei Filius, (*e*) est et Deus et homo. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum, *Deus enim erat Verbum*: homo autem, quia in (*f*) unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro. Quocirca in quantum Deus, est, ipse et Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est et hominis filius: idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus. Quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, quod natura erat, id est, *esse æqualis Deo*. *Exinanivit* autem *se, accipiens formam servi*, non amittens vel minuens formam Dei. Ac per hoc et minor est factus, et mansit æqualis, utrumque unus, sicut dictum est: sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem: propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor. Unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius: non duo filii Dei Deus et homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus.

Johan. 1. 1.
Johan. 10. 30
Johan. 14. 28.
Contra errorem qui Leporii, et postea Nestorianorum fuit.
Philip. 2. 6. et 7.

(*a*) Sic Am. Er. Dan. et MSS. At Lov. et Arn. nisi *Deus in illis operatur ut velint*.

(*b*) Editi, *non habet vitam æternam*. At MSS. Evangelio consentiunt, nec repetunt hoc loco, *æternam*: ex his etiam nonnulli futuro tempore ferunt, *non habebit vitam*.

(*c*) In plerisque MSS. *digna*.

(*d*) Lov. et Arn. *quam*. At MSS. *quem*. His accedunt eo loci Am. Er. et Dan. sed mox recedunt a MSS. habentque cum Lov. et Arn. *Quod si vel per nascentem*.

(*e*) Am. Er. Lov. Arn. *Dei Filius est, et Deus et homo est*. Mutamus interpunctionem vocum deleta altero *est*, auctoritate quarumdam MSS.

(*f*) Aliquot MSS. hic et infra *in unitale*. Sed concinior vulgata lectio, *in unitatem*.

CAPUT XXXVI. Gratia commendata in homine Christo ad dignitatem Filii Dei nullis meritis evecto. 3. Sent. d. 6. c. Et ne.

41. Hic omnino granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est, (a) cum singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse (b) homo quam Dei Filius: et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo. Unde naturæ humanæ tanta (c) gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum? Sic et ejus matrem Angelus salutavit, quando ei futurum annuntiavit hunc partum: *Ave*, inquit, *gratia plena*. (Luc. 1. 28. et 30.) Et paullo post, *Invenisti*, ait, *gratiam apud Deum*. Et hæc quidem gratia plena, et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, immo omnium Domini mater esset. De ipso autem Christo Johannes Evangelista cum dixisset, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*. Quod ait, *Verbum caro factum est:* hoc est, *plenum gratiæ*. Quod ait, *gloriam unigeniti a Patre:* hoc est, *plenum veritatis*. Veritas quippe Ipsa, unigenitus Dei Filius, non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis filius.

* CAPUT XXXVII. Nativitas Christi ex quod est de Spiritu sancto, gratiam demonstrat.

* Idem namque Jesus Christus Filius Dei unigenitus, (d) id est unicus, Dominus noster, natus est de Spiritu-sancto et virgine Maria. Et utique Spiritus-sanctus Dei donum est, quod quidem et ipsum est æquale donanti: et ideo Deus est etiam Spiritus-sanctus, Patre Filioque non minor. Ex hoc ergo quod de Spiritu-sancto est secundum hominem nativitas Christi, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur? Cum enim virgo quæsivisset ab Angelo, quomodo id fieret quod ei nuntiabat, quando quidem illa virum non cognosceret: respondit Angelus, *Spiritus-sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. (Lucæ 1. 15.) Et Joseph cum vellet eam dimittere, suspicatus adulteram, quam sciebat non de se gravidam, tale responsum ab Angelo accepit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est:* (Matth. 1. 20.) id est, quod tu esse de alio viro suspicaris, de Spiritu-sancto est.

CAPUT XXXVIII. Christus de Spiritu-sancto non ut de Patre natus, sed de Maria ut de matre. 3. Sent. d. 4. c. Sed non.

42. Numquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum-sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus-sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris filius secundum Verbum, et Spiritus-sancti filius secundum hominem: quod eum Spiritus-sanctus tamquam pater ejus de matre virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando, quanta alia sequantur absurda, cum hoc ipsum jam ita sit absurdum, ut nullæ fideles aures id valeant sustinere. Proinde sicut confitemur, Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu-sancto et virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus-sanctus. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu-sancto, si non eum genuit Spiritus-sanctus? An quia fecit eum? Quoniam Dominus noster Jesus Christus in quantum Deus est, *omnia per ipsum facta sunt:* (Joban. 1. 3.) in quantum autem homo est, et ipse factus est, sicut Apostolus dicit: *Factus ex semine David secundum carnem*. (Rom. 1. 3. 3. Sent. d. 4. c. 1.) Sed cum illam creaturam, quam virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus-sanctus nominatus est? An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? (Ibid cap. Sed non.) Ita vero est, et exempla doceri potest. Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud enim movet quomodo dictum sit, * Natus de Spiritu sancto, cum filius nullo modo sit Spiritus-sancti. (* In Symbolo) Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo; sed factum, vel creatum, vel conditum, vel institutum ab illo, vel si quid hujusmodi recte possumus dicere. Hic ergo, cum confiteamur natum de Spiritu sancto et virgine Maria, quomodo non sit filius Spiritus-sancti, et sit filius virginis Mariæ, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut de patre, sic autem de illa ut de matre natus est.

* CAPUT XXXIX. Non quidquid ex aliqua nascitur, ejus filius dicendus.

* Non igitur concedendum est quidquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, (e) pediculum, lumbricum, quorum nihil est filius: ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur; certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu-sancto, non aquæ filios eos rite dixerit quispiam: sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu-sancto natus est filius Dei Patris, non Spiritus-sancti. Nam et illud quod

(a) Sic optime nolæ Remigianus codex et Colbertini duo cum uno e Vaticanis. Alii vero MSS. cum ante editis habent, ut singulariter promereretur Deum.
(b) Hic vox homo non est in Am. Er. et Dan. et pluribus MSS.
(c) Fuliensis MS. tanta gratia.
(d) Sic Plures. MSS. cum Am. Er. et Dan. At Lov. et Arn. idem.
(e) Antiquiores codices, pedunculum.

de capillo et de cæteris diximus, ad hoc tantum valet, ut admoneamur, non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium ejus de quo nascitur posse dici. Sicut non omnes qui dicuntur alicujus filii, consequens est ut de illo etiam nati esse dicantur; sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illa nati, sed in illam a præparati, sicut filii regni (*a*) qui præparantur in regnum.

• CAPUT XL. Modus quo natus est Christus de Spiritu-sancto, insinuat gratiam unionis hypostaticæ.

* Cum itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo ut sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus cujus dicitur filius; profecto modus iste, quo natus est Christus de Spiritu-sancto non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo (*b*) Deo copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, (*c*) quæ nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum. Unde sufficienter loqui (*d*) (si tamen id fieri potest) valde prolixæ disputationis est.

Johan. 4. 10. — Act. 8. 20.

CAPUT XLI. Christus sine peccato, sed peccatum factus.

13. Nulla igitur voluptate carnalis concupiscentiæ seminatus sive conceptus, et ideo nullum peccatum originaliter trahens; Dei quoque gratia Verbo Patris unigenito, non gratia filio, sed natura, in (*e*) unitate personæ modo mirabili et ineffabili adjunctus atque concretus, et ideo nullum peccatum et ipse committens; tamen propter similitudinem carnis peccati in qua venerat, dictus est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis: quod vere iste factus est cujus umbræ erant illa. Hinc Apostolus cum dixisset, *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo:* continuo subjunxit atque ait, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso.* Non ait, ut in quibusdam mendosis codicibus legitur, Is qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit; tamquam pro nobis Christus ipse peccaverit: sed ait, *Eum qui non noverat peccatum*, id est Christum, *pro nobis peccatum fecit* Deus, cui reconciliandi sumus, hoc est, sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit: ut quoniam peccatum ei non inerat, ita quodam modo peccato moreretur, dum moritur (*f*) carni, in qua erat similitudo peccati; et cum secundum vetustatem peccati numquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reviviscentem vitam (*g*) novam sua resurrectione signaret.

Osee 4. 8. — 2 Cor. 5. 20. — Ibidem 21. — Rom. 8. 3.

• CAPUT XLII. Baptismus datur, ut moriamur et reviviscamus.

* Ipsum est quod in nobis celebratur, magnum baptismatis sacramentum, ut quicumque ad istam pertinent gratiam, moriantur peccato, sicut ipse peccato mortuus dicitur, quia mortuus est carni, hoc est, peccati similitudini: et vivant a lavacro renascendo, sicut ipse a sepulcro resurgendo, quamlibet corporis ætatem gerant.

• CAPUT XLIII. In baptismo omnes peccato mori, et parvulos, et majores.

* A parvulo enim recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibendus a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo: sed parvuli tantum originali, majores autem etiam iis omnibus moriuntur peccatis, quæcumque male vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt.

• CAPUT XLIV. Figura *loquendi* qua numerus accipitur pro numero.

* Sed ideo etiam ipsi peccato mori plerumque dicuntur, cum procul dubio non uni, sed multis peccatis omnibusque moriantur, quæcumque jam propria commiserunt, vel cogitatione, vel locutione, vel opere; quia etiam per singularem numerum pluralis numerus significari solet: sicut ait ille, Uterumque armato milite complent; quamvis hoc multis militibus fecerint. Et in nostris litteris legitur: *Ora ergo ad Dominum, ut auferat a nobis serpentem:* non ait serpentes, quos patiebatur populus, ut hoc diceret: et innumerabilia talia. Cum vero et illud originale unum plurali numero significatur, quando dicimus in peccatorum remissionem baptizari parvulos, nec dicimus in remissionem peccati; illa est e contrario locutio, qua per pluralem (*h*) significatur numerus singularis. Sicut in Evangelio Herode mortuo dictum est: *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri:* non dictum est, mortuus est. Et in Exodo: *Fecerunt*, inquit, *sibi deos aureos:* cum unum vitulum fecerint, de quo dixerunt, *Hi sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti:* et hic pluralem ponentes pro singulari.

Virgil. Æneid 2. — Num. 21. 7. sec. LXX. — 2. Sent. d. 33. c. Et quod, et cap. Alioquin. — Matth. 2. 20. — Exodi 32. 31.

• CAPUT XLV. In primo hominis peccato plures peccati species.

* Quamvis et in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, et in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se præcipitavit in mortem; et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est; et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; et avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit appetivit: et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.

Rom. 5. 12. — 2. Sent. d. 33. c. Quod vero. — Gen. 3. 4.

• CAPUT XLVI. Peccatis parentum

* Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suo-

(a) Pronomen qui abest a quatuor Vaticanis et antiquioribus Gallicanis.
(b) Sic meliores MSS. At editi, *Verbo Dei*.
(c) Germanensis codex, *qui*. Alii duo MSS., *qua*.
(d) Hic Am. Er. Lov. et Arn. addunt *perlongum esset:* quod abest a MSS.
(e) Nonnulli MSS. *in unitatem personæ*.
(f) Sic Am. Er. Dan. et plerique MSS. At Lov. et Arn. *carne*.
(g) Editi, *nova*. Melius MSS. *novam:* jungendo ad *vitam*, quo stet antithesis ad præcedentia verba, *ex morte veteri*.
(h) Am. Er. Lov. et Arn. hoc loco addunt *locutionem:* superflue, nam in MSS. melius subauditur, *numerus*.

non tantum primorum, obligari filios, probabile est.
Deut. 5. 9.

A

rum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia, *Reddam peccata patrum in filios;* tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum novum incipiant pertinere. Quod Testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam illam: *Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum* (a) *obstupuerunt*. Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ male agendo postea committuntur, possunt et pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio; usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus di-

Ezech. 18.

B

cat, *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea me in utero aluit*. Neque hic dixit, In iniquitate, vel peccato, cum et hoc recte dici posset: sed iniquitates et peccata dicere maluit. Quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut (b) eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata, et alia parentum, quæ etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat.

Psal. 50. 7.

* CAPUT XLVII. Quousque parentum peccata propagentur in filios, non temere definiendum. Deut. 5. 9. 2. Sent. d. 33. c. De hoc.

* Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam usque ad patrem suum progeneratoribus suis quisque succedit, non immerito disceptari potest: utrum omnium malis actibus et multiplicatis delictis originalibus qui nascitur implicetur, ut tanto pejus quanto posterius quisque nascatur; an

C

propterea Deus in tertiam et quartam generationem de peccatis parentum eorum posteris comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis suæ; ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, et pœnas pro eis debitas pendere: an aliud aliquid de re tanta, Scripturis sanctis diligentius perscrutatis atque tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temere affirmare non audeo.

D

CAPUT XLVIII. Peccatum originale non aboletur nisi per Christum. 2. Sent. d. 33. c. Hic quæri solet.

14. ILLUD tamen unum peccatum, quod tam magnum in loco et habitu tantæ felicitatis admissum est, ut in uno homine originaliter, atque (ut ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur, non solvitur ac diluitur nisi per unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, qui solus potuit ita nasci, ut ei non opus esset renasci.

* CAPUT XLIX.

* Non enim renascebantur, qui baptismate Johannis baptizabantur,

A

a quo et ipse baptizatus est: sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat, *Parate viam Domino*, huic uni in quo solo renasci poterant parabantur. Hujus enim baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Johannis, verum etiam in Spiritu sancto; ut de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus (c) generatus regeneratione non eguit. Unde vox illa Patris quæ super baptizatum facta est, (d) *Ego hodie genui te:* non unum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illum hominem ad Unigeniti personam pertinere monstraret. Ubi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est. In aqua ergo baptizari voluit a Johanne, non ut

Baptismo Johannis non fiebat regeneratio.
Matth. 3. 13.
Lucæ 3. 4.
Marci 1. 8.
Psal. 2. 7.
Heb. 1. 5. et cap. 5. 5.

B

ejus iniquitas ulla dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret, invenit: ut diabolus veritate justitiæ, non violentia potestatis oppressus et victus, quoniam ipsum sine ullo peccati merito iniquissime occiderat, per ipsum justissime amitteret quos peccati merito detinebat. Utrumque igitur ab illo, id est, et baptismus et mors, certæ dispensationis caussa, non miseranda necessitate, sed miserante potius voluntate susceptum est: ut unus peccatum tolleret mundi, sicut unus peccatum misit in mundum, hoc est, in universum genus humanum.

Christus cur baptizari a Johanne voluit.

* CAPUT L. Per Christum tolli non tantum originale peccatum, sed et cætera super addita

* Nisi quod ille unus unum peccatum misit in mundum, iste vero unus non solum illud unum, sed cuncta simul abstulit quæ addita

C

invenit. Unde dicit Apostolus: *Non sicut per unum* (e) *peccantem, ita est et donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem*. Quia utique illud unum quod originaliter trahitur, etiam si solum sit, obnoxios damnationi facit: gratia vero ex multis delictis justificat hominem, qui præter illud unum quod communiter cum omnibus originaliter traxit, sua quoque propria multa commisit.

Rom. 5. 16.

* CAPUT LI. A damnatione Adæ nemo liberatus nisi in Christo renatus

* Verumtamen quod paullo post dicit, *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ:* satis indicat, ex Adam neminem natum nisi damnatione detineri, et neminem nisi in Christo renatum a damnatione liberari.

* CAPUT LII. Baptismus mortis ac resurrectionis Christi similitudo in parvulis perinde ac in majoribus.

D

* De qua per unum hominem pœna et per unum hominem gratia cum locutus fuisset, quantum illi epistolæ suæ loco sufficere judicavit, deinde sacri baptismatis in cruce Christi grande mysterium commendavit eo modo, ut intelligamus nihil aliud esse in Christo baptismum, nisi mortis Christi similitudinem; nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem: ut quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, et quemad-

(a) Antiquiores MSS. obstipuerunt: ductum verbum a stipite.
(b) Editi, ut in eo. Abest in a MSS.
(c) Lov. regeneratus. Verius Am. Er. Dan. et potiores MSS. generatus.

(d) Non sic in Evangelio: unde hic audacter Danæus absque codicum auctoritate addit, *Tu es filius meus*.
(e) Am. et sex MSS. per unum peccatum. Retinuimus antiquam lectionem respondentem Græco, δι᾽ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος quam sequi solet Augustinus.

modum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera
Rom. 6. 1. justificatio. Ait enim, *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Dixe-
Rom. 5. 20. rat enim superius, *Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Et ideo quaestionem sibi ipse proposuit, utrum propter abundantiam gratiae consequendam in peccato sit permanen-
Rom. 5. 2. etc. dum. Sed respondit: *Absit.* Atque subjecit: *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Deinde ut ostenderet nos mortuos esse peccato: *An ignoratis*, inquit, *quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Si ergo hinc ostendimur mortui esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus; profecto et parvuli qui baptizantur in Christo, peccato moriuntur, quia in morte ipsius baptizantur. Nullo enim excepto dictum est, *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et ideo dictum est, ut probaretur mortuos nos esse peccato. Cui autem peccato parvuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt? Ac per hoc etiam ad ipsos pertinet quod sequitur, dicens:
Rom. 6. 4. etc. *Consepulti (a) sumus ergo illi per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo: scientes quia Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate mortuos quidem vos esse peccato, (b) vivere autem Deo in Christo Jesu.* Hinc enim probare coeperat, non esse nobis permanendum in peccato, ut gratia abundet: et dixerat, *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Atque ut ostenderet, mortuos nos esse peccato, (c) subjecerat, *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Sic itaque totum locum istum clausit, ut coepit. Mortem quippe Christi sic insinuavit, ut etiam ipsum mortuum diceret esse peccato. Cui peccato, nisi (d) carni, in qua erat, non peccatum, sed similitudo peccati, et ideo nomine appellata est peccati? Baptizatis itaque in morte Christi, in qua non solum majores, verum etiam
Rom. 6. 11. parvuli baptizantur, ait, *Sic et vos*, id est quemadmodum Christus, *sic et vos existimate vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo*
* CAPUT LIII. Crux Christi, sepultura, resurrectio, etc. figura vitae Christianae. *Jesu.* * Quidquid igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in adscensione, in coelum, in sede ad dexteram Patris; ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana quae hic geritur. Nam propter
Gal. 5. 24. ejus crucem dictum est, *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum (e) passionibus et concupiscentiis.* Propter sepultu-
Rom. 6. 4. ram, *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem.* Propter resurrectionem, *Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Propter adscensionem in coelum sedemque ad dexteram Patris: *Si autem resurrexistis cum*
Coloss. 3. 1. etc. *Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram: mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* *
* CAPUT LIV. Judicium ultimum pertinens ad res in fine saeculi gerendas. Jam vero quod de Christo confitemur futurum, quoniam de coelo venturus est, vivos judicaturus ac mortuos, non pertinet ad vitam nostram quae hic geritur; quia nec in rebus gestis ejus est, sed in fine saeculi gerendis. Ad hoc pertinet
Coloss. 3. 4. quod Apostolus secutus adjunxit. *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria.* * Duobus autem modis accipi
* CAPUT LV. Judicare vivos et mortuos, duplici modo intellectum. 4. Sent. d. 43. c. His autem. potest, quod vivos et mortuos judicabit: sive ut vivos intelligamus, quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes inventurus est ejus adventus; mortuos autem, qui de corpore, prius quam veniat, exierunt vel exituri sunt: sive vivos justos, mortuos autem injustos; quo-
Johan. 5. 25. niam justi quoque judicabuntur. Aliquando enim judicium Dei ponitur in malo, unde illud est,
Psal. 55. 5. *Qui autem male egerunt, in resurrectionem judicii:* aliquando et in bono, secundum quod di-
Matth. 25. 33. ctum est, *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Per judicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorumque discretio, ut liberandi a malo, non perdendi cum malis, boni
Psal. 42. 1. ad dexteram segregentur. Propter quod ille clamabat, *Judica me Deus.* Et quid dixerat velut exponens, *Et discerne*, inquit, *causam meam de gente non sancta.*

* CAPUT LVI. De Spiritu-sancto et Ecclesia recto ordine dictum in Symbolo. 15. Cum autem de Jesu Christo filio Dei unico Domino nostro, quod ad brevitatem Confessionis pertinet, dixerimus, adjungimus (f) sic credere nos et in Spiritum-sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quae Deus est: deinde sancta commemoratur Ecclesia. Unde datur intelligi ratio-
Gal. 4. 26. nalem creaturam ad Jerusalem liberam pertinentem, post commemorationem Creatoris, id est summae illius Trinitatis, fuisse subdendam. Quoniam quidquid de homine Christo dictum est, ad unitatem personae Unigeniti pertinet. Rectus itaque Confessionis ordo poscebat, ut Trinitatem subjungeretur Ecclesia, tamquam habitatori domus sua, et Deo templum suum, et conditori civitas sua. Quae tota hic accipienda est,

(a) Sic antiquiores MSS. juxta Graec. At editi, *Consepulti enim sumus.*
(b) Aliquot MSS. *viventes.*
(c) Ita MSS. Editi vero, *subjecit.*
(d) Editi, *carnis.* At MSS. plures, *carni.* Nonnulli vero eam vocem praetereunt.

(e) Editi *cum vitiis.* Praecipui MSS. *cum passionibus* juxta Graec. σὺν τοῖς παθήμασι.
(f) Plures MSS. *adjungimus his credere nos.* Nonnulli, *adjungimus, ut convenit, sic credere nos.* Quidam denique, *adjungimus, ut scis, credere nos:* non minus bene.

a non solum ex parte (*a*) qua peregrinatur in ter- A
Psal. 112. 3. ris, a solis ortu usque ad occasum laudans no-
men Domini, et post captivitatem vetustatis can-
Ecclesia cælestis terrenæ opitulatur. tans canticum novum: verum etiam ex illa quæ
in cœlis semper, ex quo condita est, cohæsit
Deo, nec ullum malum sui casus experta est.
Hæc in sanctis Angelis beata persistit, et suæ
parti peregrinanti sicut oportet opitulatur: quia
utraque una erit consortio æternitatis, et nunc
una est vinculo caritatis, quæ tota instituta est
ad colendum unum Deum. Unde nec tota, nec
ulla pars ejus vult se coli pro Deo, nec cuiquam
esse Deus pertinenti ad templum Dei, quod ædi-
ficatur ex diis quos facit non factus Deus. Ac per
hoc Spiritus sanctus si creatura non creator es-
b set, profecto creatura rationalis esset; (*b*) ipsa
* Id est, et Symbolo. est enim summa creatura. Et ideo in * Regula
fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia et ipse B
ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte quæ
in cœlis est. Nec haberet templum, sed etiam
ipse templum esset. Templum autem habet, de
1. Cor. 6. 19. quo dicit Apostolus, *Nescitis quia corpora ve-
stra templum est Spiritus-sancti, qui in vobis est,
quem habetis a Deo?* De quibus alio loco dicit,
Ibidem 15. *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Chri-
sti?* Quomodo ergo Deus non est, qui templum
habet? aut minor Christo est, cujus membra
templum habet? Neque enim aliud templum ejus,
aliud templum Dei est, cum idem dicat Aposto-
1. Cor. 3. 16. lus, *Nescitis quia templum Dei estis*. Quod ut
probaret, adjecit, *Et Spiritus Dei habitat in vo-
bis*. Deus ergo habitat in templo suo, non solum
Spiritus-sanctus, sed etiam Pater et Filius, qui C
etiam de corpore suo, per quod factus est caput
Col. 1. 18. Ecclesiæ, quæ in hominibus est, *ut sit ipse in
John. 2. 19. omnibus primatum tenens*, ait, *Solvite templum
hoc, et in triduo suscitabo illud*. * Templum ergo
* CAPUT LVII. Stabilitas Ecclesiæ cælestis. Dei, hoc est totius summæ Trinitatis, sancta est
Ecclesia, scilicet universa in cœlo et in terra. *
Sed de illa quæ in cœlo est, affirmare quid pos-
sumus, nisi quod nullus in ea malus est, nec
quisquam deinceps inde cecidit aut casurus est,
2. Petri 2. 4. ex quo Deus *angelis peccantibus non pepercit*,
sicut scribit apostolus Petrus, *sed carceribus ca-
liginis inferi retrudens tradidit in judicio pu-
niendos reservari*. * Quomodo autem se habeat
* CAPUT LVIII. Angelorum quæ sint differentiæ, et an angeli sint sidera, incertum. beatissima illa et superna societas, quæ ibi sint
differentiæ (*c*) præpositurarum, ut cum omnes
tamquam generali nomine angeli nuncupentur, D
(sicut in epistola ad Hebræos legimus: *Cui enim
angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis:*
c hoc quippe modo significavit omnes universali-
Hebr. 1. 13. ter angelos dici) sint tamen illic archangeli: et
utrum iidem archangeli appellentur virtutes;
Psal. 148. 2. atque ita dictum sit, *Laudate eum omnes angeli
ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*; ac si di-
ceretur, Laudate eum omnes angeli ejus, laudate
eum omnes archangeli ejus: et quid inter se di-
stent quatuor illa vocabula, quibus universam
ipsam cælestem societatem videtur Apostolus

A esse complexus, dicendo, *Sive sedes, sive domi-* Colos. 1. 16.
nationes, sive principatus, sive potestates, dicant
qui possunt, si tamen possunt probare quod di- V. lib. ad Orosium contra Priscillianist. cap. 11.
cunt: ego me ista ignorare confiteor. Sed ne il-
lud quidem certum habeo, utrum ad eamdem
societatem pertineant sol et luna et cuncta si-
dera: quamvis nonnullis lucida corpora esse,
non cum sensu vel intelligentia, videantur. * * CAPUT LIX. Angelorum qualia sint in quibus apparuerunt corpora, difficile explicatur.
Itemque angeli quis explicet cum qualibus cor-
poribus apparuerint hominibus, ut non solum
cernerentur, verum etiam tangerentur; et rur-
sus non solida corpulentia, sed spiritali potentia
quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spi-
ritalibus, vel mentibus ingerant, vel dicant ali-
quid non ad aurem forinsecus, sed intus (*d*) in d
animo hominis, etiam ipsi ibidem constituti:
B sicut scriptum est in Prophetarum libro, *Et di-
xit mihi angelus qui loquebatur in me*: non enim
ait, qui loquebatur ad me, sed *in me*. Vel appa-
reant et in somnis, et colloquantur more so-
mniorum: habemus quippe in Evangelio, *Ecce
angelus Domini apparuit illi in somnis, dicens*. Zach. 1. 9. Matth. 1. 20. Gen. 18. 4. et 19. 2.
His enim modis velut indicant se angeli contre-
ctabilia corpora non habere: faciuntque difficil-
limam quæstionem, quomodo patres ejus pedes
laverint, quomodo Jacob cum angelo tam solida
contrectatione luctatus sit. Cum ista quæruntur, Gen. 32. 24.
et ea sicut potest, quisque conjectat, non inuti-
liter exercentur ingenia, si adhibeatur disce-
ptatio moderata, et absit error opinantium se
scire quod nesciunt. Quid enim opus est, ut hæc
atque hujusmodi affirmentur vel negentur vel
C definiantur cum discrimine, quando sine crimine
nesciuntur.

16. Magis opus est dijudicare atque digno- CAPUT LX. Artes satanæ transfigurantis se ut angelum lucis, utilius dignoscuntur.
scere, cum satanas transfigurat velut angelum
lucis, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat.
Nam quando sensus corporis fallit, mentem vero
non movet a vera rectaque sententia, qua quis-
que vitam fidelem gerit, nullum est in religione
periculum: vel cum se bonum fingens, ea facit
sive dicit, quæ bonis angelis congruunt, etiam
si credatur bonus, non est error Christianæ fidei 2 Cor. 11. 14.
periculosus aut morbidus. Cum vero per hæc
aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignosce-
re, nec ire post eum, magna et necessaria vigi-
lantia est. Sed quotusquisque hominum idoneus
est omnes mortiferos ejus dolos evadere, nisi
D regat atque tueatur Deus? Et ipsa hujus rei dif-
ficultas ad hoc est utilis, ne sit spes sibi quis-
que, aut homo alter alteri, sed Deus suis omni-
bus. Id enim nobis potius expedire prorsus pio-
rum ambigit nemo. * Hæc ergo quæ in sanctis * CAPUT LXI. Ecclesia in angelis et in hominibus.
angelis et virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis
sicuti est innotescet, cum ei conjuncti fuerimus
in finem, ad simul habendam beatitudinem sem-
piternam. Ista vero quæ ab illa peregrinatur in
terris, eo nobis notior est, quod in illa sumus,
et quia hominum est, quod et nos sumus. Hæc
sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum,

(a) Am. Er. Dan. et plures MSS. *quæ*.
(b) Sic MSS. At editi, *Ipse enim esset summa creatura*.

(c) Editi, *personarum*. At MSS. plerique, *præpositurarum*: et nonnulli, *præpositorum*.
(d) MSS. *sed intus animæ hominis*.

ab omni redempta est peccato, ejusque vox est, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non enim pro angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam, post inimicitias quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur.

Rom. 8. 31.
Christus pro angelis non est mortuus. Angelos quomodo spectat hominum redemptio.

* CAPUT LXII. Quomodo in Christo instaurantur omnia, et pacificantur.

Ephes. 1. 10.

* Et utique noverunt angeli sancti docti de Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis exspectet. Propter hoc ait Apostolus, *instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, in ipso.* Instaurantur quippe quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo Mediator est immolatus, quod unum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus, et terrestria cum cœlestibus. Quoniam sicut idem Apostolus dicit, *In ipso complacuit omnem plenitudinem* (a) *inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.*

Col. 1. 19. et 20.

* CAPUT LXIII. Pax regni cœlestis, quomodo præcellit omnem intellectum.

Philip. 4. 7. V. lib. 22. de civit. Dei, c. 29.

1. Cor. 13. 12. Lucæ 20. 36.

* *Pax* ista *præcellit*, sicut scriptum est, *omnem intellectum*; neque sciri a nobis, nisi cum ad ea venerimus, potest. Quomodo enim pacificantur cœlestia nisi (b) nobis, id est, concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax, et inter se universis intellectualibus creaturis, et cum suo Creatore. Quæ *pax præcellit*, ut dictum est, *omnem intellectum*; sed utique nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Nos autem, quantuscumque sit in nobis intellectus humanus, ex parte scimus, et videmus nunc per speculum in ænigmate: cum vero æquales angelis Dei fuerimus, tunc quemadmodum et ipsi, videbimus facie ad faciem; tantamque pacem habebimus erga eos, quantam et ipsi erga nos; quia tantum eos dilecturi sumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia et nostra talis ac tanta erit, nec præcellet tunc intellectum nostrum: Dei vero pax quæ illic est erga eos, et nostrum et illorum intellectum sine dubitatione præcellet. De ipso quippe beata est rationalis creatura, quæcumque beata est, non ipse de illa. Unde secundum hoc melius accipitur quod scriptum est, *Pax Dei quæ præcellit omnem intellectum*: ut in eo quod dixit *omnem*, nec ipse intellectus sanctorum angelorum esse possit exceptus; sed Dei solius: neque enim et ipsius intellectum pax ejus excellit.

17. Concordant autem nobiscum angeli etiam nunc, cum remittuntur nostra peccata. Ideo post commemorationem sanctæ Ecclesiæ in ordine Confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est: per hanc non perit quod perierat et inventum est. Excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione adtractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus; ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate justitiæ, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*: sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore, tamquam filii (c) hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideo peccent. Interest quidem quantum: neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam quamdiu in hac (d) mortali vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: *Peccatum autem si dixerimus quia non habemus*, ut ait (e) tantus Apostolus, *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.*

CAPUT LXIV. Remissio peccatorum expressa in Symbolo.

Lucæ 15. 24.

Rom. 8. 14.

Sap. 9. 15.

Sanctorum vita sine crimine, non sine peccato.

1. Johan. 1. 8.

* CAPUT LXV. Crimina quælibet in Ecclesia remitti per Pœnitentiam.

4. Sent. d. 20. c. Si vero de illo.

Psal. 50. 19.

Psal. 37. 10.

Extra Ecclesiam non remittuntur peccata.

2. Cor. 1. 22.

* Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit; cum sit coram illo cui dicitur, *Gemitus meus a te non est absconditus*: recte constituuntur ab iis qui (f) Ecclesiis præsunt tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. extra eam quippe non remittuntur. Ipsa namque proprie Spiritum-sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur consequantur vitam æternam.

* CAPUT LXVI. Remissio peccatorum fit propter futurum judicium.

Eccli. 40. 1.

* Magis enim propter futurum judicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita usque adeo valet quod scriptum est, *Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium*: ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis...

(a) Hic editi addunt, *divinitatis*: quod plerique ac potiores MSS. non habent.
(b) Editi *nisi in nobis*. Abest in a MSS.
(c) MSS. *tamquam filii hominis in quibusdam* etc.
(d) Editi, *in hac morte*. At MSS. *in hac mortali* supple, *vita*.
(e) Editi, *sanctus Apostolus*. Sed MSS. aptius ad tem cum emphasi confirmandam, *tantus Apostolus*.
(f) Sic MSS. Editi vero, *Ecclesiæ*.

crum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari: ut intelligamus, totum quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel ademptionem præsentium pertinere. Multa etiam hic videntur ignosci et nullis suppliciis vindicari: sed eorum pœnæ reservantur in posterum.

Matth. 12. 36. Act. 10. 24.

Neque enim frustra ille proprie dicitur dies judicii, quando venturus est judex vivorum atque mortuorum. Sicut e contrario vindicantur hic aliqua, et tamen si remittuntur, profecto in futuro sæculo non nocebunt. Propterea de quibusdam temporalibus pœnis, quæ in hac vita peccantibus irrogantur, eis quorum peccata delentur, ne reserventur in finem, ait Apostolus: *Si enim nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur: cum judicamur autem a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

1. Cor. 11. 31. et 32.

CAPUT LXVII. Refelluntur qui putabant fideles omnes, quantumlibet scelerate vixissent, salvandos per ignem.

18. Credunter (*a*) autem a quibusdam etiam ii qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne (*b*) puniri. Sed qui hoc credunt, et tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione conscripsi, cujus titulus est, De Fide et operibus: ubi secundum Scripturas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi, eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus, dicens, *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Si autem male et non bene operatur, procul dubio, secundum apostolum Jacobum, *mortua est in semetipsa.* Qui rursus ait, *Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum quod ait beatus Paulus, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit quod dixit ejus coapostolus Jacobus. Falsum erit et illud quod idem ipse Paulus dixit: *Nolite,* inquit, *errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

Cap. 14. 25. et 16. — Gal. 5. 6. — Jacobi 2. 17. — Ibidem. 14. — 1. Cor. 3. 15. — 1. Cor. 6. 9. etc.

***CAPUT LXVIII.** Locus Apostoli de salvandis per ignem ut intelligendus.

* Sed quia hæc apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt, illud quod obscure dictum est de iis qui superædificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam, (de his enim dictum est, quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt:) sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et fœnum et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut ei nihil anteponatur, et malit homo, qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit, magis carere quam Christo; per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum; eum in fundamento non habuit: quia hæc priore loco habuit cum in ædificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim, de quo eo loco est locutus Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est, et qui ædificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos: et qui ædificat ligna, fœnum et stipulam. Cum enim hoc dixisset, adjunxit: *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus autem exustum fuerit, damnum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non ergo unius eorum, sed utriusque opus ignis probabit. Est (*c*) quidam ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est, *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si (*d*) accidat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super (*e*) Christum fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri autem cogitanti ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, id est, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit quorum amissione crucietur: exuritur autem hujus; quoniam SINE DOLORE NON PEREUNT, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius carere mallet quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit; *salvus est* quidem, *sic tamen quasi per ignem:* quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum; sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

4. Sent. d. 21 c. Hic objici. — Ignis quidam in hac vita, per quem salvantur ædificantes ligna. — 1. Cor. 3. 13. etc. — Eccli. 27. 6. — 1 Cor. 7. 32. etc.

***CAPUT LXIX.** Ignis etiam purgatorius.

* Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quæri potest: et aut inveniri, aut latere, nonnullos fide-

(a) Istorum nomini, quos aliquoties reprehendit Augustinus, non tantum libro de Fide et operibus, sed etiam lib. 21. de Civitate Dei, c. 17. et sequentibus, pepercit semper. Hæc vero cum scriberet, intendisse in Hieronymum creditur a Johanne Garnerio in Appendice I ad priorem partem Mercatoris pag. 117. Vide supra Admonitionem in librum de Fide et operibus.

(b) Nonnulli codices, puniuri. Forte reponendum, puniri, vel veniendi.

(c) Sic MSS. Editi vero, quidem.

(d) Lov. et Am. accedat. Alii codices, accidat.

(e) Quidam MSS. super Christi fundamentum.

quidam post hanc vitam. 4 Sent. d. 21. c. in fin.

les per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari; non tamen tales de quibus dictum est, quod *regnum Dei non possidebunt*, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur.

2. Cor. 6. 20.

Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænuntiet Dominus dextris, et earum tantummodo sterilitatem sinistris, quando his dicturus est, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum:* illis autem, *Ite in ignem æternum.*

Matth. 25. 34. et 41.

CAPUT LXX. Crimina eleemosynis non redimi, nisi vita mutetur.

19. SANE cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. *Nemini enim dedit laxamentum peccandi:* quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Eccli. 15. 21.

* CAPUT LXXI. Oratione Dominica expiari leviora peccata.

* De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui es in cœlis*, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu (*a*). Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* id est, (*b*) si fiat quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

4 Sent. d. 16. c. Quæ autem.

Matth. 6. 9. etc.

* CAPUT LXXII. Eleemosynarum genera multa.

* Ac per hoc ad omnia quæ utili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Non solum (*c*) ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et (*d*) quod cuique necessarium est indigenti; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat; et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat; quia misericordiam præstat.

Luc. 11. 41.

* Apprime in Donatistas.

* Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi quos inimicos putant; et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat nec pro malis.

4. Sent. d. 15. c. His responderi.

Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nostra peccata:

* CAPUT LXXIII. Eleemosynæ genus maximum, parcere inimicis.

* Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. MINUS ENIM MAGNUM EST erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multo grandius et magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, tu bonum semper velis, facisque (*e*) cum possis, audiens dicentem Deum, *Diligite inimicos vestros, bene facite eis qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur.* Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* procul dubio verba sponsionis hujus implentur, si homo qui nondum ita profecit, (*f*) ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde: quia etiam sibi roganti utique vult dimitti, cum orat et dicit, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* id est, Sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut et nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

Matth. 5. 44.

Matth. 6. 12.

* CAPUT LXXIV. Peccata non dimittenti non dimittuntur a Deo.

* Jam vero qui eum, in quem peccavit, hominem rogat, si peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti et peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet a Domino sua peccata dimitti; quoniam mentiri veritas non potest. Quem vero lateat Evangelii auditorem sive lectorem, quis dixerit, *Ego sum veritas?* Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendavit, dicens, *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra.* Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: et tamen potens est ille etiam mortuos suscitare.

Johan. 14. 6.

Matth. 6. 14. et 15.

CAPUT LXXV. Eleemosynæ scelera tos et tur-

20. SANE qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur,

(*a*) Editi hic et simili loco infra cap. 73. addunt, *sancto:* quæ vox a MSS. abest et a Græco textu Evangelii Johan. 3. 5. in quem respiciebat Augustinus.

(*b*) Abest *si* a MSS. et ab Am. Er. Dan.

(*c*) Ita MSS. At editi, *Non solum autem.*

(*d*) Plures MSS. *quodcumque.*

(*e*) Plerique MSS. *quod possis.* Moxque prosequuntur, *audiens dicentem Deum:* vel, *audiens dicentem Jesum*, quæ etiam lectio est Am. Er. Dan. nec non 3. Sent. d. 30. c. *Hic solet.* At Lov. et Am. post verba, *cum possis*, hæc subjiciunt, *illius memor exempli qui in cruce pendens pro suis exorat persecutoribus suoque admonuit dicens, Diligite etc.*

(*f*) Duo e Vatic. MSS. *ut etiam.*

tur, quoniam Dominus ait, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Hoc enim quam late pateat, non intelligunt. Sed ut intelligant, attendant quibus dixerit. Nempe in Evangelio sic scriptum est: *Cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se, et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod deforis est, etiam id quod intus est fecit?* (a) *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Itane hoc intellecturi sumus, ut Pharisæis non habentibus fidem Christi, etiamsi non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua et Spiritu, munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant? cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est, *Mundans fide corda eorum*: et dicat Apostolus, *Immundis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia*. Quomodo ergo Pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent, et fideles non essent? Aut quomodo fideles essent, si in Christum credere atque in ejus renasci gratia noluissent? Et tamen verum est quod audierunt, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*.

Deles non mundat, nisi mutantur. Lucæ 11. 41. 4. Sent. d. 15. c. His responderi. Ibidem 37. etc. Act. 15. 9. Tit. 1. 15.

CAPUT LXXVI. Prima eleemosyna, animæ suæ misereri et recte vivere.

Qui (b) enim vult ordinate dare eleemosynam, a se ipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ; verissimeque dictum est, *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna, quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus, justum judicium ejus confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus, *Judicium quidem ex uno in condemnationem*: et magnæ caritati ejus gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator, *Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*: ut et nos veraciter de nostra miseria judicantes, et (c) Deum caritate quam donavit ipse diligentes, pie recteque vivamus. Quod judicium et caritatem Dei cum Pharisæi præterirent, decimabant tamen propter eleemosynas quas faciebant etiam quæque minutissima fructuum suorum: et ideo non dabant eleemosynas a se incipientes, secumque prius misericordiam facientes (d). Propter quem dilectionis ordinem dictum est, *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum*. Cum ergo increpasset eos quod forinsecus se lavabant, intus autem rapina et iniquitate pleni erant, admonens (e) quadam eleemosyna, quam sibi homo debet primitus dare, interiora mundari: *Verumtamen*, inquit, *quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Deinde ut ostenderet quid admonuisset, et quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent eorum eleemosynas ignorare: *Sed væ vobis*, inquit, *Pharisæis*: tamquam diceret, Ego quidem commonui vos eleemosynam dandam, per quam vobis munda sint omnia; *Sed væ vobis qui decimatis mentam et rutam et omne olus*; has enim novi eleemosynas vestras, ne de illis me nunc vos admonuisse arbitremini: *et præteritis judicium et caritatem Dei*; qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, ut vobis munda essent et corpora quæ lavatis: hoc est enim *omnia*, et interiora scilicet et exteriora: sicut alibi legitur, *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt*. Sed ne istas eleemosynas, quæ fiunt de fructibus terræ, respuisse videretur: *Hæc*, inquit, *oportuit facere*, id est, judicium et caritatem Dei; *et illa non omittere*, id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

Eccli. 30. 24. Rom. 5. 16. Ibidem 8. Lucæ 10. 27. Lucæ 11. 41. Matth. 23. 26. Lucæ 11. 42.

CAPUT LXXVII. Iniquitas deserenda, ut prosit eleemosyna.

Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendi: non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent, tantum si possint impune, versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: et qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Diligendo eam quippe secundum sæculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda omnia, odisset eam secundum sæculum, et diligeret secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam qualemlibet, nisi unde det ab illo accipiat qui non eget: ideo dictum est, *Misericordia ejus præveniet me*.

Psal. 10. 6. Psal. 58. 11.

CAPUT LXXVIII. Peccata quædam sunt, quæ humano judicio non esse putarentur.

21. Quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est quod (f) venerabilis Paulus conjugibus ait, *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum ad* (g) *idipsum estote, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram*: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiarum, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, vel alterius cujusquam immunditiæ, quam turpe est nominare, quo potest tentante satana libido perducere, infirmitas incontinentium devitet.

1. Cor. 7. 5.

(a) Hic apud Lov. additum, *Vide ut etiam id quod intus est mundum fiat*: quod ab editis Am. Er. Dan. et plerisque ac potioribus MSS. abest, nec non ab Evangelio Lucæ citato.

(b) Sic MSS. Editi vero, *Qui autem*.

(c) Editi, *et Dei caritatem*. Castigantur a MSS.

(d) Am. Er. Lov. post *facientes*, addunt *sicut isti eas dandas putant*. Verba sunt ex superiore capite male huc translata.

(e) Am. Er. Lov. Arn. *admonens quamdam eleemosynam*, et infra post *dare*, habebant, *et interiora mundare*. Emendantur hic ex MSS.

(f) Vox *venerabilis* deest in uno tantum e Vaticanis MSS.

(g) Editi, *ad ipsum revertimini*. At plerique ac meliores MSS. *ad idipsum* (vel *ad ipsum*) *estote*. Hanc lectionem sequi solet Augustinus in epistola 262, in Sermone 351, n. 3, in lib. 3, contra Faust. eademque lectio apud Origenem adhibita fuit in homilia in Numeros vigesima tertia, quasi pro ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἦτε, legerent olim γίνεσθε. In fine ejusdem sententiæ, loco *incontinentiam*, nonnulli codices ferunt *intemperantiam*.

rum procreandorum caussa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset, *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.* Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica (*a*) auctoritate, fateatur? (a)

I. Cor. 6. 1, etc. Tale quiddam est, ubi dicit, *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Et paulo post, *Sæcularia igitur judicia si habueritis,* inquit, *eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate* (*b*). (b) *Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrem suum judicare; sed frater cum fratre judicatur, et hoc apud infideles.* Nam et hic posset putari judicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret, *Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum.* Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se judicum sententia removeri: continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque

Matth. 5. 40. ait, *Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait, *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte*

Luc. 6. 30. *illi et pallium.* Et alio loco, *Qui abstulerit,* inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium: ex qua doctrina Apostolus dicit

I. Cor. 6. 7. esse delictum. Tamen cum sinit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat; manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi peccata, et alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum et cogitationum offensionibus,

Jacobi 3. 2. apostolo Jacobo confitente ac dicente, *In multis enim offendimus omnes:* oportet ut quotidie crebroque oremus Dominum, atque dicamus, *Di-*

Matth. 6. 12. *mitte nobis debita nostra:* nec in eo quod sequitur mentiamur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* * Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo Fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? Cui tamen vulneri subjecit continuo medicinam, præceptum fraternæ reconci-

* CAPUT LXXIX. Quæ levia videntur, esse interdum gravissima. Matth. 5. 22. et 23.

A liationis adjungens: mox quippe ait, *Si ergo* (*c*) *offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te,* etc. Aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit, dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait, *Timeo vos ne forte sine caussa laboraverim in vobis?* * (*d*) Huc accedit, quod peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur; usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur.* Talis in divinis libris iniquitas clamor vocatur. Sicut habes apud Isaiam prophetam de vinea mala: *Exspectavi,* inquit, *ut faceret judicium, facit autem* (*e*) *iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem.* Unde est et illud in Genesi: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est.* Quia non solum jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum etiam publice veluti lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Unde cum C exponerem ante aliquot annos epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus, *Timeo vos ne forte sine caussa laboraverim in vobis;* exclamare compulsus sum, Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, o Domine, non omnia quæ non (*f*) potuerimus prohibere faciamus! Sed videro utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit dicere.

c Gal. 4. 11. * CAPUT LXXX. Peccata horrenda, usu videntur levia. Psal. 9. 24. d Isaiæ. 5. 7. e Gen. 18. 20. Tom. 3. part. 2. Gal. 4. 11. f

22. Hoc nunc dicam, quod quidem et in aliis opusculorum meorum locis sæpe jam dixi. Duabus ex caussis peccamus, aut nondum videndo D quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit: sed profecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente (*g*) sanitate delectatio justitiæ vincat in g

CAPUT LXXXI. Peccati caussæ duæ, ignorantia et infirmitas quas nemo vincit nisi divinitus adjutus.

(a) In editis, *apostolica auctoritas.* At in melioris notæ MSS. *apostolica auctoritate;* id est ab Apostolo dari veniam, secundum illud paulo ante dictum, *ab ipsis quoque Apostolis ignoscenda fuisse concessa.*
(b) Editi addunt, *ad judicandum.* Sed hoc nec MSS. habent, nec textus Græcus Apostoli. Rursum intra consentientes Græco veteres codices sequimur, rejectis editis, qui ferebant, *inter fratrem et fratrem judicare, sed frater cum fratre judicio contendit.*

(c) In MSS. *offeres.* Græce est προσφέρῃς.
(d) Lov. et Arn. *Hinc accidit:* minus bene.
(e) Veteres MSS. duo, *fecit autem facinus.*
(f) Editi, *poterimus.* Melius MSS. *potuerimus.* Nam sic exposita citata epistola ad Galatas.
(g) Unus e Colbertinis vetustissimus codex *accedente suavitate.* Non inepte: aptius tamen MSS. cæteri et editi, *accedente sanitate:* qua scilicet pellatur malum infirmitatis.

A nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupieodo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus; jam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis prævaricatores cum id non facimus quod faciendum, vel facimus quod non faciendum esse jam scimus. Quapropter non solum si peccavimus ut ignoscat,
Matth. 6. 12. propter quod dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* verum etiam ne peccemus ut regat, propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tentationem;* ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo,
Psal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea et salus mea:* ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

* CAPUT LXXXII. Pœnitentia Dei donum.

* Nam et ipsa pœnitentia, quando digna caussa est secundum morem Ecclesiæ cur agatur, B plerumque infirmitate non agitur: quia et pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quam justitia qua se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam,
2. Tim. 2. 25. *Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* Et ut Petrus amare fleret, præmisit Evangelista, et ait,
Luc. 22. 61. *Respexit eum Dominus.*

* CAPUT LXXXIII. Peccatum in Spiritum sanctum.

* Qui vero in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum-sanctum, in quo Christus peccata dimittit.
Matth. 12. 32. De qua quæstione difficili in quodam propter hoc solum a conscripto (*a*) libello enucleatissime quantum C potui disputavi.

CAPUT LXXXIV. De carnis resurrectione.

23. Jam vero de resurrectione carnis, non sicut quidam revixerunt, iterumque sunt mortui, sed in æternam vitam, sicut Christi ipsius caro resurrexit, quemadmodum possim breviter disputare, et omnibus quæstionibus quæ de hac re moveri adsolent satis facere, non invenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.

* CAPUT LXXXV. Fœtus abortivi an resurgent. V. lib. 22. de civit. Dei, c. 12. et 13. 4. Sent. d. 44. c. Illud.

* Unde primo occurrit de abortivis fœtibus quæstio, qui jam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita ut jam possent renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus; de iis qui jam formati sunt, tolerari potest utcumque quod dicitur: informes vero abor- D tus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quidquid formæ defuit impleatur? Atque ita non desit perfectio, quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia quæ accesserant tempore: ut neque in eo quod aptum et congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur; neque in eo quod adver- A sum atque contrarium dies adtulerant, natura turpetur: sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum.

* CAPUT LXXXVI. Fœtus in utero quando vivere incipiat.

* Ac per hoc scrupulosissime quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere, utrum sit quædam vita (*b*) et occulta, quæ nondum motibus b viventis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur et ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matres quoque si mortua ibi relinquantur occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus vero, ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat B mortuorum, reperire non possum.

* CAPUT LXXXVII. Monstruosi fœtus quomodo resurrecturi.

* Neque enim et monstra quæ nascuntur et vivunt, quamlibet cito moriantur aut resurrectura negabuntur, aut ita (*c*) resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataque natura. Absit enim c ut illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo et fratres fidelissimi quod eum viderint retulerunt, et sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum (*d*) reliquit: absit, in- d quam, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera quæ singuli quique partus vel amplius vel minus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione revocabuntur; ita ut sin- C gulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus etiam quæcumque cohærentia nata fuerant; sed seorsum sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.

* CAPUT LXXXVIII. Instauratio carnis, quocumque modo perierit. 4. Sent. d. 44. c. Non enim.

* Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit.

* CAPUT LXXXIX. Superflua quomodo redibunt ad corpus.

* Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea quæ dila- D buntur et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod totiens demsit exsectio; immoderata et indecens cogitantibus, et ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cujuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, V. l. 22. de civit. Dei c. 19.

(a) Non alio, credimus, libello, nisi Sermone nunc LXXI. qui olim de verbis Domini fuit XI.
(b) Am. Er. Dan. Arn. et pauci MSS. omittunt *et*.
(c) Hic Am. Er. et Dan. addunt, *vitiata:* quæ vox abest a MSS.

(d) Hieronymus in epistola ad Vitalem. *Num quia nostra*, inquit, *ætate duplex Lyddæ natus est homo, duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre et duobus pedibus, omnes homines ita nasci necesse est?* Confer lib. 16 de Civitate Dei c. 8.

aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra constiterat, eam mirabili et ineffabili celeritate restituet: nec aliquid adtinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, et ungues ad ungues, an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, et in partes alias corporis revocetur, curante artificis providentia ne quid indecens fiat.

* CAPUT XC. In statura et effigie corporis nihil erit indecorum.

* Nec illud est consequens, ut ideo diversa sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio Creatoris, ut in effigie sua cujusque proprietas et discernibilis similitudo a servetur, in cæteris autem (*a*) corporis bonis æqualia cuncta reddantur; ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat, et quod alicui defuerit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur; hoc fiet cuique de materie corporis sui; b quod et hominem reddat (*b*) angelicis cœtibus, et nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit; sed quidquid futurum est, hoc decebit; quia nec futurum est, si non decebit.

4. Sent. d. 44. c. Non enim.

* CAPUT XCI. Resurgent piorum corpora quoad substantiam carnis, sed sine omni vitio.

* Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritalia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est: ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen, non spiritus erit. Proinde quantum adtinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, et ad vitam, quibus caro adversus spiritum concupiscit, tunc non erit caro; sed corpus: quia et cælestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Et tamquam exponens quid dixerit, *Neque corruptio*, inquit, *incorruptionem possidebit*. Quod prius dixit, *caro et sanguis*: hoc posterius dixit, *corruptio*: et quod prius, *regnum Dei*; hoc posterius, *incorruptionem*. Quantum autem adtinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod et post resurrectionem corpus Christi, caro appellata est. Sed ideo ait Apostolus, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale*: quoniam tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu sine substentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.

4. Sent. d. 44. c. Hoc autem. 1. Cor. 15. 44. Sap. 9. 15. Gal. 5. 17. 1. Cor. 15. 50. Lucæ 24. 39. 1. Cor. 15. 44.

* CAPUT XCII. Corpora damnatorum qualia resurgent.

* Quicumque vero ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum Mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, in requirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat, quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit; aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis Scripturis secunda mors dicitur.

V. l. 21. de civit. Dei, c. 3. Apoc. 2. 11. et 20. 6. 14.

* CAPUT XCIII. Quorum damnatorum futura sit mitissima pœna.

* Nec prima tamen qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda qua pœnale corpus (*c*) anima relinquere non permittitur, homini accidisset, si nemo peccasset. Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod c originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: et in cæteris qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem.

2. Sent. d. 33. c. Alioquin.

CAPUT XCIV. In vita æterna Sancti plenius cognoscent quid eis contulerit gratia.

24. REMANENTIBUS itaque angelis et hominibus reprobis in æterna pœna, tunc Sancti scient plenius quid bonis eis contulerit gratia. Tunc rebus ipsis evidentius apparebit quod in Psalmo scriptum est, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*: quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, et nisi per debitum judicium nemo damnatur.

Psal. 100. 1. Contra Pelagianos.

* CAPUT XCV. Tunc revelabuntur occulta judicia Dei in hominum prædestinatione.

* Tunc non latebit quod nunc latet, cum de duobus parvulis unus esset assumendus per misericordiam, alius per judicium relinquendus, in quo, is qui assumeretur, agnosceret quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret; cur ille potius quam iste fuerit assumptus, cum caussa una esset ambobus: cur apud quosdam non factæ sint virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam, et factæ sint apud eos qui non fuerant credituri. Apertissime namque Dominus dicit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*. Nec utique Deus injuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si (*d*) vellent. Tunc in clarissima sapientiæ luce d

Matth. 11. 21.

(a) Ex Vaticanis MSS. unus habet, *corporeis membris*.
(b) Apud Am. Er. Dan. et Lov. *reddas æqualem*. Abest *æqualem* a MSS. et editione Arn.
(c) Lov. et Arn. *animam*. Editi alii et MSS. *anima*.
(d) Veteres codices viginti quinque, scilicet Romani bibliothecæ Vaticanæ duo, et Parisienses isti sexdecim, Regiæ bibliothecæ unus, Navarrici collegii duo, Sorbonici quatuor, abbatiæ sancti Victoris tres, sanctæ Genovesæ unus, cœnobii sancti Bernardi PP. Fuliensium unus, Pp. Dominicanorum via Jacobea unus, Pp. Franciscanorum majoris conventus unus, cœnobii nostri Germanensis duo, prætereaque Lemovicensis ecclesiæ sancti Martialis unus, abbatiæ Regalis montis unus, Longi-pontis unus, Beccensis unus sancti Pe-

A

Voluntas Dei efficacissima. Psal. 113. 11. 1. Sent. d. 46. c. Nunc videre restat. 1. Sent. d. 45. c. Permissio.

videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit: quamque sit verum quod in Psalmo canitur, *Deus autem noster in cœlo* (a) *sursum, in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit.* Quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.

a

* CAPUT XCVI. Deus facit bene, etiam sinendo fieri male. 1. Sent. d. 46. c. Qui enim.

* Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit: et profecto bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono: cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ (b) Confessionis initium, qua nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

b

1. Sent. d. 42. c. Ex quibusdam.

* CAPUT XCVII. Voluntas Dei salvare volentis an impediatur humana voluntate. 1. Tim. 2. 4. 1. Sent. d. 46. c. 1. et 2.

* Quamobrem videndum est quemadmodum sit de Deo dictum, quia et hoc verissime Apostolus dixit, *Qui omnes homines vult salvos fieri*. Cum enim non omnes, sed multo plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur caussa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem dici de parvulis non potest, quorum nondum est velle, seu nolle. Nam quod (c) infantili motu faciunt, si eorum voluntati judicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cum resistunt quantum possunt, etiam nolentes eos salvos fieri diceremus.

c

Matth. 23. 37.

Sed apertius Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem; *Quotiens*, inquit, *volui colligere filios tuos sicut gallina pullos suos, et noluisti?* tamquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, et infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere Potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia, qua in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit, si colligere filios Jerusalem voluit, et non fecit? An potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit? quis *in cœlo et in terra*, non quædam voluit et fecit, quædam vero voluit et non fecit, sed *omnia quæcumque voluit fecit.*

Psal. 113. 11.

CAPUT XCVIII. Deus eisi potest convertere quos voluerit, non tamen utique facit, cum alios convertit, alios non convertit. Rom. 9. 18. Ibidem 11. etc. 1. Sent. d. 26. c. Nunc videre. Gen. 25. 23. Malach. 1. 2.

25. Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit: cum autem non facit, per judicium non facit. Quoniam *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Quod (d) ut diceret Apostolus, gratiam commendabat: ad cujus commendationem de illis in Rebeccæ utero geminis fuerant jam locutus, quibus *nondum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Propter quod adhibuit alterum propheticum testimonium, ubi scriptum est, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

d

B

Rom. 9. 14.

Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permovere eos qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, *Quid ergo dicemus*, ait? *Numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Iniquum enim videtur, ut sine ullis bonorum malorumve operum meritis, unum Deus diligat, oderit alterum. Quia in re si futura opera vel bona hujus vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, *non ex operibus:* sed diceret, ex futuris operibus; eoque modo istam solveret quæstionem; immo nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem.

C

Ibidem 15. Exodi 33. 19.

Nunc vero cum respondisset, *Absit*, id est, Absit ut sit iniquitas apud Deum; mox ut probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit, *Moysi enim dicit, Miserebor cujus misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive judicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno?

Rom. 9. 16.

Denique infert, et dicit, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Ephes. 2. 3.

Originale vinculum damnationis.

Ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, *Miserebor cujus misertus ero*, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem caussa idem supplicium non incurrit; sed de divinæ gratiæ largitate, quia *non volentis, neque currentis, sed miseren-*

D

tri de Cultura apud Cenomenos unus, sancti Remigii apud Remos unus et antiquissimus Corbejensis habent, *si vellet*. Contra editi, uno excepto Arnaldino, ferunt, *si vellent*: cumque illis conveniunt hi subsequentes undecim manuscripti, unus et alter Vaticanus, Colbertini tres, Regius unus, Antonii Faure Doctoris Theologi Facultatis Paris unus, item Sorbonicus, Victorinus, Carcassonensis et Lemovicensis unus quamquam in isto Lemovicensi, in alio ex recensitis Colbertinis, itaque uno ex Vaticanis jugulata fuerit littera penultima ut legeretur *vellet*. Lovanienses Theologi in sua Operum Augustini editione scripserunt ad marginem, *forte vellet*. Sic legendum incunctanter affirmat Guillelmus Estius in 1. Sent dist. 46. §. 2. ac sic re ipsa legit Petrus Lombardus in 1. Sent. dist. 45. cap. *His autem.*

(a) Er. Lov. et Arn. omittunt, *in cœlo sursum*. Habent editi alii et MSS. hic et in Enarratione Psal. 113.

(b) Editi, *nostræ fidei Confessionis*. Abest *fidei* e MSS. Et sic passim posita sine addito est vox *confessionis*, loco Symboli.

(c) Sic Am. Er. Den. et aliquot MSS. At Lov. et Arn. *infantuli*.

(d) Editi. *Quod cum diceret*. At MSS. *Quod ut diceret*. Eodem sensu infra in cap. 105 legitur, *ut hoc diceret*.

tis est Dei. Altissimo quippe ac saluberrimo sacramento universa facies, atque (ut ita dixerim) vultus sanctarum Scripturarum, bene intuentes id admonere invenitur, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* * Cum autem Dei misericordiam commendasset in eo quod ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* deinde ut etiam judicium commendaret, (quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed judicium; non est quippe iniquitas apud Deum:) continuo subjunxit, atque ait, *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te* (*a*) *potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Quibus dictis ad utrumque concludens, id est, et ad misericordiam et ad justitiam, *Ergo,* inquit, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit a perditis quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta caussa communis. Hoc autem qui eo modo audit, ut dicat, *Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* tamquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat:* absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum? *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud, quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Hoc loco enim quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, *O homo tu quis es?* Et (*b*) in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi, sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim hæc non capit, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit, magis non invenit quid respondeat. Videt enim, si capit, universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam; et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret: ut volentium de suis meritis gloriari, *omne os obstruatur; et qui gloriatur, in Domino glorietur.*

* CAPUT XCIX. Ut magna bonitate miseretur Deus, ita nulla iniquitate obdurat.
Rom. 9. 17. Exodi 9. 16. a
Rom. 9. 18.
Ibidem 19.
Ibid. 20. et 21.
b
Apostatica radix.
Rom. 3. 19. 1. Cor. 1. 31.

CAPUT C. Nihil fieri præter voluntatem Dei, etiam dum fit contra ejus

26. Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus:* et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ volun- A tatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene utens et malis, tamquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem fecerunt ejus, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus:* ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens B et de malo facere posset bene. * Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius multoque certius voluntate: nam illius mala voluntas esse numquam potest. Tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste vero id vult quod vult et Deus: et tamen bonæ Dei voluntati pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam hujus idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut probetur aut impro- C betur. Nam Deus quasdam voluntates suas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas: sicut per Judæos malevolos bona voluntate Patris pro nobis Christus occisus est: quod tantum bonum factum est, ut apostolus Petrus quando id fieri nolebat, satanas ab ipso qui occidi venerat diceretur. Quam bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant apostolum Paulum Jerusalem pergere, ne ibi pateretur mala quæ Agabus propheta prædixerat: et tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuntianda fide Christi, exercens martyrem Christi. Neque (*c*) istam bonam voluntatem suam implevit per Christianorum voluntates bonas, sed per Judæorum malas: et ad eum potius pertinebant qui nolebant quod volebat, quam illi per D quos volentes factum est quod volebat; quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt. * Sed quantælibet sint voluntates vel angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas semper invicta est, quæ mala esse numquam potest; (*d*) quia etiam cum mala irrogat, justa est, et profecto quæ justa est, mala non est. Deus igitur omnipotens sive per misericordiam cujus vult miseretur, sive per judicium quem vult obduret, nec inique aliquid facit, nec nisi

voluntatem.
Psal. 110. 2. I. Sent. d. 47. c. 1. V. l. 14. de civit. Dei, c. 27.
* CAPUT CI. Voluntas Dei bona per bonas æque et malas voluntates hominum semper impletur. I. Sent. d. 48. c. 1.
I. Sent. d. 48. c. Sed ad hoc.
Matth. 16. 23. I. Sent. d. 48. c. Si vero.
Act. 21. 12.
c
* CAPUT CII. Voluntas Dei invicta semper, et numquam mala sive misereatur, sive obduret. I Sent. d. 47. c. Verum ut.
d

(a) Aliquot MSS. *fortitudinem.*
(b) Nonnulli MSS. *Et ut in talibus .... revocaret hominem, verbo quidem brevis, sed re etc.*
(c) Sic MSS. At Lov. et Arn. *Neque enim iste.*
(d) Quidam libri, *quæ etiam.*

volens quidquam facit, et omnia quæcumque vult, A facit.

CAPUT CIII. Exequitur dictum Apostoli, 1. Tim. 2. 4. Qui vult omnes homines salvos fieri. 1. Sent. d. 46. c. Nunc videre restat. V. lib. de correpti. et grat. c. 14. Johan. 1. 9.

27. Ac per hoc cum audimus et in sacris litteris legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare; sed ita intelligere quod scriptum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri:* tamquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quod nullus fiat, nisi quem velit; et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus et quod in Evangelio scriptum est: *Qui illuminat omnem hominem:* non B quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certe sic dictum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri;* non quod nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset; sed ut *omnes homines* a omne genus (*a*) humanum intelligamus per quascumque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in volun- C tatum et conscientiarum varietate innumerabili constitutos, et si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per Unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, et b ideo (*b*) faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest quodcumque voluerit? Præceperat c enim Apostolus, ut oraretur *pro* (*c*) *omnibus hominibus*, et specialiter addiderat *pro regibus et iis qui in sublimitate sunt*, qui putari poterant, fastu et superbia sæculari a fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens, *Hoc enim bonum est coram salvatore nostro Deo*, id est, ut etiam pro talibus oretur: statim ut desperationem tolleret, addidit, *Qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis ve-* D *nire.* Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium: quod utique jam videmus impletum. Isto locutionis modo et Dominus est usus in Evangelio, ubi ait Pharisæis, *Decimatis mentam et rutam et omne olus.* Neque enim Pharisæi et

1. Tim. 2. 1. etc.

Luc. 11. 42.

A et quæcumque aliena et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic *omne olus*, omne olerum genus; ita et illic *omnes homines*, omne hominum genus intelligere possumus: et quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse: qui sine ullis ambiguitatibus, si *in cælo et in terra*, sicut (*d*) eum veritas cantat, *omnia quæcumque voluit, fecit*, profecto d facere noluit quodcumque non fecit.

Psal. 113. 11.

CAPUT CIV. Quæ fuerit voluntas Dei erga Adamum, quem peccaturum præsciebat.

28. Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi jam non solum peccatum (*e*) B non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine pecca- e to, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est peccaturum esse præsciebat, ad hoc potius præparavit voluntatem suam, ut bene ipse faceret etiam de male faciente, ac sic hominis voluntate mala non evacuaretur, sed nihilo minus impleretur omnipotentis bona. * Sic enim oportebat prius hominem fieri ut et bene velle posset, et male; nec gratis, si bene: nec impune, si male: postea vero sic erit, ut male velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut vo- C luntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nunc nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale quod etiam (*f*) non peccare possit, f quamvis sit melius quod peccare non possit: sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam non mori, quamvis major futura sit in qua non possit mori. * Illam (*g*) natura humana perdidit per liberum arbitrium, hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse po- D tuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi partici- g patione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit, nemo est enim qui non se ipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo

* CAPUT CV. Voluntas hominis ad bonum et malum aliter libera in primo statu, aliter in ultimo. 2. Sent. d. 7. c. Boni vero. et d. 25. c. Angeli.

* CAPUT CVI. Libero arbitrio gratia necessaria in primo et secundo statu.

(a) Nonnulli MSS. omittunt, *humanum:* et quidam cum editione Dan. ejus loco habent, *hominum*.

(b) Unus e Vatic. MSS. *fiat*.

(c) Am. Er. Dan. Lov. *pro singulis* Verius MSS. magno consensu, *pro omnibus*. Sic enim Apostolus loco citato

(d) Sic MSS. Editi vero *sicut et veritas*.

(e) Abest non ab omnibus prope MSS.

(f) Am. Er. Dan. et Lov. *quod etiam peccare possit:* et infra, *in qua posset etiam mori:* omissa negante particula; quam utroque loco in plerisque MSS. reperimus necnon in editione Arc.

(g) Frustra monet Lambertus Danæus ut *Illam* referamus ad voluntatem hominis, de qua superiori capite. Verior Petri Lombardi interpretatio sic locum citantis in 2. Sent. d. 29. c. 1. *Illam*, inquit, *immortalitatem in qua poterat non mori natura humana, perdidit per liberum arbitrium: hanc vero in qua non poterit mori, acceptura est per gratiam.*

possit occidere; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum sive quorumcumque tutaminum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret. Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando et ipsum (*a*) arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per se ipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur: ut voluntas ipsa, sicut scriptum est, a Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum. * Unde et ipsam vitam æternam, quæ (*b*) certe merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat Apostolus: *Stipendium enim, inquit, peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit, *Stipendium peccati mors;* ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret. Gratia vero nisi gratis est, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera; quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Sic ergo factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio divino, et suo fieri perversus arbitrio. Utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. Proinde quia suam maluit facere quam Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: in honorem, per misericordiam; in contumeliam, per judicium: ut nemo glorietur in homine; ac per hoc, nec in se. * Nam neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus. Sed cum factus est Adam, homo scilicet rectus, Mediatore non opus erat. Cum vero genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per Mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, occisus est, reconciliari nos oportebat Deo usque ad carnis resurrectionem in vitam æternam: ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanaretur, et demonstraretur homini quam longe a Deo recesserat, cum per incarnatum Deum revocaretur, et exemplum obedientiæ per hominem Deum contumaci homini præberetur; et Unigenito suscipiente formam servi, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur; et carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso Redemptore præmonstraretur; et per eamdem naturam quam se decepisse lætabatur, diabolus vinceretur; nec tamen homo gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur: et si quid aliud de tanto Mediatoris sacramento a proficientibus videri et dici potest, aut tantum videri, etiamsi dici non potest.

2. Sent. d. 26. c. Et si

Prov. 8. 35. sec. LXX.

* CAPUT CVII. Vita æterna merces et tamen gratia.

Rom. 6. 23.

John. 1. 16. 2. Sent. d. 24. c. 1. Voluntas Dei de homine peccante impleta.

Rom. 9. 21.

* CAPUT CVIII. Ex Deo salus nostra, ita ut nec per Christum liberaremur, si non esset Deus.

1. Tim 2. 5.

29. Tempus autem quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne cum viveret. * Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut non ei prosint ista post mortem: est vero talis in bono, ut ista non requirat, et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem (*c*) speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est, *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Quia etiam hoc meritum sibi quisque dum in corpore viveret comparavit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior (*d*) fiat ipsa damnatio.

CAPUT CIX. Animarum receptacula ante resurrectionem.

4. Sent. d. 45. c. 1. * CAPUT CX. Sacrificium altaris et eleemosynæ pro defunctis, quatenus et quibusnam prosint. 4. Sent. d. 45. c. Neque.

Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10.

(a) In excusis, *liberum arbitrium.* Abest *liberum* a MSS.

(b) Am. Er. Dan. et aliquot MSS. *certa merces.*

(c) Plures probæ notæ MSS. *Nemo se autem præparet, quod hic neglexit.* Iidemque cum aliis plerisque prosequuntur sic, *cum obierit Dominum promereri:* omisso *apud.*

(d) MSS. plures omittunt, *fiat:* cujus loco nonnulli habent, *fit.* Damnationem vero hic pro punitione eorum, qui post Purgatorii pœnas salvandi sunt, accipiendam docuit Albertus M. in 4. Sent. dist. 45. art. 5. ad 1. eamque interpretationem probarunt Magistri deinceps in eumdem sententiarum locum. Attamen Petrus Lombardus eo loci distinctionis 45. cap. *Neque negandum est*, pro damnatorum quorumdam, qui numquam liberandi sint, punitione accepit, quando subinde concludens dixit, *Mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem.* Nam ab istis *mediocriter malis* prorsus secernit eos qui a pœnis purgatoriis sive celerius sive tardius absolvuntur per Ecclesiæ preces, appellatque omnes hujus generis *mediocriter bonos.* Res patet perlectis ibidem capitulis *Solet moveri*, et *Sed iterum.* Hinc Glossa in 2. q. 13. cap. *Tempus:* hæc apposite est: *Mediocriter malis prosunt ad hoc ut minus puniantur, numquam tamen liberabuntur.* Pro hac ipsa opinione ab Alberto M. citatur Præpositivus. In Gellonensi codice pervetusto exstat inscripta *Missa pro cujus anima dubitatur.* In qua isthæc legitur Oratio: *Omnipotens et misericors Deus, qui habes potestatem mortificare, et iterum vivificare; deducere ad inferos, et iterum reducere: et vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: cujus potestas et in cælo et in terra, et in mari et in inferis plena adsistit te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de præsenti

* CAPUT CXI. Duæ civitates post judicium in æterna vel beatitudine vel miseria. 4 Sent. d. 50. c. 1.

* Post resurrectionem vero facto universo completoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ, una scilicet Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum; utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi; istis in æterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi (*a*) potestate durantibus, quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio præstabilius, in miseria vero illi alius alio tolerabilius permanebunt.

* CAPUT CXII. Pœnam damnatorum æternam fore. 4. Sent. d. 46. c. 1. et 21. de civ. Dei cap. 18. et 24.

* Frustra itaque nonnulli, immo quam plurimi, æternam damnatorum pœnam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quæque molliendo, et in leniorem flectendo sententiam, quæ putant (*b*) in eis terribilius esse dicta, quam verius. *Non enim obliviscetur*, inquiunt, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas*. (Psal. 70. 16.) Hoc quidem in Psalmo legitur sancto: sed de his sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupatur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est, *Et ibunt isti in supplicium æternum* (Matth. 25. 46.): ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus e contrario dictum est, *Justi autem in vitam æternam*. Sed pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, (*c*) aliquatenus mitigari. Etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei (Johan. 3. 6.), hoc est, ipsa damnatio: (hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio:) ut in ira sua, hoc est, manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas: non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus. Quia nec Psalmus ait, ad finiendam iram suam, vel post iram suam: sed, *in ira sua*. Quæ si sola esset quanta ibi minima cogitari potest; perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei quam abscondit (*d*) timentibus se, perfecit autem sperantibus in se (Psal. 30. 20.), tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari, si illa sit æterna, ista autem sint quamlibet multis sæculis longa.

* CAPUT CXIII. Mors impiorum, ut vita piorum, perpetua.

* Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, (*e*) quælibet homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita æterna sanctorum, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant.

CAPUT CXIV. Exposita Fide, agit de Spe: quæ huc pertinent contineri Oratione Dominica. Jerem. 17. 5. Spem in se ipso ponens maledictus.

30. Ex ista Fidei confessione, quæ breviter in Symbolo continetur, et carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritaliter autem considerata atque tractata cibus est fortium, nascitur Spes bona fidelium, cui Caritas sancta comitatur. Sed de iis omnibus quæ fideliter sunt credenda, ea tantum ad spem pertinent quæ oratione Dominica continentur. *Maledictus* enim *omnis*, sicut divina testantur eloquia, *qui spem ponit in homine*: ac per hoc et in se ipso qui spem ponit, hujus maledicti vinculo innectitur. Ideo non nisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos vel (*f*) pro bonis operibus adepturos.

* CAPUT CXV. Orationis Dominicæ apud Matthæum petitiones, septem. Matth. 6. 9. etc.

* Proinde apud evangelistam Matthæum septem petitiones continere Dominica videtur oratio: quarum tribus æterna poscuntur, reliquis quatuor, temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra*, (quod non absurde quidam intellexerunt, in spiritu et corpore,) omnino sine fine retinenda sunt: et hic (*g*) inchoata quantumcumque proficimus augentur in nobis; perfecta vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod vero dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, Et ne nos inferas in tentationem, Sed libera nos a malo*, qui non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna ubi nos semper speramus futuros, et nominis Dei sanctificatio, et regnum ejus, et voluntas ejus in nostro spiritu et corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus est, quia hic est necessarius, quantus animæ carnique tribuendus est, sive spiritaliter, sive carnaliter, sive utroque intelligatur modo. Hic est etiam quam poscimus remissio, ubi est commissio peccatorum; hic tentationes quæ nos ad peccandum vel alliciunt vel impellunt; hic denique malum unde cupimus liberari: illic autem nihil istorum est.

* CAPUT CXVI. Petitiones tantum quinque a-

* Evangelista vero Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque, complexus est, nec ab isto utique discrepavit, sed quomodo istæ septem sint intelli-

sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hac sacra oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipsa tormenta. Adrevaldus lib. de miraculis sancti Benedicti cap. 21. scribit Floriacenses pro animabus prædonum in acie cæsorum preces ad Dominum fudisse; *quatenus etsi perpetuis non mererentur absolvi cruciatibus, saltem minoribus mulctarentur a stricto Judice pœnis.*

(a) Unus e Vatic. et alius a Colbert *sine moriendi necessitate.*

(b) Plures MSS. putant *magis terribilius.*

(c) Quidam MSS. *aliquantum.*

(d) Lambertus Danæus loco *timentibus*, substituit *fermentibus*, non veterum librorum auctoritate, sed postulante, uti se dicit conjectura, antithesi ad aliud membrum, *sperantibus in se*, si: sed mala conjectura, ut patet ex Enarratione Psal. 30. et lib. 21. de civitate Dei, c. 18. et 24.

(e) Sic MSS. At editi *quamlibet*: qui et infra *bonorum* pro *honorum*.

(f) Particula *pro* abest a pluribus MSS.

(g) Plerique MSS. *et hic inchoantur, quantumque proficimus.*

pud Lucam, qui cum Matthæo conciliatur. Lucæ 11. 2.

gendæ, ipsa sua brevitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodam modo repetitionem, magis eam prætermittendo facit intelligi. Deinde tres alias adjungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille * in ultimo posuit, *Sed libera nos a malo;* iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *Sed libera;* non ait, Et libera, tamquam unam petitionem esse demonstrans: (*a*) (Noli hoc, sed hoc:) ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem.

* Matthæus.

CAPUT CXVII. De caritate, quæ cum Fide ac Spe adesse debet. 1. Cor. 13. 13.

31. Jam porro Caritas, quam duabus istis, id est, Fide ac Spe majorem dixit Apostolus, quanto in quocumque major est, tanto melior est in quo est. Cum enim quæritur, utrum quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui recte amat, procul dubio recte credit et sperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit; inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ sperat: nisi et hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest ut id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire. Tamquam si speret vitam æternam, (*b*) (quam quis non amat?) et non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, et quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei. Fides namque impetrat quod lex imperat. Nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto, per quem diffunditur Caritas in cordibus nostris, jubere lex poterit, non juvare; et prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei Caritas. * Sed cum in altissimis ignorantiæ tenebris nulla resistente ratione secundum carnem vivitur, hæc sunt prima hominis. Deinde cum per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, et sciens peccat, peccatoque subditus servit: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est:* id agente scientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adjecto, atque ita quod scriptum est impleatur; *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, et agi homo cœperit

Gal. 5. 6. — Matth. 7. 7. — 2. Sent. d. 26. c. Et si. — Rom. 5. 5.

* CAPUT CXVIII. Status vel ætates hominis quatuor, ante Legem, sub Lege, sub gratia, et in pace. — 2. Petr. 2. 19. — Rom. 5. 20.

Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore caritatis: ut quamvis adhuc sit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat, justeque vivat, in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente (*c*) delectatione justitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei hominis; in quibus si pia perseverantia quisque proficiat, postrema pax restat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta. Sic est et Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura et numero et pondere cuncta disponit. Nam fuit primitus ante legem; secundo sub lege, quæ data est per Moysen; deinde sub gratia, quæ revelata est primum Mediatoris adventum. Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus eam oportuit impertiri, quamvis pro temporis dispensatione velata et occulta. Neque enim antiquorum quicumque justorum præter Christi fidem salutem potuit invenire, (*d*) aut vero nisi et illis cognitus fuisset, potuisset nobis per eorum ministerium alias apertius, alias occultius prophetari. * In quacumque autem quatuor istarum velut ætatum singulum quemque hominem gratia regenerationis invenerit, ibi ei remittuntur præterita universa peccata; et reatus ille nascendo contractus, renascendo dissolvitur. Tamque multum valet, quod *Spiritus ubi vult spirat*, ut quidam (*e*) secundum illam servitutem sub lege non noverint, sed cum mandato incipiant adjutorium habere divinum. * Ante quam possit autem homo capax esse mandati, secundum carnem vivat necesse est: sed si jam sacramento regenerationis imbutus est, nihil ei oberit si tunc ex hac vita migraverit, Quia *ideo Christus mortuus est et resurrexit; ut et vivorum et mortuorum dominetur;* nec tenebit regnum mortis eum, pro quo mortuus est ille liber in mortuis.

Gal. 5. 17. — Rom. 1. 17. — Sap. 11. 21. — Joban. 1. 17.

* CAPUT CXIX. Regeneratio, peccata abolet universa in quavis ætate. — Joban. 3. 8. — Servitus sub lege nonnullis inexperta. — * CAPUT CXX. Regenerati morientes ante usum rationis non pereunt. — Rom. 14. 9.

32. Omnia igitur præcepta divina referuntur ad Caritatem, de qua dicit Apostolus: *Finis autem præcepti est Caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Omnis itaque præcepti finis est Caritas, id est, ad Caritatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam Caritatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Caritas quippe ista Dei est et proximi: et utique *in his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ.* Adde Evangelium, adde Apostolos: non enim aliunde vox ista est, *Finis præcepti est Caritas:* et, *Deus Caritas est.* Quæcum-

Psal. 87. 6. — CAPUT CXXI. Caritas finis omnium præceptorum. — 2. Sent. d. 38. c. 1. — 1. Tim. 1. 5. — 3. Sent. d. 36. c. Cum duo sint. — Rom. 5. 5. — Matth. 22. 40. — 1. Tim. 1. 5. — 1. Joban. 4. 16.

(*a*) Sic MSS. Editi autem, *Non hoc.*
(*b*) Editi Am. Er. Dan. et aliquot MSS. *quamvis non habeat, et non amet justitiam* Lov. et Arn. *quamvis non amet justitiam* omisso *non habeat et.* Emendantur auxilio veterum librorum.
(*c*) Lov. et Arn. *dilectione*, dissentientibus editis aliis et omnibus fere MSS.

(*d*) Sic MSS. Editi autem, *At vero nisi et illis cognitus fuisset, non potuisset nobis etc.*
(*e*) Editi, *secundum illam servitutem sub lege esse non noverint.* Verius MSS. *secundum*, absque verbo *esse*, Nempe secundam hanc appellat servitutem sub lege, quam præcessit servitus sub peccato.

Matth. 5.27. que ergo mandat Deus, ex quibus unum est, *Non mæchaberis:* et quæcumque non jubentur, sed spiritali consilio (*a*) monentur, ex quibus unum
1. Cor. 7. 1. est, *Bonum est homini mulierem non tangere:* tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum, et in hoc sæculo, et in futuro; nunc Deum per fidem, tunc per speciem, et ipsum proximum nunc per fidem. Non enim scimus mortales corda morta-
1. Cor. 4. 5. lium, tunc autem *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et laus erit unicuique a Deo:* quia id laudabitur et diligetur a proximo in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo. (*b*) Minuitur autem cupiditas Caritate crescente, donec veniat (*c*) hic ad tantam magnitudinem, quam major esse non possit: *Majorem enim Caritatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Johan. 15. 13. Ibi autem quis explicet quanta Caritas erit, ubi cupiditas quam vel coercendo superet nulla erit? (*d*) quoniam summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.

33. Sed sit aliquando hujus voluminis finis, quod ipse videris utrum Enchiridion vel appellare debeas, vel habere. Ego tamen cum spernenda tua in Christo studia non putarem, bona de te credens in adjutorio nostri Redemptoris (*e*) ac speraas, teque in ejus membris plurimum diligens, librum ad te, sicut valui, utinam tam commodum quam prolixum, de Fide, Spe et Caritate conscripsi. CAPUT CXXII. Libri conclusio.

(a) In MSS. rovenlur.
(b) Lov. dissentientibus editis aliis et MSS. *Minuetur.*
(c) Unus Germanensis MS. omittit *hic*: quam particulam loco movit Arnoldus, et illuc transtulit, *Majorem hic enim caritatem* etc.
(d) Sic plerique MSS. Alii quidem cum Dan. *quam summa.* Lov. et Arn. *quando summa.*
(e) Editi, *bona de te credens, in adjutorio nostri Redemptoris confidens ac sperans.* Verbum *confidens* abest a MSS. plerisque, et alia in eis est vocum interpunctio, ut sensus s.t. *bona credens ac sperans de te.*

ADMONITIO

IN LIBRUM DE AGONE CHRISTIANO.

Adscribendus iste liber anno Domini supra trecentesimum aut nonagesimo-sexto, aut nonagesimo-septimo. Nam tertio loco positus in Retractationum libro secundo reperitur, inter illa Opuscula, quæ Augustinus post susceptum episcopatum (quod munus exeunte anno 395. indeptus est) prima confecit. Enimvero in capite 29. Ubi Christianos deterret atque avocat a Donatistarum schismate, quod varias in partes discissum merito fuisse observat, ut quomodo Christum dividere conatus erat, sic ipse a suis Donatus quotidiana concisione divideretur: illic tamen ad caussæ utilitatem non trahit, quod Prætextatum et Felicianum Donatistæ, utrumque propter scelera a se percelebri sententia concilii Bagajensis ejectum recepissent postea in suam communionem: tametsi isthæc receptio circa initium anni 397. contingerit. Neque vero parum id momenti habet ad roborandam opinionem, quam in 1. Tomi præfatione, cum de ætate Epistolæ 31. ad Paulinum scriptæ diceremus, liberam esse voluimus de libris ad Simplicianum, quos referre solent ad annum 397. ut eos scilicet libros (quando quidem in Retractationibus ante Opus de Agone recensentur) ad annum 396. revocare liceret.

De Agone Christiano librum appellavit Augustinus, quia Christianos ad pugnandum cum diabolo erudit. Invisibilem hostem debellari docet recta fide et probis moribus. Quapropter monet in primis, ut contra cupiditates decertemus, et corpus nostrum servituti, nosque ipsos Deo subjiciamus. Deinde vero quia subjici Deo per fidem incipimus, ad catholicæ fidei Regulam, rejectis contrariis hæresibus, tenendam cohortatur. Præcipuas quasdam hæreticorum sectas hic nominat: sed contra Manichæos præsertim fecisse librum videtur, ut ab illa stolida æque ac sacrilega hæresi plebem averteret. In eos est non tantum prima pars libri, qua explodit horum somnia de pugna Gentis tenebrarum rebellantis adversus Deum; sed altera etiam pars, qua fidei Christianæ, quam hæretici iidem irridebant, simplicitatem et sinceritatem commendat.

Hujus Operis meminit Cassiodorus Senator in libro de institutione divinarum litterarum cap. 16. *Ejusdem*, ait, Augustini *liber unus, quem de Agone Christiano composuit, maxime vobis necessarius, qui calcato sæculo desudatis in certamine Christiano.*

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT III.

Liber de Agone Christiano fratribus in eloquio Latino ineruditis humili sermone conscriptus est, fidei * Regulam continens, et præcepta vivendi. In quo illud quod positum est: *Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, et commemorant quod ait Paulus Apostolus, Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt; non intelligentes quod ipse dicit Apostolus, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum enim hoc factum fuerit, jam non erit caro et sanguis, sed cœleste corpus:* non sic accipiendum est, quasi carnis non sit futura substantia; sed carnis et sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis et sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse, quæ utique in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit. Quamvis et aliter possit intelligi, ut carnem et sanguinem opera carnis et sanguinis dixisse accipiamus Apostolum, et eos regnum Dei non possessuros, qui perseveranter ista dilexerint. Hic liber sic incipit: *Corona victoriæ.*

* Id est, Symbolum. In cap. 32. 1. Cor. 15.

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE AGONE CHRISTIANO
LIBER UNUS. *

* Scriptus anno 396, aut paulo post.

Hortatur et instituit ad decertandum Christiana pugna cum diabolo. Hunc vinci a nobis ac subigi, quando vincuntur cupiditates et corpus in servitutem redigitur; ipsum vero corpus servituti subjici docet, si non ipsos subjiciamus Deo, cui creatura omnis aut voluntate servit aut necessitate. Subsidio fidei munitam esse humanam imbecillitatem, atque per Filium Dei carnem factum quam opportuno remedio subventum esse ostendit. Postea catholicæ fidei capita singula Symbolo comprehensa percurrens, exortas varias in eam hæreses detegit et vitari jubet.

CAPUT I. Corona vincentibus promissa.

CORONA victoriæ non promittitur nisi certantibus. In divinis autem Scripturis assidue invenimus promitti nobis coronam, si vicerimus. (Apoc. 1, 10, etc.) Sed ne longum sit multa commemorare, apud apostolum Paulum manifestissime legitur: *Opus perfeci, cursum consummavi, fidem servavi, jam superest mihi corona justitiæ.* (2. Tim. 4, 7, et 8.) Debemus ergo cognoscere quis sit ipse adversarius, quem si vicerimus coronabimur. Ipse est enim quem Dominus noster prior vicit, ut etiam nos in illo permanentes vincamus. (Adversarius diabolus auxilio Christi vincitur.) Et Dei quidem Virtus atque Sapientia, et Verbum per quod facta sunt omnia, qui Filius Dei unicus est, super omnem creaturam semper incommutabilis manet. Et quoniam sub illo est creatura etiam quæ non peccavit, quanto magis sub illo est omnis creatura peccatrix? Ergo quoniam sub illo sunt omnes sancti Angeli, multo magis sub illo sunt omnes prævaricatores angeli, quorum diabolus princeps est. Sed quia naturam nostram deceperat, dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa diabolus vinceretur, et quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret. Ipsum significat dicens, *Princeps hujus mundi est foras.* (Johan. 12, 31.) Non quia extra mundum missus est, quomodo quidam hæretici putant: sed foras ab animis eorum qui cohærent verbo Dei, et non diligunt mundum, cujus ille princeps est; quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc mundo visibili continentur: non quia ipse dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit;

A ut ei subjaceant qui negligunt æternum Deum, et diligunt instabilia et mutabilia. *Radix enim est omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes a fide erraverunt, et inseruerunt se doloribus multis.* (1. Tim. 6, 10.) Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, et cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps est hujus mundi, cum renuntiatur corruptelis et pompis et angelis ejus. Ideoque ipse Dominus jam triumphantem naturam hominis portans, *Scitote*, inquit, *quia ego vici mundum.* (Johan. 16, 33.)

* CAPUT II. Quomodo vincitur diabolus.

B 2. MULTI autem dicunt, Quomodo possumus vincere diabolum, quem non videmus? Sed habemus magistrum, qui nobis demonstrare dignatus est, quomodo invisibiles hostes vincantur. De illo enim dicit Apostolus, *Exuens se carne principatus et potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eos in semetipso.* (Coloss. 2, 15.) Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates: et ideo quia in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus et illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. (Vincuntur invisibiles potestates, ubi vincuntur cupiditates.) Quando enim dictum est diabolo, *Terram manducabis*: dictum est peccatori, *Terra es, et in* C *terram ibis.* (Gen. 3, 14, 19.) Datus est ergo in cibum (a) diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari a serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundum corpus hoc efficiatur quod nos sumus:

(a) Plerique MSS. *diaboli*.

sic malis moribus per nequitiam et superbiam et impietatem hoc efficitur quisque quod diabolus, id est, similis ejus; et subjicitur ei, sicut subjectum est nobis corpus nostrum. Et hoc est quod dicitur, *manducari a serpente*. Quisquis itaque timet illum ignem, qui paratus est diabolo et angelis ejus, det operam triumphare de illo in semetipso. Eos enim qui foris nos oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiscentias per quas nobis dominantur. Et quos invenerint sui similes, secum ad pœnas trahunt.

Matth. 25. 41.

3. Sic et Apostolus dicit, quod in semetipso pugnat adversus potestates exteriores. Ait enim, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates hujus mundi, rectores harum tenebrarum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Cœlum enim dicitur et iste aer, ubi venti et nubes et procellæ et turbines fiunt, sicut etiam Scriptura dicit multis locis: *Et intonuit de cœlo Dominus:* et, *aves cœli*, et, *volatilia cœli;* cum manifestum sit aves in aere volare. Et nos in consuetudine hunc aerem cœlum appellamus: nam cum de sereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus, Qualis est aer? aliquando, Quale est cœlum? Hoc dixi, ne quis existimet ibi habitare mala dæmonia, ubi solem, lunam et stellas Deus ordinavit. Quæ mala dæmonia ideo Apostolus appellat spiritalia, quia etiam mali angeli in Scripturis divinis spiritus appellantur. Ideo autem rectores harum tenebrarum eos dicit, quoniam peccatores homines tenebras appellat, quibus isti dominantur. Ideo et alio loco dicit, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* quia ex peccatoribus justificati erant. Non ergo arbitremur in summo cœlo habitare diabolum cum angelis suis, unde lapsum esse credimus.

Ephes. 6. 12.

CAPUT III. Dæmones quomodo in cœlestibus sunt, et rectores tenebrarum.

Psalm. 17. 14.
Psal. 8. 9.
Matth. 6. 26.

Ephes. 6. 12.

Ephes. 5. 8.

CAPUT IV. Manichæorum error de gente tenebrarum contra Deum rebellante.

4. Sic enim erraverunt Manichæi, qui dicunt ante mundi constitutionem fuisse gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellavit: in quo bello credunt miseri omnipotentem Deum non sibi aliter potuisse succurrere, nisi partem suam contra eam mitteret. Cujus gentis principes, sicut illi dicunt, devoraverunt partem Dei, et temperati sunt ut posset mundus de illis fabricari. Sic dicunt, Deum pervenisse ad victoriam cum magnis calamitatibus et cruciatibus et miseriis membrorum suorum: quæ membra dicunt esse commixta tenebrosis visceribus principum illorum, ut eos temperarent, et a furore compescerent. Et non intelligunt tam sacrilegam esse suam sectam, ut credant omnipotentem Deum non per creaturam quam fecerit, sed per ipsam naturam suam bellasse cum tenebris: quod nefas est credere. Neque hoc solum, sed etiam illos qui victi sunt, factos esse meliores, quia furor eorum compressus est: Dei autem naturam quæ vicit, fa- A ctam esse miserrimam. Dicunt etiam eam per ipsam commixtionem perdidisse intellectum et beatitudinem suam, et magnis erroribus et cladibus esse implicatam. Quam si aliquando vel totam purgari dicerent; magnam tamen impietatem contra omnipotentem Deum affirmarent, cujus partem crederent tanto tempore in erroribus et pœnis esse jactatam sine aliquo peccati crimine. Nunc vero infelices audent adhuc dicere nec totam posse purgari; et ipsam partem quæ purgari non potuerit, proficere ad vinculum, ut inde involvatur et illigetur malitiæ (a) sepulcro; a et sic ibi semper sit pars ipsa Dei misera, quæ nihil peccavit, et (b) affligatur in æternum carcere tenebrarum. Hoc illi dicunt, ut simplices b animas fallant. Sed quis tam simplex est, ut ista B non sentiat esse sacrilega, quibus affirmant omnipotentem Deum necessitate oppressum esse, ut partem suam bonam et innocentem tantis cladibus obruendam et tanta immunditia inquinandam daret, et non totam liberare posset; et quod liberare non potuerit, æternis vinculis colligaret? Quis ergo ista non exsecretur? Quis non intelligat impia esse et nefanda? Sed illi quando capiunt homines, non ista prius dicunt; quæ si dicerent, riderentur, aut (c) fugerentur ab omnibus: sed eligunt capitula de Scripturis, quæ simplices homines non intelligunt; et per illa decipiunt animas imperitas, quærendo unde sit ma- c lum. Sicut in isto capitulo faciunt, quod ab Apostolo scriptum est, *Rectores harum tenebrarum, et spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Quærunt enim deceptores illi, et interrogant hominem Scripturas divinas non intelligentem, unde sint in cœlo C rectores tenebrarum: ut cum respondere non potuerit, traducatur ab eis per curiositatem: quia omnis anima indocta curiosa est. Qui autem fidem catholicam bene didicit, et bonis moribus et vera pietate munitus est, quamvis eorum hæresim nesciat, respondet illis tamen. Nec enim decipi potest, qui jam novit quid pertineat ad Christianam fidem, quæ catholica dicitur, per orbem terrarum sparsa, et contra omnes impios et peccatores, (d) negligentes autem etiam suos, d Domino gubernante secura.

Ephes. 6. 12.

CAPUT V. Spiritalia nequitiæ in cœlestibus, quo sensu dictum.

5. QUONIAM ergo dicebamus apostolum Paulum dixisse habere nos colluctationem adversus rectores tenebrarum et spiritalia nequitiæ in cœlestibus; et probavimus etiam istum aerem D terræ proximum cœlum vocari: oportet credere adversum diabolum et angelos ejus nos dimicare, qui gaudent perturbationibus nostris. Nam et ipse Apostolus alio loco diabolum principem Ephes. 2. 2 potestatis aeris hujus appellat. Quamvis ille locus, ubi ait, *Spiritalia nequitiæ in cœlestibus*, Ephes. 6. 12. possit et aliter intelligi, ut non ipsos prævaricatores angelos in cœlestibus esse dixerit, sed nos potius, de quibus alio loco dicit, *Conversatio* Philip. 3. 20.

(a) Omnes MSS. *Sepulcrum.*
(b) Nonnulli MSS. *affigatur*, (vel *affligitur*) *in æternum carceri tenebrarum.*
(c) Sic Parv. id est editio Johannis Parvi. et plures MSS. At editiones aliæ, *fugarentur.* Tres MSS. *fugarentur ab hominibus.*

(d) Editi Am. Er. et Lov. *negligentes autem sui.* Mettus Parv. cui septem MSS. suffragantur, *negligentes autem etiam suos.* Nempe suos, contra quos negligentes securam fidem dicit, intelligimus catholicos fideles. Quatuor MSS. habent, *de negligentibus autem suis* sed male.

nostra in cælis est: ut nos in cælestibus constituti, id est, in spiritalibus præceptis Dei ambulantes, dimicemus adversus spiritalia nequitiæ, quæ nos inde conantur abstrahere. Magis ergo illud quærendum est, quomodo adversus eos, quos non videmus, pugnare possimus, et vincere: ne putent stulti adversus aerem nos debere certare.

CAPUT VI. Corpus castigandum, ut diabolus et mundus vincatur.

6. Docet itaque Apostolus ipse, dicens, *Non sic pugno, quasi aerem cædens: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* Item dicit, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Quare intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat, cujus se imitatorem esse profitetur. Imitemur ergo et nos illum, sicut hortatur, et castigemus corpus nostrum, et in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Quia per illicitas delectationes suas et pompas et perniciosam curiositatem nobis donari potest hic mundus, id est, ea quæ in hoc mundo perniciosa delectatione colligant amatores rerum temporalium, et diabolo atque angelis ejus servire cogunt: quibus omnibus si (*a*) renuntiavimus, redigamus in servitutem corpus nostrum.

1. Cor. 9. 26. et 27. 1. Cor. 11. 1. 2. Cor. 2. 14. Coloss. 2. 15.

CAPUT VII. Ut corpus nobis subjiciatur, subjiciamus nos ipsos Deo, cui omnis creatura servit, velit nolit.

7. Sed ne quis forte hoc ipsum quærat, quomodo fiat ut corpus nostrum servituti subjiciamus: facile intelligi et fieri potest, si prius nos ipsos subjiciamus Deo, bona voluntate et sincera caritate. Nam omnis creatura: velit nolit, uni Deo et Domino suo subjecta est. Sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro. Quoniam justus liberaliter servit, injustus autem compeditus servit. Omnes tamen divinæ providentiæ serviunt: sed alii obediunt tamquam filii, et faciunt cum ea quod bonum est: alii vero ligantur tamquam servi, et fit de illis quod justum est. Ita Deus omnipotens, Dominus universæ creaturæ, qui *fecit omnia*, sicut scriptum est, *bona valde*, sic ea ordinavit, ut et de bonis et de malis bene faciat. Quod enim juste fit, bene fit. Juste autem sunt beati boni, et juste mali pœnas patiuntur. Ergo et de bonis et de malis bene facit Deus, quoniam juste omnia facit. Boni sunt autem, qui tota voluntate Deo serviunt; mali autem necessitate serviunt: nemo enim leges Omnipotentis evadit. Sed aliud est facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet. Quapropter boni secundum leges faciunt, mali secundum leges patiuntur.

Gen. 1.

Justorum et injustorum in hujus vitæ bonis et malis discrimen. Rom. 5. 3. etc.

8. Nec nos moveat, quod in hac vita secundum carnem, quam portant, justi multa gravia et aspera tolerant. Nihil enim mali patiuntur, qui jam possunt dicere quod ille vir spiritalis exultat et prædicat Apostolus, dicens, *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem. spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* Si ergo in hac vita, ubi tanta tormenta sunt, possunt boni et justi viri, cum talia patiuntur, non solum æquo animo tolerare, sed etiam (*b*) in Dei caritate gloriari; quid cogitandum est de illa vita, quæ nobis promittitur, ubi nullam de corpore molestiam sentiemus? Quoniam non ad hoc resurget corpus justorum, ad quod resurget corpus impiorum: sicut scriptum est, *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et ne quisquam putet non justis immutationem istam promitti, sed potius injustis, et eam existimet esse pœnalem, sequitur et dicit, *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Quicumque ergo mali sunt, sic ordinati sunt: quia et unusquisque sibi, et omnes invicem sibi nocent. Hoc enim appetunt, quod perniciose diligitur, et quod eis facile auferri potest; et hoc sibi auferunt invicem, quando se persequuntur. Et ideo cruciantur quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea: illi autem qui auferunt, gaudent. Sed talis lætitia cæcitas est, et summa miseria: ipsa enim magis implicat animam, et ad majora tormenta perducit. Nam gaudet et piscis, quando hamum non videns, escam devorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo; deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se putant: hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur: veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint. Et ideo bonis nihil nocent; quia hoc eis auferunt, quod non diligunt: nam quod diligunt, et unde beati sunt, auferre illis nemo potest. Cruciatus vero corporis malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat. Sic fit ut et malus homo et malus angelus divinæ providentiæ militent; sed nesciunt quid boni de illis operetur Deus. Non itaque pro meritis officii, sed pro meritis malitiæ stipendiantur.

1. Cor. 15. 51.

Ibidem 52.

CAPUT VIII. Omnia divina providentia gubernari.

9. Sed ut hæ animæ, quæ habent voluntatem nocendi et rationem cogitandi, sub divinis legibus ordinatæ sunt, ne aliquid injustum quisque patiatur: ita omnia et animalia et corporalia in genere suo et in ordine suo divinæ providentiæ legibus subdita administrantur. Ideo Dominus dicit, *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus eorum non cadit in terram sine voluntate Patris vestri?* Hoc enim dixit, volens ostendere quidquid vilissimum homines putant, omnipotentia Dei gubernari. Sic enim et volatilia cœli ab eo pasci, et lilia agri ab eo vestiri, Veritas loquitur, quæ capillos etiam nostros numeratos esse dicit. Sed quoniam mundas animas rationales per se ipse Deus curat, sive in optimis et magnis Angelis, sive in hominibus tota sibi voluntate servientibus, cætera vero per ipsos gubernat; verissime dici potuit etiam illud ab Apostolo, *Nonne enim de bobus cura est Deo.* In Scripturis enim sanctis Deus homines docet, quo-

Matth. 10. 29.

Matth. 6. 26.

Matth. 10. 30.

1. Cor. 9. 9.

(*a*) Editi, *si renuntiamus, redigimus.* At MSS. omnes, *redigamus:* et ex iisdem plures *renuntiavimus.*

(*b*) Sic Parv. et MSS. At Am. Er. Lov. *caritate in Deo gloriari.*

modo cum hominibus agant, et ipsi Deo serviant: quomodo autem agant cum pecoribus suis, ipsi sciunt, id est, quomodo salutem pecorum suorum gubernent usu et peritia et ratione naturali; quæ quidem omnia de magnis sui Creatoris opibus acceperunt. Qui ergo potest intelligere quomodo universæ creaturæ conditor
a Deus gubernet eam per animas sanctas, quæ (a) ministeria ejus sunt in cœlis et in terris; quia et ipsæ sanctæ animæ ab ipso factæ sunt, et in ejus creatura primatum tenent: qui ergo potest
Matth. 25. 21. intelligere, intelligat, et intret in gaudium Domini sui.

CAPUT IX. Hortatio ad gustandam dulcedinem Dei.

10. Si autem hoc non possumus, quamdiu sumus in corpore, et peregrinamur a Domino, gustemus saltem quam suavis est Dominus: quia dedit nobis pignus Spiritum, in quo sentiamus ejus dulcedinem: et desideremus ipsum vitæ fontem, ubi sobria ebrietate inundemur et irrigemur, sicut lignum quod plantatum est secundum decursus aquarum, et dat fructum in tempore suo, et folia ejus non decident. Dicit enim Spiritus sanctus, *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et de torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.* Talis ebrietas non evertit mentem; sed tamen rapit sursum, et oblivionem præstat omnium terrenorum. Sed si possumus toto affectu jam dicere, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

2. Cor. 5. 6. Psal. 33. 9. 2. Cor. 1. 22. et 5. 5. Psal. 1. 3. Psal. 35. 8. etc. Psal. 41. 2.

CAPUT X. Filius Dei propter nos homo factus.

11. Quod si forte adhuc propter ægritudines animæ, quas de sæculi amore concepit, nec gustare sumus idonei quam dulcis est Dominus: vel credamus divinæ auctoritati, quam voluit
Rom. 1. 3. esse in Scripturis sanctis de Filio suo, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*,
Johan. 1. 3. sicut Apostolus loquitur. *Omnia enim per ipsum facta sunt*, sicut in Evangelio scriptum est, *et sine ipso factum est nihil.* Qui nostræ imbecillitatis misertus est; quam imbecillitatem non ejus
Sap. 2. 23. Liberum arbitrium. opere, sed nostra voluntate meruimus. Nam Deus hominem inexterminabilem fecit, et ei liberum voluntatis arbitrium dedit. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret. Facile est omnino, quantum existimo quod intelligere nolunt, qui catholicam deseruerunt fidem, et Christiani vocari volunt. Nam si nobiscum fatentur naturam nostram non sanari nisi recte faciendo; fateantur eam non infirmari
* Manichæorum error. nisi peccando. Et ideo non est credendum * animam nostram hoc esse quod Deus est: quia si hoc esset, nec sua voluntate, nec aliqua necessitate in deterius mutaretur; quoniam omni modo incommutabilis intelligitur Deus, sed ab eis qui non in contentione et æmulatione et vanæ gloriæ cupiditate amant loqui quod nesciunt, sed humilitate Christiana sentiunt de Domino in bonitate,
Sap. 1. 1. et in simplicitate cordis quærunt eum. Hanc ergo imbecillitatem nostram suscipere dignatus est Filius Dei, *et Verbum caro factum est,*

A *et habitavit in nobis*: non quia æternitas illa mutata est, sed quia mutabilem creaturam mutabilibus hominum oculis ostendit, quam incommutabili majestate suscepit. Johan. 1. 4.

CAPUT XI. Modus liberandi hominem per Filium Dei incarnatum quam conveniens.

12. Sunt autem stulti qui dicunt, Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de fœmina et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. Si enim non appareret oculis peccatorum, lumen ejus æternum utique, quod per interiores oculos videtur, iniquitatis mentibus videri non posset. Nunc autem quia visibiliter nos commonere dignatus est, ut ad invisibilia præpararet, displicet avaris, quia non aureum corpus habuit; displicet im-
B pudicis, quis de fœmina natus est: (Multum enim oderunt impudici, quod concipiunt et pariunt fœminæ:) displicet superbis, quod contumelias patientissime pertulit; displicet delicatis, quia cruciatus est; displicet timidis, quia mortuus est. Et ut non vitia sua videantur defendere, non in homine dicunt sibi hoc displicere, sed in Filio Dei. Non enim intelligunt quid sit æternitatis Dei, quæ hominem assumpsit; et quod ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem revocabatur, ut disceremus, docente ipso Domino, infirmitates quas peccando collegimus, recte faciendo posse sanari. Ostendebatur enim nobis ad quam fragilitatem homo sua culpa pervenerit, et ex qua fra-
C gilitate divino auxilio liberetur. Itaque Filius Dei hominem assumpsit, et in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si caritate Filii Dei non sanatur? Postremo quæ timiditas sanari potest, si resurrectione corporis (b) Christi Domini non b sanatur? Erigat spem suam genus humanum, et recognoscat naturam suam, videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipsos contemnere viri: Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere fœminæ: Filius Dei natus ex fœmina est. Nolite tamen amare car-
D nalia: quia in Filio Dei nec masculus nec fœmina sumus. Nolite amare temporalia: quia si bene amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias et cruces et mortem: quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei. Hæc omnis hortatio, quæ jam ubique prædicatur, ubique veneratur, quæ omnem obedientem animam sanat, non esset in rebus humanis, si non essent facta illa omnia quæ stultissimis displicent. Quem dignatur imitari vitiosa jactantia, ut ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum, de quo dictum est ante quam

(a) Sic Parv. cum MSS. Editi vero alii, *mysteria*.
(b) Editi Parv. Am. Er. et MSS. omittunt, *Christi Domini*. Unus tamen codex ejus loco habet, *Filii Dei*.

nascereiur, quod Filius Altissimi vocabitur, et A per omnes jam gentes, quod negare nemo potest, Filius Altissimi vocatur? Si multum de nobis sentimus, dignemur imitari eum qui Filius Altissimi vocatur: si parum de nobis sentimus, audeamus imitari piscatores et publicanos, qui eum imitati sunt. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem. Quis jam se extollat contra Filium Dei? Quis de se desperet, pro quo tamen humilis esse voluit Filius Dei? Quis beatam vitam esse arbitretur in iis quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? Quibus adversitatibus cedat, qui naturam hominis (a) tantis persecutionibus custoditam credit in Filio Dei? Quis sibi esse clausum regnum cœlorum putet, qui cognoscit publicanos et meretrices (b) imitatos esse Filium Dei? Qua perversitate non careat, qui facta et dicta intuetur et diligit et sectatur illius hominis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei?

Lucæ 1, 32. — Matth. 21, 31.

CAPUT XII. Christiana fides ubique viget et vincit.

13. Itaque jam et masculi et fœminæ, et omnis ætas, et omnis hujus sæculi dignitas ad spem vitæ æternæ commota est. Alii neglectis temporalibus bonis convolant ad divina. Alii cedunt eorum virtutibus qui hæc faciunt, et laudant quod imitari non audent. Pauci autem adhuc murmurant, et inani livore torquentur, aut qui sua quærunt in Ecclesia, quamvis videantur catholici, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici, aut peccatum impietatis suæ defendere cupientes Judæi, aut curiositatem vanæ (c) licentiæ perdere timentes pagani. Sed Ecclesia catholica per totum orbem longe lateque diffusa, impetus eorum prioribus temporibus frangens, magis magisque roborata est: non resistendo, sed perferendo. Nunc vero insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit, intelligentia dissolvit: criminatores palearum suarum non curat; quia tempus messis, et tempus arearum, et tempus horreorum caute diligenterque distinguit: criminatores autem frumenti sui, aut errantes corrigit, aut invidentes inter spinas et zizania computat.

*CAPUT XIII. Fides recta sit, et actio bona.

14. Subjiciamus ergo animam Deo, si volumus servituti subjicere corpus nostrum, et de diabolo triumphare. * Fides est prima quæ subjugat animam Deo; deinde præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, et nutritur caritas et lucere incipit quod antea tantummodo credebatur. Cum enim cognitio et actio (d) beatum hominem faciant: sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere, et ea quæ nascuntur et transeunt, pro magno habere; et ea concupiscere, et pro his laborare, ut adquirantur; et lætari, cum abundaverint; et timere, ne pereant; et contristari, cum pereunt. Talis vita non potest puram illam et sinceram et incommutabilem videre veritatem, et inhærere illi, et in æternum jam non (e) moveri. Itaque prius quam mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus; quoniam verissime dictum est per Prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Mens veritatis capax non est, nisi vitiis libera. — Isai. 7, 9, sec. LXX.

Fides Ecclesiæ de Trinitate.

15. Fides in Ecclesia brevissime traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi a carnalibus nondum possunt; et temporalia præterita et futura, quæ pro salute hominum gessit et gestura est æternitas divinæ providentiæ. Credamus ergo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum: hæc æterna sunt et incommutabilia, id est, unus Deus, unius substantiæ Trinitas æterna: Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

Rom. 11, 36.

CAPUT XIV. Non audiendi qui tres personas negant.

16. Nec eos audiamus, qui dicunt Patrem tantummodo esse, nec habere Filium, nec esse cum eo Spiritum sanctum; sed ipsum Patrem aliquando appellari Filium, aliquando Spiritum-sanctum. Nesciunt enim principium ex quo sunt omnia, et imaginem ejus per quam formantur omnia, et sanctitatem ejus in qua ordinantur omnia.

CAPUT XV. Nec audiendi qui inducunt tres deos.

17. Nec eos audiamus, qui indignantur et stomachantur, quia non tres deos colendos dicimus. Nesciunt enim quid sit una eademque substantia; et phantasmatis suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcumque corpora tria locis suis esse separata: sic putant intelligendam substantiam Dei; et multum errant, quoniam superbi sunt; et non possunt discere, quia nolunt credere.

CAPUT XVI. Nec illi qui negant æqualitatem et æternitatem personarum.

18. Nec eos audiamus, qui Patrem solum verum Deum et sempiternum esse dicunt, Filium autem non de ipso genitum, sed ab ipso factum de nihilo, et fuisse tempus quando non erat, sed tamen primum locum tenere in omni creatura, et Spiritum-sanctum minoris majestatis esse quam Filium, et ipsum factum esse post Filium; et horum trium diversas esse substantias, tamquam aurum et argentum et æramentum. Nesciunt enim quid loquantur, et de his rebus quas per oculos carneos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt. Quia re vera magnum est mente conspicere generationem, quæ non fit ex aliquo tempore, sed æterna est; et ipsam caritatem et sanctitatem, qua generator et generatus ineffabiliter sibi copulantur: magnum et difficile est hæc mente conspicere, etiamsi pacata et tranquilla sit. Non potest ergo fieri ut illi hæc videant, qui terrenas generationes nimis intuentur, et ad istas tenebras addunt adhuc fumum, quem sibi contentionibus et certaminibus quotidianis excitare non cessant,

(a) Editi, *a tantis*. Sed omnes MSS. carent præpositione *a*.
(b) Parv. et aliquot MSS. *imitatores esse Filii Dei*.
(c) Unus e Vaticanis MSS. *scientiæ*.
(d) Editi, *et actio dona sint Dei, et beatum hominem faciant*. At MSS. non habent, *dona sint Dei et*.
(e) Plerique MSS. *non mori*.

habentes animas carnis affectibus (a) diffluentes, tamquam ligna humore saginata, in quibus ignis fumum solum (b) vomit, et habere flammas lucidas non potest. Et hoc quidem de omnibus hæreticis rectissime dici potest.

Fides incarnationis Christi.

19. Credentes ergo incommutabilem Trinitatem, credamus etiam dispensationem temporalem pro salute generis humani (c). * Nec eos audiamus, qui Filium Dei Jesum Christum nihil esse aliud quam hominem dicunt, sed ita justum, ut dignus sit appellari Filius Dei. Et hos enim catholica disciplina misit foras; quoniam vanæ gloriæ cupiditate decepti, contentiose disputare voluerunt, ante quam intelligerent quid sit Dei Virtus et Dei Sapientia, et in principio Verbum, per quod *facta sunt omnia*, et quomodo *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*.

* CAPUT XVII. Negantes Christum esse Deum, non audiendi.

1. Cor. 1. 24. Johan. 1. 3. et 14.

CAPUT XVIII. Nec audiendi negantes Christum habuisse verum corpus.

20. Nec eos audiamus, qui non verum hominem suscepisse dicunt filium Dei neque natum esse de fœmina, sed falsam carnem et imaginem simulatam corporis humani ostendisse videntibus. Nesciunt enim quomodo substantia Dei administrans universam creaturam inquinari omnino non possit: et tamen prædicant istum visibilem solem radios suos per omnes fæces et sordes corporum spargere, et eos mundos et sinceros ubique servare. Si ergo visibilia munda a visibilibus immundis contingi possunt, et non inquinari; quanto magis invisibilis et incommutabilis Veritas per spiritum animam, et per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit? Itaque magnas patiuntur angustias, et cum timent, quod fieri non potest, ne humana carne Veritas inquinetur, Veritatem dicunt esse mentitam. Et cum ille præceperit, dicens, *Sit in ore vestro, Est, est; Non, non;* et Apostolus clamet, *Non erat in illo Est et Non, sed Est in illo erat;* isti totum corpus ejus falsam carnem fuisse contendunt, ut non sibi videantur imitari Christum, si non suis (d) Auditoribus mentiantur.

3. Sent. d. 3. c. Assumpsit, et 1. Sent. d. 37. c. Solet etiam.

Matth. 5. 37. 2. Cor. 1. 16.

Matth. 5. 37. 2. Cor. 1. 19.

CAPUT XIX. Nec negantes Christum habuisse mentem hominis.

21. Nec eos audiamus, qui trinitatem quidem in una æterna substantia confitentur; sed hominem ipsum, qui temporali dispensatione susceptus est, audent dicere non habuisse hominis mentem, sed solam animam et corpus. Hoc est dicere, Non fuit homo, sed membra corporis habebat humana. Animam enim et corpus habent et bestiæ, sed rationem non habent, quæ mentis est propria. Sed si exsecrandi sunt illi, qui eum negant humanum corpus habuisse, quod est infimum in homine, miror quod isti non erubescunt, qui hoc eum negant habuisse quod est optimum in homine. Multum enim lugenda est mens humana, si vincitur a corpore suo: siquidem in illo homine non reformata est, in quo ipsum corpus humanum jam dignitatem formæ cœlestis accepit. Sed absit ut hoc credamus, quod confinxit temeraria cæcitas et superba loquacitas.

CAPUT XX. Nec dicentes illum hominem non aliter susceptum a Sapientia Dei ac cæteros Sanctos, qui sapientes fiunt.

22. Nec eos audiamus, qui sic dicunt ab illa æterna Sapientia susceptum esse hominem, qui de virgine natus est, quomodo et alii homines ab ea sapientes fiunt, qui perfecte sapientes sunt. Nesciunt enim proprium illius hominis sacramentum, et putant hoc solum eum plus habuisse inter cæteros beatissimos, quod de virgine natus est. Quod ipsum si bene considerent, fortassis credant ideo illum hoc præter cæteros meruisse, quod aliquid proprium præter cæteros habet etiam ista susceptio. Aliud est enim sapientem tantum fieri per Sapientiam Dei, et aliud ipsam personam sustinere Sapientiæ Dei. Quamvis enim eadem natura sit corporis Ecclesiæ, multum tamen distare inter caput et membra cætera quis non intelligat? Si enim Ecclesiæ caput est homo ille, cujus susceptione *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* membra cætera sunt omnes sancti, quibus perficitur et completur Ecclesia. Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat et vivificat, sed in capite et vivendo sentit, et audiendo, et odorando, et gustando, et tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantum, et ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum; quia ipsius animæ, quæ consulit corpori, quodam modo personam sustinet caput, ibi enim omnis sensus apparet: sic universo populo sanctorum tamquam uni corpori caput est Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus. Et propterea Sapientia Dei et Verbum in principio per quod facta sunt omnia, non sic assumpsit illum hominem ut cæteros sanctos, sed multo excellentius, multoque sublimius: (e) quomodo ipsum solum assumi oportuit, in quo Sapientia (f) hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi. Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt; et aliter ille unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui Sapientiæ ipsius, per quam sapientes fiunt quicumque homines, non solum beneficium habet, sed etiam personam gerit. De cæteris enim sapientibus et spiritalibus animis recte dici potest, quod habeant in se Verbum Dei per quod facta sunt omnia: sed in nullo eorum recte dici potest, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* quod in solo Domino nostro Jesu Christo rectissime dicitur.

Johan. 1. 14.

1. Tim. 2. 5.

CAPUT XXI. Nec audiendi qui solum corpus a Verbo susceptum dicunt.

23. Nec eos audiamus, qui solum corpus humanum susceptum esse dicunt a Verbo Dei, et sic audiunt quod dictum est, *Et verbum caro factum est*, ut negent illum hominem vel animam vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam. Errant enim multum, nec intelligunt ideo carnem solam nominatam esse in eo quod dictum

Johan. 1. 14.

(a) Sic MSS. editi vero, *defluentes*.
(b) Fuxensis codex, *movet*.
(c) Hic editi addunt, *esse natum Deum:* quod a MSS. abest.
(d) Nonnulli codices *suis auctoribus:* male. Nam reprehenduntur istic Manichæi, in quibus erant alii Electi, alii Auditores.
(e) Sic MSS. Editi vero, *quoniam ipsum* etc.
(f) Editi, *Sapientia Dei Patris*. Abest *Dei Patris* a MSS.

est, *Verbum caro factum est*, quis hominum oculis, propter quos facta est illa susceptio, caro sola potuit apparere. Nam si absurdum est et valde indignum, ut humanum spiritum homo ille non habuerit, sicut superius tractavimus; quanto magis absurdum et indignum est, ut nec spiritum, nec animam habuerit, et hoc solum habuerit quod etiam in pecoribus vilius est et extremius, id est corpus? A nostra ergo fide etiam ista impietas excludatur, totumque hominem atque perfectum a Verbo Dei susceptum esse credamus.

CAPUT XXII. Nec qui corpus Christi negant formatum de fœmina, et dicunt sic factum, ut illud quo Spiritus apparuit in columba. Matth. 3. 16.

24. Nec eos audiamus, qui tale corpus Dominum nostrum habuisse dicunt, quale apparuit in columba, quam vidit Johannes Baptista descendentem de cœlo et manentem super eum in signo Spiritus-sancti. Ita enim persuadere conantur Filium Dei natum non esse de fœmina: Quia si carnalibus oculis eum oportebat ostendi, potuit, inquiunt, sic assumere corpus, quomodo Spiritus-sanctus. Non enim et columba illa de ovo nata est, ajunt; et tamen humanis oculis potuit apparere. Quibus primum illud respondendum est, quod ibi legimus in specie columbæ apparuisse Johanni Spiritum-sanctum, ubi legimus etiam Christum natum esse de fœmina; et non oportet in parte credere Evangelio, et in parte non credere. (Matth. 1. 20. etc.) Unde enim credis in columbæ specie demonstratum esse Spiritum-sanctum, nisi quia in Evangelio legisti? Ergo et ego inde credo Christum natum de virgine esse, quia in Evangelio legi. Quare autem Spiritus-sanctus non est natus de columba, quemadmodum Christus de fœmina, illa caussa est, quia non columbos liberare venerat Spiritus-sanctus, sed hominibus significare innocentiam et amorem spiritalem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est. Dominus autem Jesus Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus et mares et fœminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit; nec fœminas, quia de fœmina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per fœminam nobis mors acciderat, vita nobis per fœminam nasceretur: ut de utraque natura, id est fœminina et masculina, victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione lætabatur; cui parum fuerat ad pœnam si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur. Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum-sanctum autem fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus-sanctus: sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliorum columborum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare: cum (a) natura corporea et in visceribus fœminæ ad formandum hominem, et in ipso mundo ad formandum columbum imperio Domini voluntatique serviret. Sed stulti homines et miseri, quod aut ipsi facere non possunt, aut in vita sua numquam viderunt, etiam ab omnipotente Deo fieri potuisse non credunt.

Per fœminam mors, per fœminam vita.

CAPUT XXIII. Non audiendi, qui Filium Dei creaturam dicunt, quia passus est.

25. Nec eos audiamus, qui propterea volunt cogere, ut inter creaturas Filium Dei numeremus, quia passus est. Dicunt enim, Si passus est, mutabilis est: et si mutabilis est, creatura est; quia Dei substantia non potest immutari. Cum quibus etiam nos dicimus, et Dei substantiam commutari non posse, et creaturam esse mutabilem. Sed aliud est esse creaturam, et aliud suscipere creaturam. Filius ergo unigenitus Dei, qui est Virtus et Sapientia Dei, et Verbum per quod facta sunt omnia, quia immutari non potest omnino, suscepit humanam creaturam, quam lapsam erigere, atque inveteratam renovare dignatus est. Nec in ea per passionem ipse in deterius commutatus est, sed eam potius per resurrectionem in melius commutavit. Nec propterea Verbum Patris, id est unicum Dei Filium, per quem facta sunt omnia, negandum est natum et passum esse pro nobis. Et Martyres enim passos dicimus et mortuos propter regna cœlorum; nec tamen in ea passione et morte animæ eorum occisæ sunt. Dicit enim Dominus, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem nihil possunt facere.* Sicut ergo Martyres passos et mortuos dicimus in corporibus quæ portabant, sine animarum interfectione vel morte; sic Filium Dei passum et mortuum dicimus in homine quem portabat, sine divinitatis aliqua commutatione vel morte.

Filium Dei sine divinitatis mutatione passum esse.

Matth. 10. 28.

CAPUT XXIV. Non audiendi, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale fuerat sepultum.

26. Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum, est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis, *Palpate, et videte, quoniam spiritus ossa et* (b) *carnem non habet, sicut me videtis habere.* Sacrilegum est enim credere Dominum nostrum, cum ipse sit Veritas, in aliquo fuisse mentitum. Nec nos moveat quod clausis ostiis subito eum apparuisse discipulis scriptum est, ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus esse per clausa ostia intrare. Omnis enim possibilis sunt Deo. Nam et ambulare super aquas contra naturam hujus corporis esse manifestum est, et tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulavit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo et post resurrectionem de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud sicut splendorem solis, quare non potuit et post passionem ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare?

Luc. 24. 39.

Johan. 20. 26.

Matth. 19. 26.

Matth. 14. 25. et 29.

Matth. 17. 2.

CAPUT XXV. Nec negan-

27. Nec eos audiamus, qui negant ipsum corpus secum levasse in cœlum Dominum nostrum,

(a) Parv. et MSS. *creatura corporea.*

(b) Parv. *ossa et nervos.* Sic etiam plerique MSS. et his plures infra loco *Sacrilegum*, habent *Sacrilegium.*

tes corpus Christi sublatum in cœlum.

Johan. 3. 13.

et commemorant in Evangelio quod scriptum est, *Nemo adscendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit:* et dicunt, quia corpus non descendit de cœlo, non potuisse adscendere in cœlum. Non enim intelligunt, quoniam corpus non adscendit in cœlum: Dominus enim adscendit, corpus autem non adscendit, sed levatum est in cœlum illo levante qui adscendit. Si enim quis descendat; verbi gratia, de monte nudus, cum autem descenderit, vestiat se, et vestitus iterum, adscendat, recte utique dicimus, Nemo adscendit, nisi qui descendit: nec vestem consideramus quam secum levavit, sed ipsum qui vestitus est, solum dicimus adscendisse.

CAPUT XXVI. *Nec negantes Christum sedere ad dexteram Patris.*

28. Nec eos audiamus, qui negant ad dexteram Patris sedere Filium. Dicunt enim, Numquid Deus Pater habet latus dextrum aut sinistrum, sicuti corpora? Nec nos hoc de Deo Patre sentimus: nulla enim forma corporis Deus definitur atque concluditur. Sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis promittitur; sicut sinistra ejus rectissime dicitur miseria perpetua, quæ impiis datur: ut non in ipso Deo; sed in creaturis hoc modo, quo diximus, intelligatur dextera et sinistra. Quia et corpus Christi, quod est Ecclesia, in ipsa dextera, hoc est in ipsa beatitudine futurum est, sicut Apostolus dicit, quia *et simul nos suscitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus.* Quamvis enim corpus nostrum nondum ibi sit, tamen spes nostra jam ibi est. Propterea et ipse Dominus post resurrectionem jussit discipulis quos piscantes invenit, ut in dexteram partem mitterent retia. Quod cum fecissent, ceperunt pisces, qui omnes magni erant, id est, justos significabant, quibus dextera promittitur. Hoc significat, quod etiam in judicio dixit se agnos ad dexteram, hœdos autem ad sinistram esse positurum.

Dextera et sinistra Dei quid sit.

Ephes. 2. 6.

Johan. 21. 6.

Matth. 25. 31.

CAPUT XXVII. *Nec audiendi negantes judicium futurum.*

Johan. 3. 18.

29. Nec eos audiamus, qui negant diem judicii futurum, et commemorant quod in Evangelio scriptum est, eum qui credit in Christum, non judicari; qui autem non credit in illum, jam judicatum esse. Dicunt enim, Si et ille qui credit, non veniet in judicium, et ille qui non credit, jam judicatus est ubi sunt quos judicaturus est in die judicii? Non intelligunt sic loqui Scripturas, ut præteritum tempus pro futuro tempore insinuent: sicut supra diximus, quod Apostolus dixit de nobis, quod *simul nos sedere fecit in cœlestibus*, nondum factum est; sed quia certissime est futurum, ita dictum est quasi jam factum sit. Sicut et ipse Dominus discipulis dixit, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis:* et paulo post dicit, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo.* Quomodo ergo dixerat, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*, nisi quia illud per Spiritum-sanctum certissime facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est? Sic ergo cum audimus, *Quia credit in Christum, non veniet in judicium;* intelligamus, quia non veniet ad damnationem. Dicitur

Johan. 15. 15.

Johan. 16. 12.

Johan. 3. 18.

A enim judicium pro damnatione, sicut dicit Apostolus, *Qui non manducat, manducantem non judicet:* id est, non de illo male existimet. Et Dominus dicit, *Nolite judicare, ne judicetur de vobis.* Non enim tollit nobis intelligentiam judicandi, cum et Propheta dicat, *Si vere justitiam diligitis, recta judicate filii hominum:* et ipse Dominus dicat, *Nolite judicare personaliter, sed justum judicium judicate.* Sed illo loco ubi vetat judicare, illud admonet, ne damnemus aliquem, cujus vel cogitatio nobis non est aperta, vel nescimus qualis postea sit futurus. Sic ergo cum dixit, *ad judicium non veniet:* hoc dixit, quia non veniet ad damnationem. *Qui autem non credit, jam judicatus est:* hoc dixit, quia jam damnatus est præscientia Dei, qui novit quid immineat non credentibus.

Rom. 14. 3.

Matth. 7. 1.

Psal. 57. 2.

Johan. 7. 24.

B 30. Nec eos audiamus, qui dicunt Spiritum-sanctum, quem in Evangelio Dominus promisit discipulis, aut in Paulo apostolo venisse, aut in Montano et Priscilla, sicut Cataphryges dicunt, aut in nescio quo Manete vel Manichæo, sicut Manichæi dicunt. Tam enim cæci sunt isti, ut Scripturas manifestas non intelligant; aut tam negligentes salutis suæ, ut omnino non legant. Quis enim, cum legerit, non intelligat vel in Evangelio quod post Domini resurrectionem scriptum est, dicente Domino, *Ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete hic in civitate, quo usque induamini virtute ex alto?* Et in Actibus Apostolorum, postea quam Dominus abscessit a discipulorum oculis in cœlum, decem diebus peractis, die Pentecostes non attendunt apertissime venisse Spiritum-sanctum; et cum essent illi in civitate, sicut eos ante monuerat, implevisse illos, ita ut loquerentur linguis. Nam diversæ nationes quæ tunc aderant, unusquisque audientium suam linguam intelligebant. Sed isti homines decipiunt eos qui negligentes catholicam-fidem, et ipsam fidem suam quæ in Scripturis manifesta est, nolunt (a) discere, et quod est gravius et multum dolendum, cum in Catholica (b) negligenter versentur, hæreticis aurem diligenter accommodant.

CAPUT XXVIII. *Nec qui dicunt Spiritum promissum venisse in Paulo, aut Montano etc.*

Luc. 24. 49.

C

Act. 2. 4.

CAPUT XXIX. *Nec audiendi Donatistæ, negantes Ecclesiam per orbem esse diffusam.*

D 31. Nec eos audiamus, qui sanctam Ecclesiam, quæ una catholica est, negant per orbem esse diffusam, sed in sola Africa, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt adversus Prophetam dicentem, *Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Et alia multa, sive in veteris, sive in novi Testamenti libris, quæ scripta sunt, ut apertissime declarent Ecclesiam Christi per orbem terræ esse diffusam. Quod cum eis objicimus, dicunt jam ista omnia fuisse completa, ante quam esset pars Donati, sed postea totam Ecclesiam periisse, et in sola Donati parte reliquias ejus remansisse contendunt. O linguam superbam et nefariam! nec si vere sic viverent, ut vel inter se pacem postea custodirent. Nunc autem non ad-

Psal. 2. 7.

(a) Sic Parv. et plures MSS. At Am. Er. Lov. *discere.*
(b) Editi, addunt *fide*, cujus loco subaudiri potest, *Ecclesia.*

tendunt jam in ipso Donato completum fuisse quod dictum est, *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis*. Sicut enim Christum dividere conatus est, sic ipse a suis quotidiana concisione dividitur. Ad hoc etiam pertinet illud quod Dominus dicit, *Qui enim gladio percusserit, gladio morietur*. Gladius enim illo loco, siquidem in malo positus est, discordiosam linguam significat, qua tunc ille infelix Ecclesiam percussit, sed non occidit. Non enim dixit Dominus, Qui occiderit gladio, gladio morietur: sed *Qui gladio usus fuerit*, inquit, *gladio morietur*. Ergo ille percussit Ecclesiam lingua litigiosa, qua nunc ipse conceditur, ut omnino dispereat atque moriatur. Et tamen illud tunc apostolus Petrus, non superbia sua, sed quamvis carnali, tamen amore Domini fecerat. Itaque admonitus recondit gladium: iste autem nec victus boc fecit. Siquidem cum episcopo Cæciliano caussam cum diceret, audientibus episcopis Romæ, quos ipse petiverat, nihil eorum quæ intenderat potuit probare: et sic remansit in schismate, ut suo gladio moreretur. Populus autem ipsius, quando non audit Prophetas et Evangelium, in quibus apertissime scriptum est, Ecclesiam Christi per omnes gentes esse diffusam, et audit schismaticos, non Dei gloriam quærentes, sed suam, satis significat servum se esse, non liberum, et aurem dexteram se habere præcisam. Petrus enim errans in amore Domini, servo, non libero, aurem dexteram præcidit. Ex quo significat; eos qui gladio schismatis feriuntur, et servos esse carnalium desideriorum, nondum eductos in libertatem Spiritus-sancti, ut jam non confidant in homine; et non audire quod dextrum est, id est, Domini gloriam per catholicam Ecclesiam latissime pervagatam, sed audire sinistrum humanæ inflationis errorem. Sed tamen cum Dominus dicat in Evangelio, cum per omnes gentes Evangelium fuerit prædicatum, tunc finem esse futurum; quomodo isti dicunt, quod jam cæteræ omnes gentes ceciderunt a fide, et in sola parte Donati remansit Ecclesia, cum manifestum sit, ex quo ista pars ab unitate præcisa est, nonnullas gentes postea credidisse, et adhuc esse aliquas quæ nondum crediderunt, quibus quotidie non (*a*) cessatur Evangelium prædicari? Quis non miretur esse aliquem, qui se Christianum dici velit; et adversus Christi gloriam tanta impietate rapiatur, ut audeat dicere omnes populos gentium, qui modo adhuc accedunt Ecclesiæ Dei, et in Dei Filium festinanter credunt, inaniter facere, quia non eos aliquis Donatista baptizat? Sine dubio ista exsecrarentur homines, et eos sine dilatione relinquerent, si Christum quærerent, si Ecclesiam diligerent, si liberi essent, si aurem dexteram integram retinerent.

Matth. 7. 2.

Donatus ipse a suis divisus. Matth. 26. 52.

Donatus Romæ cum Cæciliano caussam dicens, nihil probat.

Matth. 23. 14.

Donatistæ baptismum, nisi ipsi dederint, inanem esse volunt.

CAPUT XXX. Non audiendi Luciferiani,

32. Nec eos audiamus, qui quamvis neminem rebaptizent, præciderunt se tamen ab unitate, et Luciferiani magis dici quam Catholici maluerunt. In eo enim quod intelligunt baptisma Christi non esse repetendum, recte faciunt. Sentiunt enim sacramentum sancti lavacri nusquam esse, nisi ex catholica Ecclesia; sed eam formam secum habere sacramenta præcisa, quam in ipsa vita, ante quam præciderentur, acceperant. Hi sunt enim de quibus Apostolus dicit, *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Est enim magna virtus pietatis, pax et unitas: quia unus est Deus. Hanc illi non habent, quia præcisi ab unitate sunt. Itaque, si qui ex ipsis ad Catholicam veniunt, non iterant speciem pietatis quam habent; sed accipiunt virtutem pietatis quam non habent. Nam et amputatos ramos denuo posse inseri, si non permanserint in incredulitate, apertissime Apostolus docet. Quod cum Luciferiani intelligunt, et non rebaptizant, non improbamus: sed quod etiam ipsi præcidi a radice voluerunt, quis non detestandum esse cognoscat? Et ideo maxime, quia hoc eis displicuit in Ecclesia catholica, quod vere catholicæ sanctitatis est. Nusquam enim tam vigere debent viscera misericordiæ, quam in catholica Ecclesia, ut tamquam vera mater nec peccantibus filiis superbe insultet, nec correctis difficile ignoscat. Non enim sine caussa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur, *Amas me? Pasce oves meas*. Debet ergo Ecclesia catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere; cum ipsi Petro personam ejus gestanti, et cum in mari titubasset, et cum Dominum carnaliter a passione revocasset, et cum aurem servi gladio præcidisset, et cum ipsum Dominum ter negasset, et cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eumque correctum atque firmatum usque ad Dominicæ passionis gloriam pervenisse. Itaque post persecutionem, quæ per Arianos hæreticos facta erat, postea quam pax, quam quidem Catholica in Domino tenet, etiam a principibus sæculi reddita est, episcopi qui perfidiæ Arianorum in illa (*b*) persecutione consenserant, multi correcti redire in Catholicam delegerunt, damnantes sive quod crediderant, sive quod se credidisse simulaverant. Hos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tamquam eumdem post pravam simulationem Pauli voce correctum. Hanc illi matris caritatem superbe accipientes, et impie reprehendentes, quia Petro post galli cantum surgenti non gratulati sunt, cum Lucifero, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.

qui licet non rebaptizent, præciderunt se ab Ecclesia, quia respiscentes ab Ariana hæresi recipiebat.

Rom. 11. 23.

Matth. 16. 19.

Johan. 21. 17.

Matth. 14. 30. et 16. 22. et 23. 51. 70.

Gal. 2. 12.

Matth. 26. 75. Isai. 14. 12.

CAPUT XXXI. Nec audiendi Cathari negantes Ecclesiam posse omnia

33. Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint, tamquam adulteras da-

(*a*) Unus e Vatic. *non cessat*.

(*b*) Nonnulli codices, *perturbatione*.

peccata dimittere, et viduas videas nubere. minant, et super doctrinam apostolicam se prædicant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mundos vocarent. Nolentes enim si peccaverint corrigi, nihil aliud elegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua (a) sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam; et viduas suas uri cogunt, quas nubere non permittunt. Non enim prudentiores, habendi sunt, quam Paulus apostolus, qui maluit eas nubere, quam uri. (1. Tim. 5. 14; 1. Cor. 7. 9.)

CAPUT XXXII. Nec qui resurrectionem carnis negant.

34. Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, et commemorant quod ait apostolus Paulus, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*: non intelligentes quod ipse dicit Apostolus, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Cum enim hoc factum fuerit, jam non erit * caro et sanguis, sed cæleste corpus. Quod et Dominus promittit, cum dicit, *Neque nubent, neque uxores ducent sed erunt æquales Angelis Dei.* Non enim jam hominibus, sed Deo vivent, cum æquales Angelis facti fuerint. Immutabitur ergo caro et sanguis, et fiet corpus cæleste et angelicum. *Et mortui enim resurgent incorrupti, et nos immutabimur:* ut et illud verum sit, quod resurget caro; et illud verum sit, quod *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* (1. Cor. 15. 50; Ibid. 53; * Confer 2. Retract. 3; Matth. 22. 30; 1. Cor. 15. 52.)

CAPUT XXXIII. Fidei simplicitate lactati oportet, cum parvuli sumus.

35. Ista fidei simplicitate et sinceritate lactati nutriamur in Christo, et cum parvuli sumus, majorum cibos non appetamus, sed nutrimentis saluberrimis crescamus in Christo, accedentibus bonis moribus et Christiana justitia, in qua est caritas Dei et proximi perfecta et firmata: ut unusquisque nostrum de diabolo inimico et angelis ejus triumphet in semetipso in Christo quem induit. Quia perfecta caritas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi, id est, nec cupiditatem ut adquirat res temporales, nec timorem ne amittat res temporales. Per quas duas januas intrat et regnat inimicus, qui primo Dei timore, deinde caritate pellendus est. Debemus itaque tanto avidius appetere apertissimam et evidentissimam cognitionem veritatis, quanto nos videmus in caritate proficere, et (b) ejus simplicitate cor habere mundatum, quia ipso interiore oculo videtur veritas: *Beati enim mundo corde*, inquit, *quia ipsi Deum videbunt. Ut in caritate radicati et fundati prævaleamus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum; scire etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei:* et post ista cum invisibili hoste certamina, quoniam volentibus et amantibus jugum Christi lene est, et sarcina ejus levis, coronam victoriæ mereamur. (Caritas perfecta nec cupiditatem sæculi compatitur, nec timorem. Cognitio veritatis corde mundato. Matth. 5. 8; Ephes. 3. 17, etc.; Matth. 11. 30.)

(a) Duo MSS. *sanctitate.*

(b) Editi, *in ejus simplicitate.* Abest *in* a MSS.

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM
DE
CATECHIZANDIS RUDIBUS

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT XIV.

Est etiam liber (*a*) noster de catechizandis rudibus, hoc ipso titulo præno- a
tatus. In quo libro ubi dixi, * *Nec angelus qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, et diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi: novit enim Deus ordinare deserentes se animas*: convenientius diceretur, deserentes se spiritus; quoniam de angelis agebatur. Hic liber sic incipit: *Petisti me, frater Deogratias.*

* Cap. 18.

(a) In quibusdam MSS. loco noster, est unus. Hunc porro librum suum Augustinus ibi recenset inter ea Opera, quæ circiter annum Christi 400. composuit.

SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE CATECHIZANDIS RUDIBUS
LIBER UNUS.*

* Scriptus circiter annum 400.

Rogatus Augustinus a Diacono Carthaginensi, catechizandi artem docendam suscipit: ac primo præcepta tradit, ut id officii non tantum certa methodo atque idonea ratione, sed etiam sine tædio et cum hilaritate impleatur. Postea revocatis ad usum præceptis, profert ipse in exemplum sermones, ad eum erudiendum qui Christianus esse velit, comparatos duos, longiorem unum, alterum brevissimum.

CAPUT I. Rogatus a diacono Carthaginensi scribit de catechizandis rudibus.

a PETISTI me, frater (a) Deogratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti enim quod sæpe apud Carthaginem, ubi diaconus es, ad te adducuntur, qui fide Christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem, et (b) doctrina fidei et suavitate sermonis: te autem pene semper angustias pati, idipsum quod credendo Christiani sumus, quo pacto commode intimandum sit; unde exordienda, quo usque sit perducenda narratio; utrum exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an præcepta sola, quibus observandis cui loquimur noverit Christianam vitam professionemque (c) retineri. Sæpe autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo et tepido tibi ipse vilesceres essesque fastidio, nedum illi quem loquendo imbuebas, et cæteris qui audientes aderant: eaque te necessitate fuisse compulsum, ut ea me quam tibi debeo caritate compelleres, ne gravarer inter occupationes meas tibi de hac re aliquid scribere.

CAPUT II. Sermo sæpe qui audienti placet displicet dicenti unde id contingat.

2. Ego vero non ea tantum quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesiæ universaliter debeo, caritate ac servitute compellor, si quid per operam meam quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus quos mihi fratres fecit, adjuvari jubet, nullo modo recusare, sed potius prompta et devota voluntate suscipere. Quanto enim cupio latius erogari pecuniam Dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facile atque expedite possint, quod impigre ac studiose volunt.

A 3. Sed quod ad tuam proprie considerationem pertinet, nolim te moveri ex eo quod sæpe tibi abjectum sermonem fastidiosumque habere visus es. Fieri enim potest, ut ei quem instruebas, non ita sit visum, sed quia tu aliquid melius audiri desiderabas, eo tibi quod dicebas videretur indignum auribus aliorum. Nam et mihi prope semper sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo sæpe fruor interius, ante quam eum explicare verbis sonantibus cœpero: quod ubi minus quam mihi notus est evaluero, contristor linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo ut qui me audit intelligat; et sentio me non ita loqui, ut hoc efficiam: maxime quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum; illa B autem locutio tarda et longa est, longeque dissimilis: et dum ista volvitur, jam se ille in secreta sua condidit: tamen quia vestigia quædam miro modo impressit memoriæ, perdurant illa cum syllabarum morulis, atque ex eisdem vestigiis sonantia signa peragimus, quæ lingua dicitur vel Latina, vel Græca, vel Hebræa, vel alia quælibet; sive cogitentur hæc signa, sive etiam voce proferantur; cum illa vestigia nec Latina, nec Græca vel Hebræa, nec cujusque alterius gentis sint propria, sed ita efficiantur in animo, ut vultus in corpore. Aliter enim Latine ira dicitur, aliter Græce, aliter atque aliter aliarum diversitate linguarum: non autem Latinus aut Græcus C est vultus irati. Non itaque omnes gentes intelligunt, cum quisque dicit, Iratus sum, sed Latini tantum: at si affectus excandescentis animi exeat in faciem, vultumque * faciat, omnes sentiunt qui intuentur iratum. Sed neque ita licet educere et quasi exporrigere in sensum audien-

* f. afficiat.

(a) Idem ille forsitan est Deogratias, cui presbytero Augustinus post annum Christi circiter 406, ad quæstiones paganorum ab eo sibi Carthagine missas respondet epistola nunc ordine 102.

(b) Lov. et *doctrinam fidei et suavitatem sermonis.*

(c) Sic in MSS. At in editis, *retinere.*

tium per sonum vocis illa vestigia, quæ imprimit intellectus memoriæ, sicut apertus et manifestus est vultus: illa enim sunt intus in animo, iste foris in corpore. Quapropter conjiciendum est, quantum distet sonus oris nostri ab illo ictu intelligentiæ, quando ne ipsi quidem impressioni memoriæ similis est. Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus: et quia non succedit angimur, et velut frustra operam insumamus, tædio marcescimus: atque ex ipso tædio languidior fit idem sermo, et hebetior quam erat, unde perduxit ad tædium.

Qui sermonem habet, curet ut sine fastidio et hilariter dicat.

4. Sed mihi sæpe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, ut videtur mihi: et eos inde aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco: mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur. Sic et tu, eo ipso quod ad te sæpius adducuntur qui fide imbuendi sunt, debes intelligere non ita displicere aliis sermonem tuum ut displicet tibi: nec infructuosum te debes putare, quod ea quæ cernis non explicas ita ut cupis; quando forte ut cupis nec cernere valeas. (1 Cor. 13. 12.) Quis enim in hac vita nisi in ænigmate et per speculum videt? Nec ipse amor tantus est, ut carnis disrupta caligine penetret in æternum serenum, unde utcumque fulgent etiam ista quæ transeunt. Sed quia boni proficiunt de die in diem ad videndum diem sine volumine cœli et sine noctis incursu, (1 Cor. 2. 9.) quem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit: nulla major caussa est, cur nobis in imbuendis rudibus noster sermo vilescat, nisi quia libet inusitate cernere, et tædet usitate proloqui. Et re quidem vera multo gratius audimur, cum et nos eodem opere delectamur: afficitur enim filum locutionis nostræ ipso nostro gaudio, et exit facilius atque acceptius. Quapropter non arduum est negotium, ea quæ credenda insinuantur, præcipere unde et quo usque narranda sint; nec quomodo sit varianda narratio, ut aliquando brevior, aliquando longior, semper tamen plena atque perfecta sit; et quando breviore, et quando longiore sit utendum: sed quibus modis faciendum sit, ut gaudens quisque catechizet, (tanto enim suavior erit, quanto magis id potuerit,) ea cura maxima est. Et præceptum quidem rei hujus in promptu est. (2 Cor. 9. 7.) Si enim in pecunia corporali, quanto magis in spiritali hilarem datorem diligit Deus? Sed hæc hilaritas ad horam ut adsit, ejus est misericordiæ qui ista præcepit. Itaque prius de modo narrationis quod te velle cognovi, tum de præcipiendo atque cohortando, postea de hac hilaritate comparanda, quæ Deus suggesserit, disseremus.

CAPUT III. Narratio

5. Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur ab eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, (Gen. 1. 1.) usque ad præsentia tempora Ecclesiæ. Non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totosque Judicum et Regnorum et (a) Esdræ libros, totumque Evangelium et Actus Apostolorum, vel, si ad verbum edidicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus narrando evolvere et explicare; quod nec tempus capit, nec ulla necessitas postulat: sed cuncta summatim generatimque complecti, ita ut eligantur quædam mirabiliora quæ suavius audiuntur, atque in ipsis (b) articulis constituta sunt, ut ea tamquam in involucris ostendere, statimque a conspectu abripere non oporteat, sed aliquantum immorando quasi resolvere atque expandere, et inspicienda atque miranda offerre animis auditorum: cætera vero celeri percussione inserendo contexere. Ita et illa quæ maxime commendari volumus, aliorum submissione magis eminent; nec ad ea fatigatus pervenit, quem narrando volumus excitare; nec illius memoria confunditur, quem docendo debemus instruere.

Plena quæ fieri debeat catechizando.

Ad caritatis finem dirigenda narratio.

6. In omnibus sane non tantum nos oportet intueri præcepti finem, quod est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, (1 Tim. 1. 5.) quo ea quæ loquimur cuncta referamus: sed etiam illius quem loquendo instruimus, ad id (c) movendus atque illuc dirigendus adspectus est. Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia quæ in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, et futuræ præsignaretur Ecclesia, id est, populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus; adjunctis atque annumeratis omnibus sanctis qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Sicut enim Jacob manum prius dum nasceretur emisit ex utero, qua etiam pedem prænascentis fratris tenebat, (Gen. 25. 25.) deinde utique secutum est caput, tum demum necessario membra cætera: sed tamen caput non tantum ea membra quæ secuta sunt, sed etiam ipsam manum quæ in nascendo præcessit, dignitate ac potestate præcedit; et quamvis non tempore apparendi, tamen naturæ ordine prius est: ita et Dominus Jesus Christus etsi ante quam appareret in carne, et quodam modo ex utero secreti sui ad hominum oculos Mediator Dei et hominum homo procederet, (1 Tim. 2. 5.) qui est super omnes Deus benedictus in sæcula, (Rom. 9. 5.) præmisit in sanctis Patriarchis et Prophetis quamdam partem corporis sui, qua velut manu se nasciturum esse prænuntians, etiam populum præcedentem superbe, vinculis legis tamquam digitis quinque (d) supplantavit, (quia et per quinque temporum articulos prænuntiari venturus prophetarique non destitit; et huic rei consonans per quem lex data est, quinque libros conscripsit: et superbi carnaliter sentientes, et suam justitiam volentes constituere, (Rom. 10. 3.) non aperta manu Christi repleti sunt benedictione, sed constricta

Scripturæ veteres propter commendandum Christi adventum, cujus finis caritas.

(a) In MSS. *Esræ*.
(b) Articuli temporum quinque notantur infra n. 6. et n. 39.
(c) Ita MSS. Editi vero, *monendus*.
(d) Aliquot MSS. *supplantaret*.

atque conclusa retenti sunt: itaque illis obligati [Psal. 19. 9.] sunt pedes, et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus:) quamvis ergo, ut dixi, præmiserit Dominus Christus quamdam partem corporis sui in sanctis, qui eum nascendi tempore [Coloss. 1. 18.] præierunt; tamen ipse est caput corporis Ecclesiæ; illique omnes eidem corpori cujus ille caput est cohæserunt, credendo in eum quem præ- [Rom. 13. 4.] nuntiabant. Non enim præcurrendo divulsi sunt, sed adjuncti potius obsequendo. Nam etsi manus a capite præmitti potest, connexio tamen ejus [1. Cor. 10. 11.] sub capite est. Quapropter omnia quæ ante scripta sunt; ut nos doceremur scripta sunt, et figuræ nostræ fuerunt, et in figura contingebant (a) in eis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit.

CAPUT IV. *Præcipua caussa adventus Christi, caritatis commendatio.*

7. Quæ autem major caussa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer; quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. [Rom. 5. 8.] Hoc autem ideo, quia finis præcepti et [1. Tim. 1. 5.] plenitudo legis, caritas est: [Rom. 13. 10.] ut et nos invicem diligamus, et quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic et nos pro fratribus ani- [1. Johan. 3. 16.] mam ponamus: et ipsum Deum quoniam prior [Ibidem 4. 10.] dilexit nos, et Filio suo unico non pepercit, sed [Rom. 8. 32.] pro nobis omnibus tradidit eum, si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando: et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Quod si in ipsis flagitiosis et sordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere qui amari vicissim volunt, nisi ut documentis quibus valent aperiant et ostendant quantum ament, eamque imaginem justitiæ prætendere affectant, ut invicem sibi reddi quoddam modo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliuntur; ipsique ardentius æstuant, cum jam moveri eodem igne etiam illas mente quas appetunt sentiunt: si ergo et animus qui torpebat, cum se amari senserit excitatur, et qui jam fervebat, cum se redamari didicerit, magis accenditur: manifestum est nullam esse majorem caussam, qua vel inchoetur vel augeatur amor, quam cum amari se cognoscit, qui nondum amat, aut redamari se vel posse sperat, vel jam probat, qui prior amat. Et si hoc etiam in turpibus amoribus, quanto (b) plus in amicitia? Quid enim aliud cavemus in offensione amicitiæ, nisi ne amicus arbitretur quod eum vel non diligimus, vel minus diligimus quam ipse nos diligit? Quod si crediderit, frigidior erit in eo amore quo invicem homines mutua familiaritate perfruuntur: et si non ita est infirmus, ut hæc illum offensio faciat ab omni dilectione frigescere; in ea se tenet, qua non ut fruatur, sed ut consulat diligit. Operæ pretium est autem animadvertere, quomodo, quamquam et superiores velint se ab inferioribus diligi, eorumque in se (c) studioso delectentur obsequio, et quanto magis id senserint, tanto magis eos diligant, tamen quanto amore exardescat inferior, cum a superiore se diligi senserit. Ibi enim gratior amor est, ubi non æstuat indigentiæ siccitate, sed ubertate (d) beneficentiæ profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia. Jam vero si etiam se amari posse a superiore desperabat inferior, ineffabiliter commovebitur in amorem, si ultro ille fuerit dignatus ostendere, quantum diligat eum qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo judicante, et quid desperatius homine peccante? qui se tanto magis tuendum et subjugandum superbis potestatibus addixerat, quæ beatificare non possunt, quanto magis desperaverat posse sui curam geri ab ea potestate, quæ non malitia sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est.

8. Si ergo maxime propterea Christus advenit, [Ad dilectionem referenda esse quæ de Christo ex Scripturis narrantur in catechismo.] ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus; et ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem a quo prior dilectus est inardesceret, proximumque illo jubente et demonstrante diligeret, qui non proximum, sed longe peregrinatem diligendo factus est proximus; omnisque Scriptura divina quæ ante scripta est, ad prænuntiandum adventum Domini scripta est; et quidquid postea mandatum est litteris et divina auctoritate firmatum, Christum narrat, et dilectionem monet: manife- [Matth. 22. 40.] stum est non tantum totam Legem et Prophetas in illis duobus pendere præceptis dilectionis Dei et proximi, quæ adhuc sola Scriptura sancta erat cum hoc Dominus diceret, sed etiam quæcumque posterius salubriter (e) conscripta sunt memoriæque mandata divinarum volumina litterarum. Quapropter in veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris. Secundum illam occultationem carnaliter intelligentes carnales, et tunc et nunc pœnali timore subjugati sunt. Secundum hanc autem manifestationem spiritales, et tunc quibus pie pulsantibus etiam occulta patuerunt, et nunc qui non superbe quærunt, ne etiam aperta claudantur, spiritaliter intelligentes donata caritate liberati sunt. Quia ergo caritati nihil adversius quam invidentia; mater autem invidentiæ superbia est: idem Dominus Jesus Christus, Deus homo, et divinæ in nos dilectionis indicium est, et humanæ apud nos humilitatis exemplum, ut magnus tumor noster majore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria, superbus homo: sed major misericordia, humilis Deus. Hac ergo dilectione tibi tamquam fine proposito, quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.

CAPUT V. *Accedens ad catechis-*

9. De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, caritas

(a) Editi, *contingebant eis*: omissa particula in quæ tamen hic reperitur in MSS. et in Græco textu Apostoli 1. Cor. 10. 11.

(b) Plerique MSS. *parius*. Am. et MS. Vatic. *plurius*.

(c) Sic MSS. At editi, *studiose*.

(d) Veteres libri *beneficientiæ*.

(e) Am. Er, et plures MSS. *consecrata*. Alii duo MSS. *consecuta*.

mum scrutandus quo fine velit fieri Christianus.

ædificanda est, ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare sudeat, ejusque in se dilectioni, etiamsi impune posset, tamen displicere vereatur. Rarissime quippe accidit, immo vero numquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus. Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offensionem aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus; non fieri vult potius quam fingere. Fides enim non res a est (a) salutantis corporis, sed credentis animi. Sed plane sæpe adest misericordia Dei per ministerium catechizandis, ut sermone commotus jam fieri velit, quod decreverat fingere: quod cum velle cœperit, tunc eum venisse deputemus. Et b occultum quidem nobis est (b) quando veniat animo, quem jam corpore præsentem videmus: sed tamen sic cum eo debemus agere, ut fiat in illo hæc voluntas, etiamsi non est. Nihil enim deperit, quando si est, utique tali nostra actione firmatur, quamvis quo tempore, vel qua hora cœperit, ignoremus. Utile est sane, ut præmoneamur antea, si fieri potest ab iis qui eum norunt, in quo statu animi sit, vel quibus caussis commotus ad suscipiendam religionem venerit. Quod si defuerit alius a quo id noverimus, etiam ipse interrogandus est, ut ex eo quod responderit ducamus sermonis exordium. Sed si ficto pectore accessit, humana commoda cupiens, vel incommoda fugiens, utique mentiturus est: tamen ex eo ipso quod mentitur, capiendum est principium; non ut refellatur ejus mendacium, quasi tibi certum sit; sed ut si dixerit eo proposito se venisse quod vere approbandum est, sive ille verum sive falsum dicat, tale tamen propositum quale se venisse respondit, approbantes atque laudantes, faciamus eum delectari esse se talem, qualem videri cupit. Si autem aliud dixerit, quam oportet esse in animo ejus qui Christiana fide imbuendus est; blandius et lenius reprehendendo tamquam rudem et ignarum, et Christianæ doctrinæ finem verissimum demonstrando atque laudando breviter et graviter, ne aut tempora futuræ narrationis occupes, aut eam non prius collocato animo audeas imponere, facias eum velle quod aut per errorem aut per simulationem nondum volebat.

* CAPUT VI. Exordium catechismi, et narratio ab historia creationis mundi: usque ad præsens tempus Ecclesiæ.

10. Quod si forte se divinitus admonitum vel territum esse responderit, ut fieret Christianus, lætissimum nobis exordiendi aditum præbet, quanta Deo sit cura pro nobis. Sane ab hujusmodi miraculorum sive somniorum, ad Scripturarum solidiorem viam et oracula certiora transferenda est ejus intentio: ut et illa admonitio quam misericorditer ei prærogata sit, noverit, ante quam Scripturis sanctis inhæreret. Et utique demonstrandum est ei, quod ipse Dominus A non eum admoneret aut compelleret fieri Christianum et incorporari Ecclesiæ, seu talibus signis aut revelationibus erudiret, nisi jam præparatum iter in Scripturis sanctis, ubi non quæreret visibilia miracula, sed invisibilia sperare consuesceret, neque dormiens, sed vigilans moneretur, eum securius et tutius carpere voluisset. Inde jam exordienda narratio est, ab eo quod fecit Deus omnia bona valde, et perducenda, ut diximus, usque ad præsentia tempora Ecclesiæ: ita ut singularum rerum atque gestarum quæ narramus, caussæ rationesque reddantur, quibus ea referamus ad illum finem dilectionis, unde neque agentis aliquid neque loquentis oculus avertendus est. Si enim fictas poetarum fabulas, et ad (c) voluptatem excogitatas animorum quorum cibus nugæ sunt, tamen boni qui habentur atque appellantur Grammatici, ad aliquam utilitatem referre conantur, quamquam et ipsam vanam et avidam saginæ sæcularis: quanto nos decet esse cautiores, ne illa quæ vera narramus sine suarum caussarum redditione digesta, aut inani suavitate, aut etiam perniciosa cupiditate credantur. Non tamen sic asseramus has caussas, ut relicto narrationis tractu, cor nostrum et lingua in nodos difficilioris disputationis excurrat; sed ipsa veritas (d) adhibitæ rationis, quasi aurum sit gemmarum ordinem ligans, non tamen ornamenti seriem ulla immoderatione perturbans.

Gen. I. 31.

CAPUT VII. Resurrectio, judicium, et alia quædam post narrationem intimanda.

11. Narratione finita, spes resurrectionis intimanda est, et pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo, adversus vanas irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, et futuri ultimi judicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes; commemoratisque cum detestatione et horrore pœnis impiorum, regnum justorum atque fidelium et superna illa civitas ejusque gaudium cum desiderio prædicandum est. Tum vero instruenda et animanda est infirmitas hominis adversus tentationes et scandala, sive foris sive in ipsa intus Ecclesia: foris adversus gentiles vel Judæos vel hæreticos; intus autem adversus areæ Dominicæ paleam. Non ut contra singula perversorum genera disputetur, omnesque illorum pravæ opiniones propositis quæstionibus refellantur; sed pro tempore brevi demonstrandum est, ita esse prædictum, et quæ sit utilitas tentationum erudiendis fidelibus, et quæ medicina in exemplo patientiæ Dei, qui statuit usque in finem ista permittere. Cum vero adversus eos instruitur, quorum perversæ turbæ corporaliter implent ecclesias, simul etiam præcepta breviter et decenter commemorentur Christianæ atque honestæ conversationis, ne ab ebriosis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, spectaculorum amatoribus, remediorum sacrilegorum alligatoribus, præcantatoribus, ma-

(a) Editi Er. et Lov. *salvandi*. Nonnulli codices, *solucis*. Quidam, *salientis*. Sed plerique ac melioris notæ MSS. cum editione Am. *salutantis*, id est, salutem sive assensum gestu significantis.

(b) Sic Am. Er. et MSS. At Lov. *quo*.

(c) Am. et plerique MSS. *voluntatem*.

(d) Sic vetus codex Corbejensis. At Victorinus, *adhibita narrationis*. Editiones Am. et Er. *adhibita ratione*.

thematicis, vel quarumlibet artium vanarum et A malarum divinatoribus, atque hujusmodi cæteris ita facile seducatur, et impunitum sibi fore arbitretur, quia videt multos qui Christiani appellantur, hæc amare, et agere, et defendere, et suadere, et persuadere. Quis enim finis præstitutus sit in tali vita perseverantibus, et quam sint in ipsa Ecclesia tolerandi, ex qua in fine separandi sunt, divinorum librorum testimoniis edocendum est. Prænuntiandum est etiam inventurum eum in Ecclesia multos Christianos bonos, verissimos cives cælestis Jerusalem, si esse ipse cœperit. Ad extremum ne spes ejus in homine ponatur, sedulo monendus est: quia neque facile ab homine judicari potest quis homo sit justus; et si facile posset, non ideo nobis proponi exempla justorum, ut ab eis justificemur, sed ut B eos imitantes ab eorum justificatore nos quoque justificari sciamus. Hinc enim fiet, quod maxime commendandum est, ut cum ille qui nos audit, immo per nos audit Deum, moribus et scientia proficere cœperit, et viam Christi alacriter ingredi, nec nobis id audeat assignare, nec sibi; sed et se ipsum, et nos, et quoscumque alios diligit amicos, in illo et propter illum diligat, qui eum dilexit inimicum, ut justificans faceret amicum. Hic jam non te puto præceptore indigere, ut cum occupata sunt tempora, vel tua, vel eorum qui te audiunt, breviter agas; cum autem largiora, largius eloquaris: hoc enim nullo admonente ipsa necessitas præcipit.

CAPUT VIII. Eruditi quomodo catechizandi.

12. Sed illud plane non prætereundum est, ut si ad te quisquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus, qui jam decreverit esse C Christianus, et ideo venerit ut fiat, difficillimum omnino est ut non multa nostrarum scripturarum litterarumque cognoverit, quibus jam instructus ad sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora qua Christiani fiunt, sed ante solent omnia diligenter inquirere, et motus animi sui, cum quibus possunt, communicare atque discutere. Cum (a) his itaque breviter agendum est, et non (a) odiose inculcando quæ norunt, sed modeste perstringendo; ita ut dicamus nos credere quod jam noverit illud, atque illud: atque hoc modo cursim enumerare omnia quæ rudibus indoctisque inculcanda sunt: ut etsi quid novit eruditus iste, non tamquam a doctore audiat; et si quid adhuc ignorat, dum ea commemoramus quæ illum nosse jam credimus, discat. Nec ipse sane D inutiliter interrogatur, quibus rebus motus sit, ut velit esse Christianus: ut si libris ei persuasum esse videris, sive canonicis, sive utilium Tractatorum, de his aliquid in principio loquaris, collaudans eos pro diversitate meritorum ca- (b) nonicæ auctoritatis et (b) exponentium solertissimæ diligentiæ; maximeque commendans in scripturis canonicis admirandæ altitudinis saluberrimam humilitatem, in illis autem pro sua cujusque facultate aptum superbioribus, et per hoc infirmioribus animis, stilum sonantioris et quasi tornatioris eloquii. Sane etiam exprimens dum de illo est, ut indicet quem maxime legerit, et quibus libris familiarius inhæserit, unde illi persuasum est, ut sociari vellet Ecclesiæ. Quod cum dixerit, tum si nobis noti sunt illi libri, aut ecclesiastica fama saltem accepimus a catholico aliquo memorabili viro esse conscriptos, læti approbemus. Si autem in alicujus hæretici volumina incurrit, et nesciens forte quod vera fides improbat, tenuit animo, et catholicum esse arbitratur; sedulo edocendus est, prælata auctoritate universalis Ecclesiæ aliorumque doctissimorum hominum et disputationibus et scriptionibus in ejus veritate florentium. Quamquam et illi qui catholici ex hac vita emigrarunt, et aliquid litterarum Christianarum posteris reliquerunt, in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel sicuti est humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, et veri similitudine aberrantes a veritate, præsumptoribus et audacibus fuerunt occasioni ad aliquam hæresim moliendam atque gignendam. Quod mirum non est, cum de ipsis canonicis litteris, ubi omnia sanissime dicta sunt non quidem aliter accipiendo quædam, quam vel scriptor sensit, vel se ipsa veritas habet: (nam si hoc solum esset, quis non humanæ infirmitati ad corrigendum paratæ libenter ignosceret?) sed id quod perverse ac prave opinati sunt, animositate acerrima et pervicaci arrogantia defensitantes, multi multa perniciosa dogmata, concisa communionis unitate pepererunt. Hæc omnia cum illo, qui ad societatem populi Christiani, non idiota, ut ajunt, sed doctorum libris expolitus atque excultus accedit, modesta collatione tractanda sunt: tantum assumpta præcipiendi auctoritate, ut caveat præsumptionis errores; quantum ejus humilitas quæ illum adduxit, jam sentitur admittere. Cætera vero secundum regulas doctrinæ salutaris, sive de fide, quæcumque narranda vel disserenda sunt, sive de moribus, sive de tentationibus, eo modo percurrendo quo dixi, ad illam supereminentiorem viam omnis referenda sunt.

CAPUT IX. Grammatici et Oratores quomodo tractandi.

13. Sunt item quidam de scholis usitatissimis Grammaticorum Oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. His ergo qui loquendi arte ceteris hominibus excellere videntur, cum veniunt ut Christiani fiant, hoc amplius quam illis illitteratis impertire debemus, quod sedulo monendi sunt, ut humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare; et cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant quam etiam præferre consueverant. Maxime autem isti docendi sunt Scripturas audire divinas, ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum; neque arbitrentur carnalibus

(a) Aliquot MSS. *otiose.*

(b) Plures codices, *et ad exponendum.*

A integumentis involuta atque operta dicta vel facta hominum, quæ in illis libris leguntur, non evolvenda atque aperienda ut intelligantur, sed sic accipienda ut litteræ sonant; deque ipsa utilitate secreti, unde etiam mysteria vocantur, quid valeant ænigmatum latebræ ad amorem veritatis acuendum (a), decutiendumque fastidii torporem, ipsa experientia probandum est talibus, cum aliquid eis quod in promptu positum non ita movebat, enodatione allegoriæ alicujus eruitur. His enim maxime utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos. Noverint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum: ita enim non irridebunt, si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis et solœcismis Deum invocare, vel eadem verba quæ pronuntiant non intelligere perturbateque distinguere. Non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id quod plane intelligit, dicat Amen: sed tamen pie toleranda sunt ab eis, qui didicerint, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnumquam forte bona dictio, numquam tamen benedictio dici potest. De sacramento autem quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire quid res illa significet: cum tardioribus autem aliquanto pluribus verbis et similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident.

Vox ad aures Dei, animi affectus.

CAPUT X.

Jam de hilaritate comparanda.

C 14. Hic tu fortasse exemplum aliquod sermonis desideras, ut ipso tibi opere ostendam, quomodo facienda sint ista quæ monui. Quod quidem faciam, quantum Domino adjuvante potuero: sed prius de illa hilaritate comparanda, quod pollicitus sum, dicere debeo. Jam enim de ipsis præceptis explicandi sermonis, in catechizando eo qui sic venit ut Christianus fiat, quantum satis visum est, quod promiseram exsolvi. Indebitum quippe est, ut etiam ipse faciam in hoc volumine, quod fieri oportere præcipio. Si ergo fecero, ad cumulum valebit: cumulus autem quo pacto a me superfundi potest, ante quam mensuram debiti explevero? Neque enim te maxime conqueri audivi, nisi quod tibi sermo tuus vilis abjectusque videretur, cum aliquem Christiano nomine imbueres. D Hoc autem scio non tam rerum quæ dicenda sunt, quibus te satis novi paratum et instructum, neque ipsius locutionis inopia, sed animi tædio fieri; * vel illa caussa quam dixi, quia magis nos delectat et tenet, quod in silentio mente cernimus, nec inde volumus avocari ad verborum longe disparem strepitum; * vel quia etiam cum sermo jucundus est, magis non libet audire aut legere quæ melius dicta sunt, et quæ sine nostra cura et sollicitudine promuntur, quam ad alienum sensum repentina verba coaptare incerto exitu, sive utrum occurrant pro

Caussæ sex tædium afferentes catechizanti. * 1. caussa tædii.

* 2.

A sententia sive utrum accipiantur utiliter, * vel quia illa quæ rudibus insinuantur, eo quod nobis notissima sunt, et provectui nostro jam non necessaria, piget ad ea sæpissime redire, nec in eis tam usitatis et tamquam infantilibus cum aliqua voluptate jam grandiusculus animus graditur. * Facit etiam loquenti tædium auditor immobilis, ((b) vel quia non movetur affectu, vel quia nullo motu corporis indicat se intelligere vel sibi placere quæ dicuntur :) non quia humanæ laudis nos esse avidos decet, sed quia ea quæ ministramus Dei sunt; et quanto magis diligimus eos quibus loquimur, tanto magis eis cupimus ut placeant, quæ ad eorum porriguntur salutem: quod si non succedit, contristamur, et in ipso cursu debilitamur et frangimur, quasi B frustra operam conteramus. * Nonnumquam etiam cum avertimur ab aliqua re, quam desideramus agere, et cujus actio aut delectabat nos, aut magis nobis necessaria videbatur, et cogimur aut jussu ejus quem offendere nolumus, aut aliquorum inevitabili instantia catechizare aliquem, jam conturbati accedimus ad negotium cui magna tranquillitate opus est, dolentes quod neque ordinem actionem nobis conceditur tenere quem volumus, nec sufficere omnibus possumus: atque ita ex ipsa tristitia sermo procedens minus gratus est, quia de ariditate mœstitiæ minus exuberat. * Aliquando item ex aliquo scandalo mœror pectus obsedit, et tunc nobis dicitur, Veni, loquere huic, Christianus vult fieri. (c) Dicitur enim ab ignorantibus quid nos clausum intus exurat: C quibus si affectum nostrum aperire non oportet, suscipimus ingratius quod volunt: et profecto languidus et insuavis ille sermo erit per venam cordis æstuantem fumantemque trajectus. Tot igitur ex caussis, quælibet earum serenitatem nostræ mentis obnubilet, secundum Deum sunt quærenda remedia, quibus relaxetur illa contractio, et fervore spiritus exultemus et jucundemur in tranquillitate boni operis. *Hilarem enim datorem diligit Deus.*

* 3.

* 4.

* 5.

* 6. Caussa tædii.

15. Si enim caussa illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, a cujus cacumine quodam modo descendentes cogimur in syllabarum longe infra distantium tarditate demorari, et curam gerimus quemadmodum longis et perplexis anfractibus procedat ex ore carnis, D quod celerrimo haustu mentis imbibitur, et quia multum dissimiliter exit, tædet loqui, et libet tacere: cogitemus quid nobis prærogatum sit ab illo, qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quantumvis enim differat articulata vox nostra ab intelligentiæ nostræ vivacitate, longe differentior est mortalitas carnis ab æqualitate Dei. Et tamen cum in eadem *forma esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens,* (d) etc. usque ad *mortem crucis*. Quam ob caussam, nisi quia factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrificaret? Audi ejus imita-

2. Cor. 9. 7. Remedium contra 1. caussam tædii.

1. Petri 2. 21.

Philip. 2. 7. et 8.

1 Cor. 9. 22.

(a) Sic plures MSS. At editi, *discutiendumque*.
(b) Absunt hæc verba a plerisque MSS. et ab Am. Er.
(c) Sola editio Lov. *Nescitur*.

(d) Istas voces, *etc. usque ad*, librarii sunt prætereuntis, ut solet, verba intermedia citati loci.

(2. Cor. 5. 13. et 14.) torem alibi etiam dicentem, *Sive enim mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis. Caritas enim Christi compellit nos, indicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est.* Quomodo enim paratus esset (2. Cor. 12. 15.) impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? (1. Thess. 2. 7.) Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, tamquam nutrix fovens filios suos. Num enim delectat, nisi amor invitet decurtata et mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant: et suavius est matri minuta mansa inspuere parvulo filio, quam ipsam mandere ac devorare grandiora. Non (Matt. 23. 37.) ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, et susurrantes pullos confracta voce advocat; cujus blandas alas refugientes superbi, præda fiunt alitibus. Si enim intellectus delectat in penetralibus sincerissimis, hoc etiam intelligere delectet, quomodo caritas, quanto officiosius descendit in infima, tanto robustius recurrit in intima per bonam conscientiam nihil (*a*) quærendi ab eis ad quos descendit, præter eorum sempiternam salutem.

CAPUT XI. Remedium contra 2. tædii causam.

16. Si autem magis appetimus, ea quæ jam parata sunt et melius dicta legere vel audire, et ideo piget incerto exitu ad tempus conflare quæ loquimur: tantum a veritate rerum non aberret animus, facile est ut si in verbis auditorem aliquid offenderit, ex ipsa occasione discat, quam sit re intellecta contemnendum, si minus integre, aut si minus proprie sonare potuit, quod ideo sonabat ut res intelligeretur. Quod si humanæ infirmitatis intentio etiam ab ipsa rerum veritate aberraverit; quamquam in catechizandis rudibus, ubi via tritissima tenenda est, difficile potest accidere: tamen ne forte accidat ut etiam hinc offendatur auditor, non aliunde nobis debet videri accidisse, nisi quia Deus experiri nos voluit, utrum cum mentis placiditate corrigamur, ne in defensionem nostri erroris majore præcipitemur errore. Quod si nemo nobis dixerit, nosque et illos qui audierunt omnino latuerit, nullus dolor est, si non fiat iterum. Plerumque autem nos ipsi recolentes quæ diximus, reprehendimus aliquid, et ignoramus quomodo cum diceretur acceptum sit; magisque dolemus, quando in nobis fervet caritas, si cum falsum esset, libenter acceptum est. Ideoque opportunitate reperta, sicut nos ipsos in silentio reprehendimus, ita curandum est, ut etiam illi sensim corrigantur, qui non Dei verbis, sed plane nostris in aliquam lapsi sunt falsitatem. Si vero aliqui livore vesano cæci errasse nos gaudent, (Rom. 1. 30.) susurrones, detractores, Dei odibiles; præbeant nobis materiam exercendæ patientiæ cum mise(Rom. 2. 4. et 5.)ricordia, quia et patientia Dei ad pœnitentiam eos adducit. Quid enim est detestabilius, et quod magis thesaurizet iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, quam de malo alterius (*b*) mala diaboli similitudine atque imitatione lætari? Nonnumquam etiam, cum recte omnia vereque dicantur, aut non intellectum aliquid, aut contra opinionem et consuetudinem veteris erroris ipsa novitate asperum, offendit et perturbat audientem. Quod si apparuerit, sanabilemque se præbet, auctoritatum rationumque copia sine ulla dilatione sanandus est. Si autem tacita et occulta offensio est, Dei medicina opitulari potest. At si resiluerit, et curari recusaverit, consoletur nos dominicum illud exemplum, qui offensis hominibus ex verbo suo, et tamquam durum refugientibus, etiam iis qui remanserant ait, *Numquid et vos vultis ire?* (Joban. 6. 68.) Satis enim FIXUM ATQUE IMMOBILE debet corde retineri, Jerusalem captivam ab hujus sæculi Babylonia decursis temporibus liberari, nullumque ex illa esse periturum; quia qui perierit, non ex illa erat. (2. Tim. 2. 19.) *Firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt ejus, et recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Ista cogitantes, et invocantes Dominum in cor nostrum, minus timebimus incertos exitus sermonis nostri propter incertos motus auditorum, delectabitque nos etiam ipsa perpessio molestiarum pro misericordi opere, si non in eo nostram gloriam requiramus. Tunc enim est vere opus bonum, cum a caritate jaculatur agentis intentio, et tamquam ad locum suum rediens, rursus in caritate requiescit. Lectio vero quæ nos delectat, aut aliqua auditio melioris eloquii, ut eam promendo sermoni nostro præponere volentes, cum pigritia vel tædio loquamur, alacriores nos suscipiet, jucundiorque præstabitur post laborem; et majore fiducia deprecabimur, ut loquatur nobis Deus quomodo volumus, si suscipiamus hilariter ut loquatur per nos quomodo possumus: ita fit ut diligentibus Deum omnia concurrant in bonum. (Rom. 8. 28.)

CAPUT XII. Remedium contra 3. causam tædii.

17. JAM vero si usitata et parvulis congruentia sæpe repetere fastidimus: congruamus eis per fraternum, paternum, maternumque amorem, et copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur. Tantum enim valet animi compatientis affectus, ut cum illi afficiuntur nobis loquentibus, et nos illis discentibus, habitemus in invicem; atque ita et illi quasi audiunt quasi loquantur in nobis, et nos in illis discamus quodam modo quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cum loca quædam ampla et pulcra, vel urbium vel agrorum, quæ jam nos sæpe videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis qui antea numquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur? Et tanto magis, quanto sunt amiciores: quia per amoris vinculum in quantum in illis sumus, in tantum et nobis nova fiunt quæ vetera fuerant. Sed si in rebus contemplandis aliquantum profecimus, non volumus eos quos diligimus lætari et stupere, cum intuentur opera manuum hominum; sed volumus eos in ipsam (*c*) artem consiliumve institutoris attollere, atque inde ex-

(a) Sic MSS. Editi vero, *nihil quærendo.*
(b) Ita in MSS. At in editis, *mera.*

(c) Editi, *arcem.* Aptius MSS. *artem.*

surgere in admirationem laudemque omnicreantis Dei, ubi amoris fructuosissimus finis est: quanto ergo magis delectari nos oportet, cum ipsum Deum jam discere homines accedunt, propter quem discenda sunt quæcumque discenda sunt; et in eorum novitate innovari, ut si frigidior est (a) solita nostra prædicatio, insolita eorum auditione fervescat. Huc accedit ad comparandum lætitiam, quod cogitamus et consideramus, de qua erroris morte in vitam fidei transeat homo. Et si vicos usitatissimos cum benefica hilaritate transimus, quando alicui forte qui errando laboraverat, demonstramus viam: quanto alacrius et cum gaudio majore in doctrina salutari, etiam illa quæ propter nos retexere non opus est, perambulare debemus; cum animam miserandam et erroribus sæculi fatigatam per itinera pacis, ipso qui nobis (b) eam præstitit jubente, deducimus?

CAPUT XIII. Remedium contra 4. caussam fastidii.

18. Sed re vera multum est perdurare in loquendo usque ad terminum præstitutum, cum moveri non videmus audientem; quod sive non audeat, religionis timore constrictus, voce aut aliquo motu corporis significare approbationem suam, sive humana verecundia reprimatur; sive dicta non intelligat, sive contemnat: quandoquidem nobis non cernentibus animum ejus incertum est, omnia sermone tentanda sunt, quæ ad eum excitandum et tamquam de latebris eruendum possint valere. Nam et timor nimius atque impediens declarationem judicii ejus, blanda exhortatione pellendus est, et insinuando fraternam societatem verecundia temperanda, et interrogatione quærendum utrum intelligat, et danda fiducia, ut si quid ei contradicendum videtur, libere proferat. Quærendum etiam de illo, utrum hæc aliquando jam audierit, et fortassis eum tamquam nota et pervulgata non moveant; et agendum pro ejus responsione, ut aut planius et enodatius loquamur, aut opinionem contrariam refellamus, aut ea quæ illi nota sunt non explicemus latius, sed breviter complicemus, eligamusque aliqua ex his quæ mystice dicta sunt in sanctis libris, et maxime in ipsa narratione, quæ aperiendo et revelando noster sermo dulcescat. Quod si nimis tardus est, et ab omni tali suavitate absurdus et aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis cæteris, ea quæ maxime necessaria sunt, de unitate (c) Catholicæ, de tentationibus, de Christiana conversatione propter futurum judicium terribiliter inculcanda sunt, magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dicenda.

Auditor vel audiendo vel stando fatigatus; quomodo recreandus.

19. Sæpe etiam fit, ut qui primo libenter audiebat, vel audiendo vel stando fatigatus, non jam laudans, sed oscitans labia diducat, et se abire velle etiam invitus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare oportet ejus animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum et aptum rei quæ agitur, vel aliquid valde mirandum et stupendum, vel etiam dolendum atque plangendum; et magis de ipso, ut propria cura punctus evigilet; quod tamen non offendat ejus verecundiam asperitate aliqua, sed potius familiaritate conciliet: aut oblata sessione (d) succurrere; quamquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat; longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus a saluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere.

Usus audiendi verbum Dei sedendo, in quibusdam Ecclesiis receptus.

Et tamen multum interest, si se quisquam de magna multitudine subtrahat ad reparandas vires, qui jam sacramentorum societate devinctus est; et si ille discedat, (quod plerumque inevitabiliter urgetur, ne interiore defectu victus etiam cadat,) qui primis sacramentis imbuendus est: et pudore enim non dicit cur eat, et imbecillitate stare non sinitur. Expertus hæc dico: nam fecit hoc quidam, cum eum catechizarem, homo rusticanus, unde magnopere præcavendum esse didici. Quis enim ferat arrogantiam nostram, cum (e) viros fratres nostros, vel etiam quod majore sollicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus; et ipsum Dominum nostrum, cui assistunt Angeli, sedens mulier audiebat? Lucæ 10.39. Sane si aut brevis sermo futurus est, aut consessui locus non est aptus, stantes audiant; sed cum multi audiunt, et non (f) tunc initiandi. Nam cum unus, aut duo, aut pauci, qui propterea venerunt ut Christiani fiant, periculose loquimur stantibus. Tamen sic jam si cœpimus, saltem animadverso auditoris tædio, et offerenda sessio est, immo vero prorsus urgendus ut sedeat, et dicendum aliquid quo renovetur, quo etiam cura, si qua forte irruens eum avocare cœperat, fugiat ex animo. Cum enim caussæ incertæ sint, cur jam tacitus recuset audire, jam sedenti aliquid adversus incidentes cogitationes sæcularium negotiorum dicatur, aut hilari, ut dixi, aut tristi modo: ut si ipsæ sunt quæ mentem occupaverant, cedant quasi nominatim accusatæ; si autem ipsæ non sunt, audiendo fatigatus est, cum de illis tamquam ipsæ sint, (quandoquidem ignoramus) inopinatum aliquid et extraordinarium, eo modo quo dixi, loquimur, a tædio renovatur intentio. Sed et breve sit, maxime quia extra ordinem inseritur, ne morbum fastidii cui subvenire volumus, etiam augeat ipsa medicina: accelerandа sunt cætera, et promittendus atque exhibendus finis propinquior.

CAPUT XIV. Remedium adversus

20. Si autem confregit animum tuum alterius actionis, cui tamquam magis necessariæ jam suspensus eras, omissio, et propterea tristis insua-

(a) Sic Am. et plerique MSS. At Er. et Lov. solito.
(b) Codex Corb. ea.
(c) Lov. *Catholicæ fidei*. Editi vero alii et plerique MSS. non habent *fidei* pro quo subaudiri debet *Ecclesiæ*.

(d) Apud. Lov. additur, studeat. Sed subaudiendum, oportet.
(e) Nonnulli MSS. veros.
(f) Sola editio Lov. pro tunc, habet tant.

causam tædii.

viter catechizas: cogitare debes, excepto quod scimus misericorditer nobis agendum esse quidquid cum hominibus agimus, et ex officio sincerissimæ caritatis; hoc ergo excepto, incertum esse quid utilius agamus, et quid opportunus aut intermittamus, aut omnino omittamus. Quia enim merita hominum pro quibus agimus, qualia sint apud Deum non novimus, quid eis ad tempus expediat, aut nulla aut tenuissima et incertissima conjectura auspicamur, potiusquam comprehendimus. Quapropter res quidem agendas pro nostro captu ordinare debemus: quas eo modo quo statuimus, si peragere poterimus, non ideo gaudeamus quia nobis, sed quia Deo sic eas agi placuit: si autem aliqua inciderit necessitas, qua noster ille ordo turbetur; flectamur facile, ne frangamur; ut quem Deus nostro * præposuit, ipse sit noster. Æquius est enim, ut nos ejus quam ut ille nostram voluntatem sequatur. Quia et ordo agendarum rerum, quem nostro arbitrio tenere volumus, ille utique approbandus est, ubi potiora præcedunt. Cur ergo nos dolemus homines a Domino Deo tanto potiore præcedi, ut eo ipso quo nostrum amamus ordinem, inordinati esse cupiamus? Nemo enim melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere quod humana cogitatione meditatur. *Quia multæ cogitationes sunt in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.*

A

B

* Subaud. ordinis.

Prov. 19.21.

Remedium contra 6. causam tædii.

21. Si vero ex aliquo scandalo perturbatus animus non valet edere serenum jucundumque sermonem, tantam esse caritatem oportet in eos pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errorum sæcularium morte redimere; ut hoc ipsum quod nobis tristibus nuntiatur, præsto esse aliquem qui desideret fieri Christianus, ad consolationem illius resolutionemque tristitiæ valere debeat, sicut solent lucrorum gaudia dolorem lenire damnorum. Non enim scandalum nos contristat alicujus, nisi quem perire aut per quem perire infirmum vel credimus vel videmus. Ille igitur qui initiandus advenit, dum speratur posse proficere, dolorem deficientis abstergat. Quia et si timor ille suggeritur, ne fiat proselytus filius gehennæ, dum multi tales versantur ante oculos, ex quibus oriuntur ea quibus urimur scandala, non ad retardandos nos pertinere debet, sed magis ad excitandos et acuendos: quatenus quem imbuimus moneamus, ut caveat imitationem eorum, qui non ipsa veritate, sed solo nomine Christiani sunt; nec eorum turba commotus, aut sectari velit eos, aut Christum nolit sectari propter eos; et aut nolit esse in Ecclesia Dei ubi illi sunt, aut talis ibi velit esse quales illi sunt. Et nescio quomodo in hujusmodi (*a*) monitis ardentior sermo est, cui fomitem subministrat præsens dolor: ut non solum pigriores non simus, sed eo ipso dicamus accensius atque vehementius, quod securiores frigidius et lentius diceremus; gaudeamusque nobis occasionem dari, ubi motus animi nostri sine fructificatione non transeat.

C

Matth. 23. 15.

D

a

Item adversus causam sextam.

22. Si autem de aliquo errato nostro vel peccato nos mœstitudo comprehendit, non tantum meminerimus sacrificium Deo spiritum esse contribulatum, sed etiam illud, *Quia sicut aqua ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum.* Et, *Quia misericordiam*, inquit, *volo quam sacrificium.* Sicut ergo si periclitaremur incendio, ad aquam utique curreremus, quo posset exstingui, et gratularemur, si quis eam de proximo offerret: ita si de nostro fœno aliqua peccati flamma surrexit, et propterea conturbamur, data occasione misericordissimi operis, tamquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud quod exarserat opprimatur. Nisi forte tam stulti sumus, ut alacrius arbitremur cum pane currendum, quo ventrem esurientis impleamus, quam cum verbo Dei, quo mentem (*b*) istud edentis instruamus. Huc accedit, quia si tantummodo prodesset hoc facere, non facere autem nihil obesset; infeliciter in periculo salutis, non jam proximi, sed nostræ, oblatum remedium sperneremus. Cum vero ex ore Domini tam minaciter sonet, *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis:* quæ tandem dementia est, quoniam peccatum nostrum nos angit, ideo rursus velle peccare, non dando pecuniam dominicam volenti et petenti? His atque hujusmodi cogitationibus et considerationibus depulsa caligine tædiorum, ad cathecizandum aptatur intentio, ut suaviter imbibatur, quod impigre atque hilariter de caritatis ubertate prorumpit. Hæc enim non tam ego tibi, quam omnibus nobis (*c*) dicit ipsa dilectio, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Psal. 50. 19.

Eccli 3. 33.

Osee 6. 6.

B

b

Matth. 25. 26.

C

c

Rom. 5. 5.

CAPUT XV.

Pro personarum diversitate temperanda oratio.

23. Sed nunc etiam illud quod prius quam promitterem non debebam, jam fortasse debitum flagitas, ut aliquod sermonis exemplum, tamquam si ego aliquem catechizem, non me pigeat explicare, et intuendum tibi proponere. Quod prius quam faciam, volo cogites aliam esse intentionem dictantis, cum lector futurus cogitatur; et aliam loquentis, cum præsens auditor attenditur: et in eo ipso aliam in secreto monentis, dum nullus alius qui de nobis judicet præsto est; aliam palam docentis aliquid, cum dissimiliter opinantium circumstat auditus: et in hoc genere aliam, cum docetur unus, cæteri autem tamquam judicantes aut attestantes quæ sibi nota sunt audiunt; aliam cum omnes communiter quid ad eos proferamus exspectant: et rursus in hoc ipso aliam, cum quasi privatim consedetur, ut sermocinatio conseratur; aliam, cum populus tacens unum de loco superiore dicturum suspensus intuetur: multumque interest, et cum ita dicimus, utrum pauci adsint an multi; docti an indocti, an ex utroque genere mixti; urbani an rustici, an hi et illi simul; an populus

D

(a) Editi, *motu*: quam vocem præterunt MSS. plures: alii autem ejus loco habent, *monitis*. Paulo post ex verbo *subministrat*, sive ut scribi solet in antiquis codicibus, *sumministrat*, factum erat in editis *suum ministrat*.

(b) Sic MSS. Editi vero *mentem studentis*.

(c) Editi fere soli, *dictat*.

ex omni hominum genere temperatus sit. Fieri enim non potest, nisi aliter atque aliter afficiant locutorum atque dicturum, et ut sermo qui profertur, affectionis animi a quo profertur, quemdam quasi vultum gerat, et pro eadem diversitate diverse afficiat auditores, cum et ipsi se ipsos diverse afficiant invicem præsentia sua. Sed quia de rudibus imbuendis nunc agimus, de me ipso tibi testis sum, aliter atque aliter me moveri, cum ante me catechizandum video eruditum, inertem, civem, peregrinum, divitem, pauperem, privatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius ætatis aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut illo vulgari errore venientem: ac pro diversitate motus mei sermo ipse et procedit, et progreditur, et finitur. Et quia (B) cum eadem omnibus debeatur caritas, non eadem est omnibus adhibenda medicina: ipsa item caritas alios parturit, cum aliis infirmatur; alios curat ædificare, alios contremiscit offendere; ad alios se inclinat, ad alios se erigit; aliis blanda, alii severa, nulli inimica, omnibus mater. Et qui non expertus est eadem caritate quod dico, cum videt nos, quia facultas aliqua nobis donata delectat laudabiliter innotescere in ore multitudinis, inde nos beatos putat: Deus autem, in cujus conspectum intrat gemitus compeditorum, videat humilitatem nostram et laborem nostrum, et dimittat omnia peccata nostra. Quamobrem si quid tibi in nobis placuit, ut aliquam observationem sermonis tui a nobis audire quæreres, melius videndo et audiendo nos cum hæc agimus, (C) quam legendo cum hæc dictamus, edisceres.

Psal. 8. 11. — Psal. 24. 18.

CAPUT XVI. Formula orationis catechistæ.

24. Sed tamen faciamus aliquem venisse ad nos, qui vult esse Christianus, et de genere quidem idiotarum, non tamen rusticanorum, sed urbanorum, quales apud Carthaginem plures experiri te necesse est: interrogatum etiam utrum propter vitæ præsentis aliquod commodum, an propter requiem quæ post hanc vitam speratur, Christianus esse desiderat, propter futuram requiem respondisse: tali fortasse a nobis instrueretur alloquio. Deo gratias, frater: valde tibi gratulor, et gaudeo de te, quod in tantis ac tam periculosis hujus sæculi tempestatibus de aliqua vera et certa securitate cogitasti. Nam et in hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt (D) et securitatem, sed pravis cupiditatibus non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis et non permanentibus: et quia illæ tempore subtrahuntur et transeunt, timoribus et doloribus eos agitant, nec quietos esse permittunt. Sive enim in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quam securus. An non videmus quam multi eas subito perdiderint, multi etiam propter illas perierint, aut cum eas habere cupiunt, aut cum eis oppressis a cupidioribus auferuntur? (A) Quæ si etiam per totam vitam cum homine permanerent, et non desererent dilectorem suum, ipse illas sua morte desereret. Quanta est enim vita hominis, etiamsi senescat? Aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem? Sic et honores hujus sæculi, quid sunt nisi typhus, (a) et inanitas, et ruinæ periculum? Quia sic Scriptura sancta dicit, *Omnis caro fœnum, et claritas hominis ut flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum.* Ideo qui veram requiem et veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus et prætereuntibus, et eam collocare in verbo Domini, ut hærens ei quod manet in æternum, etiam ipse cum illo maneat in æternum.

Exordium ductum a laudabili proposito suscipiendæ Christianæ religionis, propter futuram requiem. Requies in rebus inquietis non quærenda. Non in divitiis, nec in honoribus.

Psal. 40. 6. et 8.

25. (B) Sunt etiam homines qui nec divites quærunt esse, nec ad vanas honorum pompas ambiunt pervenire: sed gaudere et requiescere volunt in popinis et in fornicationibus, et in theatris atque spectaculis nugacitatis quæ in magnis civitatibus gratis habent. Sed sic etiam ipsi aut consumunt per luxuriam paupertatem suam, et ab egestate postea in furta et effracturas, et aliquando etiam in latrocinia prosiliunt, et subito multis et magnis timoribus implentur; et qui in popina paullo ante cantabant, jam planctus carceris somniant. Studiis autem spectaculorum fiunt dæmonibus similes clamoribus suis incitando homines, ut se invicem cædant, secumque habeant contentiosa certamina qui se non læserunt, dum placere insano populo cupiunt: quos (C) si animadverterint esse concordes, tunc eos oderunt et persequuntur, et tamquam collusores ut fustibus verberentur exclamant, et hanc iniquitatem facere etiam vindicem iniquitatum judicem cogunt; si autem horrendas adversus invicem inimicitias eos exercere cognoverint, sive (b) sintæ qui appellantur, sive scenici et thymelici, sive aurigæ, sive venatores, quos miseros non solum homines cum hominibus, sed etiam homines cum bestiis in certamen pugnamque committunt; quo majore adversus invicem discordia furere senserint, eo magis amant et delectantur, et (c) incitatis favent, et faventes incitant, plus adversus se ipsos insanientes ipsi spectatores alter pro altero, quam illi quorum insaniam insani provocant, sed insaniendo spectare desiderant. (D) Quomodo ergo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordiis et certaminibus pascitur? Qualis enim cibus sumitur, talis valetudo consequitur. Postremo quamvis insana gaudia non sint gaudia, tamen qualiacumque sint, et quantumlibet delectet jactantia divitiarum, et tumor honorum, vorago popinarum, et bella (d) theatrorum, et immunditia fornicationum, et prurigo thermarum, aufert omnia ista una febricula, et adhuc viventibus totam falsam beatitudinem

Requiem quærentes in oblectamentis carnis et in spectaculis.

(a) Sic plerique MSS. At editi omittunt, *et inanitas:* cujus loco nonnulli MSS. *et vanitas.*

(b) Lov. *sint athletæ qui appellantur.* At plerique ac melioris notæ MSS. *sintæ.* Vox erat forsitan apud Afros tunc vulgaris. In Corbeiensi codice scribitur, *sinthæ.* In MSS. quibusdam et apud Am. legitur, *sint æqui appellantur.* Apud Er. *sint qui appellantur.*

(c) Am. Er. et aliquot MSS. *et incitati.* Alii plures MSS. *et incitantes.*

(d) Sic Am. Er et plerique MSS. At Lov. *theatricorum.*

subtrahit: remanet inanis et saucia conscientia, Deum sensura judicem, quem noluit habere custodem; et inventura asperum Dominum, quem dulcem patrem quærere et amare contempsit. Tu autem quia veram requiem quæ post hanc vitam Christianis promittitur quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus qui eam promisit præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores esse justitiæ fructus quam iniquitatis, et verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias: quia non sic venisti conjungi Ecclesiæ Dei, ut ex ea temporalem aliquam utilitatem requiras.

CAPUT XVII. Reprehenditur qui velit esse Christianus propter commodum temporale. Matth. 3. 12.

26. Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines a quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt quos timent. Sed isti reprobi sunt: et si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet; si non se correxerint, et propter futuram sempiternam requiem Christiani esse cœperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur quod in area possunt esse cum frumento Dei: quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito (a) destinantur. Sunt etiam alii meliore quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, et non irrident Christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita exspectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi qui non colunt Deum: ideoque cum viderint quosdam sceleratos et impios ista (b) sæculi prosperitate pollere et excellere, se autem vel minus habere ista vel amittere, perturbantur tamquam sine caussa Deum colant, et facile a fide deficiunt.

Christianus vere est, qui religionem profitetur propter futuram requiem. Matth. 25. 46.

27. Qui autem propter beatitudinem sempiternam et perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis, et in abundantia bonorum terrenorum modestus et temperans et in tribulationibus fortis et patiens. Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam: ut etiamsi dicat illi Deus, Utere deliciis carnalibus sempiternis, et quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris; exhorrescat, et omnino non peccet, non jam ut in illud quod timebat non incidat, sed ne illum quem sic amat offendat: in quo (c) uno est requies, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quam præparavit Deus diligentibus eum.

1. Cor. 2. 9.

Transit ad narrationem eorum

28. De qua requie significat Scriptura, et non tacet quod ab initio mundi ex quo fecit Deus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, sex diebus operatus est, et septimo die requievit. Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere. Non autem laboraverat, ut requiesceret, quando, *Dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt*: sed ut significaret, quia post sex ætates mundi hujus septima ætate tamquam septimo die requieturus est in sanctis suis: quia ipsi in illo requiescent post omnia bona opera, in quibus ei servierunt, quæ ipse in illis operatur, qui vocat, et præcipit, et delicta præterita dimittit, et justificat, eum qui prius erat impius. Sicut autem cum illi ex dono ejus bene operantur, recte dicitur ipse operari: sic cum (d) in illo requiescunt, recte dicitur ipse requiescere. Nam quod ad ipsum attinet, pausationem non quærit, quia laborem non sentit. Fecit autem omnia per Verbum suum: et Verbum ejus ipse Christus, in quo requiescunt Angeli et omnes cœlestes mundissimi spiritus in sancto silentio. Homo autem peccato lapsus perdidit requiem, quam habebat in ejus divinitate, et recipit eam in ejus humanitate: ideoque opportuno tempore, quo ipse sciebat oportere fieri, homo factus et de fœmina natus est. A carne quippe contaminari non poterat, ipse carnem potius mundaturus. Ipsum antiqui sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, et prophetaverunt: et sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi efficimur credendo quia venit: ut diligeremus Deum; qui sic nos dilexit, ut unicum Filium suum mitteret, qui (e) humilitate nostræ mortalitatis indutus, et a peccatoribus et pro peccatoribus moreretur. Jam enim olim ab ineuntibus sæculis mysterii hujus altitudo præfigurari prænuntiarique non cessat.

quæ credenda sunt. Gen. 1. 1. et 2.

Psal. 148. 5.

Filius Dei cur homo factus.

CAPUT XVIII. De hominis et rerum aliarum creatione quid credendum.

29. Quoniam Deus omnipotens, et bonus et justus et misericors, qui fecit omnia bona, sive magna sive parva, sive summa sive infima; sive quæ videntur, sicuti sunt cœlum et terra et mare, et in cœlo sol et luna, et cætera sidera, in terra autem et mari arbores et frutices et animalia suæ cujusque naturæ, et omnia corpora vel cœlestia vel terrestria; sive quæ non videntur, sicuti sunt spiritus quibus corpora vegetantur et vivificantur: fecit et hominem ad imaginem suam; ut quemadmodum ipse per omnipotentiam suam præest universæ creaturæ, sic homo per intelligentiam suam, qua etiam Creatorem suum cognoscit et colit, præesset omnibus terrenis animalibus. Fecit illi etiam adjutorium fœminam: non ad carnalem concupiscentiam, quando quidem nec corruptibilia corpora tunc habebant, ante quam eos mortalitas invaderet pœna peccati; sed ut haberet et vir gloriam de fœmina, cum ei præiret ad (f) Deum, seque illi præberet imitandum in sanctitate atque pietate; sicut ipse esset gloria Dei, cum ejus sapientiam sequeretur.

(a) Lov. *destinabuntur*. At Am. Er. et MSS. habent præsenti tempore, *destinantur*.
(b) Am. Er. et tres MSS. *sæculari*.
(c) Sic MSS. Editi vero, *in quo una est requies*.

(d) Ita MSS. At editi, *sic cum illi requiescunt*.
(e) Am. Er. *humanitate*.
(f) Er. *ad dominum*. Editi alii *ad Dominum*.

Homo in paradiso constitutus.

30. Itaque constituit eos in quodam loco perpetuæ beatitudinis, quem appellat Scriptura paradisum; præceptumque illis dedit, quod si non transgrederentur, in illa semper immortalitatis beatitudine permanerent: si autem transgrederentur, supplicia mortalitatis expenderent. Præsciebat autem Deus eos transgressuros: sed tamen quia conditor est et effector omnis boni, magis eos fecit, quando fecit et bestias, ut impleret terram bonis terrenis. **Cur creatus qui præsciebatur peccaturus.** Et utique melior est homo etiam peccator, quam bestia. Et præceptum quod non erant servaturi, magis dedit, ut essent inexcusabiles, cum in eos vindicare cœpisset. Quidquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum: si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum: si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum: si peccata confessus ad recte vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccatorum præposceret, cum et stantem coronaret, et cadentem ordinaret, et surgentem adjuvaret, semper et ubique ipse gloriosus bonitate, justitia, clementia? maxime quia et illud præsciebat, de propagine mortalitatis ejus futuros sanctos, qui non sibi quærerent, sed Creatori suo gloriam darent, et eum colendo ab omni corruptione liberati, cum Angelis sanctis semper vivere et beate vivere mererentur? **Lapsus hominis et angeli nihil Deo nocuit.** Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam angelis: et ideo nec angelus, qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, et diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi. Novit enim Deus ordinare deserentes se * animas, et ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis et congruentissimis legibus admirandæ dispensationis (*a*) ornare. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, quia vel ipse lapsus est, vel hominem seduxit ad mortem [a]: nec ipse homo in aliquo minuit veritatem aut potestatem (*b*) aut beatitatem Conditoris sui, quia conjugi suæ seductæ a diabolo, ad id quod Deus prohibuerat, propria voluntate consensit [b]. Justissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem pœnæ: ut et homo a suo Creatore aversus victus diabolo subderetur, et diabolus homini ad Creatorem suum converso vincendus proponeretur: ut quicumque diabolo usque in finem consentirent, cum illo irent in æterna supplicia; quicumque autem humiliarent se Deo, et per ejus gratiam diabolum vincerent, æterna præmia mererentur.

*** Convenientibus. spiritus: ex 2. Retract. 14.**

[a] [b] Gen. 3. 4.

CAPUT XIX.

In Ecclesia boni et mali, in fine separandi.

31. Neque hoc nos movere debet; quia multi diabolo consentiunt, et pauci Deum sequuntur: quia et frumentum in comparatione palearum valde pauciorem habet numerum. Sed sicut agricola novit quid faciat de ingenti acervo paleæ, sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui novit quid de illis agat, ut administratio regni ejus ex nulla parte turbetur atque turpetur. Nec ideo putandus est vicisse diabolus, quia secum plures, cum quibus a paucis vinceretur, attraxit. **Civitates duæ ab initio generis humani.** Duæ itaque civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem sæculi perducuntur, nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die vero judicii etiam corpore separandæ. Omnes enim homines amantes superbiam et temporalem dominationem cum vano typho et pompa arrogantiæ, omnesque spiritus qui talia diligunt, et gloriam suam subjectione hominum quærunt, simul una societate devincti sunt; sed et si sæpe adversum se pro his rebus dimicant, pari tamen pondere cupiditatis in eamdem profunditatem præcipitantur, et sibi morum et meritorum similitudine conjunguntur. Et rursus omnes homines et omnes spiritus humiliter Dei gloriam quærentes, non suam, et eum pietate sectantes, ad unam pertinent societatem. Et tamen Deus misericordissimus, super impios homines patiens est, et præbet eis pœnitentiæ atque correctionis locum.

Diluvii et arcæ sacramentum.

32. Nam et quod omnes diluvio delevit, excepto uno justo cum suis, quos in arca servari voluit, noverat quidem quod non se correcturi essent: verumtamen cum per centum annos arca fabricata est, prædicabatur utique eis ira Dei ventura super eos: et si converterentur ad Deum, parceret eis; sicut pepercit postea Ninive civitati agenti pœnitentiam, cum ei per Prophetam futurum interitum prænuntiasset. **Gen. 7.** **Jonæ 3.** Hoc autem facit Deus, etiam illis quos novit in malitia perseveraturos dans pœnitendi spatium, ut nostram patientiam exerceat et informet exemplo suo; quo noverimus quantum nos oporteat tolerabiliter malos sustinere, cum ignoremus quales postea futuri sunt, quando ille parcit et sinit eos vivere, quem nihil futurorum latet. Prænuntiabatur tamen etiam diluvii sacramento quo per lignum justi liberati sunt, futura Ecclesia quam Rex ejus et Deus Christus mysterio suæ crucis ab hujus sæculi submersione suspendit. Neque enim Deus ignorabat, quod etiam ex illis qui fuerant in arca servati, nascituri erant mali, qui faciem terræ iniquitatibus iterum implerent: sed tamen et exemplum futuri judicii dedit, et sanctorum liberationem ligni mysterio prænuntiavit. Nam et post hæc non cessavit repullulare malitia per superbiam et libidines et illicitas impietates, cum homines deserto Creatore suo, non solum ad creaturam quam Deus condidit lapsi sunt, ut pro Deo colerent quod fecit Deus; sed etiam ad opera manuum hominum et ad fabrorum artificia curvaverunt animas suas, ubi de illis turpius diabolus et dæmonia triumpharent; quæ se in talibus figmentis adorari venerarique lætantur, dum errores suos humanis erroribus (*c*) pascunt.

De Abrahamo et Israelitico

33. Neque tunc sane defuerunt justi, qui Deum pie quærerent, et superbiam diaboli vin-

(*a*) Sola editio Lov. *ordinare.*

(*b*) Plerique MSS. omittunt, *aut beatitatem.*

(*c*) Floriacensis quidem MS. *miscent.*

populo. Gen. 12.

cerent, cives illius sanctæ civitatis, quos Regis sui Christi ventura humilitas per Spiritum revelata sanavit. Ex quibus Abraham pius et fidelis Dei servus electus est, cui demonstraretur sacramentum Filii Dei, ut propter imitationem fidei omnes fideles omnium gentium filii ejus futuri dicerentur. Ex illo natus est populus, a quo unus Deus verus coleretur, qui fecit cœlum et terram: cum cæteræ gentes simulacris et dæmoniis servirent. In eo plane populo multo evidentius futura Ecclesia figurata est. Erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebat Deum. Erant ibi autem pauci futuram requiem cogitantes et cælestem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei, Regis et Domini nostri Jesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia et tumore sanarentur. Horum sanctorum, qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita et conjugia et filii et facta prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. Per illos sanctos Patriarchas et Prophetas carnali populo Israel, quia postea etiam Judæi appellati sunt, et visibilia beneficia ministrabantur quæ carnaliter a Domino desiderabant, et coercitiones pœnarum corporalium quibus pro tempore terrerentur, sicut eorum duritiæ congruebat. Et in his tamen omnibus mysteria spiritalia significabantur, quæ ad Christum et Ecclesiam pertinerent: cujus Ecclesiæ membra erant etiam illi sancti, quamvis in hac vita fuerint ante quam secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale et coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tamquam totius corporis caput esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiamsi manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta atque compacta est, quemadmodum etiam nonnulli in ipsis Patriarchis ad hujus ipsius rei signum manu præmissa nati sunt: ita omnes sancti qui ante Domini nostri Jesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite cohæserunt.

Horum dicta et facta, prophetia fuit.

CAPUT XX.

Israelitarum servitus in Ægypto, et liberatio via que per mare rubrum.

Exodi 7. 1. et 8. 1. et 14. 22. Gen. 7.

34. Populus ergo ille delatus in Ægyptum, servivit regi durissimo; et gravissimis laboribus eruditus, quæsivit liberatorem Deum: et missus est eis unus de ipso populo, sanctus Dei servus Moyses, qui in virtute Dei magnis miraculis terrens tunc impiam gentem Ægyptiorum, eduxit inde populum Dei per mare rubrum; ubi discedens aqua viam præbuit transeuntibus: Ægyptii autem cum eos persequerentur, redeuntibus in se fluctibus demersi exstincti sunt. Ita quemadmodum per diluvium aquis terra purgata est a nequitia peccatorum, qui tunc in illa inundatione deleti sunt, et justi evaserunt per lignum: sic ex Ægypto exiens populus Dei per aquas iter invenit, quibus ipsorum hostes consumpti sunt. Nec ibi defuit ligni sacramentum. Nam virga percussit Moyses, ut illud miraculum fieret. Utrumque signum est sancti Baptismi, per quod fideles in novam vitam transeunt, peccata vero eorum tamquam inimici delentur atque moriuntur. Apertius autem Christi passio in illo populo figurata est, cum jussi sunt ovem occidere et manducare, et de sanguine ejus postes suos signare, et hoc celebrare omni anno, et appellare Pascha Domini. Manifestissime quippe (a) prophetia de Domino Jesu Christo dicit, quia *tamquam ovis ad immolandum ductus est*. Cujus passionis et crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur.

Exodi 14. 16. et 21. — Baptismus figuratus. — Ibid. 12. 3. — Ovis immolatio passionis Christi figura. — Isaiæ 53. 7.

35. Inde per desertum populus ille ductus est per quadraginta annos: accepit etiam legem digito Dei scriptam, quo nomine significatur Spiritus-sanctus, sicut in Evangelio manifestissime declaratur. Neque enim Deus forma corporis definitus est, nec sic in illo membra et digiti cogitandi sunt, quemadmodum videmus in nobis: sed quia per Spiritum-sanctum dona Dei sanctis dividuntur, ut cum diversa possunt, non tamen discedant a concordia caritatis, in digitis autem maxime apparet quædam divisio, nec tamen ab unitate præcisio, sive propterea, sive propter aliam quamcumque caussam Spiritus-sanctus appellatus est digitus Dei, non tamen cum hoc audimus humani corporis forma cogitanda est. Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam in tabulis sane lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum, quod legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona desiderantes a Domino, magis carnali timore quam spiritali caritate tenebantur: legem autem non implet nisi caritas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo servili jugo premerentur, in observationibus ciborum et in sacrificiis animalium, et in aliis innumerabilibus: quæ tamen signa erant rerum spiritalium ad Dominum Jesum Christum et ad Ecclesiam pertinentium; quæ tunc a paucis sanctis et intelligebantur ad fructum salutis, et observabantur ad congruentiam temporis, a multitudine vero carnalium tantummodo observabantur, non intelligebantur.

Lex scripta digito Dei. — Exodi 16. 35. — Num. 14. 33. — Deut. 29. 5. — Lucæ 11. 20.

36. Per multa itaque et varia signa rerum futurarum, quas longum est omnes commemorare, et eas nunc in Ecclesia videmus impleri, perductus est ille populus ad terram promissionis, ubi temporaliter carnaliterque regnaret pro modo desiderii sui: quod tamen regnum terrenum regni spiritalis imaginem gessit. Ibi Jerusalem condita est famosissima civitas Dei, serviens in signo liberæ civitatis, quæ cœlestis Jerusalem dicitur, quod verbum est Hebræum, et interpretatur visio pacis. Cujus cives sunt omnes sanctificati homines qui fuerunt, et qui sunt, et qui futuri sunt; et omnes sanctificati spiritus, etiam quicumque in excelsis cœlorum partibus pia de-

Jerusalem typus civitatis cœlestis. — Gal. 4. 26.

(a) Soli editi. *propheta*.

votione obtemperant Deo, nec imitantur impiam diaboli superbiam et angelorum ejus. Hujus civitatis rex est Dominus Jesus Christus, Verbum Dei quo reguntur summi angeli, et Verbum hominem assumens ut eo regerentur et homines, qui simul omnes cum illo in æterna pace regnabunt. Ad hujus Regis præfigurationem in illo terreno regno populi Israel maxime eminuit rex David, de cujus semine secundum carnem veniret verissimus Rex noster Dominus Jesus Christus, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Multa in illa terra promissionis gesta sunt in figuram venturi Christi et Ecclesiæ, quæ in sanctis libris paullatim discere poteris.

I. Reg. 16.

Rom. 9. 5.

CAPUT XXI. Captivitas Babylonica et in ea gesta quid significent.

37. Post aliquot tamen generationes ostendit alium typum ad rem maxime pertinentem. Nam captivata est illa civitas, et multa pars ejus educta in Babyloniam. Sicut autem Jerusalem significat civitatem societatemque sanctorum, sic Babylonia significat civitatem societatemque iniquorum, quoniam dicitur interpretari confusio. De quibus duabus civitatibus, ab exordio generis humani usque in finem sæculi (*a*) permixte temporum varietate currentibus, et ultimo judicio separandis, paullo ante * jam diximus. Illa ergo captivitas Jerusalem civitatis, et ille populus in Babyloniam ductus ad servitutem ire jubetur a Domino per Jeremiam illius temporis prophetam. Et exstiterunt reges Babyloniæ, sub quibus illi serviebant, qui ex eorum occasione commoti quibusdam miraculis cognoscerent et colerent et coli juberent unum verum Deum, qui condidit universam creaturam. Jussi sunt autem et orare pro eis a quibus captivi tenebantur, et in eorum pace pacem sperare, ad gignendos filios et domos ædificandas et plantandos hortos et vineas. Post septuaginta autem annos promittitur eis ab illis captivitate liberatio. Hoc autem totum figurate significabat Ecclesiam Christi in omnibus sanctis ejus, qui sunt cives Jerusalem cœlestis, servituram fuisse sub regibus hujus sæculi. Dicit enim et apostolica doctrina, ut *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*: et ut *reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*; et cætera quæ salvo Dei nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddimus; quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est. Jubentur autem etiam servi Christiani et boni fideles dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire; quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si et illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quo usque post tempus præfinitum, quod significant septuaginta anni, ab istius sæculi confusione tamquam de captivitate Babyloniæ, sicut Jerusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione ipsi etiam terreni reges desertis idolis, pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum et Christum Dominum cognoverunt et colunt, pro quibus apostolus Paulus jubet orari etiam cum persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit: *Obsecro itaque primum fieri deprecationes, (b) adorationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro regibus, pro omnibus hominibus et omnibus, qui in sublimitate sunt ut securam et tranquillam vitam agamus sunt cum omni pietate et (c) caritate*. Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quamvis temporalis, tranquillitas (*d*) temporalis ad ædificandas spiritaliter domos et plantandos et hortos et vineas. Nam et ecce te modo per istum sermonem ædificamus atque plantamus. Et hoc fit per totum orbem terrarum cum pace regum Christianorum, sicut idem dicit Apostolus; *Dei agricultura, Dei ædificatio estis*.

a

* Cap. 19.

Jerem. 25. 21. et 29. 1.

I. Esdræ 1. 7.

Jerem. 29. 4.

Rom. 13. 1. et 7.

Matth. 17. 27.

Ephes. 6. 5.

I. Tim. 2. 1. et 2.

I. Cor. 3. 9.

38. Et post annos quidem septuaginta, quos mystice prophetaverat Jeremias, ut finem temporum præfiguraret, tamen ut ipsa figura integraretur, facta est in Jerusalem restitutio ædificationis templi Dei: sed quia totum figurate agebatur, non erat firma pax ac libertas reddita Judæis. Itaque postea a Romanis victi sunt, et tributarii facti. Ex illo sane tempore ex quo terram promissionis acceperunt, et reges habere cœperunt, ne in aliquo regnum suorum completum esse arbitrarentur quod eis liberator Christus promittebatur, apertius per multas prophetias prophetatus est Christus, non solum ab ipso David in libro Psalmorum, sed etiam a cæteris et magnis et sanctis Prophetis, usque ad tempus captivitatis in Babyloniam: et in ipsa captivitate fuerunt Prophetæ, qui venturum Dominum Jesum Christum liberatorem omnium prophetarent. Et postea quam templum transactis septuaginta annis restitutum est, tantas pressuras et calamitates a regibus gentium Judæi perpessi sunt, ut intelligerent nondum venisse liberatorem, quem non spiritaliter liberaturum intelligebant, sed pro liberatione carnali desiderabant.

Jerem. 25. 12 et 29. 10. Post captivitatem Babylonicam libertas qualis reddita.

39. Peractis ergo quinque ætatibus sæculi, quarum prima est ab initio generis humani, id est, ab Adam, qui primus homo factus est, usque ad Noe, qui fecit arcam in diluvio, inde secunda est usque ad Abraham, qui pater (*e*) dictus est omnium quidem gentium, quæ fidem ipsius imitarentur; sed tamen ex propagine carnis suæ futuri populi Judæorum: qui ante fidem Christianam gentium, unus inter omnes omnium terrarum populus unum verum Deum coluit, ex quo populo salvator Christus secundum carnem veniret. Isti enim articuli duarum ætatum eminent in veteribus libris: reliquarum autem trium in Evangelio etiam declarantur, cum carnalis origo Domini Jesu Christi commemoratur. Nam tertia est ab Abraham usque ad David regem: quarta

CAPUT XXII. Ætates mundi sex.

Gen. 6. 22.

Gen 17. 4.

Matth 1. 17.

(a) Sic MSS. At editi, *permixta*.
(b) Lov. *orationes*. Editi autem alii et MSS. *adorationes*. Græce est, *προσευχάς*.

(c) Vulgata, *castitate*: juxta Græc. *σεμνότητι*.
(d) Sic MSS. Editi vero, *temporis*.
(e) MSS. *electus est*.

a David usque ad illam captivitatem, qua populus Dei in Babyloniam transmigravit: quinta ab illa transmigratione usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi; ex cujus adventu sexta ætas agitur: ut jam spiritalis gratia, quæ paucis tunc Patriarchis et Prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus: ne quisquam Deum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ et præsentis vitæ felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans; ut hac sexta ætate mens humana renovetur ad imaginem Dei, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei. Tunc enim et lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed caritate illius qui præcepit, fiunt quæcumque præcepit. Quis autem non redamare affectet justissimum et misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos et superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia, qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solum cum eis vivere, sed etiam pro eis et ab eis posset occidi?

Sexta ætas ex adventu Christi.

Gen. 1. 27.

40. Itaque novum Testamentum hæreditatis sempiternæ manifestans, in quo renovatus homo per gratiam Dei ageret novam vitam, hoc est vitam spiritalem; ut vetus ostenderet primum, in quo carnalis populus agens veterem hominem, exceptis paucis intelligentibus Patriarchis et Prophetis et nonnullis latentibus sanctis, carnaliter vivens carnalia præmia desiderabat a Domino Deo, et in figura spiritalium bonorum accipiebat: omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; et omnia terrena sustinuit mala, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis exstinxit. Natus etiam in civitate Bethleem, quæ inter omnes Judææ civitates ita erat exigua, ut hodieque villa appelletur, noluit quemquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est cujus sunt omnia, et per quem creata sunt omnia; ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri; quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab (a) eo superbia superaverat: quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit qui omnes pascit, sitivit per quem creatur omnis potus, et qui spiritaliter panis est esurientium fonsque sitientium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui se ipsum nobis viam fecit in cœlum: velut obmutuit et obsurduit coram conviciantibus, per quem mutus locutus est et surdus audivit: vinctus est, qui de infirmitatum vinculis solvit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit: mortuus est, qui mortuos suscitavit. Sed et resurrexit numquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere, quasi numquam (b) victurus.

Christus novum Testamentum sempiternæ hæreditatis manifestans terrena contemnere exemplo docet.

Nativitas ejus, vita et mors.

CAPUT XXIII. Spiritus-sanctus die 50. post resurrectionem Christi missus.

41. Inde confirmatis discipulis, conversatus cum eis quadraginta diebus, eisdem spectantibus adscendit in cœlum; et completis a resurrectione quinquaginta diebus misit eis Spiritum-sanctum, (promiserat enim,) per quem diffusa caritate in cordibus eorum, non solum sine onere, sed etiam cum jucunditate legem possent implere. Quæ data est Judæis in decem præceptis, quod appellant decalogum. Quæ rursus ad duo rediguntur, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; et diligamus proximum sicut nos ipsos. Nam in his duobus præceptis totam legem prophetasque pendere, ipse Dominus et dixit in Evangelio, et suo manifestavit exemplo. Nam et populus Israel ex die quo primum pascha in imagine celebrarunt ovem occidentes et manducantes, cujus sanguine postes eorum ad salutis tutelam signati sunt; ex ipso ergo die quinquagesimus dies impletus est, et legem acceperunt scriptam digito Dei, quo nomine jam diximus significari Spiritum-sanctum: sicut post Domini passionem et resurrectionem, quod est verum pascha, quinquagesimo die ipse Spiritus-sanctus discipulis missus est: non jam lapideis tabulis corda dura significans; sed cum essent unum in locum congregati in ipsa Jerusalem, factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, et cœperunt linguis loqui, ita ut omnes qui ad illos venerant, suam linguam quisque cognosceret: (ad illam enim civitatem ex omni terra conveniebant Judæi, quacumque dispersi erant, et diversas linguas gentium diversarum didicerant:) deinde cum tota fiducia Christum prædicantes, in ejus nomine multa signa faciebant, ita ut quemdam mortuum transeunte Petro umbra ejus tetigerit, et resurrexerit.

Matth. 22. 37.

Ibidem 40.

Exodi 12.

Exodi 19. 1.

Lucæ 11.20.

Act. 2. 1. etc.

Act. 5. 15.

42. Sed cum viderint Judæi tanta signa fieri in ejus nomine, quem partim per invidiam, partim per errorem crucifixerant, alii irritati sunt ad persequendos prædicatores ejus Apostolos, alii vero idipsum amplius admirantes, quod in ejus nomine, quem velut a se oppressum et victum riserant, tanta miracula fierent, pœnitendo conversi crediderunt in eum millia Judæorum. Non erant jam illi temporalia beneficia terrenumque regnum desiderantes a Deo, nec promissum regem Christum carnaliter exspectantes; sed immortaliter intelligentes et diligentes eum, qui pro ipsis ab ipsis tanta mortaliter pertulit, et eis usque ad sui sanguinis (c) peccata donavit, et immortalitatem a se sperandam et desiderandam exemplo suæ resurrectionis osten-

Judæi prædicatione Apostolorum conversi, vitæ Evangelicæ studio flagrantes.

(a) Sic MSS. At editi, *ab ea*.

(b) Am. et Er. et fere omnes MSS. *futurus*. Unus Vatic. *resurrecturus*.

(c) Hic in editione Lov. additum fuerat, *effusionem*: minus bene.

dit. Itaque jam veteris hominis terrena desideria mortificantes, et spiritalis vitæ novitate flagrantes, sicut præceperat in Evangelio Dominus, vendebant omnia quæ habebant, et prætia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponebant, ut ipsi distribuerent unicuique, sicut cuique opus erat: viventesque in Christiana dilectione concorditer, non dicebant aliquid suum, sed erant illis omnia communia, et anima et cor unum in Deum. Deinde etiam ipsi a Judæis carnalibus civibus carnis suæ persecutionem passi atque dispersi sunt, ut latius Christus eorum dispersione prædicaretur, et imitarentur etiam ipsi patientiam Domini sui: quia qui (a) eos mansuetus passus fuerat, mansuefactos pro se pati jubebat.

Act. 2. 41. et 4. 34.

a

Ecclesiæ apud Gentes per Paulum constitutæ.

43. Ex ipsis sanctorum persecutoribus fuerat etiam apostolus Paulus, et in Christianos maxime sæviebat: sed postea credens et apostolus factus, missus est ut Gentibus Evangelium prædicaret, graviora perpessus pro nomine Christi, quam fecerat contra nomen Christi. Ecclesias autem constituens per omnes gentes qua Evangelium seminabat, impense præcipiebat, ut quoniam ipsi ex idolorum cultu venientes, et ad unum Deum colendum rudes, non facile poterant rebus suis venditis et distributis servire Deo, oblationes facerent in pauperes sanctorum qui erant in Ecclesiis Judææ, quæ Christo crediderant: ita illos tamquam milites, illos autem tamquam stipendiarios provinciales apostolica doctrina constituit; inserens eis Christum velut lapidem angularem, sicut per Prophetam prænuntiatus erat, in quo ambo quasi parietes de diverso venientes, de Judæis videlicet atque Gentibus, germana caritate copularentur. Sed postea graviores et crebriores persecutiones ex incredulis gentibus adversus Christi Ecclesiam surrexerunt, et implebatur in dies singulos verbum Domini prædicentis, *Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum.*

Psal. 117. 22. Isai. 28. 16. Matth. 10. 16.

CAPUT XXIV.

Ecclesia quasi vitis pullulat, et putatur.

44. SED illa vitis quæ per orbem terrarum, sicut de illa prophetatum, et ab ipso Domino prænuntiatum erat, fructuosos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius, quanto uberiore Martyrum sanguine rigabatur. Quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus, etiam ipsa persequentia regna cesserunt, et ad Christum cognoscendum atque venerandum fracta superbiæ cervice conversa sunt. Oportebat autem ut eadem vitis, sicut a Domino identidem prædictum erat, putaretur, et ex ea præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses et schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quærentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur Ecclesia et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia.

Johan. 15. 2.

Ex iis quæ videntur impleta, credantur prædicta quæ restant implenda, præsertim judicium futurum.

45. OMNIA ergo hæc, sicut tanto ante prædicta legimus, sic et facta cognoscimus: et quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent; sic nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut ea in libris legimus, qui longe ante quam hæc implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et præsentia jam videntur, ædificamur ad fidem, ut etiam illa quæ restant, sustinentes et perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Si quidem adhuc tribulationes futuræ in eisdem Scripturis leguntur, et ipse ultimus judicii dies, ubi omnes cives ambarum illarum civitatum receptis corporibus resurrecturi sunt, et rationem vitæ suæ ante tribunal Christi judicis reddituri. Veniet enim in claritate potestatis, qui prius in humilitate humanitatis venire dignatus est; et omnes pios ab impiis segregabit: non tantum eis qui in eum credere omnino noluerunt, sed etiam eis qui frustra et infructuose crediderunt in eum; illis daturus regnum secum æternum, illis autem pœnam æternam cum diabolo. Sed sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

CAPUT XXV.

Fides resurrectionis suadetur.

46. ITAQUE frater confirma te ipsum in ejus nomine atque adjutorio cui credis, adversus linguas eorum qui fidem nostram irrident, de quibus diabolus seductoria verba loquitur, maxime volens irridere fidem resurrectionis. Sed ex te ipso crede futurum te esse cum fueris, quando cum ante non fueris, nunc esse te vides. Ubi enim erat ista moles corporis tui et ista forma membrorumque compago ante paucos annos, prius quam natus, vel etiam prius quam in matris utero conceptus esses, ubi erat hæc moles et hæc statura corporis tui? Nonne de occultis hujus creaturæ secretis, Domino Deo invisibiliter formante, processit in lucem, certisque ætatum incrementis in istam magnitudinem formamque surrexit? Numquid ergo difficile est Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, et contegit cælum in ictu temporis, reddere istam quantitatem corporis tui sicut erat, qui eam facere potuit (b) sicut non erat? Crede ergo fortiter et inconcusse, quia omnia quæ videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahi, salva et integra sunt omnipotentiæ Dei: qui ea cum voluerit, sine ulla mora et difficultate reparabit, ea dumtaxat quæ justitia ejus reparanda esse judicat: ut in his corporibus reddant homines factorum suorum rationem, in quibus ea fecerunt; et in his mereantur aut commutationem cælestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut (c) corruptibilem corporis conditionem pro meritis iniquitatis, non quæ morte solvatur, sed quæ materiam sempiternis doloribus præbeat.

b

c

(a) Am. et Er. *qui ante eos.* Lov. *qui pro eis.* Aliquot MSS. *qui per eos:* et quidam, *qui propter eos:* plerique autem, *qui eos.*

(b) Sic Am. Er. et plures MSS. At Lov. *potuit cum non erat.* Corbejensis codex a secunda manu, *sic cum non erat.*

(c) Aliquot MSS. *aut corruptibilis.*

Mors perpetua in tormentis.

47. Fuge ergo per immobilem fidem (a) et mores bonos, fuge frater illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur: quibus sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. Et exardesce amore atque desiderio sempiternæ

Vita æterna sanctorum.

vitæ sanctorum, ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa: laus erit Dei sine fastidio, sine defectu: nullum in animo tædium, nullus labor in corpore; nulla indigentia, nec tua cui subveniri desideres, nec proximi cui subvenire festines. Omnes deliciæ Deus erit et (b) satietas sanctæ civitatis in illo et de illo sapienter beateque viventis. Efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus et exspectamus, æquales Angelis Dei, (Lucæ 20. 36.) et cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus. (2. Cor. 5. 7.) Credimus enim quod non videmus, ut ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus et inhærere mereamur: ut æqualitatem Patris et Filii et Spiritus-sancti, et ipsius Trinitatis unitatem, quomodo sint hæc tria unus Deus, non jam verbis fidei et strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissima et ardentissima in illo silentio (c) sorbeamus.

Cavendum non tantum a Paganis, Judæis, et hæreticis, sed etiam a malis Christianis.

48. Hæc tene fixa in corde tuo, et invoca Deum cui credis, ut tueatur te adversus tentationes diaboli: et esto cautus, ne tibi aliunde hostis ille subrepat, qui ad solatium malevolentissimum damnationis suæ, cum quibus damnetur inquirit. Non enim per eos solos qui Christianum nomen oderunt, et dolent eo nomine occupatum esse orbem terrarum, et adhuc simulacris et dæmoniorum curiositatibus servire desiderant, audet ille tentare Christianos: sed etiam per eos quos paulo ante commemoravimus, de unitate Ecclesiæ, velut putata vite, præcisos, qui hæretici vel schismatici dicuntur conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur et per Judæos tentare, atque seducere. Sed maxime cavendum est, ne per homines qui sunt in ipsa catholica Ecclesia, quos velut paleam usque ad tempus ventilationis suæ sustinet, unusquisque tentetur et decipiatur. Propterea enim Deus patiens est in illos, ut et suorum electorum fidem atque prudentiam per illorum perversitatem exercendo confirmet; et quia de numero eorum multi proficiunt, et ad placendum Deo (d) miserati animas suas, magno impetu convertuntur. Non enim omnes sibi per patientiam Dei thesaurizant iram in die iræ justi judicii ejus: sed multos eadem omnipotentis patientia perducit ad saluberrimum pœnitentiæ dolorem. (Rom. 2. 5.) Quod donec fiat, exercetur per eos illorum qui jam rectam viam tenent, non solum tolerantia, sed etiam misericordia. Multos ergo visurus es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligantes, præcantatoribus et mathematicis vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadversurus etiam quod illæ turbæ impleant ecclesias per dies festos Christianorum, quæ implent et theatra per dies sollemnes Paganorum; et hæc videndo ad imitandum tentaberis. Et quid dicam, videbis, quod etiam nunc jam utique nosti: non enim nescis multos qui appellantur Christiani, hæc omnia mala operari, quæ breviter commemoravi. Et (e) aliquando fortasse graviora facere homines non ignoras, quos nosti appellari Christianos. Sed si hoc animo venisti, ut quasi securus talia facias, multum erras: nec tibi proderit nomen Christi, cum cœperit ille severissime judicare, qui prius dignatus est misericordissime subvenire. Prædixit enim ista, et ait in Evangelio, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed is qui facit voluntatem Patris mei. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus.* (Matth. 7. 21. et 22.) Omnibus ergo qui in talibus operibus perseverant, damnatio finis est. Cum ergo videris multos non solum hæc facere, sed etiam defendere atque suadere, tene te ad legem Dei, et non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.

Societas sit cum bonis: non tamen spes in ipsis ponatur.

49. Conjungere bonis, quos vides amare tecum Regem tuum. Multos enim inventurus es, si et tu talis esse cœperis. Nam si in spectaculis (f) cum illis esse cupiebas et eis inhærere, qui tecum vel aurigam, vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant; quanto magis te delectare debet eorum conjunctio, qui tecum amant Deum, de quo numquam erubescet amator ejus, quia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet invictos. Nec tamen etiam in ipsis bonis, qui te vel præcedunt vel tibi committuntur ad Deum, spem tuam collocare debes, quia nec in te ipso debes quantumcumque profeceris, sed in illo qui eos et te justificando tales facit. Securus es enim de Deo, quia non mutatur: de homine autem nemo prudenter securus est. Sed si illos qui nondum justi sunt, amare debemus ut sint; quanto ardentius qui jam sunt, amandi sunt. Sed aliud est diligere hominem, aliud spem ponere in homine; tantumque interest, ut illud Deus jubeat, hoc prohibeat. Si autem aliquas vel insultationes vel tribulationes pro nomine Christi passus non defeceris a fide, nec a bona (g) via deviaveris, majorem mercedem accepturus es: qui autem in his diabolo cesserint, etiam minorem perdunt. Sed humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.

CAPUT XXVI. Initiat catechumenum.

50. His dictis interrogandus est an hæc credat, atque observare desideret. Quod cum responderit, sollemniter utique signandus est et

(a) Sic MSS. Editi vero, ad mores bonos.
(b) Editi, et societas. Aptius forte quinque MSS. et satietas.
(c) Sic duo MSS. At editi, sorbeamur.
(d) Lov. miserantes. Melius Am. Er. et aliquot MSS. miserati. Alludit ad illud Eccli. 30. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.*
(e) MSS. aliquanto.
(f) Sic Am. et MSS. At Lov. *Nam si in spectaculis et vanitatibus insanorum certaminum illis cupiebas inhærere.*
(g) Am. Er. et plures MSS. vita.

cum expositione signorum. * *f. satis.*

Ecclesiæ more tractandus. De sacramento * sane A quod accipit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam quid significet et sermo ille quem audivit, quid in illo (a) condiat, cujus illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in Scripturis audiat quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque vitam pertineat. Hoc autem ita breviter discit, ut quidquid audierit ex libris canonicis quod ad dilectionem æternitatis et veritatis et sanctitatis, et ad dilectionem proximi referre non possit, figurate B dictum vel gestum esse credat; atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat dilectionem. Ita sane ut proximum non carnaliter intelligat, sed omnem qui cum eo in illa sancta civitate potest esse, sive jam, sive nondum appareat: et ut de nullius hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt vivere, non ob aliud, sicut Apostolus ait, nisi ut adducatur ad pœnitentiam. (*Rom. 2. 4.*)

Sermo quandoque brevior adhibendus.

51. Si longus tibi videtur iste sermo, quo tamquam præsentem rudem hominem instruxi, licet ea tibi dicere brevius, longiorem tamen esse debere non puto: quamquam multum interest, quid res ipsa cum agitur moneat, et quid auditorum præsentia non solum ferre, sed etiam desiderare se ostendat. Cum autem celeritate opus C est, vide quam facile explicari tota res possit. Fac rursus adesse aliquem, qui velit esse Christianus: ergo et interrogatum, illud quod superior respondisse; quia et si non hoc respondet, hoc eum respondere debuisse dicendum est. Deinde hoc modo et cætera contexenda.

Incipit sermo alius brevior.

52. Vere, frater, illa magna et vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis promittitur. Omnia vero visibilia transeunt, et omnis hujus sæculi pompa et deliciæ et curiositas interibunt, et secum ad interitum trahunt amatores suos. A quo interitu, hoc est, pœnis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum, hoc est, Verbum suum æquale sibi, per quod condidit omnia. Et manens quidem in divinitate sua, et non recedens a Patre, nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem, et in carne (b) mortali hominibus apparendo venit ad homines: ut quemadmodum per unum hominem qui primus factus est, id est Adam, mors intravit in genus humanum, quia consensit mulieri suæ seductæ a diabolo, ut præceptum Dei transgrederentur; sic per unum hominem qui etiam Deus est Dei

Filius Dei missus, ut a morte quæ per Adamum intravit, liberaremur.

D Filius, Jesum Christum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.

CAPUT XXVII. Prophetias veteris testamenti impletas cerni in Ecclesia.

53. Omnia enim quæ nunc vides in Ecclesia Dei, et sub Christi nomine per totum orbem terrarum (c) geri, ante sæcula jam prædicta sunt, et sicut ea legimus, ita et videmus; et inde ædificamur in fidem. Factum est aliquando diluvium per totam terram, ut peccatores delerentur: et tamen illi qui evaserunt in arca, sacramentum futuræ Ecclesiæ demonstrabant, quæ nunc in fluctibus sæculi natat, et per lignum crucis Christi a submersione liberatur. Prædictum est Abrahæ fideli servo Dei, uni homini, quod de illo esset populus nasciturus, qui coleret unum Deum inter cæteras gentes quæ idola colebant: et omnia quæ illi populo ventura prædicta sunt, sic evenerunt ut prædicta sunt. Prophetatus est in illo populo etiam Christus Rex omnium sanctorum et Deus venturus ex semine ipsius Abraham secundum carnem, quam assumpsit, ut omnes etiam filii essent Abrahæ, qui fidem ejus imitarentur; et sic est factum: natus est Christus de Maria virgine, quæ ex illo genere fuit. Prædictum est per Prophetas quod in cruce passurus esset ab eodem populo Judæorum, de cujus genere secundum carnem veniebat; et sic est factum. Prædictum est quod resurrecturus esset; resurrexit: et secundum ipsa prædicta Prophetarum adscendit in cœlum et discipulis suis Spiritum-sanctum misit. Prædictum est non solum a Prophetis, sed etiam ab ipso Domino Jesu Christo, quod Ecclesia ejus per universum orbem terrarum esset futura, per sanctorum martyria passionesque disseminata; et tunc prædictum, quando adhuc nomen ejus et latebat gentes, et ubi notum erat irridebatur: et tamen in virtutibus miraculorum ejus, sive quæ per se ipse, sive quæ per servos suos fecit, dum annuntiantur hæc et creduntur, jam videmus quod prædictum est esse completum, regesque ipsos terræ, qui antea persequebantur Christianos, jam Christi nomini subjugatos. Prædictum est etiam quod schismata et hæreses ex ejus Ecclesia essent exituræ, et sub ejus nomine per loca ubi possent, suam, non Christi gloriam quæsituræ; et ista completa sunt.

Hinc firmata fides eorum quæ ventura restant, judicii ultimi et resurrectionis.

54. Numquid ergo illa quæ restant non sunt ventura? Manifestum est quia sicut ista prædicta venerunt, sic etiam illa ventura sunt: quæcumque tribulationes justorum adhuc restant, et judicii dies, qui separabit omnes impios a justis in resurrectione mortuorum; et non solum eos qui sunt extra Ecclesiam, sed etiam ipsius Ecclesiæ paleas, quas oportet usque ad novissimam ventilationem patientissime sufferat, ad ignem debitum segregabit. Qui autem irrident resurrectionem, putantes quod caro ista quia pu-

(a) Er. et Lov. *condatur*. Verius MSS. et Am. *condiat*. Nam agitur hic de sacramento salis, quo catechumenus initiatur. Huc pertinet illud Augustini lib. 1. Confess. c. 11. *Et signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale, jam inde ab utero matris meæ*, ipsa est quam hic dixit *speciem benedictione sanctificatam*: adeoque paullo supra loco *sane*, legendum videtur, *salis*.

(b) Aliquot MSS. *mortalis*.

(c) Abest *geri* a MSS.

trescit, resurgere non potest, ad pœnas in ea resurrecturi sunt: et ostendet eis Deus, quia qui potuit hæc corpora facere ante quam essent, potest ea in momento restituere sicut erant. Omnes autem fideles regnaturi cum Christo, ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam: ut fiant æquales Angelis Dei, sicut Dominus ipse promisit; et laudent eum sine aliquo defectu et sine aliquo fastidio, semper viventes in illo et de illo, cum tali gaudio et beatitudine, quali nec dici nec cogitari ab homine potest.

Luc. 20. 36.

Cavendæ tentationes a malis etiam in Ecclesia repertis.

55. Tu itaque credens ista, cave tentationes; (quia diabolus quærit qui secum pereant:) ut non solum per eos qui extra Ecclesiam sunt, sive pagani, sive Judæi, sive hæretici, non te hostis ille seducat; sed etiam quos in ipsa Ecclesia catholica videris male viventes, aut (a) immoderatos voluptatibus ventris et gutturis, aut impudicos, aut vanis curiositatibus vel illicitis deditos, sive spectaculorum, sive remediorum (b) aut divinationum diabolicarum, sive in pompa et typho avaritiæ atque superbiæ, sive in aliqua vita quam lex (c) damnat et punit, non eos imiteris: sed potius conjungaris bonis, quos inventurus es facile, si et tu talis fueris; ut simul colatis et diligatis Deum gratis: quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa vita, bonitate ejus et pulcritudine perfruamur. Sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis; sed sicut amatur, sapientia, et veritas, (d) et sanctitas, et justitia, et caritas, et si quid aliud tale dicitur: non quemadmodum sunt ista in hominibus; sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis et incommutabilis sapientiæ. Quoscumque ergo videris hæc amare, illis conjungere, ut per Christum qui homo factus est, ut esset Mediator Dei et hominum, reconcilieris Deo. Homines autem perversos etiamsi intrent parietes ecclesiæ, non eos arbitreris intraturos in regnum cœlorum: quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutaverint. Homines ergo bonos imitare, malos tolera, omnes ama: quoniam nescis quid cras futurus sit qui hodie malus est. Nec eorum ames injustitiam; sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam: quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ. Quam non implet nisi qui (e) donum acceperit Spiritum-sanctum, Patri et Filio utique æqualem; quia ipsa Trinitas Deus est: in quo Deo spes omnis ponenda est. In homine non est ponenda, qualiscumque ille fuerit. Aliud est enim ille a quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum et dolorum et ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, et pro spe vitæ æternæ, et permanens toleraverit, major ei merces dabitur: quod si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiæ, cum pia humilitate impetrant a Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possunt sustinere.

Societas cum bonis.

Matth. 22. 37. et 39.

Spes omnis in Deo.

I. Cor. 10. 13.

(a) MSS. *immoderatis*: forte pro, *in immoderatis*.
(b) Editi, *sive remediorum sacrilegorum*. Abest *sacrilegorum* a MSS. ut illa, quæ post adhibent, vox *diabolicarum* et ad divinationum referatur, et ad *remediorum*.
(c) Corbejensis MS. *lex Dei*: sed additum *Dei* a secunda manu.
(d) MSS. omittunt, *et sanctitas, et justitia, et caritas*.
(e) Sola editio Lov. pro *donum*, habet *Dominum*.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

Librum de Continentia suum ipse agnoscit Augustinus in epistola 262. ad Darium Comitem. Ejusdem operis meminit Possidius in Indiculo cap. 10. et nonnulla ex eodem libro excerpta in suis collectaneis profert Beda seu Florus, et qui ab Augustini tempore prius distat Eugypius. Hinc censura refellitur Desiderii Erasmi, quam in fronte Libri præfixit, videri sibi esse Hugonis, et phrasim arguere quod non sit Augustini. Stilus et dictio, nostro quidem judicio, similis omnino est multorum Augustini Sermonem, eorum præsertim quos primis annis dixit sive dictavit. Hunc vero librum Sermonem quemdam esse, quem idcirco in librorum suorum Retractationibus præteriit, ipso satis exordio declaratur. Sic vero appellant veteres libri, necnon Possidius, Eugypius et Florus. Commode etiam in priores annos ipsius revocari, nemo negaverit; quando quidem et longior Sermo est, et magnam partem contra Manicheos, quorum hæresim Augustinus maxime initio suæ conversionis insectari solebat.



SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE CONTINENTIA
LIBER UNUS. *

* Scriptus circiter Christi annum 395. Augustino presbytero aut recens episcopo.

Explicat versiculos duos Psalmi 140. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea ne declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis. *Capitque inde Sermonis argumento docet Continentiæ virtutem pro suo officio coercendas habere libidines et corporis et animi, atque universim delectationibus concupiscentiæ, quæ delectationi sapientiæ adversatur, cohibendis invigilare. Jubet ne de propriis viribus confidamus pugnantes contra concupiscentiam, quæ per legem quidem cognoscitur, sed non vincitur nisi per gratiam. Superbos reprehendit excusationes varias in peccatis afferentes: quo in genere iniquiores Manichæos, qui peccata sua in mali naturam in se ipsis insitam referebant, operosius refellit, et locum Apostoli Galat.* 5. 16. Caro enim concupiscit adversus spiritum etc. *quo demonstratas duas boni et mali naturas volebant, perperam ab iis hæreticis intellectum esse ex Apostolo eodem evincit.*

CAPUT I. Continentia a libidine carnis, Dei donum. De virtute animæ, quæ Continentia nominatur, satis convenienter et digne disputare difficile est: sed exiguitatem nostram sub tanti ponderis sarcina ille cujus hæc virtus magnum munus est, adjuvabit. Nam qui eam donat continentibus fidelibus suis, ipse dat sermonem de illa loquentibus ministris suis. Denique de re tanta, quod ipse dederit, locuturi, Dei donum esse continentiam primum dicimus et probamus.
Sap. 8. 21. In libro Sapientiæ scriptum habemus, nisi Deus det, continentem esse neminem posse. Dominus autem de ipsa majore et gloriosiore continentia, a qua (*a*) a conjugali vinculo continetur, ait, *Non*
Matth. 19. 11. *omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Et quoniam ipsa quoque castitas conjugalis, nisi contineatur ab illicito concubitu, non potest custodiri; utrumque Apostolus donum Dei esse prædicavit, cum de vita utraque, id est, et conjugali, et ea quæ est sine conjugio, loqueretur
I. Cor. 7. 7. dicens, *Vellem omnes homines sic esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic.*

Continentia oris et ipsa donum Dei. Psal. 140. 3. 2. Et ne in sola inferiorum partium carnis libidine continentia necessaria videretur a Domino speranda, etiam in Psalmo canitur, *Pone Domine custodiam ori meo et ostium continentiæ circum labia mea.* In hoc autem divini eloquii testimonio, si os intelligamus sicut intelligere debemus, ibi posita continentia quantum sit Dei
Os corporis et os cordis munus agnoscimus. Parum est quippe os corporis continere, ne aliquid inde quod non expedit per sonum vocis erumpat. Intus est enim os cordis, ubi sibi custodiam et ostium continentiæ poni desideravit a Domino, qui verba illa dixit, nobisque dicenda conscripsit. Multa enim corporis ore non dicimus, et corde clamamus: nullum autem procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. Inde igitur quod non emanat, foris non sonat: quod vero emanat inde, si malum est, etsi non moveat linguam, inquinat animam. Ibi ergo ponenda est continentia, ubi et tacentium loquitur conscientia. Fit enim per ostium continentiæ, ut non inde exeat quod etiam clausis labiis carnis vitam polluat cogitantis.

3. Denique ut apertius os interius, quod per illa verba significavit, ostenderet, cum dixisset, *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea:* continuo subdidit, *Ne declines cor meum in verba maligna.* Declinatio cordis quid est, nisi consensio? Nondum enim dixit, quisquis in corde occurrentibus suggestionibus quorumque visorum nulla cordis declinatione consensit. Si autem consensit, jam corde dixit, etiamsi ore non sonuit: etiamsi manu vel qualibet corporis parte non fecit, fecit tamen quod cogitatione faciendum sibi esse jam statuit; divinis legibus reus, quamvis humanis sensibus absconditus; verbo in corde dicto, nullo facto per corpus admisso. Nequaquam vero membrum foris movisset in facto, cujus facti initium non intus præcessisset in verbo. Neque enim mendaciter scriptum est, *Initium omnis operis, verbum.* Multa quippe homines faciunt ore clauso, quieta lingua, voce frænata: sed tamen nihil agunt corporis opere, quod non prius dixerint corde. Ac per hoc quoniam multa sunt peccata in interioribus dictis, quæ non sunt in ex-

Margin notes: A, B, C (column sections). CAPUT II. Os cordis quo consensus tamquam verbum interius exprimitur. Psal. 140. 3, 4.

(a) Cisterciensis MSS. qua conjugale vinculum contemnitur.

terioribus factis; nulla sunt autem in exterioribus factis, quæ non (a) præcedant in interioribus dictis; erit ab utrisque puritas innocentiæ, si circum interiora labia ponatur ostium continentiæ.

Cordis continentia nomine oris commendata a Christo.

Matth. 23, 26.

Matth. 15, 11.

4. Propter quod etiam ipse ore proprio Dominus ait, *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt*. Itemque alio loco cum Judæorum stultiloquia refutaret, quia calumniabantur discipulis ejus non lotis manibus manducantibus: *Non quod intrat in os*, inquit, *coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Quæ sententia si tota de ore corporis accipiatur, absurda est. Neque enim quem non coinquinat cibus, coinquinat vomitus. Cibus quippe in os intrat, vomitus ex ore procedit. Sed procul dubio priora verba pertinent ad os carnis, ubi ait, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*: posteriora vero ad os cordis, ubi ait, *sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Denique cum ab illo apostolus Petrus expositionem velut parabolæ hujus exquireret, ille respondit, *Adhuc et vos sine intellectu estis: non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Hic certe in quod intrat cibus, os carnis agnoscimus. In his vero quæ adjungit, os agnosceremus os cordis, non sequeretur nostri tarditas cordis, nisi et cum tardis ambulare Veritas dignaretur. Ait enim, *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt:* tanquam diceret, Cum audis *de ore*, de corde intellige. Utrumque dico; sed alterum ex altero expono. Habet os interius homo interior, et hoc discernit auris interior: de hoc ore quæ procedunt, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. Deinde jam relicto oris nomine, quod potest et de corpore intelligi, apertius quid dicat ostendit: *De corde enim exeunt*, inquit, *cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem.*

Ibidem 14, etc.

Continentiam cordis interdum violato corpore.

Nihil est certe istorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, et coinquinet hominem, etiamsi aliquid impediat ne subsequantur opera flagitiosa et facinorosa membrorum. Si enim quia potestas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, numquid ideo mundum est ab scelere cor homicidæ? Aut si rem subripere alienam non ut quis vult potest, numquid ideo in ipsa voluntate fur non est? Aut si casta est, quam vult adulterare non castus, ideo eam non est in corde mœchatus? Aut si meretrix non invenitatur in fornice, ideo qui eam quærit, non fornicatur in mente? Aut si cupienti per mendacium lædere proximum, tempus vel locus desit, ideo falsum testimonium non ore interiore jam dixit? Aut si quisquam homines timens, non audeat lingua carnis sonare blasphemiam, ideo non est hujus criminis reus, qui dicit in corde suo, Non est Deus? Ita cætera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ nescit ullus corporis sensus, reos suos occultos habent: quos etiam solus inquinat in cogitatione consensus, id est, oris interioris verbum malignum. In quod timens ille declinari cor suum, ostium continentiæ circum labia oris hujus poni poscit a Domino, quod contineat cor, ne declinetur in verba maligna: contineat autem, non sinendo cogitationem procedere in consensionem; sic enim secundum præceptum apostolicum, non regnat peccatum in nostro mortali corpore, neque exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato. A quo præcepto implendo utique alieni sunt, qui ob hoc ad peccandum membra non movent, quia potestas nulla permittitur: quæ si adsit, protinus ex membrorum velut armorum motibus, quis in eis intus regnet, ostendunt. Proinde quantum in ipsis est, membra sua exibent arma iniquitatis peccato: quis hoc volunt, quod propterea non exhibent, quia non possunt.

Psal. 13.

Psal. 140, 4.

Rom. 6, 12. et 13.

Continentis cordis retenta non peccari contra continentiam corporis.

Matth. 15, 19.

5. Ac per hoc illa quæ genitalibus membris pudicitia refrænantis, solet maxime ac proprie continentia nominari, nulla transgressione violatur, si superior continentia, de qua jam din loquimur, in corde servetur. Propterea Dominus cum dixisset, *De corde enim exeunt cogitationes malæ*: deinde quid pertineat ad cogitationes malas sequutus adjunxit, *homicidia, adulteria, et cætera.* Nec dixit omnia; sed quibusdam exempli gratia nominatis et alia intelligenda commonuit. Quorum nihil est quod fieri possit, si mala cogitatio non præcesserit, qua intus (b) instituitur, quod foris agitur; et ex ore cordis procedens, jam coinquinat hominem, etiamsi nulla facultate permissa foris per membra corporis non agatur. Posito igitur ostio continentiæ in ore cordis, unde cuncta exeunt quæ coinquinant hominem, si nil tale inde permittatur exire, sequitur munditia qua possit jam gaudere conscientia; quamvis nondum sit illa perfectio, ubi non luctabitur cum vitio continentia. Nunc autem quamdiu concupiscit caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, sat est nobis non consentire malis quæ sentimus in nobis. Cum autem fit ista consensio, tunc exit ex ore cordis quod coinquinat hominem. Cum vero per continentiam consensio (c) non tenetur, malum concupiscentiæ carnalis, contra quod pugnat concupiscentia spiritalis, nocere non sinitur.

Gal. 5, 17.

CAPUT III. Continentiæ pugna contra libidines

6. Sed aliud est bene pugnare, quod nunc est, quando (d) mortis contentioni resistitur; aliud adversarium non habere, quod tunc erit, quando mors novissima inimica destruetur. Nam et ipsa continentia cum frænat cohibetque libidi-

(a) Sic aliquot MSS. Editi vero, *procedant ab interioribus dictis.*

(b) Michaelinus MS. *constituitur.*

(c) Duo Vaticani MSS. et Fuliensis, *consensio tenetur:* omisso *non.*

(d) Michaelinus codex, *morti contentione resistitur;* Vaticani duo, *mentis intentione resistit* male. Nam alludit Augustinus ad illud Apostoli 1. Cor. 15, 55. *Ubi est mors contentio tua?* Ita nempe citare solet hunc locum, qui pro *contentione*, modo *victoriam* habet in Vulgata: quia Græcum νεῖκος cum diphthongo scriptum, contentionem; secus vero, victoriam significat.

quamdiu sumus in hac vita. nes, simul et appetit bonum ad cujus immorta- A
1. Cor. 15. 55. et 26. litatem tendimus, et respuit malum cum quo in
hac mortalitate contendimus. Illius quippe ama-
trix et (*a*) spectatrix, hujus vero et hostis et te-
a stis est; et decus appetens, et decus fugiens. Non
utique in cupiditatibus frænandis continentia la-
b boraret, si nihil nos contra quod (*b*) decet libe-
ret, si nihil nostræ bonæ voluntati ex mala con-
cupiscentia repugnaret. Clamat Apostolus: *Scio*,
Rom. 7. 18. inquit, *quia non habitat in me; hoc est, in car-
ne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi, perfi-
cere autem bonum non invenio.* Nunc enim fieri
bonum potest, ut malæ concupiscentiæ non con-
sentiatur: perficietur autem bonum, quando i-
psa mala concupiscentia finietur. Itemque idem
Ibidem 22. Doctor gentium clamat: *Condelector legi Dei se-
cundum interiorem hominem; video autem aliam
legem in membris meis, repugnantem legi men-
tis meæ.*

Pugna interna concupiscentiarum non experta nisi bellatoribus virtutum. 7. HANC pugnam non experiuntur in semeti-
psis nisi bellatores virtutum debellatoresque vi-
tiorum: nec expugnat concupiscentiæ malum,
nisi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem
Dei omnino nescientes, malas concupiscentias
nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæ-
citate servientes, insuper etiam beatos se putant,
satiando eas potius quam domando. Qui vero per
legem cognoverunt eas, (*Per legem enim cogni-*
Rom. 3. 20. *tio peccati ; et, Concupiscentiam*, inquit, *nescie-*
Rom. 7. 7. *bam, nisi lex diceret, Non concupisces:*) et ea-
rum tamen oppugnatione vincuntur, quia sub
lege vivunt, qua jubetur quod bonum est, non
Concupiscentia per legem cognoscitur, non nisi per gratiam vincitur. et datur; non vivunt sub gratia, quæ dat per
Spiritum sanctum quod per legem jubetur: his C
ideo subintravit lex, ut in eis abundaret deli-
ctum. Auxit prohibitio concupiscentiam, eam-
que fecit invictam; ut accederet prævaricatio,
c quæ sine lege non fuit, etiamsi peccatum (*c*)
Rom. 5. 20. fuit. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Ita
Rom. 4. 15. lex gratia non juvante, prohibens peccatum, vir-
d tus est insuper (*d*) facta peccati: unde ait Apo-
1. Cor. 15. 56. stolus, *Virtus peccati lex.* Nec mirandum est,
quod humana infirmitas etiam de lege bona vi-
res malo addidit, dum ad ipsam legem facien-
Rom. 10. 3. dam de suis viribus fidit. Ignorans quippe Dei
justitiam, quam dat infirmo, et suam volens con-
stituere, qua caret infirmus, justitiæ Dei non est
subjectus, reprobus et superbus. Si autem lex
factum prævaricatorem, tamquam ad hoc gra- D
vius vulneratum ut desideret medicum, tam-
quam pædagogus perducit ad gratiam; contra
suavitatem noxiam qua vincebat concupiscentia,
e Dominus dat suavitatem beneficam qua (*e*) de-
lectet amplius continentia, et terra nostra dat
Psal. 66. 7. fructum suum, quo pascitur miles, qui debellat
Deo juvante peccatum.

Pugnandum ne peccati concupiscentia regnet. 8. TALES milites apostolica tuba isto sonitu
accendit in prœlium: *Non ergo regnet*, inquit,
A *peccatum in vestro mortali corpore ad obedien-*
dum desideriis ejus; neque exhibueritis membra Rom. 6. 12. etc.
vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos
Deo tamquam ex mortuis viventes, et membra ve-
stra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non Rom. 8. 12. etc.
dominabitur. Non enim estis sub lege sed sub gra-
tia. Et alio loco, *Ergo*, inquit, *fratres debitores su-*
mus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si
enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si
autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vi-
vetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi
filii sunt Dei. Id ergo nunc agitur, quamdiu est
mortalis hæc vita nostra sub gratia, ne pecca-
tum, id est, concupiscentia peccati (hanc enim
hoc loco peccati nomine appellat,) regnet in no-
stro mortali corpore. Tunc autem regnare o-
B stenditur, si desideriis ejus obeditur. Est ergo
in nobis peccati concupiscentia, quæ non est
permittenda regnare: sunt ejus desideria, qui-
bus non est obediendum, ne obedientibus re-
gnet. Propter quod membra nostra non sibi u-
surpet concupiscentia, sed sibi vindicet conti-
nentia; ut sint arma justitiæ Deo, ne sint ini-
quitatis arma peccato; sic enim nobis peccatum
non dominabitur. Non enim, sumus sub lege,
bonum quidem jubente, non tamen dante: sed
sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet faciens
nos amare, potest liberis impersre.

9. ITEMQUE cum hortatur, ut non secundum Opera carnis mortificanda.
carnem vivamus, ne moriamur, sed spiritu fa-
cta carnis mortificemus, ut vivamus; tuba uti-
que quæ canit, bellum in quo versamur osten-
C dit, et ut acriter dimicemus et hostes nostros
mortificemus, ne ab eis mortificemur, accendit.
Qui sint vero isti hostes, satis evidenter expres-
sit. Quos enim a nobis voluit mortificari, ipsi
sunt, scilicet opera carnis. Sic enim ait: *Si au-*
tem spiritu facta carnis mortificaveritis, vive-
tis. Et ista quæ sint ut sciamus, eumdem itidem
audiamus ad Galatas scribentem et dicentem, *Ma-* Gal. 5. 19. etc.
nifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt for-
nicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ser-
vitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmu-
lationes, animositates, dissensiones, hæreses, in-
vidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia,
quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui
talia agunt regnum Dei non possidebunt. Ipsum
enim etiam ibi bellum, ut hæc diceret, ostende-
D bat, et ad hos hostes mortificandos eadem cæle-
sti et spiritali tuba Christi milites excitabat. Su-
pra enim dixerat, *Dico autem, spiritu ambula-* Ibidem 16. etc.
te, et desideria carnis ne perfeceritis. Caro enim
concupiscit adversus spiritum, spiritus autem
adversus carnem. Hæc enim invicem adversan-
tur, ut non ea quæ vultis faciatis. Quod si spi-
ritu ducimini, non estis sub lege. Ergo sub gra-
tia constitutos vult istum adversus opera carnis
habere conflictum. Et hæc opera carnis ut de-

(a) Vaticani MSS. *appetitrix.* Forte leg. *exspecta-trix.*
(b) Er. et Lov. *nos contra quod contenderet, detine-ret.* At MSS. *nos contra quod decet (vel deceret) li-beret.* Sic passim Augustinus verbum *libet*, quod jungi dativo solet, jungit accusativo.
(c) Lov. *non fuit.* Abest *non* ab editione Er. et a MSS.
(d) Ex MSS. restituimus verbum *facta*, omissum in editis. Ejus tamen loco nonnulli MSS. habent *facit*.
(e) Ita Cisterciensis MS. At editi, *delectetur.*

monstraret, adjunxit quæ supra commemoravi: (Ibidem 22. etc.) *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes*, et cætera, sive quæ commemoravit, sive quæ intelligenda commonuit, maxime adjiciens, *et his similia*. Denique in hoc prœlio adversus carnalem quodam modo exercitum velut aliam producens aciem spiritalem, *Fructus autem spiritus est*, inquit, *caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia; adversus hujusmodi non est lex.* Non ait, adversus hæc; ne sola esse putarentur: quamvis et si hoc diceret, omnia deberemus intelligere, quæ ejusdem generis bona cogitare possemus: sed ait, *adversus hujusmodi*; et hæc scilicet et quæcumque similia. Verumtamen quod in eis bonis quæ commemoravi, ultimo loco posuit continentiam, de qua nunc disputare suscepimus, et propter quam multa jam diximus, præcipue voluit eam nostris mentibus inhærere. Ipsa quippe in hoc bello valet plurimum, in quo adversus carnem spiritus concupiscit; quoniam ipsas carnis concupiscentias quodam modo crucifigit. Unde cum hæc dixisset Apostolus, continuo subjecit, (Ibidem 24.) *Qui autem Jesus Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis.* Hæc est actio continentiæ: sic opera carnis mortificantur. Mortificant vero eos, quos deficientes a continentia ad consensionem perpetrandorum talium operum trahit concupiscentia.

CAPUT IV. *Ut continentia servari possit, cavenda præsumptio de propriis viribus.*

10. Ut autem a continentia non deficiamus, adversus illas præcipue diabolicarum suggestionum insidias vigilare debemus, ne de nostris viribus præsumamus. (Jer. 7. 5.) *Maledictus* enim *omnis, qui spem suam ponit in homine.* Et quis est iste nisi (*a*) homo? Non potest ergo veraciter dicere, non se spem ponere in homine, qui eam ponit in se. Nam et hoc secundum hominem vivere, quid est nisi secundum carnem vivere? (Rom. 8. 13.) Audiat ergo qui tali suggestione tentatur, et si ullus ei Christianus sensus est, contremiscat: audiat, inquam, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

Vivere secundum hominem, et vivere secundum carnem, idem est.

11. Sed quispiam dicturus est mihi aliud esse secundum hominem, aliud secundum carnem vivere: quia homo videlicet rationalis creatura est, et in eo rationalis est animus, quo distat a pecore; caro autem est infima et terrena pars hominis, et ideo secundum eam vivere vitiosum est: propter quod ille qui secundum hominem vivit, non utique secundum carnem, sed potius secundum eam partem hominis vivit qua homo est, hoc est, secundum spiritum mentis, quo pecoribus præminet. Verum hæc disputatio valet fortassis aliquid in scholis philosophorum: nos autem ut intelligamus Apostolum Christi, libri Christiani quemadmodum loqui soleant, debemus advertere. Fides certe omnium nostrum est, (*b*) quibus Christus vivere est, hominem a Verbo Dei assumptum, non utique sine anima rationali, sicut quidam hæretici volunt; et tamen legimus, (Johan. 1. 14.) *Verbum caro factum est.* Quid hic caro intelligenda est, nisi homo? (Lucæ 3. 6.) *Et videbit omnis caro salutare Dei:* quod potest intelligi, nisi omnis homo? (Psal. 64. 3.) *Ad te omnis caro veniet:* quid est, nisi omnis homo? (Johan. 17. 2.) *Dedisti ei potestatem omnis carnis:* quid est, nisi omnis hominis? (Rom. 3. 20.) *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro:* quid est, nisi nullus justificabitur homo? Quod idem Apostolus alibi exprimens manifestius, (Gal. 2. 16.) *Non*, inquit, *justificabitur homo ex operibus legis.* Corinthios quoque increpat dicens, (1. Cor. 3. 3.) *Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Cum carnales eos dixisset, non ait, secundum carnem ambulatis; sed, *secundum hominem*: quia et hoc quid voluit intelligi, nisi secundum carnem? Nam utique si culpabiliter quidem secundum carnem, laudabiliter autem secundum hominem ambularetur, id est, viveretur, non exprobans diceret, *secundum hominem ambulatis.* Agnoscat homo opprobrium, mutet propositum, vitet interitum. Audi homo, noli ambulare secundum hominem, sed secundum eum qui fecit hominem: ab eo qui fecit te, noli deficere nec ad te. Homo enim dicebat, qui tamen non secundum hominem vivebat: (2. Cor. 3. 5.) *Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vide si secundum hominem vivebat, qui veraciter ista dicebat. Admonens ergo Apostolus hominem, ne vivat secundum hominem, hominem Deo reddit. Qui autem non vivit secundum hominem, sed secundum Deum, profecto non vivit etiam secundum se ipsum: quia homo est et ipse. Sed ideo dicitur etiam secundum carnem vivere, cum ita vivit; quia et carne sola nominata intelligitur homo, quod jam ostendimus: sicut sola anima nominata intelligitur homo; unde dictum est, (Rom. 13. 1.) *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, id est, omnis homo; et, (Deut. 10. 22. Gen. 46. 15. Act. 7. 14.) *Septuaginta quinque animæ descenderunt in Ægyptum cum Jacob*, id est, septuaginta quinque homines. Noli ergo vivere secundum te ipsum, o homo: inde perieras, sed quæsitus es. Noli, inquam, vivere secundum te ipsum: (*c*) inde perieras, et inventus es. Noli carnis accusare naturam, quando audis, (Rom. 8. 13.) *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Sic enim dici potuit, et verissime potuit, Si secundum vos vixeritis, moriemini. Nam diabolus non habet carnem, et tamen quia secundum se ipsum vivere voluit, *in veritate non stetit.* Quid ergo (*d*) mirum, si secundum se ipsum vivens, (Johan. 8. 44.) *cum loquitur mendacium, de suo loquitur?* quod verum de illo Veritas dixit.

CAPUT V. *Non fidat de se qui vult peccati concupiscentiam vincere.*

12. Cum ergo audis, (Rom. 6. 14.) *Peccatum vobis non dominabitur:* noli de te fidere, ut peccatum tibi non dominetur; sed de illo cui dicit orans quidam sanctus, *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, et non dominetur mihi omnis iniqui-*

(a) Editi, *nisi ipse homo.* Abest *ipse* a MSS.

(b) Tres MSS. *nostrum est, ut Christus veneril, et hominem a Verbo* etc. Genovesæus codex. *nostrum est, ut Christus veniret, hominem a Verbo* etc.

(c) Habent sic aliquot MSS. At Er. *si quia perieras, inventus es.* Lov. *si perieras, inventus es.*

(d) Ita plures MSS. At editi, *Quid ergo verius:* et idem infra pro *quod verum*, habent, *quod vere.*

Psal. 118. 113. *tas.* Etenim ne forte, cum audissemus, *Pecca-*
tum vobis non dominabitur, nos ipsos extollere-
mus, et viribus nostris hoc tribueremus, statim
Rom. 6. 14. hoc vidit Apostolus, atque subjecit, *Non enim*
estis sub lege, sed sub gratia. Gratia itaque fa-
cit, ut peccatum tibi non dominetur. Noli ergo
de te fidere, ne multo amplius inde tibi domine-
Rom. 8. 13. tur. Et cum audiamus, *Si spiritu actiones car-*
nis mortificaveritis, vivetis, non hoc tantum bo-
num spiritui nostro, quasi per se ipsum possit
ista, tribuamus. Nam ne istum carnalem sensum
a spiritui mortuo potius quam (*a*) mortificante sa-
Ibidem 14. Eugypius 194. Beda seu Florus ad Rom. 8. peremus, illico addidit, *Quotquot enim Spiritu*
Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Itaque ut spiritu
nostro opera carnis mortificemus, Spiritu Dei
agimur; qui dat continentiam, qua frænemus,
domemus, vincamus concupiscentiam.

Excusatio peccatorum cohibenda per continentiam. 13. In hoc tam magno prœlio, in quo vivit ho-
mo sub gratia, et cum bene pugnat adjutus, ex-
sultat in Domino cum tremore, non desunt ta-
men etiam strenuis bellatoribus, et operum car-
nis quamvis invictis mortificatoribus, aliqua vul-
nera peccatorum, propter quæ sananda quotidie
Matth. 6. 12. veraciter dicant, *Dimitte nobis debita nostra*:
contra eadem vitia, et contra diabolum princi-
pem regemque vitiorum, multo vigilantius et a-
crius ipsa oratione certantes, ne valeant aliquid
mortiferæ suggestiones ejus, quibus instigat in-
super peccatorem ad sua excusanda potius quam
accusanda peccata: ac sic illa vulnera non mo-
do non sanentur, verum etiam, etsi mortifera
non erant, graviter et lethaliter infligantur. Et
hic ergo cautiore opus est continentia, qua co-
hibeatur superbus hominis appetitus, quo pla-
cet sibi et non vult culpabilis inveniri, dedigna-
turque cum peccat convinci quod ipse peccave-
rit, non salubri humilitate suscipiens accusatio-
nem sui, sed excusationem potius ruinosa ela-
tione conquirens. Ad hanc superbiam coercen-
dam, continentiam petivit a Domino ille, cujus
superius verba jam posui, et sicut potui, com-
Psal. 140. 3 et 4. mendavi. Namque cum dixisset, *Pone Domine*
custodiam ori meo, et ostium continentiæ cir-
cum labia mea; ne declines cor meum in verba
maligna: unde hoc diceret evidentius explicans,
ad excusandas, inquit, *excusationes in peccatis.*
Quid enim malignius his verbis, quibus malus
malum se negat, etiam de opere malo convictus
quod negare non valeat? Et quoniam factum
non potest tegere, nec benefactum potest dice-
re, et a se factum videt patere, quærit in alium
referre quod fecit, tamquam inde possit auferre
quod meruit. Nolens se esse reum, addit potius
ad reatum, et sua excusando, non accusando pec-
cata, ignorat non se pœnam removere, sed ve-
niam. Apud homines enim judices, quoniam falli
possunt, quacumque velut purgare fallacia quod
perperam factum est, prodesse aliquid videtur
ad tempus: apud Deum autem, qui falli non pot-
est, non est adhibenda fallax defensio, sed ve-
rax confessio peccatorum.

(a) Editi, *vivificante*. Contra vero MSS. *mortificante*.

Excusationes in peccatis diversæ. Fati accusatio. Fortunæ. A 14. Et alii quidem qui sua consueverunt ex-
cusare peccata, fato se ad peccandum queruntur
impelli, tamquam hoc decreverint sidera, et cœ-
lum prius talia decernendo peccaverit, ut homo
postea talia committendo peccaret. Alii fortunæ
malunt imputare quod peccant: qui omnia for-
tuitis casibus agitari putant; nec tamen hoc se
fortuita temeritate, sed perspecta ratione sape-
re atque asseverare contendunt. Qualis ergo de-
mentia est, disputationes suas rationi tribuere,
Diaboli. et actiones suas casibus subjugare? Alii totum
quod male faciunt, in diabolum referunt: nec
volunt cum illo habere vel partem, cum illum
sibi occultis suggestionibus mala suasisse su-
spicari possint, se autem illis suggestionibus,
undecumque fuerint, consensisse dubitare non
B possint. Sunt etiam qui excusationem suam ex-
tendunt in accusationem Dei, divino judicio mi-
Dei vero ipsius a Manichæis. seri, suo autem furore blasphemi. Etenim ad-
versus eum ex contrario principio inducunt mali
substantiam rebellantem, cui non potuisset re-
sistere, nisi substantiæ naturæque suæ partem
eidem rebellanti contaminandam corrumpen-
damque miscuisset: et tunc se peccare dicunt,
quando natura mali prævalet naturæ Dei. Hæc
Manichæorum est immundissima insania, quo-
rum machinamenta diabolica facillime veritas
indubitata subvertit, quæ Dei naturam inconta-
minabilem atque incorruptibilem confitetur. Quid
autem flagitiosæ contaminationis et corruptio-
nis de istis merito non creditur, a quibus Deus,
qui summe atque incomparabiliter bonus est,
C contaminabilis et corruptibilis creditur?

CAPUT VI. Contra alios qui ut se excusent, dicant placere Deo peccata. 15. Sunt et qui eo modo in excusatione pec-
catorum suorum accusant Deum, ut dicant ei
placere peccata. Nam si displicerent, inquiunt,
nullo modo ea fieri omnipotentissima utique po-
testate permitteret. Quasi vero peccata Deus im-
punita esse permiserit, etiam in eis quos a sup-
plicio sempiterno remissione liberat peccatorum.
Nullus quippe debitæ gravioris pœnæ accipit ve-
niam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem
quam debebat, solverit pœnam: atque ita im-
partitur largitas misericordiæ, ut non relinqua-
tur etiam justitia disciplinæ. Nam et peccatum
quod in ullum videtur, habet pedissequam pœ-
nam suam, ut nemo de admisso nisi aut amari-
tudine doleat, aut cæcitate non doleat. Sicut er-
D go tu dicis, Cur permittit ista, si displicent? ita
ego dico, Cur punit ista, si placent? Ac per hoc
sicut ego confiteor, quod omnino ista non fie-
rent, nisi ab omnipotente permitterentur; ita
tu confitere facienda non esse, quæ a justo pu-
niantur: ut non faciendo quæ punit, mereamur
ab eo discere, cur permittit esse quæ puniat.
Hebr. 5. 14. *Perfectorum est* enim, sicut scriptum est, *soli-*
dus cibus: in quo hi qui bene profecerunt, jam
intelligunt ad omnipotentiam Dei potius id per-
tinuisse, ut ex libero arbitrio voluntatis veni-
Deus et de malis facit bona. entia mala esse permitteret. Tanta quippe est o-
mnipotens ejus bonitas, ut etiam de malis pos-

sit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitates piorum coaptando atque vertendo, sive etiam justissime vindicando. Omnia namque ista bona sunt, et Deo bono atque omnipotente dignissima: nec tamen fiunt nisi de malis. Quid igitur melius, quid omnipotentius eo, qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit? Clamant ad eum qui male fecerunt, *Dimitte nobis debita nostra*: exaudit, ignoscit. Nocuerunt sua mala peccantibus: subvenit eorum medeturque languoribus. Sæviunt suorum hostes: de illorum sævitia facit Martyres. Postremo etiam condemnat eos, quos damnatione judicat dignos: sua licet illi mala patiantur, facit tamen ille quod bonum est. Non potest enim bonum non esse, quod justum est: et utique sicut injustum est peccatum, ita justum est peccati supplicium.

Matth. 6. 12.

Homo cum potestate peccandi factus, pro præmio accepturus non posse peccare.

16. Non autem potestas Deo defuit: talem facere hominem qui peccare non posset; sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare, si vellet; non peccare, si nollet: hoc prohibens, illud præcipiens: ut prius illi esset bonum meritum non peccare, et postea justum præmium non posse peccare. Nam etiam tales sanctos suos in fine facturus est, qui omnino peccare non possint. Tales habet quippe etiam nunc Angelos suos, quos in illo sic amamus, ut de nullo eorum ne peccando fiat diabolus formidemus. Quod de nemine homine justo in hujus vitæ mortalitate præsumimus. Tales autem omnes futuros in illius vitæ immortalitate confidimus. Omnipotens enim Deus qui operatur bona etiam de nostris malis, qualia dabit bona, cum liberaverit ab omnibus malis? Multa de bono usu mali copiosius possunt et subtilius disputari: sed neque hoc isto Sermone suscepimus, et ejus nimia vitanda est longitudo.

CAPUT VII. Continentiæ et justitiæ officia pariter tendunt ad pacem.

17. Nunc ergo ad aliud, propter quod diximus ista, redeamus. Continentia nobis opus est, et eam divinum esse munus cognoscimus, ne declinetur cor nostrum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis. Cui autem peccato cohibendo non habemus necessariam continentiam, ne committatur, quando et hoc ipsa cohibet, ne commissum si fuerit nefaria superbia defendatur? Universaliter ergo continentia nobis opus est, ut declinemus a malo. Ut autem faciamus bonum, ad aliam videtur virtutem, hoc est, ad justitiam pertinere. Hoc nos admonet sacer Psalmus, ubi legimus, *Declina a malo, et fac bonum*. Quo autem fine ista faciamus, mox addidit, dicens, *Quære pacem, et sequere eam*. Pax enim perfecta tunc erit nobis, quando natura nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis. Hoc et ipse Salvator voluit, quantum mihi videtur, intelligi, ubi ait, *Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes* (a) Quid est lumbos accingere? Libidines coercere, quod est continentiæ. Lucernas vero ardentes habere, est bonis operibus lucere atque fervere, quod est justitiæ. Neque hic tacuit quo fine ista faciamus, addendo atque dicendo, *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis*. Cum enim venerit, nos remunerabit, qui continuimus nos ab his quæ (b) cupiditas, et ea quæ imperavit caritas, fecimus: ut in ejus perfecta et sempiterna pace, sine ulla mali contentione et cum summa boni delectatione regnemus.

Psal. 140. 4.

Psal. 33. 15.

Lucæ 12. 35.

Ibidem 36.

Contra Manichæorum insaniam de duabus naturis inter se confligentibus.

18. Omnes ergo qui credimus in Deum vivum et verum, cujus summe bona immutabilisque natura nec mali aliquid facit, nec mali aliquid patitur, a quo est omne bonum, quod etiam minui (c) potest, et qui suo bono quod ipse est omnino minui non potest, cum audimus Apostolum dicentem, *Spiritu ambulate, et concupiscentias carnis ne perfeceritis; caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim invicem sibi adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis*: absit ut credamus, quod Manichæorum credit insania, duas hic demonstratas esse naturas ex contrariis inter se principiis confligentes, unam boni, alteram mali. Prorsus ista duo ambo sunt bona: et spiritus bonum est, et caro bonum; et homo qui ex utroque constat, uno imperante, alio serviente, utique bonum est, sed mutabile bonum: quod tamen fieri non posset, nisi ab incommutabili bono, a quo est omne bonum creatum, sive parvum, sive magnum; sed quamlibet parvum, a magno tamen factum; et quamlibet magnum, nullo modo tamen factoris magnitudini comparandum. Verum in hac bona hominis et bene a bono condita institutaque natura nunc bellum est, quoniam salus nondum est. Languor sanetur, pax est. Languorem autem istum culpa meruit, natura non habuit. Quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit, sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit. In tali autem pugna sanitas erit tota victoria: nec temporaria sanitas, sed æterna; ubi non solum finiatur hic languor, verum etiam deinceps nullus oriatur. Propter quod alloquitur animam suam justus, et dicit, *Benedic anima mea Dominum, et noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos*. Propitius fit iniquitatibus, cum peccata dimittit: sanat languores, cum desideria prava compescit. Propitius fit iniquitatibus, dando indulgentiam: sanat languores, dando continentiam. Illud factum est in baptismate confitentibus, hoc fit in agone certantibus; in quo a nobis noster per ejus adjutorium vincendus est morbus. Etiam nunc illud fit, cum exaudimur dicentes, *Dimitte nobis debita nostra*: hoc autem, cum exaudimur dicentes, *Ne nos inferas in tentationem*. *Unusquisque* enim *tentatur*, si-

Gal. 5. 16. et 17.

Bellum inesse in homine ex languore per culpam contracto, pacem sanato languore futuram esse.

Psal. 102. 2. et 33.

Matth. 6. 12.

Jacobi 1. 14.

(a) Unus a Vaticanis MSS. addit, *in manibus vestris*: quod nec editi, nec alii MSS. habent. Id etiam a Græco textu Evangelii abest: immo et a Latino in antiquis, Corbeiensibus Bibliis.

(b) Hic Cisterciensis codex addit, *suggerebat*. Vaticani autem, *instigavit*. Sed subauditur *imperavit*.

(c) Lov. *non potest*: male et repugnantibus editis aliis ac MSS.

cui ait apostolus Jacobus, *a concupiscentia sua abstractus et illectus.* Contra quod vitium, medicinale poscitur adjutorium ab illo, qui potest omnes hujuscemodi sanare languores, non a nobis alienæ separatione, sed in nostræ reparatione naturæ. Unde et prædictus Apostolus non ait, *Unusquisque tentatur a concupiscentia :* sed addidit, *sua* : ut qui hoc audit intelligat quomodo clamare debeat. *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Non enim sanatione indiguisset, nisi se ipsa peccando vitiasset, ut adversus eam caro sua concupisceret, id est, ipsa sibimetipsi ex ea parte qua in carne infirmata est repugnaret.

Eugypius, cap. 195. Beda seu Florus ad Gal. 5. Psal. 40. 5.

CAPUT VIII. Caro adversus spiritum concupiscit, non quia inimica natura, sed quia vitiata.

19. Caro enim nihil nisi per animam concupiscit : sed concupiscere caro adversus spiritum dicitur, quando anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur. Totum hoc nos sumus : et caro ipsa quæ discedente anima moritur, nostra pars infima, non fugienda dimittitur, sed recipienda deponitur, nec recepta ulterius relinquetur. *Seminatur* autem *corpus animale, resurget corpus spiritale.* Tunc jam caro nihil concupiscet adversus spiritum, quando et ipsa spiritalis vocabitur, quoniam spiritui non solum sine ulla repugnantia, verum etiam sine ulla corporalis alimenti indigentia in æternum vivificanda subdetur. Hæc igitur duo, quæ nunc invicem adversantur in nobis quoniam in utroque nos sumus, ut concordent oremus et agamus. Non enim alterum eorum putare debemus inimicum; sed vitium quo caro concupiscit adversus spiritum : quod sanatum, nec ipsum erit, et substantia utraque salva erit, et inter utramque nulla pugna erit. Audiamus Apostolum : *Scio*, inquit, *quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Hoc utique ait, quia vitium carnis in re bona non est bonum : quod cum esse destiterit, caro erit, sed jam vitiata vel vitiosa non erit. Quam tamen ad nostram pertinere naturam, idem doctor ostendit, prius dicendo, *Scio quia non habitat in me :* quod ut exponeret, addidit, *hoc est in carne mea, bonum.* Se itaque dicit esse carnem suam. Non ergo ipsa est inimica nostra: et quando ejus vitiis resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit :* sicut ipse Apostolus dicit. Et alio loco ait, *igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Audiant qui aures habent : *Igitur ipse ego;* ego mente, ego carne; sed *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quomodo *carne legi peccati?* numquid concupiscentiæ consentiendo carnali ? Absit : sed motus desideriorum illic habendo, quos habere nolebat, et tamen habebat. Sed eis non consentiendo mente serviebat legi Dei, et tenebat membra, ne fierent arma peccati.

1. Cor. 15. 44. Rom. 7. 18. Beda seu Florus ibidem. Ephes. 5. 29. Rom. 7. 25.

Carnis concupiscentias ex vitio esse, easque hic minui quidem posse, non penitus auferri nisi in altera vita.

20. Sunt ergo in nobis desideria mala, quibus non consentiendo non vivimus male : sunt in nobis concupiscentiæ peccatorum, quibus non obediendo non perficimus malum, sed eas habendo nondum perficimus bonum. Utrumque ostendit Apostolus, nec bonum hic perfici, ubi malum sic concupiscitur ; nec malum hic perfici, quando tali concupiscentiæ non obeditur. Illud quippe ostendit ubi ait : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non* : hoc vero, ubi ait, *Spiritu ambulate, et concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Neque ibi enim dicit, non sibi adjacere facere bonum ; sed, perficere : neque hic dicit, *Concupiscentias carnis ne habueritis;* sed *ne perfeceritis.* Fiunt itaque in nobis concupiscentiæ malæ, quando id quod non licet libet : sed non perficiuntur, cum legi Dei mente serviente libidines continentur. Et bonum fit, cum id quod male libet, vincente bona delectatione non fit: sed boni perfectio non impletur, quamdiu legi peccati (a) carne serviente libido illicit, et quamvis contineatur, tamen movetur. Non enim opus esset ut contineretur, nisi moveretur. Erit quandoque etiam perfectio boni, quando consumptio mali: illud summum, hoc erit nullum. Quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur. Tunc enim erit, quando mors non erit ; et ibi erit, ubi vita æterna erit. In illo enim sæculo et in illo regno erit bonum summum, malum nullum ; quando erit et ubi erit sapientiæ amor summus, continentiæ labor nullus. Non igitur mala est caro, si malo careat, id est, vitio quo vitiatus est homo, non factus male, sed ipse faciens. Ex utraque enim parte, id est, et anima et corpore a bono Deo factus bonus, ipse fecit malum quo factus est malus. A cujus mali reatu jam etiam solutus per indulgentiam, ne leve existimet esse quod fecit, adhuc cum suo vitio pugnat per continentiam. Absit autem ut insint ulla vitia in illa quæ futura est pace regnantibus : quando quidem in isto bello quotidie minuuntur in proficientibus, non peccata solum, sed ipsæ quoque concupiscentiæ, cum quibus non consentiendo confligitur, et quibus consentiendo peccatur.

Ibidem 18. Gal. 5. 16.

Concupiscentia carnis hic pœna peccati, carne sanata in beatis non erit.

21. Quod ergo caro concupiscit adversus spiritum, quod non habitat in carne nostra bonum, quod lex in membris nostris repugnat legi mentis, non est duarum naturarum ex contrariis principiis facta commixtio, sed unius adversus se ipsam propter peccati meritum facta divisio. Non sic fuimus in Adam, ante quam natura suo deceptore audito ac secuto, suum contempsisset atque offendisset auctorem: non est ista prior vita creati hominis, sed posterior pœna damnati. Ex qua damnatione per Jesum Christum gratia liberati, cum pœna sua dimicant liberi, nondum salute plena, sed jam pignore salutis accepto: non liberati autem, et (b) peccatis rei sunt, et suppliciis implicati. Post hanc vero vitam reis manebit in æternum pœna pro culpa ; liberis non remanebit in æternum nec culpa, nec pœna : sed permanebunt in æternum substantiæ bonæ spi-

(a) Editio Lov. in *carnis serviente.* Emendatur ex editis aliis et ex MSS. quorum plurimi postea ferunt, *libido illicita, quamvis contineatur* etc.

(b) Michaelinus MSS. *peccati.* Fuliensis et alii quidam, *non liberati autem a peccatis, rei sunt.*

A ritus et caro : quas Deus bonus et immutabilis bonas, quamvis mutabiles, condidit. Permanebunt autem in melius commutatæ, numquam jam in deterius mutandæ; consumptio penitus omni malo, et quod homo fecit injuste, et quod passus est juste. Quibus duobus mali generibus omnino pereuntibus, quorum est unum præcedentis iniquitatis, alterum consequentis infelicitatis, erit hominis sine ulla pravitate voluntas recta. Ibi omnibus erit clarum atque perspicuum, quod nunc a fidelibus multis creditur, a paucis intelligitur, malum non esse substantiam,
a sed sicut vulnus in corpore, ita (*a*) in substantia quæ se ipsam vitiavit, esse cœpisse peste inchoata, atque ibi esse desinere sanitate perfecta. Omni ergo malo exorto a nobis, et perdito in
B nobis, etiam bono nostro usque ad culmen felicissimæ incorruptionis et immortalitatis aucto atque perfecto, qualis erit utraque nostra substa-
Sap. 9. 15. tia? Quandoquidem nunc in ista corruptione et
Rom. 8. 10. mortalitate, cum adhuc *corpus corruptibile ag-*
Ephes 5.29. *gravat animam*, et quod Apostolus dicit, *corpus mortuum propter est peccatum*, tale tamen testimonium perhibet idem ipse carni nostræ, id est, parti nostræ infimæ atque terrenæ, ut dicat quod paulo ante commemoravi, *Nemo umquam carnem suam odio habuit;* statimque subjungat, *sed nutrit eam et fovet, sicut et Christus Ecclesiam*.

CAPUT IX. Carnem naturam non esse malam, cum ejus exemplo diligendas uxores hortetur Apostolus.

22. Quo igitur, non dico, errore, sed prorsus furore, Manichæi carnem nostram nescio cui fabulosæ genti tribuunt tenebrarum : quam volunt suam sine ullo initio; malam semper
C habuisse naturam? cum verax doctor viros diligere uxores suas exemplo suæ carnis hortetur, quos ad hoc ipsum Christi quoque et Ecclesiæ hortatur exemplo. Totus denique ipse apostolicæ epistolæ locus, valde ad rem pertinens, re-
Ephes. 5. 25. etc. cordandus est. *Viri*, inquit, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo; ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata. Ita*, inquit, *et viri debent diligere uxores suas, sicut corpora sua. Qui diligit uxorem suam, se ipsum diligit*. Deinde subjunxit, quod jam commemoravimus: *Nemo*
D *enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam*. Quid ad hæc dicit immundissimæ impietatis insania? Quid ad hæc dicunt Manichæi? qui nobis velut ex apostolicis litteris duas sine initio naturas, unam boni, alteram mali, conamini inducere; ut apostolicas litteras, quæ vos ab ista sacrilega perversitate corrigant, non vultis audire.
Gal. 5. 17. Sicut legitis, *Caro concupiscit adversus spiri-*
Rom. 7. 18. *tum; et, Non habitat in carne mea bonum:* ita
Ephes.5.29. legite, *Nemo numquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus*
Rom. 7. *Ecclesiam*. Sicut legitis, *Video aliam legem in*

(a) Sic aliquot MSS. At editi, *ita substantiam*.
(b) Sic MSS. Editi vero, *talis repugnatio*.

A *membris meis repugnantem legi mentis meæ:* ita legite, *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, ita et viri debent diligere uxores suas, sicut sua corpora*. Nolite in illis sanctæ Scripturæ testimoniis esse insidiosi, in his surdi; et eritis in utrisque correcti. Hæc enim si accipiatis ut dignum est, conabimini et illa intelligere ut verum est.

Tres copulæ insinuatæ ab Apostolo, omnes bonæ, quarum tertia est carnis et spiritus.

23. Tres quasdam copulas nobis insinuavit Apostolus, Christum et Ecclesiam, virum et uxorem, spiritum et carnem. Horum priora posterioribus consulunt, posteriora prioribus famulantur. Omnia bona sunt, cum in eis quædam ordinis pulchritudinem excellenter præposita, quædam decenter subjecta custodiunt. Vir et uxor, quales secum esse debeant, præceptum
B accipiunt et exemplum. Præceptum est : *Mulie-* Ephes. 5. 22. etc.
res viris suis subditæ sint, sicut Domino; quia vir caput mulieris est; et, Viri diligite uxores vestras. Exemplum autem datur mulieribus de Ecclesia, viris de Christo: *Sicut Ecclesia*, inquit, *subdita est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus*. Similiter et viris dato præcepto, ut uxores suas diligant, adjecit exemplum, *Sicut Christus dilexit Ecclesiam*. Sed viros et a re inferiore adhortatus est, id est, a corpore suo; non tantum a superiore, id est, a Domino suo. Non enim solum ait, *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, quod est a superiore : verum etiam dixit, *Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua*, quod est ab inferiore : quia et superiora et inferiora bona

Mulieri subjectionis exemplum a carne cur non datum.

C sunt omnia. Nec tamen mulier a corpore vel carne accepit exemplum, ut ita esset subdita viro, sicut spiritui caro: sed aut consequenter Apostolus intelligi voluit, quod dicere prætermisit: aut forte quia caro concupiscit adversus spiritum in hujus vitæ mortalitate atque languore, ideo de illa noluit mulieri exemplum subjectionis adhibere. Viris autem ideo voluit, quia etsi concupiscit spiritus adversus carnem, etiam in hoc ipso consulit carni : non sicut caro concupiscens adversus spiritum, nec spiritui consu-
lit (*b*) tali repugnatione, nec sibi. Non tamen ei b
spiritus bonus, sive ejus naturam per providentiam nutriendo ac fovendo, sive ejus vitiis per continentiam resistendo consuleret, nisi utraque substantia utriusque artificem Deum, etiam de-
D core sui hujus ordinis indicaret. Quid est ergo quod vos vera dementia et Christianos esse jactatis, et contra Scripturas Christianas oculis clausis, vel potius exstinctis, tanta perversitate contenditis, et Christum asserentes in falsa carne apparuisse mortalibus, et Ecclesiam in anima ad Christum, in corpore ad diabolum pertinere, et sexum virilem atque muliebrem diaboli opera esse, non Dei, et spiritui carnem tamquam malam substantiam bonæ substantiæ cohærere.

CAPUT X. Manichæi.

24. Si (c) parum vobis videntur respondere
quæ de apostolicis commemoravimus litteris, au- c

(c) Aliquot MSS. *Si parum vobis videtur respondere*.

rum hæresis negat fuisse in Christo carnem veram. 2. Tim. 2. 8. Lucæ 24. 39.

dite adhuc alia, si aures habetis. Quid de carne A Christi dicit insanissimus Manichæus? Quod non fuerit vera, sed falsa. Quid ad hoc dicit beatus Apostolus? *Memor esto Christum Jesum surrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum.* Et ipse Christus Jesus, *Palpate*, inquit, *et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quomodo est in eorum doctrina veritas, quæ prædicat quod in carne Christi erat falsitas? Quomodo in Christo non erat ullum malum, in quo erat tam grande mendacium? Quia videlicet hominibus nimium mundis malum est caro vera, et non est malum falsa pro vera: malum est caro vera nascentis ex David semine, et non est malum lingua falsa dicentis, *Palpate, et videte quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis* B *habere.* De Ecclesia quid dicit deceptor hominum in mortifero errore? Quod ex parte animarum pertineat ad Christum, ex parte corporum ad diabolum? Quid ad hæc dicit Doctor gentium in fide et veritate? *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi?* De sexu masculi et fœminæ quid dicit filius perditionis? Quod uterque sexus non ex Deo sit, sed ex diabolo. Quid ad hæc dicit Vas electionis? *Sicut*, inquit, *mulier ex viro, ita et vir per mulierem, omnia autem ex Deo.* De carne quid dicit per Manichæum spiritus immundus? Quod sit mala substantia, nec Dei, sed inimici creatura. Quid ad hæc dicit per Paulum Spiritus-sanctus? *Sicut enim corpus unum est*, inquit, *et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum* C *sint multa, unum est corpus; ita et Christus.* Et paulo post; *Posuit*, inquit, *Deus membra, singulum quodque eorum in corpore, prout voluit.* Item paulo post: *Deus*, inquit, *temperavit corpus, ei cui deerat majorem honorem dans, ut non essent scissuræ in corpore, sed idem ipsum ut pro invicem sollicita sint membra: et sive patiatur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Quomodo est mala caro, quando ipsæ animæ pacem membrorum ejus ut imitentur, monentur? Quomodo est inimici creatura, quando ipsæ animæ quæ corpora regunt, ut inter se inimicitiarum scissuras non habeant, exemplum de membris corporis sumunt, ut quod præstitit Deus corpori per naturam, a D ment et ipsæ hoc habere per gratiam? Merito ad Romanos cum scriberet, *Obsecro*, inquit, *vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Sine caussa (a) non tenebras lucem, et lucem tenebras esse contendimus, si hostiam vivam, sanctam, Deo placentem de gentis tenebrarum corporibus exhibemus.

Dicit animas ad Christum, corpora ad diabolum pertinere. 1 Cor. 6. 15. Et sexum utrumque esse ex diabolo. 1. Cor. 11. 12. 1. Cor. 12. 12. Ibidem 18. Ibidem 24. et 25. Rom. 12. 1.

CAPUT XI. Carnis et Ecclesiæ comparatio

25. Sed, inquiunt, quomodo caro per quamdam similitudinem comparatur Ecclesiæ? Numquid Ecclesia concupiscit adversus Christum? cum idem Apostolus dixerit, *Ecclesia subdita est Christo.* Plane Ecclesia subdita est Christo: quia ideo spiritus concupiscit adversus carnem, ut omni ex parte Christo subdatur Ecclesia; caro autem concupiscit adversus spiritum, quia nondum pacem, quæ perfecta promissa est, accepit Ecclesia. Ac per hoc Ecclesia subdita est Christo ex pignore salutis, et caro concupiscit adversus spiritum ex infirmitate languoris. Neque enim non Ecclesiæ membra erant iidem, quibus ista dicebat, *Spiritu ambulate, et concupiscentias carnis ne perfeceritis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis.* Hæc utique Ecclesiæ dicebantur, quæ si Christo subdita non esset, non in ea spiritus adversus carnem per continentiam concupisceret. Propter quod poterant quidem concupiscentias carnis non perficere, sed carne concupiscente adversus spiritum non poterant ea facere quæ volebant, id est, etiam ipsas carnis concupiscentias non habere. Deinde, cur non confitemur in hominibus spiritalibus Ecclesiam subditam Christo, in carnalibus autem adhuc concupiscere adversus Christum? An adversus Christum non concupiscebant, quibus dicebatur, *Divisus est Christus?* Et, *Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim estis carnales. Cum enim sint in vobis æmulatio et contentio, nonne carnales estis?* Adversus quem concupiscit æmulatio et contentio, nisi adversus Christum? Has enim carnis concupiscentias Christus in suis sanat, sed in nullis amat. Unde sancta Ecclesia quamdiu habet etiam membra talia, nondum est sine macula et ruga. Huc accedunt et illa peccata, pro quibus quotidiana vox totius Ecclesiæ est, *Dimitte nobis debita nostra:* a quibus ne spiritales putaremus alienos, non quicumque carnalium, nec ipsorum quicumque spiritalium, sed qui super pectus Domini discumbebat, et quem præ cæteris diligebat, *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est.* In omni autem peccato, plus in majore, minus in minore, tamen contra justitiam concupiscitur. Et de Christo scriptum est, *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* In omni igitur peccato contra Christum sine dubio concupiscitur: sed qui sanat omnes languores nostros, cum perduxerit Ecclesiam ad promissam languoris sanitatem, tunc in nullo membrorum ejus quamlibet minima erit ulla macula aut ruga. Tunc nullo modo caro adversus spiritum concupiscet: et ideo nulla erit caussa cur adversus carnem etiam spiritus concupiscat. Tunc finem accipiet omnis hæc pugna, tunc ambarum substantiarum erit summa concordia: tunc usque adeo ibi nullus erit carnalis, ut etiam caro ipsa sit spiritalis.

in quibus consistat. Ephes. 5. 24. Gal. 5. 16. et 17. 1. Cor. 1. 13. 1. Cor. 3. 2. etc. Matth. 6. 12. Johan. 15. 23. 1. Johan. 1. 8. 1. Cor. 1. 30. Psal. 102. 3.

(a) Sic MSS. At editi pro non, habent enim: minus bene.

Quod ergo nunc agit cum carne sua quisque secundum Christum vivens, cum et concupiscit adversus ejus malam concupiscentiam, (a) quam sanandam continet, quam nondum sanatam tenet; et tamen ejus bonam nutrit naturam fovetque, quoniam *nemo umquam carnem suam odio habuit:* hoc etiam agit cum Ecclesia Christus, quantum fas est comparare minora majoribus. Nam et correptionibus eam reprimit, ne impunitate inflata (b) dissiliat; et consolationibus erigit, ne gravata infirmitate succumbat. Hinc est illud Apostoli, *Si enim nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur: cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Et illud in Psalmo: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ jucundaverunt animam meam.* Tunc ergo speranda est carnis nostræ sine ulla repugnatione perfecta sanitas, quando erit Ecclesiæ Christi sine ullo timore certa securitas.

Ephes. 5. 29. — 1. Cor. 11. 31. et 32. — Psal. 93. 19.

26. Hæc adversus Manichæos falliciter continentes, pro veraci continentia disputasse suffecerit, ne continentiæ fructuosus et gloriosus labor, partem infimam nostram, id est, corpus, quando ab immoderatis et illicitis voluptatibus cohibet et refrenat, non salubriter castigare, sed insectari credatur hostiliter. * Corpus quippe ab animi est quidem natura diversum, sed non est a natura hominis alienum. Non enim animus constat ex corpore; sed tamen homo ex animo constat et corpore: et utique Deus quem liberat, totum hominem liberat. Unde totum hominem etiam Salvator ipse suscepit, dignatus in nobis totum liberare quod fecit. Qui contra istam sentiunt veritatem, quid eis prodest libidines continere? si tamen aliquas continent. Quid in eis per continentiam potest fieri mundum, quorum continentia talis immunda est? quæ nec continentia nominanda est. Sentire quippe quod sentiunt, virus est diaboli; continentia vero munus est Dei. Sicut autem non omnis qui aliquid patitur, aut quoslibet dolores tolerantissime patitur, habet eam virtutem, quæ similiter Dei munus est, et patientia nuncupatur: multi enim tolerant multa tormenta, ne in suis criminibus prodant aut male sibi conscios, aut se ipsos; multi pro explendis ardentissimis libidinibus, et obtinendis, vel non relinquendis eis rebus quibus vinculo pravi amoris obstricti sunt; multi pro diversis et perniciosis, quibus vehementer tenentur, erroribus; quos omnes absit ut veram dicamus habere patientiam; ita non omnis qui aliquid continet, vel ipsas etiam carnis aut animi libidines mirabiliter continet, istam continentiam, de cujus utilitate et decore disserimus, habere dicendus est. Quidam enim, quod mirum dictu videri potest, per incontinentiam se continent; velut si se mulier contineat a marito, quia hoc juravit adultero. Quidam per injustitiam, velut si miscendi sexus non reddat conjux conjugi debitum, quia ipse vel ipsa jam potest vincere talem corporis appetitum. Item quidam continent decepti fide falsa, et vana sperantes, et vana sectantes: in quibus sunt omnes hæretici, et quicumque sub nomine religionis aliquo errore falluntur; quorum continentia vera esset, si esset et fides vera: cum vero illa propterea nec fides sit appellanda, quia falsa est, sine dubio et ista continentiæ nomine indigna est. Numquid enim continentiam, (c) quam munus Dei verissime dicimus, dicturi sumus esse peccatum? Absit a nostris cordibus tam detestanda dementia. Beatus autem Apostolus ait, *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quæ igitur non habet fidem, nec continentia nominanda est.

* CAPUT XII. Continentia Manichæorum et aliorum quorumdam, præsertim hæreticorum, falsa.

Rom. 14. 23.

27. Sunt etiam qui aperte malignis serviendo dæmonibus a corporis voluptatibus continent, ut per eos expleant nefarias voluptates, quarum impetum ardoremque non continent. Unde ut aliquid dicam, et cætera propter sermonis longitudinem taceam; quidam non adtingunt etiam uxores suas, dum quasi mundi per magicas artes pervenire ad uxores moliuntur alienas. O mirabilem continentiam, immo vero nequitiam atque immunditiam singularem! Si enim vera esset continentia, magis ab adulterio, quam propter adulterium perpetrandum, carnis concupiscentia debuit a conjugio continere. Hanc quippe concupiscentiam carnis relaxare solet continentia conjugalis, ejusque frænis hactenus moderamen imponere, ut nec in ipso conjugio immoderata licentia (d) diffluatur, sed custodiatur modus, aut infirmitati conjugis debitus, cui hoc non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus; aut filiis procreandis accommodatus, quæ una fuit caussa miscendæ invicem carnis et patribus quondam et matribus sanctis. Id autem faciens continentia, id est, moderans et quodam modo limitans in conjugibus carnis concupiscentiam, et ejus inquietum atque inordinatum motum certis quodam modo finibus ordinans, bene utitur hominis malo, quem facit et vult perficere bonum: sicut Deus utitur etiam hominibus malis, propter eos quos perficit bonos.

Continentia item quorumdam immunda, ut per magicas artes perveniant ad uxores alienas.

1. Cor. 7. 6.

28. Absit ergo ut continentiam, de qua Scriptura dicit, *Et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum,* etiam eos habere dicamus, qui continendo, vel erroribus serviunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur. Ea vero quæ vera est desuper veniens continentiam, non aliis malis mala premere alia, sed bonis mala sanare vult omnia. Cujus ut breviter complectar actionem; omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ adversantur delectationi sapientiæ, coercendis atque sanandis invigilat officium continentiæ. Unde angustius eam sine dubitatione metiuntur, qui solas libidines corporis cohibere definiunt: melius profecto illi, qui non addunt corporis, sed generaliter libidi-

CAPUT XIII. Continentia non tantum libidines corporis, sed et animi cupiditates coercet et regit.

Sap. 8. 21.

(a) Duo MSS. *quoniam.* Er. *quando.*
(b) Aliquot MSS. *dissolvat.*

(c) Editi, *continentiam fidei.* Abest *fidei* a MSS.
(d) Duo MSS. *diffluat.*

A nem sive cupiditatem regendam dicunt ad con-
tinentiam pertinere. Quæ cupiditas in vitio po-
nitur, nec tantum est corporis, verum et animi.
Etenim si cupiditas corporis est in fornicatio-
nibus et ebrietatibus, numquid inimicitiæ, con-
tentiones, æmulationes, postremo animositates,
in corporis voluptatibus, ac non potius in ani-
mi motibus et perturbationibus exercentur?
Gal. 5. 19. Carnis tamen opera hæc omnia noncupavit Apo-
stolus, sive quæ ad animum, sive quæ ad car-
nem proprie pertinerent, ipsum scilicet homi-
nem nomine carnis appellans. Opera quippe ho-
minis sunt quæ non dicuntur Dei; quoniam ho-
mo qui hæc agit, secundum se ipsum vivit, non
secundum Deum, in quantum hæc agit. Sunt au-
tem alia opera hominis, quæ magis dicenda sunt
Philip. 2. 13. B opera Dei. *Deus est enim*, inquit Apostolus, *qui
operatur in vobis et velle et operari pro bona vo-
Rom. 8. 14. luntate.* Inde est et illud: *Quotquot enim Spi-
ritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.*

Motus animæ pravi continentia cohibendi, negato consensu et rejecta vel cogitationis delectatione.

29. Spiritus itaque hominis adhærens Spiri-
tui Dei, concupiscit adversus carnem, id est, ad-
versus se ipsum; sed pro se ipso, ut motus illi
sive in carne, sive in anima, secundum homi-
nem, non secundum Deum, qui sunt adhuc per
adquisitum languorem, continentia cohibeantur,
propter adquirendam salutem: ut homo non se-
Gal. 2. 20. cundum hominem vivens, jam possit dicere, *Vi-
vo autem jam non ego, vivit vero in me Chri-
stus.* Ubi enim non ego, ibi felicius ego: ut
quando secundum hominem reprobus ullus mo-
tus exsurgit, cui non consentit qui mente legi
Rom. 7. 17. C Dei servit, dicat etiam illud, *Jam non ego ope-
ror illud.* Talibus quippe et illa dicuntur, quæ
sicut eorum socii participesque debemus audire:
Coloss. 3. 1, etc. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt
quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens;
quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.
Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est
cum Christo in Deo: cum Christus apparuerit
vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in
gloria.* Quibus loquatur intelligamus, immo ve-
ro attentius audiamus. Nam quid hoc planius,
quid apertius? Eis certe loquitur, qui consur-
rexerant cum Christo, nondum utique carne,
sed mente; quos mortuos dicit, et magis hinc
vivos: nam *vita vestra*, inquit, *abscondita est
cum Christo in Deo.* Talium mortuorum vox
Gal. 2. 20. D est: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me
Christus.* Quorum ergo vita erat abscondita in
Deo admonentur et exhortantur, ut membra sua
mortificent quæ sunt super terram. Id enim se-
Colos. 3. 5. quitur: *Mortificate ergo membra vestra quæ
sunt super terram.* Et ne quisquam nimis tar-
dus membra ista visibilia corporis mortificanda
putaret a talibus, continuo quid dicat aperiens,
Fornicationem inquit, *immunditiam, perturba-
tionem, concupiscentiam malam, et avaritiam
quæ est idolorum servitus.* Itane vero creden-
dum est, quod isti qui jam mortui erant, eorum-
que vita abscondita erat cum Christo in Deo,

A adhuc fornicabantur, adhuc in moribus immun-
dis operibusque vivebant, adhuc perturbationi-
bus, concupiscentiæ malæ, atque avaritiæ ser-
viebant? Quis demens ista de talibus senserit?
Quid ergo vult ut mortificent, opere scilicet con-
tinentiæ, nisi motus ipsos adhuc in sua quadam
interpellatione, sine nostræ mentis consensio-
ne, sine membrorum corporalium operatione
viventes? Et quomodo isti mortificantur opere
continentiæ, nisi cum eis mente non consenti-
tur, nec exhibentur eis arma corporis membra;
et quod est majus, atque vigilantia continentiæ
majore curandum, ipsa etiam nostra cogitatio,
quamvis eorum quodam modo suggestione et
quasi susurratione tangatur, tamen ab eis ne
oblectetur avertitur, et ad superna delectabilius
B cogitanda convertitur; ob hoc ea nominans in
sermonibus, ne habitetur in eis, sed fugiatur
ab eis? Quod fit, si efficaciter audiamus, ipso
adjuvante qui hoc per Apostolum suum præci-
pit, *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est* Coloss. 3. 1. et 2.
*in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite,
non quæ super terram.*

CAPUT XIV. Fidem sine operibus, non salvare. Ibidem 6.

30. Cum autem mala illa commemorasset, ad-
junxit atque ait, *Propter quæ venit ira Dei in
filios infidelitatis.* Utique salubriter terruit, ne
putarent fideles propter solam fidem suam, etiam
si in his malis viverent, se posse salvari; aposto-
lo Jacobo contra istum sensum voce manifestis-
sima reclamante ac dicente, *Si fidem quis dicat* Jacobi 2. 14.
*se habere, opera autem non habeat, numquid po-
terit fides salvare eum?* Unde et hic Doctor gen-
C tium propter illa mala venire iram Dei dixit in
filios infidelitatis. Cum autem dicit, *In quibus et* Coloss. 3. 7.
vos aliquando ambulastis, cum viveretis in illis;
satis ostendit quod in illis jam non viverent.
His quippe mortui erant, ut eorum vita in Deo
cum Christo esset abscondita. Cum ergo jam in
illis non viverent, mortificare jam talia jubeban-
tur. Ipsis quippe in eisdem non viventibus illa
vivebant; sicut paulo ante jam ostendi: et mem-
bra dicebantur ipsorum, ea videlicet vitia quæ
in membris habitabant ipsorum, modo locutio-
nis (a) per id quod continet id quod continetur: a
sicut dicitur, Totum forum inde loquitur, cum
homines loquantur qui sunt in foro. Ipso locu-
tionis modo in Psalmo canitur, *Omnis terra ado-* Psal. 65. 4.
ret te: id est, omnes homines qui sunt in terra.

Vitia carnis constanter debellanda.

D 31. *Nunc autem deponite*, inquit, *et vos uni-* Coloss. 3. 8.
versa: et commemorat plura ejusmodi mala. Sed
quid est, quod ei non sufficit dicere, *Deponite
vos universa*; sed addita conjunctione dixit: *et
vos*? Nisi ne propterea se putarent hæc mala
facere, atque impune in eis vivere, quia fides eo-
rum liberaret eos ab ira, quæ venit in filios in-
fidelitatis ista facientes, et in his sine fide viven-
tes. Deponite, inquit, et vos illa mala propter
quæ venit ira Dei in filios infidelitatis; nec vo-
bis eorum impunitatem propter fidei meritum
promittatis. Non autem diceret, *Deponite*, eis
qui jam deposuerant ex ea parte qua talibus vi-

(a) Sic plerique MSS. Quidam vero addunt, *quo ex-
primitur*. Editi solum, *quo significatur*.

tiis non consentiebant, nec sua membra eis arma peccati dabant, nisi quia in hoc facto est, et in hac adbuc operatione versatur, quamdiu mortales sumus, vita sanctorum. Dum enim spiritus concupiscit adversus carnem, (a) hæc magna intentione res agitur, delectationibus pravis, libidinibus immundis, motibus carnalibus atque turpibus, suavitate sanctitatis, amore castitatis, spiritali vigore, et continentiæ decore resistitur: sic deponuntur ab eis qui mortui sunt eis, nec consentiendo vivunt in eis. Sic, inquam, deponuntur, dum continuata continentia ne resurgant premuntur. Quisquis quasi securus ab hac eorum depositione cessaverit, illico in arcem mentis prosilient, eamque inde ipsa deponent, atque in suam redigent servitutem, turpiter deformiterque captivam. Tunc regnabit peccatum in hominis mortali corpore ad obediendum desideriis ejus: tunc sua membra exhibebit arma iniquitatis peccato, et erunt novissima illius pejora prioribus. Multo est enim tolerabilius certamen hujusmodi non cepisse, quam cœptum reliquisse conflictum, et factum ex bono prælia- tore vel etiam ex victore captivum. Unde Dominus non ait, Qui cœperit: sed, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Rom. 6. 12.

Matt. 12. 45.

Matth. 10. 22.

32. Sive autem ne vincamur acriter confligentes, sive aliquoties vel etiam insperata vel inopinata facilitate vincentes, ei qui nobis dat continentiam demus gloriam. Meminerimus quemdam justum dixisse in abundantia sua, *Non movebor in æternum:* demonstratumque illi esse quam temere hoc dixerit, tamquam suis viribus tribuens, quod ei desuper præstabatur. Hoc autem ipso confitente didicimus: mox enim adjunxit, *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Per medicinalem providentiam paullulum desertus est a rectore, ne per exitialem superbiam desereret ipse rectorem. Sive ergo hic, ubi cum vitiis nostris domandis minuendisque confligimus, sive ibi, quod in fine futurum est, ubi omni hoste, quia omni peste carebimus; id nobiscum salubriter agitur, ut, *qui gloriatur, in Domino glorietur.*

In continentiæ prælio victoriæ gloria referenda in Deum.

Psal. 29. 7.

Ibidem 8.

1. Cor. 1. 31.

(a) Cisterciensis MS. *ac magna intentione delectationibus pravis etc,* omisso, *hæc res agitur.*

ADMONITIO

IN LIBRUM DE BONO CONJUGALI.

Liber iste cum altero proxime secuturo pariter est contra reliquas quasdam hæresis Joviniani. Hanc hæresim suo tempore natam commemorat Augustinus in libro 2. de Nuptiis et concupiscentia c. 23. *Jovinianus*, ait, *qui paucos ante annos novellam conatus est hæresim condere, Manichæis patrocinari dicebat Catholicos, quod adversus eum sanctam Virginitatem Nuptiis præferebant*. Et in libro de hæresibus cap. 82. *A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus*. Additque fuisse illam cito oppressam et exstinctam, puta circiter annum Christi 390. Romæ primum damnatam, tum deinde Mediolani: qua de re exstant Siricii Papæ ad Mediolanensem Ecclesiam litteræ, et quæ ad ipsum a Synodo Mediolanensi Ambrosio præsule redditæ sunt, a Baronio ad prædictum annum 390. relatæ. Confutaverat Jovinianum Hieronymus, sed excellentiæ Virginalis defensionem nonnisi damnatione Nuptiarum tentasse ferebatur, adeoque Manichæis hæreticis incaute favisse. Ne similem calumniam sive quærelam pateretur Augustinus, ante quam de Virginitatis præstantia diceret, scribendum de Conjugii bono judicavit: quod opus circiter annum 401. perfecisse, non modo ex Retractationum serie intelligitur, sed etiam ex libris de Genesi ad litteram, eo fere anno 401. inchoatis. Nempe in libro nono de Genesi, cap. 7. ubi Conjugii bonum commendat: *Hoc autem*, ait, *tripartitum est*, *fides*, *proles*, *sacramentum*. *In fide adtenditur ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur*: *in prole ut amanter suscipiatur*, *benigne nutriatur*, *religiose educetur*: *in sacramento autem ut conjugium non separetur*, *et dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri conjungatur*. *Hæc est tamquam regula Nuptiarum*, *qua vel decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Unde quia satis disseruimus in eo libro, quem* de bono Conjugali *nuper edidimus, ubi et continentiam Vidualem, et excellentiam Virginalem pro suorum graduum dignitate distinximus, diutius hic noster stilus non est occupandus*. Hoc ipsum opus notatur in lib. 1. de peccatorum meritis et remissione c. 29.

Joviniani hæresis sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali tantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maxime argumento cum eas urgeret, dicens, Tu ergo melior quam Sara, melior quam Susanna sive Anna? et cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum, commemoratione patrum conjugatorum et comparatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia quæ ibi est, fidelissime ac fortissime restitit. Remanserant autem istæ disputationes ejus in quorumdam sermunculis ac susurris, quas palam suadere nullus audebat. Sed etiam occulte venenis repentibus, facultate quam donabat Dominus, occurrendum fuit: maxime quoniam jactabatur, Joviniano responderi non potuisse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cujus inscriptio est, *de bono Conjugali*. Ubi * de propagatione filiorum prius quam homines mortem peccando mererentur, quoniam concubitus mortalium corporum res videtur, quæstio magna dilata est: sed in aliis postea litteris nostris, satis quantum arbitror explicatur. * Cap. 2.

2. Dixi etiam quodam loco: *Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, et utrumque non est sine delectatione carnali, quæ tamen modificata et temperantia refrenante in usum naturalem redacta, libido esse non potest.* Quod ideo dictum est, quoniam libido non est bonus et rectus usus libidinis. Sicut enim malum est male uti bonis, ita bonum est bene uti malis: de qua re alias, maxime contra novos hæreticos Pelagianos, diligentius disputavi. De Abraham quod dixi, *Ex hac obedientia pater ille Abraham, qui sine uxore non fuit, esse sine unico filio et a se occiso paratus fuit*, non satis approbo. Magis enim filium, si esset occisus, resuscitatione sibi mox fuisse reddendum, credidisse credendus est, sicut in epistola legitur quæ est ad Hebræos. Hic liber sic incipit: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est.*

Cap. 16. Cap. 2. Heb. 11, 19.



SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE BONO CONJUGALI
LIBER UNUS. *

Scriptus circiter annum Christi 401.

In quo docet Augustinus, Nuptias multis nominibus esse honorabiles, et non tantum in fornicationis comparatione, sed ex proprio genere bonas ac de se ab omni peccato immunes. Continentiam vero longe esse præstantiorem ostendit: adeoque Nuptias, quas olim necessarias ad propagandum Dei populum, per quem Christus prophetaretur et nasceretur, in usu habere sancti debuerunt, nunc temporis post quam dictum est, *Qui potest capere capiat*, non amplectendas nisi ab iis qui se continere non valent. Cæterum Continentes nostros antiquis illis Conjugatis, Abrahamo nominatim et Saræ, vix ulla ratione conferri, nedum iis præferri posse; quippe qui et Continentiæ virtutem in animi habitu tenuerunt nubentes, et Obedientiæ laude, qua tamquam matrice virtutes omnes continentur, quam maxime excellu erunt.

CAPUT I. Prima societas viri et uxoris.

Quoniam unusquisque homo humani generis pars est, et sociale quiddam est humana natura, magnumque habet et naturale bonum, vim quoque amicitiæ: ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanæ societatis copula vir et uxor est. Quos nec ipsos singulos condidit Deus, et tamquam alienigenas junxit: sed alteram creavit ex altero; signans etiam vim conjunctionis in latere, unde illa detracta, formata est. (Gen. 2. 21.) Lateribus enim sibi junguntur, qui pariter ambulant, et pariter quo ambulant intuentur. Consequens est connexio societatis in filiis, qui unus honestus fructus est, non conjunctionis maris et fœminæ, sed concubitus. Poterat enim esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis amicalis quædam et germana conjunctio.

CAPUT II. De propagatione filiorum, si homo non peccasset, diversæ sententiæ.

2. Nec nunc opus est, ut scrutemur, et in ea quæstione definitam sententiam proferamus, unde primorum hominum proles posset existere, quos benedixerat Deus, dicens, *Crescite, et multiplicamini; et implete terram*, (Gen 1. 28.) si non peccassent: cum mortis conditionem corpora eorum peccando meruerint, nec esse concubitus nisi mortalium corporum possit. Plures enim de hac re sententiæ diversæque exstiterunt: et si examinandum sit, (a) veritati divinarum Scripturarum quænam earum potissimum congruat, prolixæ disputationis negotium est. Sive ergo sine coeun- A di complexu alio aliquo modo, si non peccassent, habituri essent filios ex munere omnipotentissimi Creatoris, qui potuit etiam ipsos sine parentibus condere, qui potuit carnem Christi in utero virginali formare, et ut etiam ipsis infidelibus loquar, qui potuit apibus prolem sine concubitu dare: sive ibi multa mystice ac figurate dicta sint, aliterque sit intelligendum quod scriptum, est, *Implete terram, et dominamini ejus*, id est, ut plenitudine et perfectione vitæ ac potestatis id fieret, ut ipsum quoque incrementum et multiplicatio qua dictum est, *Crescite, et multiplicamini*, provectu mentis et copia virtutis intelligatur, sicut in Psalmo positum B est, *Multiplicabis (b) me in anima mea virtute;* (Psal. 137. 3.) nec data sit homini prolis ista successio, nisi postea quam caussa peccati, futura erat in morte decessio: sive corpus non spiritale illis hominibus, sed primo animale factum erat, ut obedientiæ merito postea fieret spiritale, ad immortalitatem capessendam, non post mortem, quæ invidia diaboli intravit in orbem terrarum, (Sap. 2. 24.) et facta est pœna peccati; sed per illam commutationem quam significat Apostolus, ubi ait, *Deinde nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in aera:* (1. Thess. 4. 10.) ut illa corpora primi conjugii et mortalia fuisse intelligamus prima conformatione, et tamen non moritura nisi peccassent, sicut mina- C tus erat Deus: tamquam si vulnus minaretur, quia vulnerabile corpus erat; quod tamen non accidisset, nisi fieret quod ille vetuisset. Ita er-

(a) Sic MSS. Editi autem, *veritate*.

(b) Editi omittunt *me*; et loco *virtute*, habent *virtutem*. At Augustinus legere solet, *Multiplicabis me in anima mea virtute* juxta LXX. et ita hic MSS. nisi quod antiquissimus Corbejensis pro *virtute*, habet *in virtutem*.

go possent etiam per concubitum talium corporum generationes subsistere, quæ usque ad certum modum, haberent incrementum, nec vergerent tamen (a) in senium; aut usque in senium, nec tamen in mortem, donec illa benedictionis multiplicatione terra impleretur.

Deut. 29. 5.

Si enim vestibus Israelitarum præstitit Deus per annos quadraginta sine ullo detrimento proprium statum; quanto magis præstaret corporibus obedientium præcepto suo felicissimum quoddam temperamentum certi status, donec in melius converterentur, non morte hominis qua corpus ab anima deseritur, sed beata commutatione a mortalitate ad immortalitatem, ab animali ad spiritalem qualitatem. * Harum sententiarum quæ vera sit, vel si alia vel aliæ possunt adhuc ex illis verbis exsculpi, quærere ac disserere longum est.

* CAPUT III.

Bonum conjugii multiplex.

3. Illud nunc dicimus, secundum istam conditionem nascendi et moriendi, quam novimus, et in qua creati sumus, aliquid boni esse conjugium masculi et fœminæ: cujus confœderationem ita divina Scriptura commendat, ut nec dimissæ a viro nubere liceat alteri, quamdiu vir ejus vivit; nec dimisso ab uxore liceat alteram ducere, nisi mortua fuerit quæ recessit. Bonum ergo conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solum quia prohibuit dimittere uxorem, nisi ex caussa fornicationis, sed etiam quia venit invitatus ad nuptias, cur sit bonum merito quæritur.

Matth. 19. 9.

Johan. 2.

1. et 2 Conjugii bonum.

Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non jam diceretur conjugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bono licet annoso conjugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculum et fœminam, viget tamen ordo caritatis inter maritum et uxorem: quia quanto meliores sunt, tanto maturius a commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt, non ut necessitatis esset postea non posse quod vellent, sed ut laudis esset primum noluisse quod possent. Si ergo servatur fides honoris et obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus et prope cadaverinis utriusque membris, animorum tamen rite conjugatorum tanto sincerior, quanto probatior, et tanto securior, quanto placidior castitas perseverat.

3. Conjugii bonum.

Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. Deinde quia reprimitur, et quodam modo verecundius æstuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam gravitas fervidæ (b) voluptatis, cum in eo quod sibi vir et mulier adhærescunt, pater et mater esse meditantur.

CAPUT IV.

4. Conjugii bonum.

4. Huc accedit, quia in ipso eo quod sibi invicem conjuges debitum solvunt, etiamsi id aliquanto intemperantius et incontinentius expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantum juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellaret, dicens, *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier*.

1. Cor. 7. 4.

Hujus autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur: atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis et abjectis magnum animi bonum est; et ideo eam saluti quoque corporali qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi.

Adulterium quid sit.

Fides in rebus etiam abjectis servanda et vitæ huic præponenda.

Et si enim exigua palea præ multo auro pene res nulla est: fides tamen cum in negotio paleæ, sicut in auro sincera servatur, non ideo minor est quia in re minore servatur. Cum vero ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est: verumtamen qualiscumque sit, si et contra ipsam fit, pejus fit, nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem ac legitimam redeatur, id est, ut peccatum emendetur, voluntatis pravitate correcta. Tamquam si quis cum hominem solus exspoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, et cum eo paciscatur ut simul id faciant spoliumque partiantur, quo facinore commisso totum solus auferat. Dolet quidem ille, et fidem sibi servatam non esse conqueritur: verum in ipsa sua querela cogitare debet, potius in bona vita ipsi humanæ societati fuisse servandam, ne præda inique ex homine fieret, si sentit quam inique sibi in peccati societate servata non fuerit. Ille quippe (c) utrobique perfidus, profecto sceleratior judicandus est. At si id quod male fecerant ei displicuisset, et propterea cum participe facinoris prædam dividere noluisset, ut homini cui ablata fuerat, redderetur, eum perfidum nec perfidus diceret: Ita mulier si fide conjugali violata fidem servet adultero, utique mala est: si nec adultero, pejor est. Porro si eam flagitii pœniteat, et ad castitatem rediens conjugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit.

CAPUT V.

Conjunctio viri et fœminæ quandonam sit connubium, et quando non.

4. Sent. d. 31. c. Et est sciendum.

5. Solet etiam quæri, cum masculus et fœmina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed propter incontinentiam solius concubitus caussa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alterius eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Cæterum si vel utrumque vel unum horum desit, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus suis inve-

(a) Sola editio Lov. omittit, aut usque in senium.
(b) Bigotianus MS, voluptati.

(c) In Corbeiensi codice vetustissimo, utrum ubique.

niat, quam comparem ducat; ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium. Unde et ipsa hoc sciens ac volens, impudice utique miscetur ei, cum quo non habet fœdus uxorium. Verumtamen si ei thori fidem servet, et cum ille uxorem duxerit, nubere ipsa non cogitet atque a tali prorsus opere continere se præparet, adulteram quidem fortassis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus uxor non est, misceri sciat? Jam vero si ex illo concubitu, quantum ad ipsam adtinet, non nisi filios velit, et quidquid ultra caussam procreandi patitur invita patiatur: multis quidem ista matronis anteponenda est; quæ tametsi non sunt adulteræ, viros tamen suos plerumque etiam continere cupientes ad reddendum carnale debitum cogunt, non desiderio prolis, sed ardore concupiscentiæ ipso suo jure intemperanter utentes, in quarum tamen nuptiis bonum est hoc ipsum quod nuptæ sunt. Ad hoc enim nuptæ sunt, ut illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis et dissoluta fluitaret, habens de se ipsa irrefrænabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem; de se ipsa progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi. Etsi enim turpe est libidinose uti (a) velle marito; honestum est tamen nolle misceri nisi marito, et non parere nisi de marito. * Sunt item viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidum gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum.

* CAPUT VI.

De conjugalis debiti exactione ac redditione.

6. Jam in ipsa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, ut etiam præter caussam procreandi sibi misceantur; etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum caussa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodam modo servitutem; ut etsi alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Et ad hoc enim uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter et vir et non habet potestatem corporis sui, sed mulier: ut et quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiæ caussa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non sibi alterutrum negent: ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante satana, propter incontinentiam, vel amborum, vel cujusquam eorum. Conjugalis enim concubitus generandi gratia, non habet culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter thori fidem, venialem habet culpam: adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam. Ac per hoc melior est quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit caussa gignendi.* sed quis illa continentia meriti amplioris est, reddere vero debitum conjugale, nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis, fornicari vero vel mœchari, puniendi criminis; cavere debet caritas conjugalis, ne dum sibi quærit unde amplius honoretur; conjugi faciat unde damnetur. *Qui enim dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.* Usque adeo fœdus illud initium nuptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem vivente viro, et a quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit; et ille hujus mali caussa est qui reliquit.

(1. Cor. 7.) (4. Sent. d. 31. c. Cum ergo.) (* CAPUT VII.) (Matth. 5. 32.)

Fœdus nuptiale separatione conjugum non fit irritum.

7. Miror autem, si quemadmodum licet dimittere adulteram uxorem, ita liceat ea dimissa alteram ducere. Facit enim de hac re sancta Scriptura difficile nodum, dicente Apostolo, ex præcepto Domini mulierem a viro non debere discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: cum recedere utique et manere innupta, nisi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo qui adulter non est, faciat eum mœchari. Reconciliari autem viro vel tolerando, si se (b) ipsa continere non potest, vel correcto, forsitan juste potest. Quomodo autem viro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cum mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum conjugum, ut cum caussa procreandi colligetur, nec ipsa caussa procreandi solvatur. Possit enim homo dimittere sterilem uxorem, et ducere de qua filios habeat: et tamen non licet; et nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut amplius habeat quam unam vivam: et utique relicta adultera vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut divina regula præscribere videtur; quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, talis est

(An dimissa adultera liceat alteram ducere.) (1. Cor. 7. 10.) (Uxorem superducere vetitum more Romano.) (Divortio fœderis nuptialis non aboletur inter Christianos.) (Psal. 47. 2.)

(a) MSS. uti vel marito.

(b) Sola fere editio Lov. se ipsa.

* CAPUT VIII. Repudii usus qualis apud Gentiles, et qualis apud Judæos.

Deut. 24. 1. Matth. 19. 8. Hebr. 5. 14.

causa cum uxore. * Cæterum aliter se habere A jura gentilium, quis ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ, et illa cui voluerit nubit, et ille quam voluerit ducit. Cui consuetudini simile aliquid, propter Israelitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello repudii. Qua in re exprobratio quam approbatio divortii magis apparet.

Conjugium bonum est prorsus, non autem sola comparatione fornicationis.

8. Honorabiles ergo *nuptiæ in omnibus, et thorus immaculatus*. Quod non sic dicimus bonum, ut in fornicationis comparatione sit bonum: alioquin duo mala erunt, quorum alterum pejus: aut bonum erit et fornicatio, quia est pejus adulterium; pejus est enim alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere: et bonum adulterium, quia est pejor incestus; pejus est enim cum matre quam cum aliena uxore B concubere: et donec ad ea perveniatur, quæ, sicut Apostolus ait, *turpe est etiam dicere*, omnia bona erunt in comparatione pejorum. Hoc autem falsum esse, quis dubitet? Non ergo duo mala sunt connubium et fornicatio, quorum alterum pejus: sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius. Sicut ista temporalis sanitas et imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus: sed ista sanitas et immortalitas duo bona sunt, quorum alterum melius. Item scientia et vanitas non duo mala sunt, quorum vanitas pejus: sed scientia et caritas duo bona sunt, quorum caritas melius. Namque *scientia destruetur*, ait Apostolus; et tamen huic tempori necessaria est: *caritas autem numquam cadet*. Sic et mortalis ista generatio, propter quam fiunt nuptiæ, destruetur: ab omni autem concubitu immunitas, et hic angelica meditatio est, et permanet in æternum. Sicut autem jejuniis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum; ita nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur (*a*) impiarum. Verumtamen neque ibi prandium jejunio; sed justitia sacrilegio; neque hic nuptiæ virginitati, sed fides impietati præfertur. Ad hoc enim justi cum opus est prandent, ut tamquam boni domini quod justum et æquum est servis corporibus præbeant: ad hoc autem sacrilegi jejunant, ut dæmonibus serviant. Sic ad hoc nubunt fideles, ut maritis pudice copulentur: ad hoc autem sunt virgines impiæ, ut a vero Deo fornicentur. Sicut ergo bonum erat quod Martha faciebat, occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria soror ejus sedens ad pedes Domini, et audiens verbum ejus (*b*): ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ virginis anteponimus. Bonum erat quod faciebant, quæ de substantia sua Christo ac discipulis ejus necessaria ministrabant; sed melius qui omnem suam substantiam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur. In his autem binis bonis, sive quæ isti, sive quæ Martha et Maria faciebant, fieri non posset quod melius est, A nisi altero prætermissio aut relicto. Unde intelligendum est, non ideo malum putandum esse nuptias, quia nisi ab eis abstineatur, non potest haberi vidualis castitas aut virginalis integritas. Neque enim ideo malum erat quod Martha faciebat, quia nisi inde abstineret soror ejus, non faceret quod melius erat: aut ideo malum est suscipere justum aut prophetam in domum suam quia nec domum habere debet, ut quod melius est faciat, qui vult ad perfectionem Christum sequi.

Ephes. 5. 12.

1. Cor. 13. 8.

Lucæ 10. 39. et 40.

Dan. 13. 22.

Lucæ 2. 36.

Lucæ 1. 27.

CAPUT IX. Conjugium bonum est non nisi propter aliud expetendum.

9. Sane videndum est, alia bona nobis Deum dare, quæ propter se ipsa expetenda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia; alia quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, potus, somnus, conjugium concubitus. Horum enim quædam necessaria sunt propter sapientiam sicut doctrina; quædam propter salutem, sicut cibus, et potus, et somnus; quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ vel concubitus: hinc enim subsistit propagatio generis humani, in quo societas amicalis magnum bonum est. His itaque bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc utitur propter quod instituta sunt, peccat alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero eis propter hoc utitur, propter quod data sunt, bene facit. Cui ergo non sunt necessaria, si non eis utitur, melius facit. Proinde ista bona cum opus habemus, bene volumus: sed melius ea nolumus quam volumus, quia tunc melius nos habemus, cum ea necessaria non habemus. Ac per hoc bonum est nubere, C quia bonum est filios procreare, matrem-familias esse: sed melius est non nubere, quia melius est ad ipsam humanam societatem hoc opere non egere. Ita enim jam sese habet humanum genus, ut aliis qui se non continent, non solum per nuptias occupati, sed multis etiam per illicitos concubitus luxuriantibus, bono Creatore de malis eorum faciente quod bonum est, non desit numerositas prolis et abundantia successionis, unde sanctæ amicitiæ conquirantur. Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maxime propter Dei populum propagandum, per quem et prophetaretur et nasceretur Princeps et Salvator omnium populorum, uti debuisse sanctos isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessario bono nuptiarum: D nunc vero cum ad ineundam sanctam et sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritalis cognationis exuberet, etiam propter solos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur admonendi sunt.

1. Tim. 5. 14.

Conjugio uti debuisse sanctos primis temporibus; nunc præferendam esse continentiam.

CAPUT X. Objectio contra continentiam.

10. Sed novi qui murmurent: Quid si, inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere; unde subsistet genus humanum? Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in caritate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta: multo citius Dei civitas compleretur, et accelerareturterminus sæculi. Quid enim aliud

1. Tim. 1. 5.

(a) Lov. impiorum: dissentientibus editis aliis et MSS.
(b) Hic sola editio Lov. addit, cum eum ambæ hospitio recepissent.

1\. Cor. 7. 7. Ibidem 29. etc.

hortari apparet Apostolum, ubi ait, cum inde loqueretur, *Vellem omnes esse sicut me ipsum?* Aut illo loco: *Hoc autem dico, fratres, tempus breve est, reliquum est ut et hi qui habent uxores tamquam non habentes sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudentes, et qui emunt tamquam non ementes, et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi: volo vos sine sollicitudine esse.* Deinde subjungit: *Qui sine uxore est cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino. Qui autem matrimonio conjunctus est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Et divisa est mulier* (a) *innupta et virgo: quæ innupta est, sollicita est ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu: quæ autem nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Unde mihi videtur hoc tempore solos eos qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam ejusdem Apostoli sententiam, *Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri.*

Nunc ii soli conjugari debent, qui se non continent.

Nuptias non esse peccatum.

11\. Nec ipsis tamen peccatum sunt nuptiæ, quæ si in comparatione fornicationis eligerentur minus peccatum essent quam fornicatio, sed tamen peccatum essent. Nunc autem quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis: *Quod vult faciat; non peccat, si nubat,* et, *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Hinc certe jam dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola caussa procreandi, et aliquando nulla caussa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant: si tamen non ita sit nimius; ut impediat quæ seposita esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam, de quo Apostolus tacere non potuit cum de corruptelis nimiis immundorum et impiorum hominum loqueretur. Concubitus enim necessarius caussa generandi, inculpabilis et solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quam quod inhonestum est, id est, quod est nuptiarum, quam id quod non est nuptiarum, hoc eis auctore Apostolo secundum veniam conceditur: cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non a se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus ut orationibus vacent, et per hanc abstinentiam sicut per jejunia commendent preces suas, vel immutando naturalem usum in eum usum qui est contra naturam, quod damnabilius fit in conjuge.

1\. Cor. 7. 36. Ibid. 28. Rom. 1. 6.

Nuptialis concubitus solus ille est qui fit caussa generandi. 4. Sent. d. 31. c. Sed si.

CAPUT XI. Usus contra naturam exsecrabilior in uxore, quam in meretrice.

12\. Nam cum ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; iste qui est contra naturam, exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabilius in uxore. Tantum valet ordinatio Creatoris et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in (b) eis quæ concessa non sunt vel unus vel rarus excessus. Et ideo in re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam quod longe minus peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quam vel rarissimus ad fornicationem. Cum vero vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor si in se, quam si in alia fieri permiserit. Decus ergo conjugale est castitas procreandi, et reddendi carnalis debiti fides: hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus dicendo, *Et si acceperis uxorem, non peccasti: et si nupserit virgo, non peccat,* et, *Quod vult faciat; non peccat, si nubat.* Exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressio, propter illa quæ supra dixi, conjugibus secundum veniam conceditur.

4\. Sent. d. 31. c. Sed si. 1. Cor. 7. 28. Ibidem 36.

Ibidem 34. Innuptarum amplior sanctitas commendata non negata sanctitas nuptiarum. 1. Cor. 6. 19.

13\. Quod ergo ait, *Quæ innupta est, cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu,* non sic accipiendum est ut putemus non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam. Omnibus quippe fidelibus dictum est, *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis a Deo.* Sancta sunt ergo etiam corpora conjugatorum, fidem sibi et Domino servantium. Cui sanctitati cujuslibet eorum, nec infidelem conjugem obsistere, sed potius sanctitatem uxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli uxori, idem Apostolus testis est, dicens, *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore* (c), *et sanctificata est mulier infidelis in fratre.* Proinde illud dictum est secundum ampliorem sanctitatem innuptarum quam nuptarum, cui merces etiam debetur amplior secundum quod isto bono illud est melius; quia et hoc solum cogitat, quomodo placeat Domino. Neque enim fœmina fidelis, servans pudicitiam conjugalem, non cogitat quomodo placeat Domino, sed utique minus; quia cogitat etiam quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Hoc enim de illis dicere voluit (d), quod possunt habere quodam modo de necessitate connubii, ut

1\. Cor. 14.

(a) Lectio hæc est omnium fere veterum MSS. explicata ab Augustino in libro de sancta Virginitate cap. 22. et in libro de bono Viduitatis cap. 2. quæ quidem hic in ante editis male emendata fuerat hunc in modum: *Et divisa est mulier nupta, et virgo quæ innupta est.* In isto loco Apostoli dissonantiam codicum Latinorum notavit Hieronymus in lib. 1 contra Jovinianum.

(b) MSS. in ea.

(c) Editi, *in uxore fideli*: et iidem infra, *in fratre fideli*. Vox *fideli* utroque loco abest a MSS. et a Græco textu Apostoli, soletque præteriri ab Augustino, ut lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 10.

(d) Sic MSS. Editi vero, quæ.

cogitent quæ sunt mundi, quomodo placeant viris suis.

CAPUT XII. *Nuptas non cogitantes nisi quomodo placeant Deo, perraras esse.*

14. Quod utrum de omnibus nuptis dixerit, an de talibus quales ita multæ sunt, ut pene omnes putari possint, non immerito dubitatur. Neque enim et illud quod de innuptis ait, *Quæ innupta est, cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu*, ad omnes innuptas pertinet; cum sint quædam viduæ mortuæ, quæ
1.Cor. 7. 34. in deliciis vivunt. Verumtamen quod adtinet ad quamdam distinctionem et quasi proprietatem
1.Tim. 5. 6. innuptarum atque nuptarum sicut nimium detestanda est, quæ continens a nuptiis, est, a re concessa, non continet a delictis, vel luxuriæ, vel superbiæ, vel curiositatis et verbositatis: ita rara nupta est, quæ in ipso quoque obsequio con-
1.Cor. 7. 32. jugali non cogitat nisi quomodo placeat Deo, or-
1. Tim. 2. 9. et 10. nando se, non intortis crinibus, aut auro et margaritis et veste prætiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bonam conversationem. Talia quippe conjugia Petrus quoque
1.Petri 3. 1. etc. apostolus præcipiendo describit: *Similiter*, inquit, *mulieres obaudientes maritis suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine loquela lucrifieri possint, videntes timorem et castam conversationem vestram: ut sint non quæ a foris ornantur capillorum incrispationibus, circumdatæ auro, aut veste decora: sed ille absconditus cordis* (a) *vestri homo in illa perpetuitate quieti et modesti spiritus, qui et apud Dominum locuples est. Nam sic quædam sanctæ mulieres quæ in Dominum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis; quomodo Sara obaudiebat Abrahæ, Dominum illum vocans; cujus factæ estis filiæ benefacientes, et non timentes ullum vanum timorem. Viri simili ratione concordes et caste viventes cum uxoribus vestris, et tamquam vasi infirmiori et subjecto tribuite honorem, quasi coheredibus gratiæ*, (b) *et videte ne impediantur orationes vestræ*. Itane vero conjugia talia non cogitant ea quæ sunt Domini, quomodo placeant Domino? Sed perrara sunt. Quis negat? et in ipsa raritate pene omnes qui tales sunt, non ut tale essent conjuncti sunt, sed jam conjuncti tales facti sunt.

CAPUT XIII. *Nuptias nunc solis non continentibus, olim vero etiam continentibus amplectendas fuisse.*

15. Qui enim nostri temporis homines Christiani nuptiarum vinculo liberi valentes ab omni concubitu se continere, cum jam *tempus* esse perspicerent, sicut scriptum est, *non amplectendi, sed abstinendi ab amplexu*, non potius eligerent vel virginalem vel vidualem continentiam conservare, quam tribulationem carnis, sine qua conjugia esse non possunt, (ut alia taceantur
Eccle. 3. 5. a quibus parcit Apostolus,) nullo jam cogente
1.Cor. 7. 28. humanæ societati officio sustinere? Sed cum dominante concupiscentia fuerint copulati, si eam postea vicerint, quia non ita licet dissolvere conjugium, sicut licebat non colligare, fiunt tales quales profitetur forma nuptiarum; ita ut vel pari consensu adscendant celsiorem sanctitatis gradum, aut si non ambo sunt tales, erit qui tali est non exactor, sed redditor debiti, servans in omnibus castam religiosamque concordiam. Illis vero temporibus, cum adhuc propheticis sacramentis salutis nostræ mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales erant, officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti pietate: quibus si optio talis daretur, qualis revelato novo Testamento data est, dicente Domino, *Qui potest capere capiat;* nos eo dubitat Matth. 19. 12.
etiam cum gaudio suscepturos fuisse; qui diligenter intentus legit quomodo conjugibus utebantur, cum et plures habere uni viro licebat, quas castius habebat quam nunc unam quilibet istorum, quibus videmus quid secundum veniam concedat Apostolus. Habebant enim eas in opere 1. Cor. 7. 6.
generandi, non in morbo desiderii sicut gentes quæ ignorant Deum. Quod tam magnum est, ut 1. Thess. 4. 5.
multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi, nisi prolis caussa, si matrimonio copulentur. Nempe multos habemus fratres et socios cælestis hæreditatis utriusque sexus continentes sive expertos nuptias, sive ab omni tali commixtione integros, nempe innumerabiles sunt: quem tandem audivimus inter familiaria colloquia, sive eorum qui conjungati sunt, sive qui fuerunt, indicante nobis numquam se conjungi esse commixtum, nisi sperando conceptum? Quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum: quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.

Uti conjugio sola prolis caussa, quam rarum.

CAPUT XIV. *Uti concubina propter filios majus peccatum, quam uxore uti propter incontinentiam.*

16. Itaque si forte, quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri non posse existimo; sed tamen si forte ad tempus adhibita concubina filios solos ex eadem commixtione quæsiverit: nec si ista conjunctio vel earum nuptiis præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid enim sit nuptiarum, considerandum est, non quid sit nubentium et immoderatius nuptiis utentium. Neque enim si agris inique ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus large eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat: neque si alius ruri paterno vel juste quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet; nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate injuste uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum caussa concumbant, justum faciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt.

17. Posse sane fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est. * Semel autem initum connubium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ 4. Sent. d. 33. c. Solet.

* CAPUT XV. *Connubium non posse*

(a) Sola editio Lov. *nostri*.
(b) Non sic Vulgata in sacris Bibliis, sed habet, coheredibus *gratiæ vitæ, ne impediantur orationes vestræ*.

dissolvi ob sterilitatem.

gerunt, nullo modo potest nisi alicujus eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cujus caussa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa caussa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem conjuges manent. Plane uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos patres fas erat: utrum et nunc fas sit, non temere dixerim. Non est enim nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, quando et parientibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem superducere licebat, quod nunc certe non licet. Nam tantum affert opportunitatis ad aliquid juste agendum seu non agendum temporum secreta distinctio, ut nunc melius faciat, qui nec unam duxerit, nisi se continere non possit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant, et qui se multo facilius continere possent, nisi aliud pietas illo tempore postularet. Sicut enim sapiens et justus, qui jam concupiscit dissolvi et esse cum Christo, et hoc magis optimo delectatur, jam non hic vivendi cupiditate, sed consulendi officio sumit alimentum, ut maneat in carne, quod necessarium est propter alios: sic misceri fœminis jure nuptiarum officiosum fuit tunc sanctis viris, non libidinosum.

An liceat uxoris voluntate aliam adhibere ut communes filii nascantur, non audet definire.

4. Sent. d. 33. c. Quæritur.

Philip. 1. 23.

CAPUT XVI.

In concubitu ac in cibi usu similis ratio virtutis et vitii. V. 2 Retr. 22.

18. Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis: et utrumque non est sine delectatione carnali: quæ tamen modificata, et temperantia refrænante in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod est autem in sustentanda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris et gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo satius est emori fame, quam (a) idolothytis vesci: ita satius est defungi sine liberis, quam ex illicito coitu stirpem quærere. Undecumque autem nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura est, et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem filii boni adulterorum, nulla defensio est adulteriorum: sic mali conjugatorum, nullum crimen est nuptiarum. Proinde sicut patres temporis novi Testamenti ex officio consulendi alimenta sumentes, quamvis ea cum delectatione naturali carnis acciperent, nullo modo tamen comparabantur delectationi eorum

4. Sent. d. 33. c. ultimo.

A qui immolatitio vescebantur, aut eorum qui quamvis licitas escas, tamen immoderatius assumebant; sic patres temporis veteris Testamenti, consulendi officio concumbebant, quorum delectatio illa naturalis nequaquam usque ad irrationalem aut nefariam libidinem relaxata, nec turpitudini stuprorum nec conjugatorum intemperantiæ conferenda est. Eadem quippe vena caritatis, nunc spiritaliter, tunc carnaliter propter illam matrem Jerusalem propagandi erant filii: sed diversa opera patrum non faciebat nisi diversitas temporum. Sic autem necesse erat ut carnaliter coirent, etiam non carnales Prophetæ; sicut necesse erat ut carnaliter vescerentur, etiam non carnales Apostoli.

1. Cor. 8. 7.

CAPUT XVII.

1. Cor. 7. 9. Nubentes hujus temporis non conferendi nubentibus sanctis primi temporis.

B 19. Quotquot ergo nunc sunt quibus dicitur, *Si se non continent, nubant;* non comparandæ sunt tunc etiam nubentibus sanctis. Ipsæ quidem nuptiæ in omnibus gentibus eadem sunt filiorum procreandorum caussa, qui qualeslibet postea fuerint, ad hoc tamen institutæ sunt nuptiæ, ut ordinate honesteque nascantur. Sed homines qui se non continent, tamquam adscendunt in nuptias gradu honestatis: qui autem se sine dubio continerent, si hoc illius temporis ratio permisisset, quodam modo descenderunt in nuptias gradu pietatis. Ac per hoc quamvis utrorumque nuptiæ, in quantum nuptiæ sunt, quia procreandi caussa sunt, æqualiter bonæ sint, hi tamen homines conjugati illis hominibus conjugatis non sunt comparandi. Habent enim isti quod illis propter honestatem nuptiarum, C quamvis ad nuptias non pertineat, secundum veniam conceditur, id est, progressum illum qui excedit generandi necessitatem, quod illi non habebant. Sed neque hi, si qui forte nunc inveniuntur, qui non quærunt in connubio nec appetunt, nisi propter quod institutæ sunt nuptiæ, æquari possunt illis hominibus. In istis enim carnale est ipsum desiderium filiorum; in illis autem spiritale erat, quia sacramento illius temporis congruebat. Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere nisi spiritaliter quærit: tunc vero ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare; quia illius populi generatio nuntia futurorum erat, et ad dispensationem propheticam pertinebat.

Uni viro plures uxores habere aliquando licuit numquam uni feminæ plures viros.

D 20. Ideoque non sicut uni viro etiam plures habere licebat uxores, ita uni fœminæ plures viros, nec prolis ipsius caussa, si forte illa parere posset, ille generare, non posset. Occulta enim lege naturæ amant singularitatem quæ principantur: subjecta vero non solum singula singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neque enim sic habet unus servus plures dominos, quomodo plures servi unum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus

(a) Sic ad Publicolæ quæstionem de viatore Christiano, victo famis necessitate, si nihil uspiam invenerit, nisi cibum in idolio positum, ubi nullus alius est hominum, utrum ei satius sit fame emori, quam illud in alimentum sumere, respondet Augustinus in epistola nunc ordine 47. n. 6. *Aut certum est esse, idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius Christiana virtute respuitur: si autem vel non esse scitur vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur.*

servisse sanctarum, plures autem fœminas uni viro legimus *, cum gentis illius societas sinebat, et temporis ratio suadebat: neque enim contra naturam nuptiarum est. Plures enim fœminæ ab uno viro fœtari possunt: una vero a pluribus non potest: (hæc est principiorum vis: (a)) sicut multæ animæ uni Deo recte subduntur. Ideoque non est verus Deus animarum nisi unus, una vero anima per multos falsos deos fornicari potest, non fœcundari.

* Subaud. servisse.

a

CAPUT XVIII. Sacramentum nuptiarum nunc ad unum virum et ad unam uxorem redactum.

Act. 4. 32. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6.

21. Sed quoniam ex multis animis una civitas futura est habentium animam unam et cor unum in Deum; quæ unitatis nostræ perfectio post hanc peregrinationem futura est, ubi omnium cogitationes nec latebunt invicem, nec inter se in aliquo repugnabunt: propterea sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum virum et unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, (b) qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit, *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat*: et, *Quod vult faciat, non peccat, si nubat*: satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurde visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium. Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo: ita noster antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo: quæ tunc perficietur, cum revelaverit occulta tenebrarum, et manifestaverit cogitationes cordis, ut tunc laus sit unicuique a Deo. Nunc autem (c) sunt manifestæ, sunt latentes dissensiones, etiam salva caritate, inter eos qui unum et in uno futuri sunt: quæ tunc utique nullæ erunt. Sicut ergo sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus: sic sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una cælesti civitate. Itaque sicut duobus pluribusve servire, sic a viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet nec umquam licebit. Apostatare quippe ab uno Deo, et ire in alterius adulteram superstitionem, semper est malum. Nec caussa ergo numerosioris prolis fecerunt sancti nostri, quod Cato dicitur fecisse Romanus, ut traderet vivus uxorem etiam alterius domum filiis impleturam. In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri.

b

Episcopum nisi unius uxoris virum ordinare non licet.

1. Cor. 7. 28.

1. Cor. 4. 5.

c

Cato minor apud Plutarch.

4. Sent. d. 26. c. Inde est.

An saltem continentes nostri comparandi sint antiquis sanctis conjugatis.

Gen. 22. 12.

22. Si ergo et illi qui propter solam generationem, propter quam sunt institutæ nuptiæ, conjunguntur, non comparantur patribus, multo aliter ipsos filios quam isti quærentibus; quandoquidem filium immolare jussus Abraham, intrepidus ac devotus, quem de tanta desperatione susceperat, unico non pepercit, nisi eo prohibente manum deponeret, quo jubente levaverat: * restat ut videamus, utrum saltem continentes nostri conjugatis illis patribus comparandi sint; nisi forte jam isti præferendi sunt eis, quibus nondum quos conferamus invenimus. Majus enim bonum erat in illorum nuptiis, quam est bonum proprium nuptiarum, cui procul dubio bonum continentiæ præferendum est: quia non tali officio quærebant illi filios ex nuptiis, quali ducuntur isti, ex quodam sensu naturæ mortalis successionem decessioni (d) requirentis. Quod quisquis bonum negat, ignorat Deum omnium bonorum a cælestibus usque ad terrena, ab immortalibus usque ad mortalia creatorem. Hoc autem sensu generandi nec bestiæ penitus carent, et maxime alites, quarum in promptu est cura nidificandi, et quædam conjugiorum similitudo ad simul procreandum atque nutriendum. Sed illi homines istum naturæ mortalis affectum, cujus in suo genere castitas accedente Dei cultu, sicut * quidam intellexerunt, in tricenario fructu ponitur, longe sanctiore mente superabant, qui de suis nuptiis filios propter Christum quærebant, ad genus ejus secundum carnem distinguendum ab omnibus gentibus: sicut Deo disponere placuit, ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænuntiabatur ex quo etiam genere et ex qua gente esset in carne venturus. Valde ergo nostrorum fidelium castis nuptiis amplius bonum erat, quod pater Abraham in suo femore noverat, cui manum subdere famulum jussit, ut de uxore quæ a filio esset ducenda juraret. Ponens enim manum sub femore hominis, et jurans per Deum cæli, quid aliud significabat, nisi in ea carne, quæ ex illo femore originem duceret, Deum cæli esse venturum? Bonum ergo sunt nuptiæ, in quibus tanto meliores sunt conjugati, quanto castiores ac fideliores Deum timent, maxime si filios quos carnaliter desiderant, etiam spiritaliter nutriant.

* CAPUT XIX.

d

* V. lib. de Virginitate cap. 45.

Gen. 24. 2.

23. Nec quod purificari lex hominem et post conjugalem concubitum jubet, peccatum esse declarat; si non est ille qui secundum veniam conceditur, qui etiam nimius impedit orationes. Sed sicut multa lex ponit in sacramentis et um-

CAPUT XX. Ex lege purificationis post concubitum, non ostendi il-

(a) Hic editi addunt, *ut plures fœminæ uni viro sint*: quæ verba ab omnibus MSS. absunt.

(b) Hoc intellexit modo Ambrosius in epist. ad Vercellensem Ecclesiam, estque olim hic sensus recepto Ecclesiæ more probatus. Attamen Hieronymus epist. ad Oceanum, acriter dureque egit contra hunc sensum. Id sibi objectum a Ruffino testatur in fine libri I. contra Ruff.

(c) Sic MSS. At editi, *Nunc autem manifestæ sunt latentes dissensiones.*

(d) Aliquot MSS. *requirentes.*

lum esse peccatum. Levit. 15. 16. ... bris futurorum; quædam in semine quasi materialis informitas, quæ formata corpus hominis redditura est, in significatione posita est vitæ informis et ineruditæ: a qua informitate quoniam oportet hominem doctrinæ forma et eruditione mundari, in hujus rei signum illa purificatio præcepta est post seminis emissionem. Neque enim et in somnis (a) peccato fit: et tamen

Ibidem. etiam ibi præcepta est purificatio. Aut si et hoc peccatum quisquam putat, non arbitrans accidere nisi ex aliquo hujusmodi desiderio, quod procul dubio falsum est: numquid et solita (b)

Levit. 15. 25. menstrua peccata sunt fœminarum? a quibus tamen eas eadem legis vetustas præcepit expiari; non nisi propter ipsam materialem informitatem, quæ facto conceptu tamquam in ædificationem corporis additur: ac per hoc cum informiter fluit, significari per illam lex voluit animum sine disciplinæ forma indecenter fluidum ac dissolutum; quem formari oportere significat, cum talem fluxum corporis jubet purificari. Postremo numquid et mori peccatum est, aut mortuum sepelire non etiam bonum opus humanita-

Num. 19. 11. tis est? Et tamen purificatio etiam inde mandata est: quia et mortuum corpus vita deserente, peccatum non est, sed peccatum significat animæ desertæ a justitia.

An continentes nunc aliqui conferre possint antiquis patribus conjugatis.

24. Bonum, inquam, sunt nuptiæ, et contra omnes calumnias possunt sana ratione defendi. Nuptiis tamen sanctorum patrum, non quas nuptias: sed quam continentiam comparem quæro: immo non nuptias nuptiis, nam par in omnibus munus est mortali hominum naturæ datum; sed homines qui nuptiis utuntur, aliis hominibus qui longe aliter nuptiis usi sunt quos conferam quoniam non invenio, (c) quinam continentes illis conjugatis conferendi sint requirendum est. Nisi forte Abraham continere se non posset a nuptiis propter regnum cœlorum, qui unicum prolis pignus, propter quod nuptiæ caræ sunt,

Gen. 22. 12. potuit intrepidus immolare propter regnum cœlorum.

CAPUT XXI. Distinguenda Continentia, ut et aliæ virtutes, in habitu et in opere.

25. Continentia quippe, non corporis, sed animi virtus est. Virtutes autem animi aliquando in opere, manifestantur, aliquando in habitu latent, sicut martyrii virtus emicuit apparuitque tolerando passiones: sed quam multi sunt in eadem virtute animi, quibus tentatio deest, qua id quod intus est in conspectu Dei, etiam in hominum procedat, nec tunc esse incipiat, sed tunc

Job. 1. 20. innotescat. Jam enim erat in Job patientia, quam noverat Deus, et cui testimonium perhibebat; sed hominibus innotuit tentationis examine, et quod latebat intrinsecus, per ea quæ forinsecus illata sunt, non natum, sed manifestatum est.

1 Tim. 5. 23. Habebat utique et Timotheus virtutem continendi a vino quam non ei abstulit Paulus, monendo ut vino modico uteretur propter stomachum et frequentes suas infirmitates; alioquin perniciose docebat, ut propter salutem corporis fieret in animo damnum virtutis; sed quia poterat ea virtute salva fieri quod monebat, ita relaxata est corpori utilitas bibendi, ut maneret in animo habitus continendi. Ipse est enim habitus, quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non opus est. Hunc habitum circa continentiam quæ sit a concubitu, non habent illi quibus dicitur, *Si se non continent, nubant*. Hunc vero habent quibus dicitur, 1. Cor. 7. 9.

Qui potest capere capiat. Sic usi sunt perfecti animi bonis terrenis ad aliud necessariis per hunc habitum continentiæ, quo eis non obligarentur, et quo possent eis etiam non uti, si non opus esset. Nec quisquam eis bene utitur, nisi qui et non uti potest. Multi quidem facilius se abstinent ut non utantur, quam temperent ut bene utantur: nemo tamen eis potest sapienter uti, nisi qui potest et continenter non uti. Ex hoc habitu et Paulus dicebat, *Scio et abundare et penuriam pati*. Penuriam quippe pati, quorumcumque hominum est; sed scire penuriam pati, magnorum est. Sic et abundare quis non potest? Scire autem et abundare, non nisi eorum est quos abundantia non corrumpit. Matt. 19. 12. Philip. 4. 12.

Virtutem in habitu esse posse etiamsi non sit in opere, docetur exemplo Christi.

26. Verum ut apertius intelligatur, quomodo sit virtus in habitu, etiamsi non sit in opere, loquor de exemplo, de quo nullus dubitat catholicorum Christianorum. Dominus enim noster Jesus Christus, quod in veritate carnis esurierit ac sitierit, manducaverit et biberit, nullus ambigit eorum qui ex ejus Evangelio fideles sunt. Matth. 4. 2.

Num igitur non erat in illo continentiæ virtus a cibo et potu, quanta erat in Johanne Baptista? *Venit enim Johannes non manducans neque bibens, et dixerunt, Dæmonium habet: venit Filius hominis et manducans et bibens, et dixerunt: Ecce vorax et (d) potator vini amicus publicanorum et peccatorum*. Numquid non talia dicuntur in domesticos ejus, patres nostros, ex alio genere utendi terrenis quantum ad concubitum pertinet, Ecce homines libidinosi et immundi, amatores fœminarum et lasciviarum? Et tamen sicut in illo illud non erat verum; quamvis verum esset, quod non sicut Johannes abstineret a manducando et bibendo; ipse enim apertissime verissimeque ait, *Venit Johannes non manducans, neque bibens, venit Filius hominis manducans et bibens*; sic nec hoc in illis patribus verum est; quamvis venerit modo Apostolus Christi non conjugatus nec generans, quem dicant Pagani, Magus erat; venerit autem tunc Propheta Christi nuptias faciens et filios procreans, quem dicant Manichæi, Mulierosus erat: *Et justificata est*, inquit, *sapientia a filiis suis*. Quod Dominus ibi subjecit, cum de Johanne ac de se illa dixisset: *Justificata est*, inquit, *sapientia a filiis suis*. Matth. 11. 18. Matth. 11. 19.

(a) Sic potiores MSS. At editi, *peccatum fit*.
(b) MSS. *et solita mensium*, sive ut in vetustissimis scribi consuevit, *mensuum*. Hinc forte factum ut in editione Er. legeretur, *et solita menstruum*.
(c) Sic MSS. At editi, *quomodo continentes*.

(d) Antiquissimus Corbeiensis codex cum Bigottiano MS. *et vinaria*. Editio Er. cum nonnullis MSS. *et vinarius*: ad marginem vero habet, *alias vinaurius*; an forte pro, *vinahurius*.

Qui vident continentiæ virtutem in habitu animi semper esse debere, in opere autem pro rerum ac temporum opportunitate manifestari; sicut virtus patientiæ sanctorum Martyrum in opere apparuit, cæterorum vero æque sanctorum in habitu fuit. Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, et in Johanne qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Johanne qui (a) nullas expertus est nuptias, et in Abraham qui filios generavit. Et illius enim cælibatus, et illius connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Johannes et in opere, Abraham vero in solo habitu habebat.

4. Sent. d. 33. c. Quod vero.

CAPUT XXII. Continentia in antiquis habitu, nunc autem opere tenenda.

27. Illo itaque tempore cum et lex, dies Patriarcharum subsequens, maledictum dixit, qui non excitaret semen in Israel, et qui poterat non promebat, sed tamen habebat. Ex quo autem venit plenitudo temporis, ut diceretur, *Qui potest capere capiat;* ex illo usque adhuc, et deinceps usque in finem, qui habet operatur, qui operari noluerit, non se habere mentiatur. Ac per hoc ab eis qui corrumpunt bonos mores colloquiis malis, inani et vana versutia dicitur homini Christiano continenti et nuptias recusanti, Tu ergo melior quam Abraham? Quod ille cum audierit, non perturbetur; nec audeat dicere, Melior, nec a proposito delabatur: illud enim non vere dicit, hoc non recte facit. Sed dicat, Ego quidem non sum melior quam Abraham, sed melior est castitas cælibum quam castitas nuptiarum: quarum Abraham unam habebat in usu, ambas in habitu. Caste quippe conjugaliter dixit: esse autem castus sine conjugio potuit, sed tunc non oportuit. Ego vero facilius non utar nuptiis quibus est usus Abraham, quam sic utar nuptiis quemadmodum est usus Abraham: et ideo melior sum illis qui per animi incontinentiam non possunt quod ego, non illis qui propter temporis differentiam non fecerunt quod ego. Quod enim ego nunc ago, melius illi egissent, si tunc agendum esset: quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, et si nunc agendum esset. Aut si talem se iste sentit et novit, ut salva et permanente in habitu animi sui virtute continentiæ, si ad usum nuptiarum ex aliquo religionis officio descendisset, talis maritus et talis pater esset, qualis fuit Abraham; audeat plane respondere illi captioso interrogatori, et dicere, Non sum quidem melior quam Abraham, in hoc dumtaxat genere continentiæ, qua ille non carebat, etsi non apparebat; sed sum talis, non aliud habens, sed aliud agens. Dicat plane ista: quia et si voluerit gloriari, non erit insipiens; veritatem enim dicit. Si autem parcit, ne quis eum existimet super id quod eum videt, aut audit aliquid ex illo; auferat a persona sua nodum quæstionis, et non de homine, sed de re ipsa respondeat, et dicat, Qui tantum potest, talis est qualis fuit Abraham. Potest autem fieri ut minor sit continentiæ virtus in animo ejus qui non utitur nuptiis, quibus est usus Abraham: sed tamen major est (b), quam in animo ejus qui propterea tenuit conjugii castitatem, quia non potuit ampliorem. Sic et fœmina innupta, quæ cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu, cum audierit impudentem illum percontatorem dicentem, Tu ergo melior quam Sara? respondeat, Ego melior sum, sed iis quæ virtute hujus continentiæ carent, quod de Sara non credo: fecit ergo illa cum ista virtute quod illi tempori congruebat, a quo ego sum immunis, ut in meo etiam corpore appareat quod illa in animo servabat.

Deut. 25. Gal. 4. 4. Matth. 19. 12.

Jovinianistarum percontatio explodilur. 4. Sent. d. 33. c. Quod vero.

2 Cor. 12. 6.

1. Cor. 7. 34.

Jovinianistarum percontatio.

CAPUT XXIII. Continentia melior castitate conjugali: sed possunt conjugati esse continentibus meliores.

28. Res ergo ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ quam castitatem nuptialem, cum tamen utrumque sit bonum: homines vero cum comparamus, ille est melior qui bonum amplius quam alius habet. Porro qui amplius ejusdem generis habet, et id quod minus est habet: qui autem tantummodo quod minus est habet, id quod est amplius non utique habet. In sexaginta enim sunt et triginta, non in triginta sunt et sexaginta. Non operari autem ex eo quod habet, in distributione officiorum positum est, non in egestate virtutum: quia nec bono misericordiæ caret, qui non invenit miseros quibus possit misericorditer subvenire.

Obedientiæ bonum majus quam Continentiæ.

29. Huc accedit, quia non recte comparantur homines hominibus ex uno aliquo bono. Fieri enim potest ut alius non habeat aliquid quod alius habet, sed aliud habeat quod pluris æstimandum est: Majus enim bonum est obedientiæ quam continentiæ. Nam connubium nusquam nostrarum Scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia vero nusquam absolvitur. Si ergo proponatur virgo permansura, sed tamen inobediens, et maritata quæ virgo permanere non posset, sed tamen obediens, quam meliorem dicamus? Minus laudabilem quam si virgo esset, an damnabilem sicut virgo est? Ita si conferas ebriosam virginem sobriæ conjugatæ, quis dubitet eamdem fere sententiam? Nuptiæ quippe et virginitas duo bona sunt, quorum alterum majus: sobrietas autem et ebriositas, sicut obedientia et contumacia, illa bona sunt, hæc mala. Melius est autem habere omnia bona vel minora, quam magnum bonum cum magno malo: quia et in corporis bonis melius est habere Zacchæi staturam cum sanitate, quam Goliæ cum febre.

Obedientior conjugata minus obedienti Virgini præponenda.

30. Recte plane quæritur, non utrum omnimodis inobediens virgo conjugatæ obedienti, sed minus obediens obedientiori comparanda sit; quia et illa nuptialis castitas est, et ideo bonum est, sed minor quam virginalis. Tanto ergo mi-

(a) Sequitur Hieronymum, qui in libro adversus Jovinianum primo scribit Johannem perpetuo virginem fuisse, nec aliam extitisse causam cur a Domino veteris Apostolis plus amatus sit. Virginem enim ab eo repertum ac pene puerum Hieronymus contendit, probatque, qu a, inquit, *manifestissime docent Ecclesiasticæ historiæ, quod usque ad Trajani vixerit imperium, id est, post passionem Domini sexagesimo octavo anno dormierit.* Confer Augustini in Johannem Tractatum 124 n. 7.

(b) Hic apud Lov. additur, *in opere ejus:* quod ab Er. et MSS abest.

nor in bono obedientiæ, quanto major in bono castitatis, si altera alteri comparetur, quæ præponenda sit judicat, qui primo ipsam castitatem et obedientiam comparans, videt omnium virtutum quodam modo matrem esse obedientiam. Ac per hoc ideo potest esse obedientia sine virginitate, quia virginitas ex consilio, non ex præcepto. Obedientiam vero illam dico, qua præceptis obtemperatur. Ideoque obedientia præceptorum sine virginitate quidem potest, sed sine castitate esse non potest. Ad castitatem namque pertinet non fornicari, non mœchari, nullo illicito concubitu maculari: quæ qui non observant, contra præcepta Dei faciunt, et ob hoc extorres sunt a virtute obedientiæ. Virginitas autem propterea potest esse sine obedientia, quia potest fœmina consilio virginitatis accepto, et custodita virginitate, præcepta contemnere; sicut multas sacras virgines novimus verbosas, curiosas, ebriosas, litigiosas, avaras, superbas; quæ omnia contra præcepta sunt, et sicut ipsam Evam inobedientiæ crimine occidunt. Quapropter non solum obediens inobedienti, sed obedientior conjugata minus obedienti virgini præponenda est.

Obedientia mater omnium virtutum.

V. 2. Retr. 22. n. 2.

31. Ex hac obedientia pariter ille qui sine uxore non fuit, esse sine unico filio et a se occiso paratus fuit. Unicum enim non immerito dixerim, de quo audivit a Domino, *In Isaac vocabitur tibi semen*. Quanto ergo citius, ut etiam sine uxore esset, si hoc juberetur, audiret? Unde non frustra sæpe miramur nonnullos utriusque sexus ab omni concubitu continentes, negligenter obedire præceptis, cum tam ardenter arripuerint non uti concessis. Unde quis dubitat et excellentiæ sanctorum illorum patrum atque matrum filios generantium non recte comparari mares et fœminas nostri temporis, quamvis ab omni concubitu immunes, in virtute obedientiæ minores; etiamsi illis hominibus et in habitu animi defuisset, quod in istorum opere manifestum est? Sequantur ergo agnum pueri cantantes canticum novum, sicut in Apocalypsi scriptum est, *qui cum mulieribus se non contaminaverunt*; non ob aliud nisi quia virgines permanserunt. Nec ideo se arbitrentur meliores esse primis patribus sanctis, qui nuptiis, ut ita dicam, (a) nuptialiter usi sunt. Earum quippe usus ita se habet, ut si quid in eis per carnis commixtionem, quod excedat generandi necessitatem, quamvis venialiter factum fuerit, contaminatio sit. Nam quid expiat venia, si omnino non contaminat illa progressio? A qua contaminatione mirum si immunes essent pueri sequentes agnum, nisi virgines permanerent.

* Gen. 21. 12.

Apoc. 14. 4.

a

CAPUT XXIV. Nuptiarum bonum apud Christianos triplex.

32. Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in caussa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsa caussa pariendi: quæ cum sola sit qua nuptiæ

(a) Lov. non nuptialiter usi sunt: reluctantibus editis aliis et MSS.

A fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet in illis ordinatis sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. Generationis itaque caussa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: *Volo*, inquit, *juniores nubere*. Et quasi ei diceretur, Ut quid? continuo subjecit, *filios procreare, matres familias esse*. Ad fidem autem castitatis illud pertinet, *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier*. Ad sacramenti sanctitatem B illud, *Uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: et vir uxorem non dimittat*. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ (b) bonæ sunt, proles, fides, sacramentum. Nec prolem autem carnalem jam hoc tempore quærere, ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quamdam perpetuam retinere, atque uni viro Christo spiritaliter subdi, melius est utique et sanctius: si tamen ea vacatione sic utantur homines, quomodo scriptum est, ut cogitent quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo; id est, ut perpetuo cogitet continentia, ne quid minus habeat obedientia: quam virtutem tamquam radicalem, atque ut dici solet, matricem, et plane generalem, sancti antiqui patres in opere exercuerunt; illam vero C continentiam in animi habitu tenuerunt. Qui profecto per obedientiam qua justi et sancti erant, et ad omne opus bonum semper parati, etiam si ab omni concubitu abstinere juberentur, efficerent. Quanto enim facilius possent vel jussione, vel exhortatione Dei non concumbere, qui prolem cui uni propagandæ concumbendo serviebant, obediendo poterant immolare.

1.Tim. 5. 14.

1. Cor. 7. 4.

Ibid. 10. et 11.

b

1.Cor. 7. 32.

Conjugati antiqui obedientiam in opere, continentiam in habitu tenuerunt.

CAPUT XXV. Manichæorum de patribus veteris Testamenti calumniæ refutatæ.

33. Quæ cum ita sint, hæreticis quidem sive Manichæis, sive quicumque alii patribus veteris Testamenti de pluribus calumniantur uxoribus, hoc esse argumentum deputantes, quo eorum convincant incontinentiam, satis superque responsum est: si tamen capiunt non esse peccatum, quod neque contra naturam committitur, quia non lasciviendi, sed gignendi caussa illis D fœminis utebantur; neque contra morem, quia illis temporibus ea factitabantur; neque contra præceptum, quia nulla lege prohibebantur. Illos vero qui illicite fœminis usi sunt, vel arguit in Scripturis illis divina sententia, vel nobis lectio judicandos atque vitandos, non approbandos imitandosve proponit.

CAPUT XXVI. Continentes hujus temporis non abjecte sentiant de sanctis pa-

34. Nostros autem qui conjuges habent, quantum possumus, admonemus, ne secundum suam infirmitatem de illis sanctis patribus audeant judicare; comparantes, ut ait Apostolus, semetipsos sibimetipsis; et ideo non intelligentes quantas vires habeat animus justitiæ contra libidines

(b) In MSS. bonum sunt.

tribus conjugalis. 2. Cor. 10. 12. serviens, ne carnalibus hujuscemodi motibus adquiescat, eosque in concubitum ultra generandi necessitatem prolabi aut progredi sinat, quantum ordo naturæ, quantum morum consuetudo, quantum legum scita præscribunt. Hoc quippe ideo de illis patribus homines suspicantur, quia ipsi per incontinentiam vel nuptias elegerunt, vel conjugibus intemperanter utuntur. At vero continentes vel mares qui defunctis uxoribus, vel fœminæ quæ defunctis viris, vel utrique qui pari consensu continentiam Deo voverunt; sciant sibi quidem mercedis amplius deberi, quam conjugalis castitas poscit: sed sanctorum patrum nuptias, qui prophetice conjungebantur, qui neque in concubitu nisi prolem, neque in ipsa prole nisi quod in carne venturo Christo proficeret, requirebant, non solum præ suo proposito non contemnant, verum etiam suo proposito sine dubitatione præponant.

Virginitas humilitate tuenda. 35. PUEROS quoque ac virgines integritatem ipsam Deo dicantes, multo maxime commonemus, ut tanta norint humilitate tuendum esse quod in terra interim vivunt, quanto magnis cæli est quod voverunt. Nempe scriptum est, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus*: Eccli. 3. 20. Nostrum ergo est de magnitudine eorum aliquid dicere, illorum de magna humilitate cogitare. Exceptis igitur quibusdam illis conjugatis, patribus et matribus sanctis, quibus ideo isti meliores non sunt, quamvis conjugati non sint, quia si conjugati essent, pares non essent; cæteros omnino hujus temporis conjugatos, vel potest expertum concubitum continentes, a se superari non dubitent: non quantum ab Anna, Susanna; sed quantum ambæ a Maria superantur. Quod ad ipsam pertinet sanctam carnis integritatem, loquor: namque alia sint Mariæ merita, quis ignorat? Mores itaque congruos huic tanto proposito adjungant, ut de præpollenti præmio certam securitatem generant; scientes Matth. 8. 11. sane sibi atque omnibus fidelibus dilectis et electis Christi membris multis ab Oriente et Occidente venientibus, etsi inter se distante pro meritis gloriæ luce fulgentibus, hoc tamen magnum in commune præstari, ut cum Abraham et Isaac et Jacob recumbant in regno Dei, qui non propter hoc sæculum, sed propter Christum non conjuges, propter Christum patres fuerunt.



IN SUBSEQUENTEM LIBRUM

DE

SANCTA VIRGINITATE

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT XXIII.

a *Postea quam scripsi* de Bono Conjugali, *exspectabatur ut scriberem* (a) de sancta Virginitate; *nec distuli: atque id Dei munus, et quam magnum, et quanta humilitate custodiendum esset, uno sicut potui volumine ostendi. Hic liber sic incipit*: Librum de bono Conjugali nuper edidimus.

(a) Hujus libri meminit præterea sanctus Augustinus in proxime secuturo libro de Bono Viduitatis cap. 15. et 23 necnon in libro 1, de peccatorum meritis et remissione cap. 29.

SANCTI AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE SANCTA VIRGINITATE

LIBER UNUS. *

* Scriptus circiter annum 401.

Dicit primum de præstantia sacræ ac Deo dicatæ Virginitatis, cui fœcunditatem conjugalem jam non posse ullam comparari demonstrat. Duobus subinde occurrit contrariis erroribus, alteri culpantium Nuptias, alteri eas æquantium Virginitati: illorum scilicet putantium Nuptias ex obliquo et tacite damnatas ab Apostolo dicente 1. Cor. 7. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco:* istorum vero, quia ibidem scribit, *Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem*, contendentium perpetuam continentiam propter sæculi hujus vitam, non propter futuram commendari. Postea Christi Virgines humilitatem, qua tam excellens conservatur earum munus, habere jubet, atque ad eam quam maxime sectandam multa et gravi oratione adhortatur.

CAPUT I. Virgines conjugatos sanctos patres non contemnant.

LIBRUM de Bono Conjugali nuper edidimus, in quo etiam Christi Virgines admonuimus atque monemus, ne propter excellentiam muneris amplioris quod divinitus acceperunt, contemnant in sui comparatione patres et matres populi Dei, hominesque illos quos tamquam olivam (Rom. 11. 17.) commendat Apostolus, ne superbiat insertus oleaster, qui venturo Christo etiam filiorum propagatione serviebant, ideo meritis inferioris esse arbitrentur, quia jure divino continentia connubio, et nuptiis pia Virginitas anteponitur. In illis quippe parabantur et parturiebantur futura, quæ nunc impleri mirabiliter et efficaciter cernimus. quorum etiam vita conjugalis prophetica fuit: unde non consuetudine humanorum votorum atque gaudiorum, sed valde profundo consilio Dei, in quibusdam eorum fœcunditas honorari, in quibusdam etiam fœcundari sterilitas meruit. Hoc vero tempore quibus dictum est, (2. Cor. 7. 9.) *Si se non continent, nubant;* non adhibenda est exhortatio, sed consolatio. Quibus autem dictum est, (Matth. 19. 11.) *Qui potest capere capiat;* exhortandi sunt ne terreantur, et terrendi ne extollantur. Non solum ergo prædicanda est Virginitas, ut ametur; verum etiam monenda, ne infletur.

CAPUT II. Virginis filius et virginum sponsus Christus.

* 2. Hoc isto sermone suscepimus: adjuvet Christus Virginis filius, et Virginum sponsus, virginali utero corporaliter natus, virginali connubio spiritaliter conjugatus. Cum ipsa igitur universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, (2. Cor. 11. 2.) sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra ejus, quæ hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide? quæ imitatur matrem viri sui et Domini sui. Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cujus enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cujus prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput hujus corporis peperit: Ecclesia spiritaliter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fœcunditatem non impedit: in utraque fœcunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu; quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu?

Ecclesia sicut Maria, et mater et virgo est.

CAPUT III. Cognatio spiritalis cum Christo propinquitati ejus carnali præponenda.

3. SCRIPTUM est in Evangelio, quod mater et fratres Christi, hoc est, consanguinei carnis ejus, cum illi nuntiati fuissent, et foris exspectarent, quia non possent eum adire præ turba, ille respondit, *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait, Hi sunt fratres mei, et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, et mater, et soror est.* (Matth. 12. 48. etc.) Quid aliud nos docens, nisi carnali cognatione genus nostrum spiritale præponere: nec inde beatos esse homines, si justis et sanctis carnis propinquitate junguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. (Lucæ 11. 27. et 28.) Nam et dicenti cuidam, *Beatus venter qui te portavit:* ipse respondit, *Immo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt*. Denique fratribus ejus, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.

CAPUT IV. Virginitas

4. IPSA quoque virginitas ejus ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro

Maria voto dicata Deo ante quam de concipiendo Christo audisset. *Lucæ 1. 34.*

violaturo quam conservaret ipse præripuit, sed prius quam conciperetur jam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quamquam etiamsi hoc solum dixisset, *Quomodo fiet istud?* nec addidisset, *quoniam virum non cognosco:* non quæsisset utique, promissum sibi filium quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat et juberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo acciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid esset conceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non necessitate serviendi. Ita Christus nascendo de virgine, quæ ante quam sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit quam imperare. Ac sic etiam in ipsa fœmina in qua formam servi accepit, virginitatem esse liberam voluit.

CAPUT V. *Virginum omnium decus est unius virginis partus.*

5. Non est ergo cur Dei virgines contristentur, quod etiam ipsæ virginitate servata matres carnis esse non possunt. Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. Verumtamen ille unius sanctæ virginis partus omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsæ cum Maria matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. Hinc enim et Maria laudabilius atque beatius Christi mater est, secundum supra memoratam ejus sententiam; *Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, et soror, et mater est.* Has sibi omnes propinquitates, in populo quem redemit, spiritaliter exhibet: fratres et sorores habet sanctos viros et sanctas fœminas, quoniam sunt illi in cœlesti hereditate coheredes. Mater ejus est tota Ecclesia, quia membra ejus, id est, fideles ejus per Dei gratiam ipsa utique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus fœcundissima caritate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritaliter autem et soror et mater.

Virgines et ipsæ spiritu matres Christi. *Matth. 12. 50.* *Gal. 4. 19.*

CAPUT VI. *Sola Maria corpore ac spiritu simul virgo et mater.*

6. Ac per hoc illa una fœmina, non solum spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritaliter nata est; quia omnes qui in eum crediderunt, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi appellantur: sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius capitis membra sunt: corpore vero ipsius capitis mater. Oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. Sola ergo Maria et spiritu et corpore mater et virgo, et mater Christi, et virgo Christi: Ecclesia vero in sanctis regnum Dei possessuris, spiritu quidem tota mater Christi est, tota virgo Christi; corpore autem non tota, sed in quibusdam virgo Christi, in quibusdam mater, sed non Christi. Et conjugatæ quippe fideles fœminæ et virgines Deo dicatæ, sanctis moribus et caritate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, quia voluntatem Patris faciunt, Christi spiritaliter matres sunt. Quæ autem conjugali vita corporaliter pariunt, non Christum, sed Adam pariunt, et ideo currunt ut Sacramentis imbuti Christi membra fiant partus earum, quoniam quid pepererint norunt.

Matth. 9. 15. *1. Tim. 1.*

CAPUT VII. *Virginitati nulla fœcunditas conjugalis comparanda.*

7. Hoc dixi, ne forte audeat fœcunditas conjugalis cum virginali integritate contendere, atque ipsam Mariam proponere, ac virginibus Dei dicere: Illa in corpore duas res habuit honorandas, virginitatem et fœcunditatem, quia et integra permansit et peperit: hanc felicitatem quoniam totum utraque habere non potuimus, partitæ sumus, ut vos sitis virgines, nos simus matres: vobis quod (a) defit in prole, consoletur servata virginitas, nobis prolis lucro amissa compensetur integritas. Hæc vox fidelium conjugatarum ad sacras virgines utcumque ferenda esset, si Christianos corpore parerent; ut hoc solo esset Mariæ fœcunditas carnis excepta virginitate præstantior, quod illa ipsum caput horum membrorum, hæc autem membra illius capitis procrearent: nunc vero etiamsi tales hac voce contendant, quæ ob hoc tantum viris junguntur atque miscentur, ut filios habeant, nihilque aliud de filiis cogitant, nisi ut eos Christo lucrentur, atque id mox ut potuerint faciunt; non tamen Christiani ex earum carne nascuntur, sed postea fiunt, Ecclesia pariente per hoc quod membrorum Christi spiritaliter mater est, cujus etiam spiritaliter virgo est. Cui sancto partui cooperantur et matres, quæ non Christianos corpore pepererunt, ut fiant quod se corpore parere non potuisse noverunt; per hoc tamen cooperantur, ubi et ipsæ virgines (b) matresque Christi sunt, in fide scilicet quæ per dilectionem operatur.

Gal. 5. 6.

CAPUT VIII. *Virginitas inde honorata, quia Deo dicata.*

8. Nulla ergo carnis fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest. Neque enim et ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur. Ac per hoc spiritalis est etiam virginitas corporis, quam (c) vovet et servat continentia

(a) Editi, *defit*. At MSS. *desit*; quo verbo sæpe utitur Augustinus.
(b) Melius forte, *matres Christi sunt*, expuncta particula *que*.
(c) Sola editio Lov. *foret*.

pietatis. Sicut enim nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia; ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. Porro autem si pudicitia conjugalis, quamvis custodiatur in carne, animo tamen, non carni tribuitur, quo præside atque rectore, nulli præter proprium conjugium caro ipsa miscetur: quanto magis quantoque honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi Creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, servatur?

CAPUT IX. Virginitas amissa nulla carnis fœcunditate compensatur.

9. Nec illarum ergo fœcunditas carnis, quæ hoc tempore nihil aliud in conjugio quam prolem requirunt, quam mancipent Christo, pro amissa virginitate compensari posse credenda est. Prioribus quippe temporibus venturo secundum carnem Christo ipsum genus carnis in ampla quadam et prophetica gente necessarium fuit: nunc autem cum ex omni hominum genere, atque omnibus gentibus ad populum Dei et civitatem regni cœlorum membra Christi colligi possint, sacram virginitatem qui potest capere capiat, et ea tantum quæ se non continet nubat. Quid enim si aliqua mulier dives multam pecuniam huic bono operi impendat, ut emat ex diversis gentibus servos, quos faciat Christianos, nonne uberius atque numerosius quam uteri quantalibet feracitate Christi membra gignenda curabit? Nec ideo tamen pecuniam suam comparare muneri sacræ virginitati audebit. At si propter faciendos qui nati fuerint Christianos, fœcunditas carnis pro amissa virginitate merito compensabitur, fructuosius erit hoc negotium, si magno pecuniario prætio virginitas amittatur, quo pueri faciendi Christiani multo plures emantur, quam unius utero quamlibet fertili nascerentur. * Quod si stultissime dicitur, habeant fideles nuptæ bonum suum, de quo in alio volumine quantum visum est disseruimus; et honorent amplius, sicut rectissime consueverunt, in sacris virginibus melius earum, de quo isto sermone disserimus.

Matth. 19. 12

1. Cor. 7. 9.

*CAPUT X.

Nec virginitati conferendum conjugium quia virgines parit.

10. Nam ne illo quidem debent continentium meritis se conferre conjugia, quod ex eis virgines procreantur: hoc enim non conjugii bonum est, sed naturæ; quæ sic divinitus instituta est, ut ex quolibet humano utriusque sexus concubitu, sive ordinato et honesto, sive turpi et illicito, nulla fœmina nisi virgo nascatur: nulla tamen sacra virgo nascitur: ita fit ut virgo nascatur etiam de stupro, sacra autem virgo nec de conjugio.

CAPUT XI. Virgines ideo laudatæ, quia Deo dicatæ.

11. Nec nos hoc in virginibus prædicamus, quod virgines sunt: sed quod Deo dicatæ pia continentia virgines. Nam, quod non temere dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier quam virgo nuptura: habet enim jam illa quod ista adhuc cupit, præsertim si nondum vel sponsa cujusquam sit. Illa uni studet placere, cui data est: hæc multis, incerta cui danda est; hoc uno pudicitiam cogitationis defendit a turba, quod non

A adulterum, sed maritum quærit in turba. Illa igitur virgo conjugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini se amandam proponit, cum amorem unius ex multitudine inquirit; nec se non jam componit invento, cogitans quæ sunt mundi, quomodo placeat viro; sed speciosum forma præ filiis hominum sic amavit, ut quia eum sicut Maria concipere carne non posset, ei corde conceptо etiam carnem integram custodiret. * Hoc genus virginum nulla corporalis fœcunditas protulit: non est hæc proles carnis et sanguinis. Si harum quæritur mater, Ecclesia est. Non parit virgines sacras nisi virgo sacra, illa quæ desponsata est uni viro casta exhiberi Christo. Ex illa non tota corpore, sed tota virgine spiritu, nascuntur sanctæ virgines et corpore et spiritu.

1. Cor. 7. 34.

Psal. 44. 3.

* CAPUT XII. Virgines sacræ non corporali, sed spirituali fœcunditate Ecclesiæ nascuntur.

B 12. Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant. * Hæc tamen omnia humani officii sunt munera: virginalis autem integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate: fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cœlum. Profecto habebunt magnum aliquid præter cæteros C in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne.

2. Cor. 11. 2.

Bonum conjugii quam inferius bono sanctæ Virginitatis.

* CAPUT XIII.

13. Unde mirabiliter desipiunt, qui putant hujus continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens sæculum; quod scilicet conjugia terrenis curis pluribus atque arctioribus distendantur, qua molestia virgines et continentes carent: quasi ob hoc tantum melius sit non conjugari, ut hujus temporis relaxentur angustiæ, non quod in futurum sæculum aliquid prosit. Hanc vanam sententiam ne cordis (a) proprii vanitate protulisse videantur, adhibent ex Apostolo testimonium, ubi ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Deo, ut fidelis* D *essem. Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, quia bonum est homini sic esse.* Ecce, inquiunt, ubi manifestat Apostolus hoc propter præsentem necessitatem bonum esse, non propter futuram æternitatem. Quasi præsentis necessitatis rationem haberet Apostolus, (b) nisi providens et consulens in futurum; cum omnis ejus dispensatio non nisi ad vitam æternam vocet.

In eos qui putant continentiam non prodesse nisi ad præsentem vitam.

a

1. Cor. 7. 25. et 26.

b

14. Præsens ergo est vitanda necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum: qua necessitate vita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeat vir uxori,

CAPUT XIV. Virginitas non præcepto sed consilio

(a) Sic aliquot MSS. Editi vero, *propria.*

(b) Editi, *non providens.* At MSS. *nisi providens.*

commendata ad promerendam singularem gloriam in vita futura.

vel uxor viro. Non quod ea separent a regno A Dei, sicut sunt peccata, quæ ideo præcepto, non consilio cohibentur, quia Domino præcipienti non obedire damnabile est; sed illud quod in ipso Dei regno amplius haberi posset si amplius cogitaretur quomodo placendum esset Deo, minus erit utique cum hoc ipsum minus conjugii necessitate cogitatur. Ideo, *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo*. Præcepto enim quisquis non obtemperat, reus est et debitor pœnæ. Proinde quia uxorem ducere vel nubere peccatum non est, si autem peccatum esset, præcepto vetaretur; propterea præceptum Domini de virginibus nullum est. Sed quoniam devitatis remissisve peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est B liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis: *Consilium*, inquit, *do tamquam misericordiam consecutus a Deo, ut fidelis essem*. Neque enim invidere debeo fidele consilium, qui non meis meritis, sed Dei misericordia sum fidelis. *Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem*. Hoc, inquit, unde præceptum Domini non habeo, sed consilium do, hoc est de virginibus, existimo bonum esse propter præsentem necessitatem. Novi enim quid præsentis temporis, cui conjugia serviunt; necessitas cogat, ut ea quæ Dei sunt minus cogitentur, quam sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit o- C mnium, quamvis in æterna vita ac salute ma-

1. Cor. 15. 41. nentium. *Stella enim ab stella differt in clari-*

* 1. Cor. 7. 26. *tate, sic et resurrectio mortuorum*.* *Bonum est* ergo *homini sic esse*.

CAPUT XV. Consilium datur non nubendi, non præceptum.

15. Deinde adjungit idem Apostolus, et dicit: *Alligatus es uxori, ne quæsieris solutionem; solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem*. Horum duorum quod prius posuit, ad præceptum pertinet, contra quod non licet facere. Non enim

1. Cor. 7. 27. licet dimittere uxorem, nisi ex caussa fornicationis, sicut in Evangelio ipse Dominus dicit.

Matth. 19. 9. Illud autem quod addidit, *Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem*, consilii sententia est, non præcepti: licet itaque facere, sed melius est non facere. Denique continuo subjecit. *Et si*

1. Cor. 7. 28. *acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat*. Illud autem prius cum dixis-

Ibidem 1. et 11. set, *Alligatus es uxori, ne quæsieris solutionem;* numquid addidit, Et si solveris, non peccasti? Jam enim supra dixerat, *His autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: fieri enim potest ut non sua culpa, sed mariti discedat. Deinde ait, *Et vir uxorem ne dimittat*; quod nihilo minus ex præcepto Domini posuit, nec ibi addidit, Et si dimiserit, non peccat. Præceptum est enim hoc, cui non obedire peccatum est; non consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis. Propte-

rea cum dixisset, *Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem;* quia non præcipiebat ne malum fieret, sed consulebat ut melius fieret; continuo subjunxit, *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat*.

CAPUT XVI. Tribulatio carnis in conjugio, quæ sit. 1. Cor. 7. 28.

16. Addidit tamen, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco:* hoc modo exhortans ad virginitatem continentiamque perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam deterreret, modeste sane, non tamquam a re mala et illicita, sed tamquam ab onerosa ac molesta. Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant. Sed pro habendo conjugio jam hoc tempore, quo non per carnis propaginem venturo Christo ipsius prolis propagatione servitur, istam tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandam perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus, ne tentante satana in peccata damnabilia laberentur. Quod autem se dicit eis parcere, quos sit tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quam eum noluisse aperire et explicare verbis eamdem ipsam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus et mœroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cum se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimavit Apostolus.

CAPUT XVII. In eos qui ab Apostolo damnatas ibi nuptias putant.

17. Tantum per hoc quod breviter posui, cautum fieri lectorem oportuit adversus eos, qui in hoc quod scriptum est. *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco*, nuptiis calumniantur, quod eas ex obliquo sententia ista damnaverit; velut ipsam damnationem noluerit dicere, cum ait, *Ego autem vobis parco:* 1. Cor. 7. 28. ut videlicet cum istis parcit, animæ suæ non pepercerit, si mentiendo dixit, *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat*. Quod qui de sancta Scriptura credunt vel credi volunt, tamquam viam sibi muniunt ad mentiendi licentiam, vel D ad defensionem suæ perversæ opinionis; ubicumque aliud sentiunt quam sana doctrina postulat. Si quid enim manifestum de divinis libris prolatum fuerit, quo eorum confutentur errores, hoc ad manum habent velut scutum, quo se adversus veritatem quasi tuentes audeant a diabolo vulnerandos, ut dicant hoc auctorem libri non verum dixisse, alias ut infirmis parceret, alias ut contemptores terreret; sicut occurrerit caussa, qua eorum perversa sententia defendatur: atque ita dum ea quæ opinantur, defendere quam corrigere malunt, Scripturæ sanctæ auctoritatem frangere conantur, qua una omnes cervices superbæ duræque franguntur.

Ibidem Scripturæ aliquod mendacium tribuere quam perniciosum.

18. Unde sectatores et sectatrices perpetuæ

CAPUT XVIII. Virginitas sic præferatur, ut non nuptiæ damnentur.

continentiæ et sacræ virginitatis admoneo, ut bonum suum ita præferant nuptiis, ne malum judicent nuptias: neque fallaciter, sed plane veraciter ab Apostolo dictum noverint. *Qui dat nuptum, bene facit; et qui non dat nuptum, melius facit.* * *Et si acceperis uxorem non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Et paullo post: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meam sententiam.* Et ne humana sententia putaretur, adjungit. *Puto autem et ego Spiritum Dei habeo.* Hæc dominica, hæc apostolica, hæc vera, hæc sana doctrina est, sic eligere dona majora, ne minora damnentur. Melior est in Scriptura Dei veritas Dei, quam in cujusquam mente aut carne virginitas hominis. Quod castum est sic ametur, ut quod verum est non negetur. Nam quid mali non possunt etiam de sua carne cogitare, qui credunt apostolicam linguam in eo ipso loco ubi virginitatem corporis commendabat, a corruptione mendacii virginem non fuisse? Primitus ergo ac maxime, qui bonum virginitatis eligunt, Scripturas sanctas firmissime teneant nihil esse mentitas: ac per hoc etiam illud verum esse quod dictum est, *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Nec putent minui tam magnum integritatis bonum, si nuptiæ non erunt malum. Imo vero hinc sibi potius majoris gloriæ palmam præparatam esse (a) confidat, quæ non damnari si nuberet timuit, sed honoratius coronari, quia non nuberet, concupivit. Qui ergo sine conjugio permanere voluerint, non tamquam foveam peccati nuptias fugiant: sed tamquam collem minoris boni transcendant, ut in majoris continentiæ monte requiescant. Ea quippe lege collis iste inhabitatur, ut non cum voluerit quis emigret. *Mulier enim alligata est, quamdiu vir ejus vivit.* Verumtamen ad continentiam vidualem ab ipso tamquam gradu conscenditur: propter virginalem vero vel declinandus est non consentiendo petitoribus, vel transiliendus præveniendo petitores.

1.Cor. 7. 38. * Ibid. 28. Ibidem 40. 1.Cor. 7. 39.

CAPUT XIX. Errores duo contrarii de virginitate et conjugio.

19. Ne quis autem putaret duorum operum boni atque melioris æqualia fore præmia, propterea contra eos disserendum fuit, qui quod ait Apostolus, *Existimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessitatem*, ita interpretati sunt, ut non propter regnum cœlorum, sed propter sæculum præsens virginitatem utilem dicerent, tamquam in illa vita æterna nihil cæteris amplius habituri essent, qui hoc melius elegissent. In qua disputatione cum ad illud veniremus quod idem Apostolus ait, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco;* in alios litigatores incurrimus, qui non æquales perpetuæ continentiæ nuptias facerent, sed eas omnino damnarent. Nam cum error uterque sit, vel æquare sanctæ virginitati nuptias, vel damnare, (b) nimis invicem fugiendo, duo isti errores adversa fronte confligunt, quia veritatis medium tenere noluerunt; quo et certa ratione, et sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus. * Alii quippe appetendo virginitatem, nuptias tamquam adulterium detestandas esse putaverunt: alii vero defendendo connubium, excellentiam perpetuæ continentiæ nihil mereri amplius quam conjugalem pudicitiam voluerunt; quasi vel Susannæ bonum, Mariæ sit humiliatio; vel Mariæ majus bonum, Susannæ debeat esse damnatio.

1.Cor. 7. 26. Ibidem. 28.

* CAPUT XX.

Apostoli dictum, Ego autem vobis parco, perperam trahi ad nuptiarum damnationem.

20. Absit ergo ut ita dixerit Apostolus nuptis sive nupturis: *Ego autem vobis parco;* tamquam noluerit dicere, quæ pœna conjugatis in futuro sæculo debeatur. Absit ut a Daniele de temporali judicio liberatam Paulus mittat in gehennam. Absit ut maritalis thorus ei pœna sit ante tribunal Christi, cui fidem servando elegit sub falsa accusatione adulterii vel periclitari, vel mori. Quid egit vox illa, *Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei*, si Deus eam fuerat, non quia pudicitiam nuptialem servabat liberaturus, sed quia nupserat, damnaturus? Et nunc quotiens castitas conjugalis adversus calumniatores criminatoresque nuptiarum Scripturæ sanctæ veritate munitur, totiens a Spiritu sancto contra falsos testes Susanna defenditur, totiens a falso crimine liberatur, et multo majore negotio. Tunc enim uni conjugatæ, nunc omnibus; tunc de occulto et falso adulterio, nunc de vero et manifesto connubio crimen intenditur. Tunc una mulier ex eo quod iniqui seniores dicebant, nunc omnes mariti et uxores ex eo quod Apostolus dicere noluit, accusantur. Damnationem quippe vestram, inquiunt, tacuit, cum ait, *Ego autem vobis parco.* Quis hoc? Nempe ille qui superius dixerat: *Et si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat.* Cur igitur in eo quod modeste tacuit, conjugiorum suspicamini crimen; et in eo quod aperte dixit, conjugiorum non agnoscitis defensionem? An eos damnat tacitus, quos locutus absolvit? Nonne jam mitius accusatur Susanna, non de conjugio, sed de ipso adulterio, quam doctrina apostolica de mendacio? Quid in tanto periculo faceremus, nisi tam certum apertumque esset pudicas nuptias non debere damnari, quam certum apertumque est sanctam Scripturam non posse mentiri?

Dan. 13. 23. 2.Cor. 7. 28. Ibidem.

CAPUT XXI. Virginitatis laudem et meritum esse majus, cum nuptiæ non tamquam malæ devitantur.

21. Hic dicet aliquis: Quid hoc pertinet ad sacram virginitatem, vel perpetuam continentiam, cujus prædicatio isto sermone suscepta est? Cui respondeo primo, quod superius commemoravi, ex hoc gloriam majoris illius boni esse majorem, quod ejus adipiscendæ caussa bonum conjugale transcenditur, non peccatum conjugii devitatur. Alioquin perpetuæ continentiæ (c) non præcipue laudari, sed tantum non

(a) Sola editio Lov. *confidant*, *quæ non damnari si nuberent timuerunt, sed honoratius coronari, quia non nubere concupierunt.*

(b) Editio Lov. omittit, *nimis*: et loco *fugienda*, habet cum Er. *fugiendo*. Emendatur ex MSS.

(c) Editi, *continentiæ bonum*. Abest *bonum* a MSS.

vituperari sufficeret; si propterea teneretur, quoniam nubere crimen esset. Deinde quia non humana sententia, sed divinæ Scripturæ auctoritate ad tam excellens donum homines exortandi sunt, non mediocriter neque prætereunter agendum est, ne cuiquam ipsa divina Scriptura in aliquo mentita videatur. Dehortantur enim potius quam exhortantur virgines sacras, qui eas sic permanere nuptiarum damnatione compellunt. Unde enim confidant verum esse quod scriptum est, *Et qui non dat nuptum, melius facit;* si falsum putant esse quod juxta superius nihilo minus scriptum est, *Et qui dat virginem suam, bene facit?* Si autem loquenti Scripturæ de nuptiarum bono indubitanter crediderint, eadem cœlestis eloquii veracissima auctoritate firmatæ ad melius suum ferventi ac fidenti alacritate transcurrent. Unde jam satis pro suscepto negotio diximus, et quantum potuimus demonstravimus, nec illud quod ait Apostolus. *Existimo autem hoc bonum esse propter præsentem necessitatem*, sic esse accipiendum, tanquam in hoc sæculo meliores sint sacræ virgines fidelibus conjugatis, in regno autem cœlorum atque in futuro sæculo pares sint: nec illud ubi ait de nubentibus, *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco*, ita intelligendum, tanquam nuptiarum peccatum et damnationem maluerit tacere quam dicere. Harum quippe duarum sententiarum singulas, duo errores sibimet contrarii non eas intelligendo tenuerunt. Illam enim de præsenti necessitate illi pro se interpretantur, qui nubentes non nubentibus æquare contendunt: hanc vero ubi dictum est, *Ego autem vobis parco*, illi qui nubentes damnare præsumunt. Nos autem secundum Scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nuptias, et earum tamen bonum non solum infra virginalem, verum etiam infra vidualem continentiam constituimus; præsentemque necessitatem conjugatorum, non quidem ad vitam æternam, verumtamen ad excellentem gloriam et honorem qui perpetuæ continentiæ reservatur, impedire eorum meritum dicimus; neque hoc tempore nisi eis qui se non continent nuptias expedire, tribulationemque carnis ex affectu carnali venientem, sine quo nuptiæ incontinentium esse non possunt, nec tacere voluisse Apostolum vera præmonentem, nec plenius explicare hominum infirmitati parcentem.

1. Cor. 7. 38.

Ibidem.

1. Cor. 7. 26.

Ibidem 28.

CAPUT XXII. Virginitas non propter hanc vitam, sed propter futuram diligenda

22. Nunc jam Scripturarum divinarum evidentissimis testimoniis, quæ pro nostræ memoriæ modulo recordari valuerimus, clarius appareat, non propter præsentem hujus sæculi vitam, sed propter futuram quæ in regno cœlorum promittitur, perpetuam continentiam (a) deligendam. Quis autem hoc non advertat in eo quod paulo post idem Apostolus ait, *Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: qui autem matrimonio junctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* (b) *Et divisa est mulier innupta et virgo: quæ innupta est, sollicita est quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu: quæ autem nupta est, sollicita est quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Non utique ait, cogitat ea quæ securitatis sunt in hoc sæculo, ut sine gravioribus molestiis tempus transigat: neque ad hoc divisam dicit innuptam et virginem ab ea quæ nupta est, id est distinctam atque discretam, ut innupta in hac vita secura sit propter temporales molestias evitandas, quibus nupta non caret: sed, *Cogitat*, inquit, *quæ sunt Domini*, (c) *quomodo placeat Domino, et sollicita est quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu.* Nisi forte usque adeo quisque insipienter contentiosus est, ut conetur asserere, non propter regnum cœlorum, sed propter præsens sæculum Domino placere nos velle, aut propter vitam istam, non propter æternam esse sanctas et corpore et spiritu. Hoc credere, quid est aliud, nisi miserabiliorem esse omnibus hominibus? Sic enim Apostolus ait: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* An vero qui frangit panem suum esurienti, si tantum propter hanc vitam facit, stultus est; et ille erit prudens, qui castigat corpus suum usque ad continentiam, qua nec conjugio misceatur, si ei nihil proderit in regno cœlorum?

ostenditur ex Apostolo. 1. Cor. 7. 32. etc.

1. Cor. 15. 19.

CAPUT XXIII. Idipsum probatur ex verbis Domini. Matth. 19. 10. etc.

23. Postremo ipsum Dominum audiamus evidentissimam hanc sententiam proferentem. Nam cum de conjugibus non separandis nisi caussa fornicationis divine ac terribiliter loqueretur, dixerunt ei discipuli, *Si talis est caussa cum uxore, non expedit nubere.* Quibus ille, *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc: sunt enim spadones qui ita nati sunt; sunt autem alii qui ab hominibus facti sunt; et sunt spadones qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum: qui potest capere, capiat.* Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus et Sapientia Dei dicit, eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare se ipsos propter regnum cœlorum; et contra humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugalium devitare, in regno autem cœlorum amplius quidquam cæteris non habere?

CAPUT XXIV. Item ex verbis Isaiæ.

24. De quibus autem spadonibus loquitur Deus per Isaiam prophetam, quibus se dicit daturum in domo sua et in muro suo locum nominatum, meliorem multo quam filiorum atque filiarum, nisi de his qui se ipsos castrant propter

(a) Sic MSS. Editi vero, *diligendam.*

(b) Er. *Et divisa est mulier nupta, et virgo quæ innupta est: sollicita est quæ sunt Domini.* Multo mendosius editio Lov. post *placeat uxori*, prosequitur sic, *et divisa est Mulier etiam innupta sollicita est quæ sunt Domini.* Redintegratus locus ope vetustissimorum codicum, hic et supra in lib. de Bono Conjugali cap. 10.

(c) In MSS. omittitur, *quomodo placeat Domino, et sollicita est quæ sunt Domini.*

regnum cœlorum? Nam illis quibus ipsum virile membrum debilitatur, ut generare non possint, sicut sunt eunuchi divitum et regum, sufficit utique cum Christiani fiunt, et Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sunt, ut conjuges si potuissent haberent, cæteris in domo Dei conjugatis fidelibus adæquari, qui prolem licite pudiceque susceptam in Dei timore nutriunt, docentes filios suos ut ponant in Deo spem suam; non autem accipere meliorem locum quam est filiorum atque filiarum. Neque enim uxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Contendat sane qui voluerit de his Prophetam spadonibus hoc prænuntiasse, qui corpore abscisi sunt; iste quoque error caussæ quam suscepimus suffragatur. Neque enim spadones istos eis qui in domo ejus nullum habent locum prætulit Deus, sed eis utique qui in filiis generandis conjugalis vitæ meritum servant. [Isaiæ 56. 5.] Nam cum dicit, *Dabo eis locum multo meliorem*; ostendit et conjugatis dari, sed multo inferiorem. Ut ergo concedamus in domo Dei prædictos futuros eunuchos secundum carnem, qui in populo Israel non fuerunt; quia et ipsos videmus cum Judæi non fiant, tamen fieri Christianos; nec de illis dixisse Prophetam, qui proposito continentiæ conjugia non quærentes, se ipsos castrant propter regnum cœlorum: itane tanta dementia quisquam est contrarius veritati, ut in carne factos eunuchos meliorem quam (a) conjugatos locum in domo Dei habere credat, et pio proposito continentes, corpus usque ad contemptas nuptias castigantes, se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cælestem et angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, conjugatorum meritis pares esse contendat; et Christo laudanti eos [Matth. 19. 12.] qui se ipsos castraverunt, non, propter hoc sæculum, sed propter regnum cœlorum, Christianus contradicat, affirmans hoc vitæ præsenti esse utile, non futuræ? Quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum cœlorum ad hanc temporalem vitam, in qua nunc sumus, asserant pertinere? [Ecclesia Regnum cœlorum cur appellata.] Cur enim non et in hanc insaniam progrediatur cæca præsumptio? Et quid hac assertione furiosius? Nam etsi regnum cœlorum aliquando Ecclesia etiam quæ hoc tempore est, appellatur; ad hoc utique sic appellatur, quia futuræ vitæ sempiternæque colligitur. [1.Tim. 4. 8.] Quamvis ergo promissionem habeat vitæ præsentis et futuræ; in omnibus tamen bonis operibus suis non respicit *quæ videntur, sed quæ non videntur*, [2.Cor. 4. 18.] *Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.*

[CAPUT XXV. Isaiam loqui de æterno præmio spadonibus promisso.]

25. Nec sane Spiritus-sanctus tacuit quod contra istos impudentissime ac dementissime pervicaces apertum atque inconcussum valeret, eorumque belluinum impetum ab ovili suo inexpugnabili munitione repelleret. Cum enim dixisset de spadonibus, [Isai. 56. 5.] *Dabo eis in domo mea et in muro meo locum nominatum, meliorem multo quam filiorum atque filiarum*: ne quis nimium carnalis existimaret aliquid in his verbis temporale sperandum, continuo subjecit, *Nomen æternum dabo eis, nec umquam deerit*: tamquam diceret, Quid tergiversaris impia cæcitas? quid tergiversaris? quid serenitati veritatis nebulas tuæ perversitatis effundis? Quid in tanta Scripturarum luce tenebras unde insidieris inquiris? Quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis? *Nomen æternum dabo eis.* Quid ab omni concubitu immunes, et eo quoque ipso quo hinc se se abstinent, ea quæ sunt Domini cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? *Nomen æternum dabo eis.* Quid regnum cœlorum, propter quod se ipsos castraverunt sancti spadones, in hanc tantum vita intelligendum esse contendis? *Nomen æternum dabo eis.* Et si forte hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, *nec umquam deerit.* Quid quæris amplius? quid dicis amplius? Æternum hoc nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod utique gloriam quamdam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno et in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis et nomen dictum est, quod eos quibus datur, distinguit a cæteris.

[CAPUT XXVI. Objectio de denario omnibus reddendo, contra diversitatem præmiorum.]

26. Quid sibi ergo vult, inquiunt, ille denarius, qui opere vineæ terminato æqualiter omnibus redditur, sive iis qui ex prima hora, sive iis qui una hora operati sunt? [Matth. 20. 9.] Quid utique, nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit? [1.Cor. 15. 53.] *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*: hic est ille denarius, merces omnium. [Ibidem 41.] *Stella tamen a stella differt in gloria, sic et resurrectio mortuorum*: hæc sunt merita diversa sanctorum. Si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse omnibus est commune sideribus? Et tamen *alia est gloria solis, alia gloria lunæ, alia stellarum.* Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cum recte valemus, omnibus membris communis est sanitas, et ipsa si usque ad mortem permaneat, pariter et æqualiter omnibus inest? [1.Cor. 12. 18.] Et tamen *posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit*, ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum odoratus; et quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis æqualiter habeat cum omnibus sanitatem. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est: quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem: [Johan. 14. 2.] ac per hoc in denario quidem non impari, non vivit alius alio prolixius; in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.

(a) In MSS. quam conjugali.

CAPUT XXVII. *Virginum gloria futura major et propria quædam in cœlis gaudia.*

27. PERGITE itaque sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac fœminæ, cælibes et (a) innuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius: sperate felicius, cui servitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum, quando veniat a nuptiis. (Lucæ 10. 35.) Vos afferetis ad nuptias agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris (b). Non utique tale quale cantat universa terra, cui dicitur, *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino universa terra:* (Psal. 95. 1.) sed tale quale nemo poterit dicere nisi vos. (Apoc. 14. 3.) Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus ab agno, qui discumbere super pectus ejus solitus erat, et bibebat et eructuabat mirabilia super cælestia Verbum Dei. Ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorum citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde: et quia sequimini agnum quocumque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc agnum, quo nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos? Quo putamus eum ire? in quos saltus et prata? Ubi credo sunt (c) gramina gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudio sorte distincta. Gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Ite in hæc, sequimini agnum, quia et agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus et natus. Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis, quocumque ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari? Quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, sicut ait apostolus Petrus, ut sequamur vestigia ejus. (1. Pet. 2. 21.) Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur: non in quantum ille Filius Dei est unus per quem facta sunt omnia; sed in quantum filius hominis, quæ oportebat, in se præbuit imitanda: et multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis non omnibus; non enim habent quid faciant ut virgines sint, in quibus jam factum est ut virgines non sint.

Sequi agnum quocumque ierit proprium est virginum.

CAPUT XXVIII. *Quo usque sequi agnum omnes possunt.*

28. SEQUANTUR itaque agnum cæteri fideles qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quo usque ipsi potuerint. Possunt autem ubique, præter cum in decore virginitatis incedit. *Beati pauperes spiritu;* (Matth. 5. 3.) imitamini eum, qui propter vos pauper factus est, cum dives esset. (2. Cor. 8. 9.) *Beati mites;* (Matth. 5. 4.) imitamini eum qui dixit, *Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde.* (Matth. 11. 29.) *Beati lugentes;* (Matth. 5. 5.) imitamini eum qui flevit super Jerusalem. (Luc. 19. 41.) *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam;* (Matth. 5. 6.) imitamini eum qui dixit, *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* (Johan. 4. 34.) *Beati misericordes;* (Matth. 5. 7.) imitamini eum qui vulnerato a latronibus et in via jacenti semivivo desperatoque subvenit. (Lucæ 10. 33.) *Beati mundicordes;* (Matth. 5. 8.) imitamini eum *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* (1. Petri 2. 22.) *Beati pacifici;* (Matth. 5. 9.) imitamini eum qui pro suis persecutoribus dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (Lucæ 23. 34.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam;* (Matth. 5. 10.) imitamini eum qui *pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* (1. Petri 2. 21.) Hæc qui imitantur, in his agnum sequuntur. Sed certe etiam conjugati possunt ire per ista vestigia, etsi non perfecte in eadem forma ponentes pedem, verumtamen in eisdem semitis gradientes.

CAPUT XXIX. *Quo eum sequuntur solæ virgines.*

29. SED ecce ille agnus graditur itinere virginali, quomodo post eum ibunt qui hoc amiserunt, quod nullo modo recipiunt? Vos ergo, vos ite post eum virgines ejus; vos et illuc ite post eum, quia propter hoc (d) unum quocumque ierit sequimini eum: ad quodlibet enim aliud sanctitatis donum quo eum sequantur, hortari possumus conjugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. Vos itaque sequimini eum tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter. Facite cum potestis, ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ agnum ad hoc sequi non potest: videbit, nec invidebit; et collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit; audire autem poterit, et delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui et dicetis, et audietis, quia et hoc quod dicetis a vobis audietis, felicius exsultabitis, jucundiusque regnabitis. De majore tamen vestro gaudio nullus mœror erit, quibus hoc deerit. Agnus ille quippe, quem vos quocumque ierit sequimini, nec eos deseret qui eum quo vos non valent sequi. Omnipotentem agnum loquimur. Et vobis præibit, et ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus. (1. Cor. 15. 28.) Et qui minus habebunt, a vobis non abhorrebunt. Ubi enim nulla est invidentia, concors est differentia. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vovetis et redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ, (Psal. 75. 12.) non propter præsens sæculum, sed propter regnum cœlorum.

Invidentia in cœlis propter præmiorum differentiam nulla.

CAPUT XXX. *Hortatur ad virginitatem, ut ad opus supererogationis, non præcepti.*

30. Vos etiam qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere, capite; perseveranter currite, ut comprehendatis. (Matth. 19. 12.) (1. Cor. 9. 24.) Tollite hostias quisque suas, et introite in atria Domini, non ex necessitate, potestatem habentes vestræ voluntatis. (Psal. 95. 8.) Neque enim sicut, *Non mœchaberis, Non occides*, ita dici potest, Non nubes. (Exodi 20. 13. et 14.) Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur: nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis. Cogitate, quid-

(a) Sola editio Lov. *et nuptæ.*

(b) Duo Vaticani MSS. addunt, *hoc est in cordibus dicatis laudibus.* Vaticanus alius, *hoc est in cordibus vestris.*

(c) Editio Lov. loco *gramina*, habet *grandia*: refragantibus MSS. et editione Er.

(d) [illegible] A'est bonum a MSS.

Lucæ 10 35. quid illud est, in muro ejus locum nominatum meliorem multo quam filiorum atque filiarum. Isai. 56. 5. Cogitate illic nomen æternum. Quis explicat quale nomen erit, quidquid tamen erit, æternum erit. Hoc credendo et sperando et amando, potuistis conjugia non devitare prohibita, sed transvolare concessa.

CAPUT XXXI. Humilitas maxime Virginibus commendanda.

31. Unde hujus muneris magnitudo, ad quod capessendum pro nostris viribus hortati sumus, quanto est excellentius atque divinius, tanto magis admonet sollicitudinem nostram, non solum de gloriosissima castitate, verum etiam de tutissima humilitate aliquid loqui. Cum ergo perpetuæ continentiæ professores se conjugatis comparantes, secundum Scripturas compererint eos infra esse, et opere et mercede, et voto et præmio; statim veniat in mentem quod scriptum est, Eccli 3. 20. *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Humilitatis mensura cuique data. Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est: cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Hanc sequitur invidentia, tamquam filia pedissequa: eam quippe superbia continuo parit, nec umquam est sine tali prole atque comite. Superbia mater invidentiæ. Quibus duobus malis, hoc est (*a*) superbia et invidentia, diabolus est. Itaque contra superbiam matrem invidentiæ maxime militat universa disciplina Christiana. Hæc enim docet humilitatem, qua et adquirat et custodiat caritatem: de qua cum dictum esset, 1. Cor. 13. 4. *Caritas non æmulatur;* velut si caussam quæreremus, unde fiat ut non æmuletur, continuo subdidit, *Non inflatur*: tamquam diceret, ideo non habet invidentiam quia nec superbiam. Doctor itaque humilitatis Christus primo *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. 7. et 8. Ipsa vero doctrina ejus, quam adtente insinuet humilitatem atque huic præcipiendæ vehementer insistat, quis explicare facile possit, atque in hanc rem demonstrandam testimonia cuncta congerere? Hoc facere conetur vel faciat, quisquis seorsum de humilitate voluerit scribere: hujus autem operis aliud propositum est, quod de tam magna re susceptum est, ut ei maxime sit cavenda superbia.

CAPUT XXXII. De humilitate præcepta Domini et exempla.

32. Proinde pauca testimonia quæ Dominus in mentem dare dignatur, ex doctrina Christi de humilitate commemoro, quæ ad id quod intendi fortasse sufficiant. Sermo ejus, quem primum prolixiorem ad discipulos habuit, inde cœpit: Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: quos sine ulla controversia humiles intelligimus. Fidem Centurionis illius ideo præcipue laudavit, nec se invenisse in Israel dixit tantam fidem, quia ille tam humiliter credidit, ut diceret, Matth. 8. 8. *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Unde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad Jesum, cum apertissime Lu- Lucæ 7. 6. et 7.

A cas insinuet quod non ad eum ipse venerit, sed amicos suos miserit, nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quam illi quos misit. Unde et illud propheticum est: *Excelsus est Dominus, et humilia respicit, excelsa autem a longe cognoscit*; Psal. 137. 6. utique tamquam non accedentia. Hinc et illi mulieri Chananææ dicit. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: Matth. 15. 28. quam superius canem appellaverat, nec ei panem filiorum projiciendum esse responderat. Quod illa humiliter accipiens dixerat, *Ita Domine, nam et canes edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ac sic quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit. Hinc et illi duo ponuntur orantes in templo, Lucæ 18. 10. unus Pharisæus, et alter publicanus, propter B eos qui sibi justi videntur, et spernunt cæteros, et enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum. Et utique Deo gratias agebat Pharisæus ex his in quibus sibi multum placebat: *Gratias*, inquit, *tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut et publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo.* Ibidem 11. etc. *Publicanus autem de longinquo stabat, nec oculos ad cælum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori.* Sequitur autem divina sententia: *Amen dico vobis, descendit justificatus de templo publicanus magis quam ille Pharisæus.* Deinde caussa ostenditur, cur hoc justum sit: *Quoniam is qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabi-* C *tur.* Fieri ergo potest, ut quisque et mala vera devitet, et vera bona in se consideret, et de his Patri luminum gratias agat, a quo descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum; Jac. 1. 17. et tamen elationis vitio reprobetur, si aliis peccatoribus maximeque peccata in oratione confitentibus, vel sola cogitatione quæ coram Deo est, superbus insultet, quibus non exprobratio cum inflatione, sed miseratio sine desperatione debetur. Quid illud quod quærentibus inter se discipulis quisnam eorum major esset, puerum parvulum constituit ante oculos eorum, dicens, *Nisi fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum cælorum*? Matth. 18. 3. nonne humilitatem maxime commendavit, et in ea meritum magnitudinis posuit? Vel cum filiis Zebedæi latera ejus in se- D dium sublimitate concupiscentibus, ita respondit, Matth. 20. 21. ut passionis ejus calicem bibendum potius cogitarent, in quo se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis, Philip. 2. 8. quam superbo appetitu præferri cæteris postularent, quid ostendit, nisi eis se futurum altitudinis largitorem, qui eum doctorem humilitatis antea sequerentur? Jam vero quod exiturus ad passionem lavit pedes discipulis, Joban. 13. 14. monuitque apertissime ut hoc facerent condiscipulis atque conservis, quod eis fecisset Magister et Dominus, quantum commendavit humilitatem? Cui commendandæ etiam tempus illud elegit, quo cum proxime moritu-

(*a*) Sic MSS. At Er. *superbia et invidentia diabolus præst.* Lov. *superbiæ et invidentiæ diabolus præest.*

rum cum magno desiderio contuebantur, hoc utique præcipue memoria retenturi, quod Magister imitandus ultimum demonstrasset. At ille hoc fecit illo tempore, quod utique potuit et aliis ante diebus, quibus cum eis fuerat conversatus: quando si fieret, hoc ipsum quidem traderetur, sed utique non sic acciperetur.

CAPUT XXXIII. Humilitas Christianis sed maxime Virginibus custodienda.

33. Cum ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem a Christo Christiani appellantur, cujus Evangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat; tum maxime virtutis hujus sectatores et conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, ut magnopere

Eccli. 3. 20.

curent illud quod primitus posui, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam*: Proinde quia perpetua B continentia, maximeque virginitas, magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cavendum est ne superbia corrumpatur.

Innuptas viventes contra propositum non speciat præsens adhortatio ad humilitatem.

34. Curiosas et verbosas malas innuptas Paulus apostolus notat, et hoc vitium venire dicit ex otio. *Simul autem*, inquit, *et otiosæ* (a) *discunt circumire domos; non solum autem otiosæ, verum etiam curiosæ et verbosæ, loquentes quæ non oportet*. De his superius dixerat: *Juniores autem viduas evita. Cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt; habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*:

1. Tim. 5. 13. etc.

a id est, in eo quod primo voverant, non steterunt. * Nec tamen ait, nubunt; sed *nubere volunt*. Multas enim earum revocata nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens et ipse de superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, et ideo non nubunt quia impune non possunt, quæ melius nuberent quam urerentur, id est, quam occulta flamma

* CAPUT XXXIV.

b concupiscentiæ in ipsa (b) conscientia vastarentur, quas pœnitet professionis, et piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, et Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt, sive in deliciis agant, unde dicit Apostolus, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est*; sive in laboribus atque jejuniis, nulla cordis correctione superfluis, et magis ostentationi

1. Tim. 5. 6.

c (c) quam emendationi servientibus. Non ego talibus magnam curam humilitatis ingero, in quibus superbia ipsa confunditur, et conscientiæ vulnere cruentatur. Nec ebriosis, aut avaris, aut alio quolibet damnabilis morbi genere jacentibus, cum habeant corporalis continentiæ professionem, moribusque perversis a suo nomine dissonent, hanc magnam sollicitudinem piæ humilitatis impono: nisi forte in his malis etiam ostentare se audebunt, quibus non sufficit quod eorum supplicia differuntur. Nec de his ago, in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiore vestitu quam tantæ professionis neces- A sitas postulat, aut capitis ligamento notabili, sive prætumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris, ut retiola subter posita appareant: his nondum de humilitate, sed de ipsa castitate vel integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his et hujusmodi omnibus carentem vitiis et maculis morum, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quo magis inest unde sibi placeat, eo magis vereor, ne sibi placendo illi displiceat, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Jacobi 4. 6.

CAPUT XXXV. Humilitatem Christus a sedisci jubet. Matth. 11. 29.

35. Certe præcipuum magisterium et virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est. Quid ergo amplius continentibus B de humilitate præcipiam, quam quod ille qui omnibus dicit, *Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde?* cum magnitudinem suam supra commemorasset: (d) et idipsum volens osten- d dere, quantus propter nos quantillus effectus est: *Confiteor*, inquit, *tibi*, (e) *Pater, Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et* Ibidem 25. etc.

e *prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum est coram te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo cognoscit Filium nisi Pater, et nemo cognoscit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde*. Ille, ille cui omnia tradidit Pater, et quem nemo C agnoscit nisi Pater, et qui Patrem solus agnoscit, et cui voluerit revelare, non dicit, Discite a me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed, *quia mitis sum et humilis corde*. O doctrinam salutarem, o Magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est. Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bone Jesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tamquam in concione generis humani clamantem ac dicentem, *Venite ad me, et discite a me*. Quid obsecro te, per quem facta sunt omnia Fili Dei, et idem qui factus es inter omnia Fili hominis, quid ut discamus a te venimus ad te? *Quoniam mitis sum*, inquit, *et humilis corde*. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapien- Coloss. 2. 3.

D tiæ et scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus a te, quoniam mitis es et humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi a te qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? Ita plane. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

CAPUT XXXVI. Humilitatis doctrina facile audita

36. Audiant te, et veniant ad te, et mites atque humiles esse discant a te, qui misericordiam et veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, tibi, non sibi. Audiat hoc laborans et oneratus, qui

(a) MSS. *curiosæ esse discunt, circumire domos*.
(b) Sic plures MSS. At editi, *in ipsa concupiscentiæ*.
(c) Aliquot MSS. omittunt, *quam emendationi*.
(d) Nonnulli MSS. *commemorasset, idipsum volens ostendere*: omissa particula et.
(e) In MSS. deest vox *Pater*; et paullo post omittitur, *et prudentibus*.

a peccatoribus. Matth. 11. Lucæ 18. Matth. 8. Lucæ 19. Lucæ 7. sarcina premitur, ut oculos ad cœlum levare non audent, percutiens pectus ille peccator et propinquans de longinquo. Audiat Centurio, non dignus cujus tectum subires. Audiat Zacchæus major publicanorum, quadrupla restituens lucra damnabilium peccatorum. Audiat mulier in civitate peccatrix, tanto lacrymosior pedibus tuis, quanto fuerat alienior a vestigiis tuis. Audiant meretrices et publicani, qui Scribas et Pharisæos præcedunt in regnum cœlorum. Matth. 11. 31. Audiat omne genus ægrorum, cum quibus tibi pro crimine sunt objecta convivia, videlicet quasi a sanis qui medicum non quærebant, cum tu Matth. 9. 13. non venires vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam. Hi omnes cum convertuntur ad te, facile mitescunt et humiliantur coram te, memores iniquissimæ vitæ suæ, et indulgentissimæ Rom. 5. 20. misericordiæ tuæ, quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.*

Virginibus multo magis audienda. 37. Seu respice agmina virginum; puerorum puellarumque sanctarum, in Ecclesia tua eruditum est hoc genus; illic tibi a maternis uberibus a pullulavit (a) in nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum velut lac infantiæ suæ suxit infusum. Non potest quisquam ex hoc nu- 1. Tim. 1. 13. mero dicere, *Qui prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*: immo etiam quod non jussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti, dicens, *Qui* Matth. 19. 12. *potest capere, capiat*, arripuerunt, voverunt, et propter regnum cœlorum se ipsos, non quia mi- * CAPUT XXXVII. natus es, sed quia hortatus es, castraverunt. * His inclama, hi te audiant, quoniam mitis es et humilis corde. Hi quanto magni sunt, tanto humilient se in omnibus, ut coram te inveniant b gratiam. Justi sunt: sed numquid sicut tu (b) Psal. 50. 7. justificans impium? Casti sunt: sed eos in peccatis matres eorum in uteris aluerunt. Sancti sunt: sed tu etiam sanctus sanctorum. Virgines sunt: sed nati etiam ex virginibus non sunt. Et spiritu et carne integri sunt: sed Verbum caro factum non sunt. Et tamen discant, non ab eis quibus peccata dimittis, sed a te ipso agno Dei, qui tollis peccata mundi, quoniam mitis es et humilis corde.

Humilitatis exemplum in ipso Domino propositum Virginibus. 38. Non ego te, anima pie pudica, quæ appetitum carnalem nec usque ad concessum conjugium relaxasti, quæ decessurum corpus nec successori propagando indulsisti, quæ fluitantia membra terrena in cœli consuetudinem suspendisti: non ego te, ut discas humilitatem, ad publicanos et peccatores mitto, qui tamen in regnum cœlorum præcedunt superbos; non te ad hos mitto: indigni sunt enim qui ab immunditiæ voragine liberati sunt, ut ad eos imitandos mittatur illibata virginitas: ad Regem cœli te mitto, ad eum per quem creati sunt homines, Psal. 44. 3. et qui creatus est inter homines propter homines, ad speciosum forma præ filiis hominum, et

A contemptum a filiis hominum pro filiis hominum, ad eum qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus est servire mortalibus. Eum certe humilem non iniquitas, sed caritas fecit; *caritas* quæ 1. Cor. 13. 4. *non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt*: quia *et Christus non sibi placuit; sed sicut* Rom. 15. 3. *scriptum de illo est, Opprobria exprobrantium* Psal. 68. 10. *tibi ceciderunt super me*. Vade, veni ad illum, et Lucæ 18. 13. disce quoniam mitis est et humilis corde. Non ibis ad eum qui oculos ad cœlum levare non audebat onere iniquitatis; sed ad eum qui de cœlo descendit pondere caritatis. Non ibis ad eam quæ Johan. 6. 38. Domini sui pedes lacrymis rigavit, quærens indulgentiam gravium peccatorum; sed ibis ad eum Lucæ 7. 38. qui cum daret indulgentiam omnium peccatorum, lavit pedes suorum servorum. Novi digni- Johan. 13. 5. B tatem virginitatis tuæ: non tibi propono imitandum publicanum humiliter accusantem delicta sua, sed timeo tibi Pharisæum superbe jactan- Lucæ 18. tem merita sua. Non dico, Esto qualis illa de qua dictum est, *Dimittuntur ei peccata multa, quo-* Lucæ 7. 47. *niam dilexit multum*. Sed metuo ne cum tibi modicum dimitti putas, modicum diligas.

CAPUT XXXVIII. Timor ipsis Virginibus necessarius, non timor sæcularis aut servilis, sed timor Dei castus. 39. Metuo, inquam, tibi vehementer, ne cum te agnum quocumque ierit secuturam esse gloriaris, eum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis. Bonum est tibi, o anima virginalis, ut sic quomodo virgo es, ita omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias tamen a timore Domini et parturias spiritum salutis. *Timor* quidem *non est in caritate, sed* Isai. 26. 18. *perfecta*, sicut scriptum est, *caritas foras mittit ti-* 1. Johan. 4. 18. C *morem*: sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. *Noli altum sapere, sed time*. Ama Dei bonitatem, Rom. 11. 20. time severitatem: utrumque te superbam esse non sinit. Amando enim times; ne amatum et amantem graviter offendas. Nam quæ gravior offensio, quam ut * superbia illi displiceas, qui * f. superba. propter te superbis displicuit? Et ubi magis esse debet *timor* ille *castus permanens in sæculum* Psal. 18. 10. *sæculi*, quam in te, quæ non cogitas quæ sunt mundi, quomodo placeas conjugi, sed quæ sunt 1. Cor. 7. 32. Domini, quomodo placeas Domino? Ille alius timor non est in caritate: iste autem castus non recedit a caritate. Si non amas, time ne pereas: si amas, time ne displiceas. Illum timorem caritas foras mittit: cum isto intro currit. Dicit D apostolus etiam Paulus: *Non enim accepimus spi-* Rom. 8. 15. c *ritum servitutis iterum in* (c) *timorem, sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*. Illum eum timorem credo dicere, qui datus erat in vetere Testamento, ne amitterentur temporalia bona, quæ Deus promiserat nondum sub gratia filiis, sed sub lege adhuc servis. Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. Aliæ voces sunt, *Quo abibo a spiritu tuo, et a facie tua* Psal. 138. 7.

(a) Sola editio Lov. omittit particulam *in*.
(b) Er. et nonnulli MSS. *justificans impium*.
(c) Editi, *in timore*. Veteres autem libri, *in timorem*: juxta Græcum εἰς φόβον: cui concordat Vulgata in antiquis Bibliis Corbejensibus.

Psal. 26. 4. *quo fugiam?* et aliæ voces sunt, *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler* a *delectationem Domini, et* (a) *protegar templum* Ibidem 9. *ejus.* Et, *Ne avertas faciem tuam a me.* Et, Psal. 85. 3. *Desiderat et deficit anima mea in atria Domini.* b Illas voces (b) habuerit, qui oculos non audebat Lucæ 18.13. levare in cœlum; et quæ rigabat lacrymis pedes ad impetrandam veniam gravium peccatorum: Lucæ 7. 38. has autem tu habeto, quæ sollicita es ea quæ 1.Cor. 5. 34. sunt Domini ut sis sancta et corpore et spiritu. Illis vocibus comitatur timor qui tormentum ha- 1. Johan. 4. 18. bet, quem perfecta caritas foras mittit: his autem vocibus comitatur timor Domini castus permanens in sæculum sæculi. Et utrique generi di- Rom. 11. 20. cendum est, *Noli altum sapere, sed time:* ut homo nec de peccatorum suorum defensione, nec de justitiæ præsumptione se extollat. Nam et ipse Rom. 8. 15. Paulus, qui dicit, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem:* tamen timore co- 1. Cor. 2. 3. mite caritatis ait, *Cum timore et tremore multo fui ad vos:* et ea sententia quam commemoravi, ne adversus fractos oleæ ramos insertus superbiret oleaster, ipse usus est, dicens, *Noli altum sapere, sed time:* ipse omnia membra Chri- Rom. 11. 20. sti generaliter admonens, ait, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus* Philip. 2. 12. *est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate:* ne ad vetus Testamentum Psal. 2. 11. videatur pertinere quod scriptum est, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.*

CAPUT XXXIX. Spiritus sancti locus cor humiliatum.

40. Et quæ magis membra corporis sancti, quod est Ecclesia, curare debent, ut super ea requiescat Spiritus sanctus, quam virginalem professionem sanctitatem? Quomodo autem requiescit ubi non invenit locum suum? quid aliud quam cor humiliatum quod impleat, non unde resiliat; quod erigat, non quod deprimat? cum Isai. 66. 2. apertissime dictum sit, *Super quem requiescet Spiritus meus? Super humilem et quietum et trementem verba mea.* Jam juste vivis, jam pie vivis, pudice, sancte, virginali castitate vivis: adhuc tamen hic vivis, et non humiliaris audiendo, *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Non te a præfidenti elatione reverberat, *Væ mundo a scandalis?* Non contremiscis, ne deputeris in multis quorum refrigescit caritas, quoniam abundat iniquitas? Non percutis pectus, cum audis, *Quapropter qui se putat stare,* (c) *videat ne cadat?* Inter hæc divina monita c et humana pericula, itane adhuc virginibus sanctis humilitatem persuadere laboramus?

Justis ex cadendi periculo ratio sese humiliandi. Job. 7. 1. Matth. 18. 7. Matth. 24. 12. 1. Cor. 10. 12.

CAPUT XL. Justis miscentur casuri; ut ex horum casu timor addatur.

41. An vero propter aliud credendum est, permittere Deum ut misceantur numero professionis vestræ multi et multæ casuri et casuræ, nisi ut his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur; quam sic odit Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliaret Altissimus? Nisi forte re vera ideo minus timebis, magisque inflaberis, ut modicum diligas A eum, qui te tantum dilexit, ut traderet semet- Gal. 2. 20. ipsum pro te, quia modicum tibi dimisit, viventi videlicet a pueritia religiose, pudice (d), pia ca- d stitate, illibata virginitate. Quasi vero non tu multo ardentius diligere debeas eum, qui flagitiosis ad se conversis quæcumque dimisit, in ea te cadere non permisit? Aut vero ille Pharisæus, qui propterea modicum diligebat, quia modicum sibi dimitti existimabat, ob aliud hoc errore cæcabatur, nisi quia ignorans Dei justitiam, et suam quærens constituere, justitiæ Dei subjectus non erat? Vos autem genus electum, et in electis Rom. 10. 3. electius, virginei chori sequentes agnum, etiam vos *gratia salvi facti estis per fidem: et hoc non* Ephes. 2. 8. etc. *ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus fig-* B *mentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Ergone hunc quanto ejus donis ornatiores estis, tanto minus amabitis? Avertat tam horrendam ipse dementiam. Proinde quoniam verum Veritas dixit, quod ille cui modicum dimittitur, modicum diligit; vos ut ardentissime diligatis, cui diligendo a conjugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tamquam omnino dimis- Psal. 24. 15. sum, quidquid mali a vobis non est illo regente commissum. *Oculi* enim *vestri semper ad Domi-* Psal. 126. 1. *num, quoniam ipse evellet de laqueo pedes vestros.* Et, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilavit qui custodit eam.* Et de ipsa continentia loquens Apostolus ait: *Volo autem omnes* 1. Cor. 7. 7. *homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque* C *proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic.* Quis ergo donat ista? Quis distribuit 1. Cor. 12. 11. propria unicuique sicut vult? Nempe Deus, apud quem non est iniquitas. Ac per hoc qua æqui- Rom. 9. 14. tate ille faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse aut impossibile, aut omnino difficile est: quin tamen æquitate faciat, dubitare fas non est. *Quid itaque habes quod non accepisti?* aut qua 1. Cor. 4. 7. perversitate minus diligis, a quo amplius accepisti?

Dimissum deputet quidquid mali a se non est commissum.

Justus non putet modicum sibi dimissum, ut modicum diligat.

CAPUT XLI. Prima humilitatis cogitatio, virginitatem haberi ex Dei dono.

42. Quapropter hæc prima sit induendæ humilitatis cogitatio, ne a se sibi putet esse Dei virgo quod talis est, ac non potius hoc donum optimum de super descendere a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti Jacobi 1. 17. D obumbratio. Ita enim non putabit modicum sibi esse dimissum, ut modicum diligat, et ignorans Dei justitiam, ac suam volens constituere, justi- Rom. 10. 3. tiæ Dei non subjiciatur. In quo vitio erat Simon Lucæ 7. 40. ille, quem superavit mulier cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Sed cautius et verius cogitabit, omnia peccata sic habenda tamquam dimittantur, a quibus Deus custodit ne committantur. Testes sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, quibus ostenditur, ea ipsa quæ præcipiuntur a Deo, non fieri nisi dante atque adjuvante qui præcipit. Mendaciter enim petuntur, si ea non adjuvante

Præcepta non fieri nisi eo dante qui præcipit.

(a) Editi, *protegar a templo ejus.* At MSS. hic et in Enarratione Psalmi 26. *templum ejus,* et loco *protegar,* plerique habent *protegi.*

(b) Editi, *non habuerat.* Castigantur a MSS.
(c) In MSS. *caveat.*
(d) Sola editio Lov. *pie, caste.*

ejus gratia facere possemus. Quid tam genera- A
liter maximeque præcipitur, quam obedientia
qua custodiuntur mandata Dei? Et tamen hanc
Psal. 118. 4. etc. invenimus optari: *Tu*, inquit, *præcepisti man-*
data tua custodiri nimis. Deinde sequitur, *Uti-*
nam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas ju-
stificationes tuas: tunc non confundar, dum in-
spicio in omnia mandata tua. Quod Deum præ-
a cepisse supra posuit, hoc ut (*a*) a se impleretur
Obedientia et pœnitentia pariter dona Dei. optavit. Hoc fit utique ne peccetur: quod si pec-
catum fuerit, præcipitur ut pœniteat; ne defen-
sione et excusatione peccati pereat superbiendo
qui fecit, dum non vult pœnitendo perire quod
fecit. Etiam hoc a Deo petitur, ut intelligatur
non fieri, nisi eo præstante a quo petitur. *Pone*,
Psal. 140. 3. et 4. inquit, *Domine custodiam ori meo, et ostium*
continentiæ circum labia mea: ne declines cor B
meum in verba maligna, ad excusandum excu-
sationes in peccatis, cum hominibus operantibus
iniquitatem. Si ergo et obedientia qua ejus man-
data servamus, et pœnitentia qua peccata nostra
non excusamus, sed accusamus, optatur et pe-
titur; manifestum est, quia cum fit, illo dante
habetur, illo adjuvante completur. Apertius et-
Ps. 36. 23. iam dicitur propter obedientiam, *A Domino gres-*
sus hominis diriguntur, et viam ejus volet. Et de
2 Tim. 2. 25. pœnitentia dicit Apostolus, *Ne forte det illis Deus*
pœnitentiam.

Sap. 8. 21. 43. De ipsa etiam continentia nonne apertis-
Continentia item et sapientia nonnisi a Deo præstantur. sime dictum est, *Et cum scirem quia nemo potest*
esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat
sapientiæ, scire cujus esset hoc donum? * Sed
forte continentia donum Dei est, sapientiam vero C
* CAPUT XLII. sibi ipse homo præstat, qua illud donum non
Ps. 145. 8. suum, sed Dei esse cognoscat. Immo *Dominus*
Psal. 18. 8. *sapientes facit cæcos:* et, *Testimonium Domini*
Jacobi 1. 5. *fidele sapientiam præstat parvulis:* et, *Si quis*
indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omni-
bus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.
Matth. 25. 4. Sapientes autem esse virgines decet, ne lampa-
des earum exstinguantur. Quomodo sapientes,
Rom. 12. 16. nisi *non alta sapientes, sed humilibus consentien-*
Job. 28. 28. *tes? Dixit* enim *homini* ipsa sapientia, *Ecce pie-*
1. Cor. 4. 7. *tas est sapientia.* Si ergo nihil habes quod non
Rom. 11. 20. accepisti; *noli altum sapere, sed time.* Et noli
modicum diligere, quasi a quo tibi modicum di-
missum est: sed potius multum dilige, a quo tibi
multum tributum est. Si enim diligit, cui dona-
tum est ne redderet; quanto magis debet dilige- D
re, cui donatum est ut haberet? Nam et quis-
quis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur;
et quisquis ex impudico pudicus fit ab illo cor-
rigitur; et quisquis usque in finem impudicus

A est, ab illo deseritur. Hoc autem ille occulto ju-
dicio facere potest, inique non potest; et fortasse
ideo latet, ut plus timeatur, et minus superbiatur.

44. Deinde jam sciens homo, gratia Dei se CAPUT XLIII. De ipso Dei dono ne se extollant virgines.
esse quod est, non incidat in alium superbiæ
laqueum, ut de ipsa Dei gratia se extollendo
spernat cæteros. Quo vitio (*b*) alius ille Phari-
sæus, et de bonis quæ habebat Deo gratias age-
bat, et tamen se super Publicanum peccata con- b
fitentem extollebat. Quid igitur faciat virgo, Lucæ 18. 11.
quid cogitet, ne se extollat super eos vel eas,
quæ hoc tam magno dono carent? Neque enim
simulare debet humilitatem, sed exhibere: nam
simulatio humilitatis major superbia est. Idcirco
Scriptura volens ostendere veracem humilitatem
esse oportere; cum dixisset, *Quanto magnus es,* Eccli. 3. 20.
B *tanto humilia te in omnibus:* mox quoque sub-
didit, *et coram Deo invenies gratiam;* utique
ubi se fallaciter humiliare non posset.

45. Proinde quid dicemus? Estne aliquid CAPUT XLIV. Quid cogitandum virgini, ut veraciter se non audeat mulieri vel conjugatæ præferre
quod virgo Dei veraciter cogitet, unde se fideli
mulieri, non tantum viduæ, verum etiam con-
jugatæ præferre non audeat? Non ego reprobam
dico: nam quis nesciat obedientem mulierem
inobedienti virgini præponendam? Sed cum am-
bæ sunt obedientes præceptis Dei, itane trepi-
dabit sanctam virginitatem etiam castis nuptiis
et continentiam præferre connubio, fructum cen-
tenum præire triceno? Immo vero non dubitet
hanc rem illi rei præponere. Hæc tamen vel hæc
virgo obediens et Deum timens, illi vel illi mu-
lieri obedienti et Deum timenti se anteferre non
C audeat: alioquin non erit humilis, et *Deus su-* Jacobi 4. 6.
perbis resistit. Quid ergo cogitabit? Occulta sci-
licet dona Dei, quæ nonnisi (*c*) interrogatio ten- c
tationis, etiam in semetipso, unicuique decla-
rat. Ut enim cætera taceam, unde scit virgo,
quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodo 1. Cor. 7. 32.
placeat Domino, ne forte propter aliquam sibi
incognitam mentis infirmitatem, nondum sit ma-
tura martyrio, illa vero mulier cui se præferre Matth. 20. 22.
gestiebat, jam possit bibere calicem domi-
nicæ humilitatis, quem prius bibendum disci-
pulis amatoribus sublimitatis opposuit? Unde
inquam scit, ne forte ipsa nondum sit (*d*) Thecla, d
jam sit illa Crispina? * Certe nisi adsit tentatio, * CAPUT XLV. Fructus centenus, sexagenus et tricenus varie intellectus.
nulla doni hujus fit demonstratio.

46. Hoc autem tam magnum est, ut eum fru-
D ctum centenum (*e*) quidam intelligant. Perhibet
enim præclarissimum testimonium ecclesiastica
auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo (*f*) Matth. 13. 8.
loco Martyres, et quo defunctæ sanctimoniales e
ad altaris sacramenta recitentur. Sed quid signi- f

(*a*) Sic MSS. At editi, *ut in se impleretur.*
(*b*) Nonnulli MSS. *altus.*
(*c*) Editi, *quæ nonnisi interrogatione tentationis etiam semetipsum unicuique declarant.* Castigantur ex MSS.
(*d*) Thecla virgo percelebris, quæ sub Nerone ignes pro Christo ac bestias vicit. Crispina vero mulier Thagatensis (sic ejus Acta in Theodericensi MS. forte pro *Thogastensis* vel *Thagurensis*) gladio percussa est Thebestæ in Africa sub Diocletiano et Maximiano, Anulino proconsule. Inde rursum in Sermone 354, ad Continentes, n. 5. *Cogitate*, ait, *persecutionis tempore non solum Agnen fuisse coronatam Virginem; sed et Crispinam mulierem: et forte, quod non dubitatur, aliqui tunc de continentibus defecerunt, et multi de conjugatis pugnaverunt atque vicerunt.*
(*e*) Hanc sententiam refert Hieronymus, sed aliam ipse in lib. 1. contra Jovinianum, et in Matth. 13. eligit, quæ videlicet centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, et trigesimum castis conjugatis deputat.
(*f*) Huc pertinet illud in Sermone 159. n. 1. *Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur.*

ficet fœcunditatis illa diversitas, viderint qui hæc melius quam nos intelligunt; sive virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem conjugalis: sive centena fertilitas martyrio potius imputetur, sexagena continentiæ, tricena connubio; sive virginitas accedente martyrio centenum fructum impleat, sola vero in sexageno sit, conjugati autem tricenum ferentes ad sexagenum perveniant, si martyres fuerint: sive quod probabilius mihi videtur, quoniam divinæ gratiæ multa sunt munera, et est aliud alio majus ac melius, unde dicit Apostolus, (a) *Æmulamini autem dona meliora*; intelligendum est plura esse, quam ut in tres differentias distribui possint. (1. Cor. 12. 31.) Primum ne continentiam vidualem aut in nullo fructu constituamus, aut ad conjugalis pudicitiæ meritum deponamus, aut virginali gloriæ coæquemus; aut coronam martyrii vel in habitu animi, etiamsi desit tentationis examen, vel in ipsa passionis experientia constitutam, cuilibet illarum trium castitati sine ullo incremento fertilitatis accedere existimemus. Deinde ubi ponimus, quod multi ac multæ ita custodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant quæ Dominus ait, *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me*; (Matth. 19. 21.) nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, sed sunt eis omnia communia? (Vitam communis sanctimonialium excellentior. — Act. 2. 44, et 4. 32.) Nihilne putamus fructificationis accedere virginibus Dei, cum hoc faciunt? aut sine ullo fructu esse virgines Dei, etiamsi hoc non faciunt? * Multa ergo sunt dona, et aliis alia clariora ac superiora, singulis singula. (* CAPUT XLVI.) Et aliquando alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus; alter inferioribus, sed pluribus. Et quemadmodum inter se vel coæquentur vel distinguantur in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat judicare? dum tamen constet et multa esse ista diversa, et non ad præsens tempus, sed in æternum prodesse meliora. Sed Dominum tres arbitror voluisse fructificationis commemorare differentias, cæteras intelligentibus reliquisse. (Matth. 13. 8.) Nam et alius Evangelista solum commemoravit centuplum: numquid ideo putandus est alia duo vel improbasse vel ignorasse, ac non potius intelligenda reliquisse? (Lucæ 8. 8.)

(Ut non infletur virgo, cogitet se forte non posse pro Christo pati, quod possit conjugata.)

47. Seu ut dicere cœperam, sive centenus fructus sit Deo devota virginitas, sive alio aliquo modo, vel quem commemoravimus, vel quem non commemoravimus, sit illa fertilitatis intelligenda distantia; nemo tamen, quantum puto, ausus fuerit virginitatem præferre martyrio, nec nemo dubitaverit hoc donum occultum esse, si examinatrix desit tentatio. * Habet itaque virgo quod cogitet quod ei prosit ad servandam humilitatem, ne violet illam quæ supereminet donis omnibus caritatem, sine qua utique quæcumque alia vel pauca vel plura vel magna vel parva habuerit, nihil est. (* CAPUT XLVII.) Habet, inquam, quod cogitet ut non infletur, non æmuletur; ita se scilicet bonum virginale conjugali bono multo amplius et melius profiteri, ut tamen nesciat utrum illa vel illa conjugata jam pati pro Christo possit, adhuc vero ipsa non possit, et in hoc ei parcatur, quia infirmitas ejus tentatione non interrogatur. *Fidelis* enim *Deus*, ait Apostolus, *qui non vos permittit tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere*. (1. Cor. 10. 13.) Fortassis ergo illi vel illæ conjugalis vitæ retinentes in suo genere laudabilem modum, jam possint contra inimicum ad iniquitatem cogentem etiam laniatu viscerum et effusione sanguinis dimicare; illi autem vel illæ a pueritia continentes, seque castrantes propter regnum cœlorum, nondum tamen valeant talia vel pro justitia vel pro ipsa pudicitia sustinere. Aliud est enim pro veritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti atque ferienti. Latent ista in facultatibus et viribus animorum, (b) tentatione panduntur, experientia propalantur. Ut ergo quisque non infletur, ex eo quod se pervidet posse, humiliter cogitet quod ignorat aliquid præstantius se fortasse non posse; aliquos autem qui illud quo sibi gloriose notus est, nec habent nec profitentur, hoc quod ipse non potest posse. Ita servabitur non fallaci, sed veraci humilitate, *Honore mutuo prævenientes*, et *alter alterum existimantes superiorem sibi*. (Rom. 12. 10. — Philip. 2. 3.)

(CAPUT XLVIII. Alia humilitatis occasio, quod nullus his sit sine peccato.)

48. Quid jam dicam de ipsa cautela et vigilantia non peccandi? *Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato?* Integra est quidem ab utero matris sancta virginitas: sed *nemo*, inquit, *mundus in conspectu tuo, nec infans cujus est unius diei vita super terram*. (Prov. 20. 9. — Job. 25. 4.) Servatur et in fide inviolata quædam castitas virginalis, qua Ecclesia uni viro virgo casta coaptatur: sed ille unus vir, non tantum fideles mente et corpore virgines, sed omnes omnino Christianos a spiritalibus usque ad carnales, ab Apostolis usque ad ultimos pœnitentes, tamquam a summis cœlorum usque ad terminos eorum, docuit orare, et in ipsa oratione dicere admonuit, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*: (Matth. 24. 31. — Matth. 6. 12.) ubi per hoc quod petimus, quid etiam nos esse meminerimus ostendit. Neque enim pro eis debitis, quæ totius præteritæ vitæ in baptismo per ejus pacem nobis dimissa esse confidimus, nos præcepit orare, dicentes, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*: alioquin hanc orationem catechumeni potius usque ad baptismum orare deberent. Cum vero eam baptizati orant, præpositi et plebes, pastores et greges, satis ostenditur in hac vita, quæ tota tentatio est, neminem se tamquam ab omnibus peccatis immunem debere gloriari. (Job. 7. 1.)

(CAPUT XLIX. Virgines irreprehen-)

49. PROINDE etiam virgines Dei irreprehensibiles quidem sequuntur agnum quocumque ierit, et peccatorum purgatione perfecta, et virginitate

(a) Omnes MSS. *Imitamini*.
(b) Er. et aliquot MSS. *tentata panduntur, experta propalantur*.

sibiles purgatione peccatorum et humili confessione.
Apoc.14.35.

A

servata, quæ non rediret amissa: sed quia eadem ipsa Apocalypsis, ebi talis tali revelati sunt, etiam hinc eos laudat, quod ie ore eorum non sit inveetum mendacium; memieerint etiam ie boc esse veraces, ne se audeant dicere non habere peccatum. Idem qeippe Jobseees qui illud vidit, hoc dixit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis nan est. Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis peccata nostra, et purget nos ab omni iniquitate. Quod si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacium faciemus eum, et verbum ejus non erit in nobis.* Hoc certe non illis ant illis, sed Christianis omnibus dicitur, ubi et virgines se debeet agnoscere. Sic enim eruet sine mendacio, quales in Apocalypsi apparuerunt. Ac per boc quamdiu nondum est in cælesti sublimitate perfectio, in viteperabiles facit in humilitate confessio.

1. Johan. 1. 8. etc.

B

Mortifera securitas peccandi spe veniæ confitentibus promissæ.
1.Joban.2.1.

50. Sed rursus ne per occasionem hujos sententiæ quisquam cum mortifera securitate peccaret, seqne trahendum permitteret, tamgnam mox delendis facili confessione peccatis, continuo subjecit, *Filioli mei, hæc scripsi vobis, ut non peccetis: et si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum, et ipse propitiator est peccatorum nostrorum.* Nemo itaque a peccato tamquam rediturus abscedat, eec se hujusmodi qeasi societatis pacto cum iniquitate constringat, ut eam confiteri quam cavere delectet. * Sed quoniam etiam satagentibus vigilantibusque ee peccent, subrepunt quodam modo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla; eadem ipsa fiunt magna et gravia, si eis superbia incrementum et pondus adjecerit: a sacerdote autem quem habemus in cœlis, si pia humilitate perimantur, tota facilitate purgantur.

* CAPUT L. Peccata parva quæ subrepunt vigilantibus, superbia crescunt, humilitate perimuntur.

C

Si quis forte hic sine peccato, quanto magnus est, tanto magis humiliat se
2.Cor.10.12.

51. Sed non contendo cum eis qui asserunt homieem posse in bac vita sine ello peccato vivere: noe contendo, non contradico. Fortassis enim ex nostra miseria magnos metimur, et comparantes eosmetipsos nobismetipsis, noe intelligimus. Unum scio, quod isti magni, quales non sumus, quales nondum experti sumus, quaeto magni sunt tanto humiliant se in omnibus, ut coram Deo inveniant gratiam. Quamlibet enim magni sint, *non est servus major domino suo, vel discipulus magistro suo.* Et etiqee ille est Domieus qui dicit, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et ille est Magister qui dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis, et discite a me.* Et tamen quid discimus? *Quoniam mitis sum*, inquit, *et humilis corde.*

D

Johan. 13. 16.
Matth. 11. 27.
Ibidem 8.

CAPUT LI. Virginitatis custos Deus qui eam dedit, apud humiles quiescit.

52. Hic dicet aliqnis: Non est hoc jam de virginitate, sed de humilitate scribere. Qeasi vero quæcumque virginitas, ac non illa quæ secundum Deum est, a nobis prædicanda suscepta est. Quod bonum quaeto magnum video, tanto ei, ne pereat, (*a*) furem superbiam pertimesco. Non

8

A

1. Johan. 4. 8
Isai. 66. 2.

ergo cestodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit: et *Deus caritas est.* Custos ergo virginitatis caritas: locus setem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit super humilem et quietum et trementem verba sua requiescere Spiritum suum. Quid itaque alienum feci, si bonum quod laudavi, volens tutius custodiri, curavi etiam locum præparare custodi? Fideeter enim dico, nec mihi nu irascantur timeo, quos ut mecum sibi timeaet sollicites moneo: facilius sequuntur agnum, etsi non quocumque ierit, certe quoesque potueriet, conjugati humiles, quam superbieetes virgines. Quomodo enim seqeitur, ad quem non vuit accedere? Aut quomodo accedit, ad quem non veeit ut discat, *quoniam mitis sum et humilis corde?* Illos proinde sequeetes, agnus quocumque ierit ducit, in quibus prius ipse ubi caput inclinet invenerit. Nam et quidam superbus et dolosus hoc ei dixerat: *Domine sequar te quocumque ieris.* Cui respondit, *Vulpes foveas habent, et volatilia cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum inclinet.* Argeebat nomine vulpium astutam dolositatem, et nomine volucrum ventosam elationem, in quo ebi requiesceret piam non inveniebat humilitatem. Ac per hoc nusqeam omnino secutus est Dominum, qui se promiserat, non usque ad quemdam profectum, sed omeieo quocumque ierit secuturum.

Matth. 11. 29.

B

Matth. 8. 19. et 20.

CAPUT LII. Humilitas virginibus qua ratione exercenda.

53. Quapropter hoc agite virgines Dei, hoc agite: sequimini agnum quocumque ierit. Sed prius ad eum quem sequamini, venite, et discite, quoniam mitis est et humilis corde. Humiliter ad humilem venite, si amatis; et ne discedatis ab illo, ne cadatis. Qui enim timet ab illo discedere, rogat et dicit, *Non mihi veniat pes superbiæ.* Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequeentes, quem descendere non piguit ad jacentes. Dona ejus illi servanda committite, fortitudinem vestram ad illum custodite. Quidqnid mali ipso custodiente non committitis, tamquam remissum ab illo deputate: ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis, et tendentes pectora publicanos ruinosa jactantia contemnatis. De viribus vestris expertis cavete, ne quia ferre aliquid potuistis inflemini: de inexpertis autem orate, ne supra quam potestis ferre tentemini. Existimate aliqeos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cum aliorum bona forte ignota vobis benigne creduntur a vobis, vestra vobis nota noe comparatioee minuuntur, sed dilectione firmantur: et quæ forte adhuc desunt, tanto dantur facilius, quanto desiderantur humilius. Perseverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum. Illud amate, ut imitemini; hoc legete, ne inflemini. Justitiam vestram nolite statuere, Deo vos justificanti subdite. Veniam peccatis donate alienis, orate pro vestris: futura vigilando vitate, præterita confiteendo delete.

C

Psal. 35. 12

Psal. 58. 10.

D

(a) Editi, *futurum* habebant, loco *furem*. Emendatur ex MSS.

CAPUT LIII. Virgines quanto sanctiores tanto sint humiliores.

54. Ecce jam tales estis, ut professæ atque servatæ virginitati cæteris etiam moribus congruatis. Ecce jam non solum homicidiis, sacrificiis diabolicis et abominationibus, furtis, rapinis, fraudibus, perjuriis, ebriositatibus, omnique luxuria et avaritia, simulationibus, æmulationibus, impietatibus, crudelitatibus abstinetis: verum etiam illa quæ leviora vel sunt vel putantur, non inveniuntur nec oriuntur in vobis; non improbus vultus, non vagi oculi, non infrænis lingua, non petulans risus, non scurrilis jocus, non indecens habitus, non tumidus aut fluxus incessus: jam non redditis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: jam postremo illam mensuram dilectionis impletis, ut ponatis animas pro fratribus vestris. Ecce jam tales estis, quia et tales esse debetis. Hæc addita virginitati, angelicam vitam hominibus, et cœli mores exhibent terris. Sed quanto magni estis, quicumque ita magni estis, tanto humiliate vos in omnibus, ut coram Deo inveniatis gratiam, ne superbis resistat, ne se exaltantes humiliet, ne inflatos per (a) angusta non trajiciat: quamquam superflua sit sollicitudo, ne ubi fervet caritas, desit humilitas.

CAPUT LIV. Sponsum toto corde ament.

55. Si ergo nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum: vacat vobis, liberum est cor a conjugalibus vinculis. Inspicite pulchritudinem amatoris vestri: cogitate æqualem Patri, subditum et matri; etiam in cœlis dominantem, et in terris servientem; creantem omnia, creatum inter omnia. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quam pulchrum sit: internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, prætium credentis, commercium redimentis. * Hæc quanti valeant cogitate, hæc in statera caritatis appendite, et quidquid amoris (b) in nuptias vestras impendendum habebatis, illi rependite.

CAPUT LV. Quanta felicitate ac securitate ametur sponsus.

56. Bene quod interiorem vestram pulchritudinem quærit, ubi vobis dedit potestatem filias Dei fieri: non quærit a vobis pulchram carnem, sed pulchros mores, quibus frænetis et carnem: Non est cui de vobis quisquam mentiatur, et faciat sævire zelantem. Videte enim quanta securitate ametis, cui displicere falsis suspicionibus non timetis. Vir et uxor amant se, quoniam vident se; et quod non vident, timent in se: nec certi gaudent ex eo quod in manifesto est, dum in occulto suspicantur plerumque quod non est. Vos in isto quem oculis non videtis, et fide conspicitis, nec habetis verum quod reprehendatis, nec eum metuitis ne de falso forsitan offendatis. Si ergo magnum amorem conjugibus deberetis, eum propter quem conjuges habere noluistis, quantum amare debetis? Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis est fixus in cruce: totum teneat in animo vestro, quidquid noluistis occupari connubio. Parum vobis amare non licet, propter quem non amastis et quod liceret. Sic amantibus mitem et humilem corde nullam vobis superbiam pertimesco.

CAPUT LVI. Conclusio operis.

57. Pro modulo itaque nostro et de sanctitate qua sanctimoniales proprie dicimini, et de humilitate qua conservatur quidquid magnum dicimini, satis locuti sumus. Dignius autem illi tres pueri, quibus refrigerium in igne præbebat, quem corde ferventissimo diligebant, vos de hoc opusculo nostro, verborum quidem numero longe brevius, sed pondere auctoritatis multo grandius, in Hymno, quo ab eis Deus honoratur, admoneant. Nam sanctitati humilitatem in Dei laudatoribus conjungentes, apertissime docuerunt, ut tanto quisque caveat ne superbia decipiatur, quanto sanctius aliquid profitetur. Proinde vos quoque laudate eum, qui vobis præstat, ut in ardore medio sæculi hujus, quamvis conjugio non copulemini, non tamen uramini, et orantes etiam pro nobis, *Benedicite sancti et humiles corde Dominum, hymnum dicite et superexaltate eum in sæcula.* Dan. 3. 57.

(a) Sola editio Lov. *per angustam portam.*

(b) Sic MSS. At editi *nuptiis vestris*, omisso *in*.

ADMONITIO

IN OPUSCULUM DE BONO VIDUITATIS.

Desiderius Erasmus nititur adimere hoc Opusculum Augustino, et adversario ipsius Juliano dare. Quæ affert in Juliani gratiam argumenta, piget refellere. Contra Augustinum nihil fere obtendit nisi dictionis facilitatem: sed hæc ipsa facilitas dictionis clamitat Opus esse Augustini. Jacobus Pamelius in Notis ad Tertulliani librum contra Hermogenem cap. 1. n. 7. id operis citans hisce verbis, *Auctor Opusculi de Bono Viduitatis inter lucubrationes D. Augustini*, significat putare se illud minime ab Augustino confectum. Pro qua opinione Lindanus in Panoplia lib. 4. cap. 98. argumentum existimat non leve sibi suppetere ex Concilii Carthaginensis quarti cui subscripsisse Augustinus legitur, canone 104. quo statutum est, ut viduæ quæ se Domino devoverant suscepto religioso habitu, si ad nuptias sæculares sive secundas postea transierint, *sine Christianorum communione maneant, et crimine adulterii notentur*. Nempe contra, subsequentis libri auctor cap. 10. et 11. eos redarguit qui putant *lapsarum a sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia, sed adulteria, et eas volunt a maritis separatas reddere continentiæ*. Verum nihil hic Augustinus ab illo canone dissentit, qui talium quidem nuptias non patitur censeri adulteria, sed ipsos tamen a proposito sancto lapsus adulteriis pejores dicit. Itaque non prohibet quo minus nubentes post votum aliqua excommunicationis pœna multentur perinde atque adulteræ, dummodo earum nuptiæ, post quam celebratæ sunt, non rescindantur. Nihil aliud adversus lapsarum nuptias præceptum reperitur antiquiorum Conciliorum decretis. In hanc rem celebris est canon sextus-decimus Chalcedonensis Concilii aliquot annis post Augustini obitum sic definientis: *Si qua virgo se dedicaverit Deo, similiter et monachus, non licere eis jungi nuptiis. Si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus vero posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci episcopus*. Cæterum Augustini doctrinæ, quam hic de nuptiis post votum, itemque in lib. de sancta Virginitate cap. 34. et in epist. 220. ad Bonifacium Comitem n. 12. tradit, nonnihil favet Cyprianus in epist. 62. ad Pomponium, Epiphanius in hæresi 61. quæ est Apostolicorum, etc. Neque porro desunt, quibus Concilium supra laudatum Carthaginense, quod in codice canonum Ecclesiæ Africanæ cum cæteris Carthaginensibus ejus temporis Conciliis non exstat, dubiæ fidei videatur. Concilio Augustinus, quamvis id anno habitum consignetur 398. quo ille tempore juvenis et recens erat episcopus, subscripsit secundus ab Aurelio. Hinc forte errandi occasio data Lindano, qui subscripsisse Augustinum senem affirmat.

Subsequentis Opuscoli mentionem in Retractationum libris non fecit Augustinus, qui epistolæ forma conscriptum est. Id propterea Possidius cap. 7.

inter epistolas recenset hoc titulo: *Julianæ de sancta Viduitate*. Citat et ferre totum transcribit Florus seu Beda vulgatus ad 1. Cor. 2. et 7. ad Philiph. 4. et ad 1. Tim. 5. Augustinum refert inscriptio Epistolæ in omnibus antiquis codicibus præfixa, et se ipse ostendit cap. 15. commemorans libris a se editos de Bono Conjugali, de sancta Virginitate, et adversus Faustum, necnon cap. 23. epistolam Probæ scriptam de orando Deo. Pertinet Viduitatis liber ad annum circiter 414. scriptus videlicet post Demetriadis virginis consecrationem, laudatam hic cap. 19. tamquam recentem, *quod modo cœpit*: hanc sub finem anni 413. factam observavimus Tom. 2. ad epistolam 150. Probæ et Julianæ directam. In capite 17. a Pelagianorum errore, quem *serpere cœpisse* dicit, tacito eorum nomine, cavere jubet. De hac ipsa forte admonitione Juliana gratias agit Augustino litteris citatis in epistola 188. ad eamdem Julianam missa, ubi ejus hæc verba refert Augustinus: *Sane quod me hortatur Reverentia vestra, ne aures indulgeam his hominibus, qui pravis tractibus venerandam fidem sæpe corrumpunt, gratias uberes ago tam piæ admonitioni.*



SANCTI
AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE BONO VIDUITATIS
LIBER SEU EPISTOLA *
AD JULIANAM VIDUAM.

* Scripta forte circa annum 414.

Viduas hic docet et exhortatur. Primum docendo probat sanctæ Viduitatis professionem nuptiis anteponendam; nuptias tamen secundas, immo et tertias et quaslibet licitas esse, nec umquam malas: et nubentes quidem post votum viduas sive virgines merito damnari, ipsas autem earum nuptias nec haberi pro adulteriis, nec dirimi oportere. Merita viduarum ex ipso robore continentiæ ac pietatis pensari vult, ideoque biviram univiræ viduæ aliquando jure præferri demonstrat. Postea exhortando monet Julianam, ut in primis continentiam suam beneficio Dei tribuat, caveatque ab *sermunculis, qui serpere cœperunt*, hominum quorumdam inimicorum gratiæ Christi. Jubet ut suum omne studium cum filia virgine et cum socru vidua impendat ad placendum Deo: delicias spiritales habeant carnalium deliciarum loco; ac famam denique suam custodire non negligant.

a *AUGUSTINUS Episcopus, servus (a) Christi, servorumque Christi, religiosæ famulæ Dei JULIANÆ in Domino dominorum salutem.*

CAPUT I. Rogatus a Juliana scribit de professione viduitatis.

NE petitioni tuæ (b) et in Christo dilectioni diutius essem debitor promissionis meæ, arripui utcumque inter alias urgentissimas occupationes meas de professione sanctæ Viduitatis aliquid ad te scribere: quoniam et præsentem me rogando (c) onerasti, et cum tibi hoc non potuissem negare, sæpe meum promissum litteris flagitasti. In quo sane opere nostro cum aliqua legeris ad tuam vel ad vestram, quæ simul Christo vivitis, personam minime pertinere, nec admonitioni vitæ vestræ proprie necessaria, non ideo debetis superflua judicare. Istæ quippe litteræ quamvis ad te, non tamen tantummodo tibi scribendæ fuerunt: sed ut aliis per te quoque prodessent, non utique a nobis negligendum fuit. Quidquid ergo hic inveneris, quod vobis necessarium vel numquam fuerit, vel jam non sit, et tamen aliis esse perspexeris, nec habere te pigeat, nec dare legendum; ut et tua caritas sit utilitas aliorum.

Apostoli de hac re doctrinam exponet.

2. CUM igitur in omni quæstione quæ ad vitam moresque pertinet, non sola doctrina, verum etiam exhortatio sit necessaria; ut doctrina quid agendum sit noverimus, exhortatione autem excitemur, ne pigeat agere quod agendum

A esse jam novimus: quid ego amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, *ne audeamus sapere plus quam oportet sapere; sed sapiamus*, ut ipse ait, *ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei*. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi doctoris exponere, et de iis quod Dominus dederit disputare. Rom. 12. 3.

CAPUT II. Innuptæ apud Apostolum non solæ virgines, sed etiam viduæ.

3. AIT itaque Apostolus, doctor gentium, vas electionis: *Dico autem innuptis et viduis, bonum esse illis, si sic permanserint, sicut et ego*. Hæc

B verba ita intelligenda sunt, ut non existimemus viduas non oportere innuptas dici, quia nuptias videntur expertæ: innuptarum enim nomine illas significat, quæ non sunt nuptiis alligatæ, sive fuerint, sive non fuerint. Quod alio loco aperit, ubi ait; *Divisa est mulier innupta et virgo*. Quando utique et virginem adjungit, quid mulierem innuptam, nisi viduam vult intelligi? Unde etiam deinceps uno innuptæ nomine professionem utramque complectitur dicens: *Quæ innupta est, sollicita est ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, quæ autem nupta est, sollicita est ea quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*. Innuptam certe non eam tan- 1. Cor. 7. 8. Ibidem 34. Ibidem

C tum intelligi voluit, quæ numquam nupsit; sed etiam eam quæ nuptiarum vinculo per viduitatem liberata, nupta esse destitit: nam ideo et nu-

(a) Sic Er. et nonnulli MSS. At Lov. *Servus servorum Christi*. Vetustissimus Corbejensis codex, *servus Christi, servorum Christi*.

(b) Cisterciensis MS. *tuæ in Christo dilectionis*.

(c) Sic MSS. Editi autem, *honorasti*.

ptam non dicit, nisi eam quæ virum habet; non etiam eam quæ habuit, et non habet. Quapropter vidua omnis innupta est: sed quia non omnis innupta vidua est, sunt enim et virgines, ideo hic utrumque posuit, ubi ait, *Dico autem innuptis et viduis*: tamquam diceret, Quod dico innuptis, non eis solis dico quæ virgines sunt, sed etiam eis quæ viduæ sunt: *bonum esse illis, si sic permanserint, sicut et ego*.

CAPUT III. Bonum vidualitatis majus quam conjugii, quod tamen vere bonum.

4. Ecce est bonum tuum ei bono comparatum, quod dicit Apostolus suum, si fides adest, immo quia fides adest. Brevis est ista doctrina, nec ideo contemnenda, quia brevis: sed ideo facilius et carius tenenda, quia in brevitate non vilis. Non enim qualecumque bonum hic commendaret Apostolus, quod fidei nuptarum sine ulla ambiguitate præposuit. Quantum autem bonum habeat nuptarum fides, id est, Christianarum et religiosarum conjugatarum, hinc intelligi potest, quod cum de fugienda fornicatione præciperet, ubi utique et conjugatos alloquebatur, *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi?*

1. Cor. 6. 19.

Tantum ergo bonum est fidelis conjugii, ut etiam ipsa membra sint Christi. Hoc autem bono (a) quoniam melius est bonum continentiæ vidualis, non hac professione id agitur, ut aliquid plus sit catholica vidua quam membrum Christi; sed ut meliorem quam conjugata locum habeat inter membra Christi. Dicit quippe idem Apostolus:

Rom. 12. 4. etc.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; habentes dona diversa secundum gratiam quæ data est nobis.

Conjugii fides, et alia ejus bona, licet viduitate minora.

5. Ideo etiam cum moneret conjugatos, ne debito carnalis commixtionis fraudarent invicem; et per hoc alter eorum negato sibi debito conjugali, per intemperantiam suam tentatus a satana, in fornicationem prolaberetur:

1. Cor. 7. 6. et 7.

Hoc autem dico, inquit, *secundum veniam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines (b) esse sicut me ipsum. Sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius quidem sic, alius vero sic.*

* CAPUT IV.

* Vides etiam conjugalem pudicitiam et thori Christiani matrimonialem fidem donum esse, et hoc a Deo: ut illud quod ultra liberorum procreandorum necessitatem modum concumbendi aliquatenus concupiscentia carnalis excedit, non nuptiarum sit hoc malum, sed veniale sit propter nuptiarum bonum. Non enim de conjugio, quod copulatur liberorum procreandorum caussa, et fide pudicitiæ conjugalis, et indissolubili, quamdiu ambo vivunt, matrimonii sacramento, quæ omnia bona sunt; sed de illo immodico carnis usu, qui in infirmitate conjugum agnoscitur, et interventu boni nuptialis ignoscitur, ait Apostolus, *Secundum veniam dico, non secundum imperium*. Item cum dicit,

1. Cor. 7. 39.

Mulier alligata est (c), quamdiu vir ejus vivit; quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: satis ostendit beatam esse in Domino etiam post mortem viri iterum nubentem fidelem, sed in eodem Domino viduam beatiorem: hoc est, ut Scripturarum non tantum verbis, verum etiam exemplis loquar, beatam esse Ruth, sed Annam beatiorem.

Vidualitatis professione non damnari secundas nuptias.

6. Quapropter hoc primum oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari. Nam sicut bonum sanctæ virginitatis, quod elegit * filia tua, non damnat unas nuptias tuas; sic nec viduitas tua cujusquam secundas.

*Demetrias.

Cataphrigarum et Novatianorum error a Tertulliano propalatus.

Hinc enim maxime Cataphrygarum ac Novatianorum hæreses tumuerunt, quas buccis sonantibus, non sapientibus, etiam Tertullianus inflavit, dum secundas nuptias tamquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit. Ab hac sanitate doctrinæ, nullius indocti, nullius docti disputatione movearis: nec ita extollas bonum tuum, ut quod malum non est, tamquam malum crimineris alienum: sed tanto magis gaude de tuo bono, quanto magis vides, non tantum illo devitari mala, sed quædam bona etiam superari. Mala sunt enim adulterium vel fornicatio.

* CAPUT V.

* Ab his autem illicitis valde longe est, quæ voti libertate se obstrinxit, et sibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, sed consilio caritatis effecit. Et bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni submissione honoratur: non illud bonum melioris hujus laude damnatur.

Honestum dici vidualitatis bonum quia honestius, non ut turpe putetur conjugium.

7. Quod autem Apostolus, cum cælibum et innuptarum commendaret fructum, quia cogitant quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo, subjecit et ait,

1. Cor. 7. 35.

Hoc autem ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, id est, non ut vos cogam; *sed ad id quod honestum est*: non quia innuptarum bonum honestum dixit, ideo putare debemus turpe esse vinculum conjugale: alioquin etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cataphryges, nec Novatiani, nec disertissimus eorum adstipulator Tertullianus turpes ausus est dicere. Sed quemadmodum cum ait,

Ibidem 8.

Dico autem innuptis et viduis, bonum esse illis si sic permanserint: utique bonum posuit pro meliore, quoniam omne quod bono comparatum melius dicitur, etiam hoc procul dubio bonum est; nam quid est aliud quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est? nec ideo consequenter eum sensisse arbitramur, malum esse si nupserint, quoniam dixit, *bonum esse illis si sic permanserint*: ita etiam cum ait, *sed ad id quod honestum est*; non matrimonium turpe esse monstravit, sed quod honesto erat honestius generalis honesti nomine commmendavit. Quis honestius quid est, nisi quod magis honestum est? Magis autem honestum utique honestum est. Aperte quippe

(a) Editi, quo. Melius MSS. quoniam.
(b) In editis omissum erat homines, quod in MSS habetur.
(c) Non additur, lege: vox ex Rom. 7. 2 petita, quæ hoc loco nunc in Vulgata legitur, sed abest a Bibliis scriptis Corb. et Germ.

declaravit, hoc esse bono illo melius, ubi ait, A

Ibidem 38. *Qui dat nuptum, bene facit; et qui non dat nu-*

Ibidem 40. *ptum, melius facit:* et hoc illo beato beatius, ubi ait, *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Sicut ergo bono melius et beato beatius, sic honesto honestius est, quod honestum voluit appellare. Absit enim ut turpe sit unde loquens apostolus

1. Petri 3.7. Petrus ait, *Viri uxoribus vestris tamquam vasi infirmiori et subjecto tribuite honorem, quasi coheredibus gratiæ.* Et illis alloquens, subditas esse viris suis exemplo Saræ adhortatur: *Nam*

Ibidem 5. et 6. *sic quædam,* inquit, *sanctæ mulieres, quæ in Deum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis: quomodo Sara obediebat Abrahæ, dominum illum vocans, cujus factæ estis filiæ benefacientes et non timentes ullam perturbationem.*

CAPUT VI.

1. Cor. 7.34. Nuptas etiam corpore sanctas esse licet minus quam innuptas.

8. Unde et illud quod de innupta Paulus apostolus dixit, *Ut sit sancta et corpore et spiritu,* B non sic accipiendum est, quasi nupta fidelis et casta, et secundum Scripturas subdita viro, non sit sancta corpore, sed tantummodo spiritu. Fieri enim non potest, ut sanctificato spiritu, non sit sanctum etiam corpus, quo sanctificatus utitur spiritus. Sed ne cuiquam nos potius argumentari, quam hoc divino eloquio probare videamur; quoniam Petrus Saram commemorans, *San-*

1. Petri 3.5. *ctæ,* inquit, *mulieres* tantummodo; non ait, *et corpore:* illud ejusdem Pauli consideremus, ubi

1. Cor. 6. 15. prohibens fornicationes ait, *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Audeat ergo aliquis dicere membra Christi sancta non esse: aut vero audeat a membris Chri- C sti fidelium conjugatarum corpora separare.

Ibidem 19. et 20. Unde etiam paulo post ait, *Corpus vestrum templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis a Deo: et non estis vestri; empti enim estis pretio magno.* Corpus fidelium et membra Christi esse dixit, et templum Spiritus sancti, ubi profecto utriusque sexus fideles intelliguntur. Ibi ergo sunt nuptæ, ibi et innuptæ; sed distinctæ meritis, et tamquam membris membra prælata, quorum tamen neutra sint a corpore separata. Quod igitur de innupta loquens ait, *Ut sit sancta et corpore et spiritu:* ampliorem innuptarum et in corpore et in spiritu sanctificationem intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione privavit.

Bonum viduitatis non minuitur laudato bono conjugii, sed augetur.

9. Disce itaque bonum tuum, immo memento D quod didicisti, bonum tuum plus laudari, quia est aliud bonum quo sit hoc melius, quam si aliter hoc bonum esse non posset, nisi illud malum esset, aut omnino non esset. Haberent oculi in corpore magnum honorem, sed minorem haberent, si soli essent et alia minoris honoris

1. Cor. 15. 41. membra non essent. In cœlo ipse sua luce sol lunam superat, non vituperat: et stella stella differt in gloria, non dissidet in superbia. Ideo

Gen. 1. 31. *fecit Deus omnia, et ecce bona valde:* non tantum bona, sed etiam valde; non ob aliud, nisi quia omnia. Nam et per singula opera diceba- A tur, *Vidit Deus quia bonum est.* Ubi autem omnia

Ibidem 10. nominata sunt, additum est *valde:* et dictum est, *Vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde.* Meliora enim quædam singula quam alia singula: sed meliora simul omnia quam quælibet singula. Christi itaque doctrina sana in ejus corpore sanam te faciat per ejus gratiam, ut id quod aliis melius habes in corpore et spiritu, idem ipse spiritus tuus qui corpori dominatur, nec extollat insolenter, nec discernat inscienter.

An beatior Anna vidua, quam Ruth bis nupta.

10. Nec quia dixi Ruth beatam, Annam beatiorem, cum illa bis nupserit, hæc uno viro cito viduata diu vixerit, continuo etiam te meliorem putes esse quam Ruth. Aliis quippe propheticis temporibus sanctarum fœminarum dispensatio fuit,

* CAPUT VII. Sanctæ fœminæ tempore Legis non concupiscentia, sed obedientia compellente nubebant. 1. Cor. 10. 11

quas nubere obedientia, non concupiscentia compellebat, ut propagaretur populus Dei, in quo B præmitterentur Prophetæ Christi: cum et ipse populus per ea quæ in figura contingebant in illis, sive in iis qui scirent, sive in iis qui illa nescirent, nihil aliud esset quam propheta Christi, ex quo nasceretur etiam caro Christi. Ut ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis sententiam qui non suscitaret semen in Is-

Deut. 25 rael. Unde et sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, sed pietate pariendi; ut rectissime credantur coitum non fuisse quæsituræ, si proles posset aliter provenire. Et viris usus plurimarum vivarum concedebatur uxorum: cujus rei non concupiscentiam carnis, sed providentiam generationis fuisse caussam illud ostendit, quod sicut viris sanctis habere C plures uxores vivas, non ita etiam sanctis fœminis licebat misceri maritis pluribus vivis: quoniam tanto essent turpiores, quanto magis appeterent unde non essent fœcundiores. Proinde sancta Ruth, cum semen quale illo tempore necessarium fuit in Israel non haberet, mortuo viro quæsivit alterum de quo haberet. Hac itaque bis conjugata ideo Anna (a) univira vidua a beatior fuit, quia et prophetissa Christi esse meruit: quam credendum est, etiamsi filios nullos habuit, quod quidem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo Spiritu prævidisse Christum ex virgine proxime esse venturum, quo potuit agnoscere et parvulum: unde merito etiam sine filiis, si tamen eos non habuit, secundas nuptias recusavit; quia noverat jam tempus esse, quo D Christo non officio pariendi, sed studio continendi, nec conjugalibus fœtandis visceribus, sed (b) castificandis vidualibus moribus, melius b serviretur. Si vero etiam sciebat Ruth per suam carnem propagari semen, unde Christus carnem fuerat habiturus, et huic scientiæ nubendo exhibuit ministerium, non audeo jam dicere beatiorem fuisse Annæ viduitatem quam illius fœcunditatem.

CAPUT VIII. Nuptiæ et secundæ et primæ hoc tempore, ni-

11. Tu autem quæ et filios habes, et in eo sæculi fine vivis, quo jam tempus est non mittendi lapides, sed colligendi; non amplectendi, sed continendi ab amplexu; cum clamet Apostolus,

(a) Sic Er. et potiores MSS. At Lov. uno viro viduata.

(b) Nonnulli MSS. *castigandis.*

Si incontinentia sit impedimento, contemnendæ.

Hoc autem dico, fratres, tempus breve est, reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: profecto si secundas nuptias appetisses, nullum prophetiæ vel legis obsequium, (Eccli 3. 5.) nullum prolis saltem carnale desiderium, sed solius incontinentiæ fuisset indicium. Fecisses (1. Cor. 7.29.) enim quod ait Apostolus, cum dixisset, *bonum* (Ibid. 8, et 9.) *esse illis si sic permanserint, sicut et ego:* continuo quippe addidit, *Quod si se non continent, nubant: malo enim eas nubere quam uri.* Hoc enim dixit, ut effrenatæ libidinis malum non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cum exciperetur honestate nuptiarum. Gratias autem Domino, quoniam peperisti quod esse noluisti, et virginitas prolis tuæ compensavit dispendium virginitatis tuæ. Nam diligenter interrogata doctrina Christiana, et primas nuptias jam isto B tempore, nisi incontinentia sit impedimento, contemnendas esse respondet. Qui enim dixit, *Si se non continent, nubant:* potuit dicere, Si a filios non habent, nubant; (*a*) si post resurrectionem prædicationemque Christi, quando jam omnibus gentibus filiorum spiritaliter gignendorum tanta suppetit copia, tale officium esset ex carne filios propagare, quale primis temporibus (1. Tim 5. 14.) fuit. Et quod alibi dicit, *Volo igitur juniores nubere, filios procreare, matres familias esse:* nuptiarum bonum apostolica sobrietate et auctoritate commendat; non procreandi officium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tamquam ad obsequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cum adjungit et dicit, *Nul-* (Ibid. et v. 15.) *lam occasionem dare adversario maledicti gratia; jam enim quædam conversæ sunt retro post satanam:* ut his verbis ejus intelligamus, eas quas nubere voluit, melius potuisse continere quam nubere; sed melius nubere quam retro post satanam ire, id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo, cadere et interire. Proinde quæ se non continent, nubant, ante quam continentiam profiteantur, ante quam Deo voveant: quod nisi reddant, jure damnantur. Alio quippe (Ibidem 11. et 12.) loco de talibus dicit, *Cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt:* b id est, (*b*) voluntatem ad nuptias a proposito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, qua prius voverant, quod perseverantia D implere noluerunt. Nuptiarum igitur bonum semper est quidem bonum, sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium; nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus: etiam ipsum tamen laudabilius transcendit et vincit cælestia cogitans animus Christianus.

Nuptiæ olim legis obsequium, nunc infirmitatis remedium, et humanitatis solatium.

CAPUT IX. Matth. 19. 11. Nubere post continentiæ votum, damnabile est: non tamen damnandæ tales nuptiæ.

A 12. Sed quoniam, sicut ait Dominus, *Non omnes capiunt verbum hoc:* quæ potest ergo capere, capiat; et quæ se non continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet; quæ aggressa est, perseveret: nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur: sed in viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua expetita et electa et (*c*) voti debito oblata, jam c non solum (*d*) capessere nuptias, sed etiamsi non d nubatur, nubere velle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait, *Cum in* (1. Tim. 5. 11. et 12.) *deliciis egerint, in Christo* nubunt; sed, *nubere volunt: habentes,* inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt:* etsi non nubendo, tantum volendo: non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore: postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod ut breviter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post amplioris sanctitatis propositum nubunt; (non quia non damnantur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur:) sed cum dixisset, *nubere volunt;* continuo addidit, *habentes damnationem.* Et dixit quare, *quoniam priorem fidem irritam fecerunt:* ut voluntatem quæ a proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive subsequantur nuptiæ, sive desint.

CAPUT X. In eos qui lapsarum a sancto proposito nuptias adulteria esse dicunt.

C 13. Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant: fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere quæ Christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes, Si viro suo vivo quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in (Matth. 19. 9.) Evangelio definivit; vivo ergo Christo, cui mors (Rom. 6. 9.) ultra non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acute quidem moventur; sed parum adtendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cum enim laudabiliter etiam vivente viro et ejus consensu continentiam fœmina Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente marito nubit. Deinde cum primæ nuptiæ melioris sint meriti quam secundæ, absit ut sanctarum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur quasi secunda maritus. Ipsum enim habebant et antea, quando viris suis fideliter serviebant subditæ, non carnaliter, sed spiritaliter virum: cui Ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjux est; quæ fidei, spei, caritatis inte-

(a) Sic MSS. Editi vero, *sed post resurrectionem:* et paulo post, *tale officium cesset.*

(b) Plures MSS. *voluntate ad nuptias a proposito continentiæ defluxerunt.*

(c) Aliquot MSS. *et voti debito oblato.* Beda seu Florus in Paulum, *et voto devoto oblata.*

(d) Editi, *non capessere.* Abest *non* a MSS. et a Beda seu Floro.

gritate, non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis et conjugatis fidelibus, tota virgo est. Universæ quippe Ecclesiæ, cujus illa omnia membra sunt, Apostolus dicit, *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Novit autem ille conjugem virginem sine corruptione fœtare, quem in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores quasi adulteræ sint, non uxores; et cum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros (a) veros, cum suis uxoribus vivis alteras duxerint.

Ecclesia tota virgo. 2. Cor. 11. 2.

CAPUT XI.

Lapsus a sancto proposito malus, nuptiæ tamen lapsarum bonæ.

14. Quapropter non possum quidem dicere, a proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non conjugia: sed plane non dubitaverim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cum membrum ejus fidem non servat marito; quanto gravius offenditur, cum illi ipsi non servatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cum enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit; tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi necessitatem. Hæc ideo disputo, ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, (b) vel quascumque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse. Non itaque illas abs te damnatas velis esse, sed spretas. Bonum ergo continentiæ vidualis luculentius decet, eum pro illo vovendo et profitendo possunt contemnere fœminæ quod et libet et licet. Sed post voti professionem perseveranter frænandum et vincendum est quod libet, quia jam non licet.

CAPUT XII.

Nullas quotaslibet nuptias damnandas esse.

15. De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitas hujus responsionis meæ forte displiceat, uberius disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim affert aliquam rationem, quare secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur. Nam ego, sicut in exordio sermonis hujus admonui, non audeo plus sapere quam oportet sapere. Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim, *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit*. Non dixit, primus, aut secundus, aut tertius, aut (c) quartus: sed, *Mulier*, inquit, *alligata est, quamdiu vir ejus vivit: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit*. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro. Deinde ipsum quoque Apostolorum ac nostrum Magistrum et Dominum audio Sadducæis respondentem, cum proposuissent mulierem non univiram vel biviram, sed, si dici potest, septiviram, in resurrectione cujus futura esset uxor. Increpans enim eos, ait, *Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent: non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei*. Eorum itaque resurrectionem commemoravit, qui resurgent ad vitam, non qui resurgent ad pœnam. Potuit ergo dicere, Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; in illa enim resurrectione multinuptæ istæ esse non poterunt: deinde addere, quia nec aliqua ibi nubit. Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum mulierem ulla suæ sententiæ significatione damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis nubat fœmina; nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ auctoritatem (d) quotaslibet nuptias audeo condemnare. Quod autem dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ: Beatior eris, si sic permanseris.

Rom. 12. 3. — 1. Cor. 7. 39. — Matth. 22. 29. et 30.

CAPUT XIII.

Viduam biviram aliquando esse præferendam univiræ.

16. Nam et illud non insipienter proponi solet, ut dicat qui potest, quænam vidua meritis præferenda sit, utrum univira, quæ cum vixisset, diutius cum marito, filiis procreatis salvisque viduata, continentiam professa est; an ea quæ adolescentula intra duos annos amissis duobus viris, nullis ad consolationem ex tantibus liberis, continentiam Deo vovit, et in ea perseverantissima sanctitate consenuit? Hic se exerceant, si possunt, disputando, et nobis aliquid demonstrando, qui de numero virorum, non de ipsius continentiæ viribus pensant merita viduarum. Si enim dixerint, illi biviræ illam univiram esse præferendam, nisi attulerint specialem aliquam rationem vel auctoritatem, profecto invenientur virtuti animi non majorem virtutem animi, sed carnis felicitatem anteponere. Ad felicitatem quippe carnis pertinuit, et diu cum viro vivere, et filios procreare. Sed si non eam ob hoc præponunt, quia filios habuit; idipsum certe quod diu cum viro vixit, quid aliud quam carnis felicitas fuit? Meritum porro Annæ illius eo maxime commendatur, quia cum tam cito extulisset virum, per prolixam ætatem suam diu cum carne conflixit, et vicit. Sic enim scriptum est: *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua, et hæc vidua usque ad annos octoginta-quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die*. Vides quemadmodum sancta vidua non solum eo prædicatur quod univira fuerit, verum etiam quod paucos annos cum marito vixerit a virginitate sua, et vidualis continentiæ munus usque ad tantam senectutem tanta pietatis servitute perduxerit.

Viduarum merita ex ipsius continentiæ viribus pensanda. — Lucæ 2. 36.

(a) Er. et plerique MSS. viros.
(b) Hæc verba, vel quascumque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse, absunt a plerisque MSS.
(c) Libri quidam, aut quotuslibet.
(d) Sic MSS. At editi, quantaslibet.

CAPUT XIV. Comparatio alia inter triplices viduas.

17. CONSTITUAMUS igitur ante oculos nostros viduas tres, habentes singula eorum quæ huic inerant omnia: unam ponamus univiram, cui desit et tanta prolixitas viduitatis, quod diu cum marito vixerit, et tantum studium pietatis, quod non ita jejuniis et obsecrationibus serviat: alteram, quæ post prioris mariti brevissimam vitam, etiam secundum cito amiserit, et diuturna ætate sit vidua, sed etiam ipsa non tantam det operam jejuniorum et obsecrationum religiosissimæ servituti: tertiam, quæ non solum duos viros habuerit, sed etiam cum ambobus singillatim, vel cum aliquo eorum diutius vixerit, et posteriore ætate viduata, in qua quidem si nubere voluisset, posset et filios procreare, susceperit continentiam vidualem; sed plus intenta in Deum, plus sit sollicita quæ illi placeant actitare, die ac nocte sicut Anna jejuniis et obsecrationibus serviens. Si contendatur quænam istarum sit meritis potior, quis non videat in hoc certamine palmam dandam esse majori ferventiorique pietati? Ita et si tres aliæ constituantur, quibus (a) illorum trium bina insint, singula desint: quis dubitet eas meliores fore, quibus præpollentius fuerit in suis bonis duobus pia humilitas, ut alta sit pietas?

Julianæ viduæ tria exoptat quæ Annæ fuerunt bona.

18. NULLA quidem istarum sex viduarum tuæ normæ adæquatur. Tu enim si hoc votum ad senectutem usque perduxeris, omnia tria potes habere, quibus Annæ meritum excelluit. Nam et unum virum habuisti, et non diu tecum vixit in carne: ac per hoc si exhibueris obedientiam verbis Apostoli dicentis, *Quæ autem vere vidua est et desolata, (b) speravit in Dominum, et persistit in orationibus nocte ac die*; atque illud quod sequitur sobria vigilantia devitaveris, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est*: omnia illa tria bona quæ Annæ fuerunt, et tua erunt. Tibi autem sunt et filii, quos forte illa non habuit: nec ideo laudanda es, quia eos habes, sed quia pie nutrire atque educare studes. Ut enim tibi nascerentur, fœcunditatis; ut vivant, felicitatis est: ut autem sic instituantur, voluntatis et potestatis. In illis tibi homines gratulentur, in hoc te imitentur. Anna per (c) propheticam scientiam cognovit apud matrem virginem Christum, te Evangelica gratia fecit matrem virginis Christi. Illa itaque sancta (d) virgo, quam Christo volentem et petentem obtulistis, vidualibus aviæ matrisque meritis addidit aliquid de merito virginali. Non enim nihil inde habetis, quæ hanc habetis: et in illa estis, quod in vobis non estis. Nam ut sancta virginitas adimeretur nubentibus vobis, ideo factum est, ut nasceretur ex vobis.

1. Tim. 5. 5.

Ibidem 6.

CAPUT XV. Epilogus superiorum.

19. Hæc itaque de meritis diversis conjugatarum diversarumque viduarum hoc opere non disputarem, si id quod ad te scribo, tibi tantummodo scriberem. Sed quoniam sunt quædam in hoc genere sermonis difficillimæ quæstiones, aliquid amplius quam quod ad te proprie pertinet, dicere volui, propter quosdam qui sibi docti non videntur, nisi alienos labores non judicando conentur discutere, sed lacerando conscindere: deinde ut etiam tu ipsa non solum serves quod vovisti, et in eo bono proficias; verum etiam diligentius firmiusque noveris, idem bonum tuum non a malo nuptiarum distingui, sed bono nuptiarum anteponi. Nam qui viduatarum fœminarum nuptias damnant, etiamsi continentiam suam multarum, quibus tu uteris, rerum abstinentia mirabiliter et ferventer exerceant, non ideo te seducant, ut sentias quod sentiunt, etiamsi facere non possis quod faciunt. Nemo enim vult esse phreneticus, etiamsi videat phrenetici vires viribus sanorum esse fortiores. Præcipue igitur doctrina sana bonitatem propositi et ornet et muniat. Inde est quippe quod catholicæ fœminæ etiam sæpius nuptæ, non solum univiris viduis, sed et virginibus hæreticorum justo judicio præferuntur. Multi sunt quidem de his tribus rebus, conjugii, viduitatis et virginitatis quæstionum sinus, multæ perplexitates: quibus disputando penetrandis vel dissolvendis, et majore cura opus est, et copiosiore sermone; ut vel in omnibus eis recte sapiamus, vel si quid aliter sapimus, id quoque nobis Deus revelet. Verumtamen, quod etiam illic consequenter dicit Apostolus, *In quod pervenimus, in eo ambulemus*. Pervenimus autem, quod ad hanc rem de qua loquimur attinet, ut continentiam conjugio præponamus, sanctam vero virginitatem etiam continentiæ viduali, et ne aliquas nuptias, quæ tamen non adulteria, sed nuptiæ sunt, cujuslibet nostri nostrorumve propositi laude damnemus. Multa alia de istis rebus dicta sunt a nobis in libro (e) de Bono Conjugali, et in alio libro de sancta Virginitate; et in opere quod adversus Faustum Manichæum quanto potuimus labore conscripsimus: quoniam Patriarcharum et Prophetarum casta conjugia mordacissime reprehendendo scriptis suis, quorumdam indoctorum animos a fidei sanitate detorsit.

Philip. 3. 15.

Ibidem 16.

CAPUT XVI. Pars Opusculi secunda pertinens ad exhortationem.

20. PROINDE quoniam in exordio hujus Opusculi duo quædam necessaria proposueram, et exsequenda pollicitus eram; unum quod ad doctrinam, alterum quod ad exhortationem pertinet; et priori parti, ut potui, pro suscepto negotio non defui: ad exhortationem veniamus, ut quod bonum prudenter scitur, etiam diligatur ardenter. Qua in re prius illud moneo, ut quantamcumque tibi inesse sentis piæ continentiæ dilectionem, beneficio Dei tribuas, eique gratias agas, qui de Spiritu suo tibi tantum largitus est, ut ejus in corde tuo caritate diffusa, licitæ rei licentiam tibi amor melioris boni auferret. Donavit enim ne liberet nubere cum liceret, ut jam

Continentiam esse donum.

(a) In MSS. *illarum*.
(b) Sic potiores MSS. juxta Græcum *ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν καὶ προσμένει*. At editi, *sperabit in Dominum, et persistet*.
(c) Editi, *prophetiæ*. Aptius MSS. *propheticam*.
(d) Virgo Demetrias, cujus avia Proba Faltonia, mater Juliana. Ad epistolam Augustini 130. et 150.
(e) Editio Er. sola omittit, *de Bono Conjugali et in alio libro*.

non liceret etiamsi liberet; et ex hoc firmius non liberet, ne fieret quod non liceret, quod factum
a non est etiam cum liceret: (a) tantumque mereraris vidua Christi, ut filiam * quoque videres virginem Christi: dum enim tu oras sicut Anna, facta est illa quod Maria. Hæc dona Dei esse quanto magis nosti, tanto magis es eisdem donis beata: immo aliter non es, nisi quod habes noris a quo habeas. Attende enim quid de hac re Apostolus dixit: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Multi quippe habent multa Dei dona, et nesciendo a quo habent, impia vanitate jactantur. Nemo est autem donis Dei beatus, qui donanti exsistit ingratus. Quia et illud quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id
B valemus, quo jubente admonemur: et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono sursum levati cordis, non nobis gloriam quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur, quia hoc di-
b gnum est, hoc justum (b). Recordaris hæc verba unde sint, intus qua sanctione et quanta sanctitate commendentur agnoscis. Tene igitur et habe quod accepisti, et datori gratias age. Quamvis enim accipere et habere tuum sit, id tamen habes, quod accepisti: quoniam superbienti, et ex eo quod habebat, quasi a se ipso haberet, impie glorianti Veritas per Apostolum dicit, *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

* Demetriadem.
1. Cor. 2. 12.
1. Cor. 4. 7.

CAPUT XVII. Contra Pelagianos, liberum arbitrium sic defendentes, ut negent Dei gratiam.

C 21. Hæc me admonere compellunt cavendi atque devitandi quorumdam sermonculi, qui per aures ad animos multorum serpere cœperunt, quod cum lacrymis dicendum est, inimici gratiæ Christi, per quos suadetur, ut nec oratio nobis ad Dominum necessaria videatur, ne intremus in tentationem. Sic enim conantur defendere hominis liberum arbitrium, ut eo solo, etiam Dei gratia non adjuti, valeamus, quod divinitus jubetur, implere. Ac per hoc sequitur ut frustra Dominus dixerit, *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem*: et frustra quotidie in ipsa Dominica oratione dicamus, *Ne nos inferas in tentationem*. Si enim nostræ tantummodo potestatis est ne tentatione superemur, ut quid oramus ne intremus vel inferamur in eam? Faciamus potius
D quod nostri est liberi arbitrii atque absolutissimæ potestatis; et irrideamus Apostolum dicentem, *Fidelis Deus, qui non vos permittat tentari super id quod potestis*: et resistamus ei dicentes, Ut quid peto a Domino, quod in mea posuit potestate? Sed absit ut hoc sapiat, qui sanum sapit. Proinde petamus ut det quod ut habeamus jubet. Ad hoc enim quod nondum habemus, ju-

Matth. 26. 41.
Matth. 6. 13.
1. Cor. 10. 13.

A bet ut habeamus, ut admoneat quid petamus;
c et (c) cum nos quod jusserit, posse invenerimus, etiam hoc unde acceperimus intelligamus; ne inflati ut elati hujus mundi spiritu, nesciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando Dei gratiam qua ipsum adjuvatur arbitrium, non superbia negamus ingrata, sed grata potius pietate prædicamus. Nostrum enim est velle: sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. Nam si nos non vellemus, nec nos utique acciperemus ea quæ dantur, nec nos haberemus. Quis enim haberet continentiam, ut inter cætera Dei dona ipsam potius loquar, de qua ad te loquor: quis, inquam, habe-
B ret continentiam nisi volens? quia et nemo acciperet nisi volens. Sed a quo detur, ut nostra voluntate accipi et haberi possit, si quæris, attende Scripturam: immo quia nosti, recole quod legisti: *Cum scirem*, inquit, *quia nemo esse potest esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Magna ista sunt duo munera, sapientia et continentia; sapientia scilicet qua in Dei cognitione formamur, continentia vero qua huic sæculo non conformamur. Jubet autem nobis Deus, ut et sapientes et continentes simus, sine quibus bonis justi perfectique esse non possumus. Sed oremus ut det quod jubet adjuvando et inspirando, qui commonuit quid velle debeamus præcipiendo et vocando. Quidquid (d) hinc dedit, ut conservet d
C oremus; quod autem nondum dedit, ut suppleat oremus: tamen oremus et gratias agamus de acceptis; et quod nondum accepimus, eo ipso quod de acceptis ingrati non sumus, nos accepturos esse fidamus. Qui enim dedit conjugatis fidelibus ut contineant ab adulteriis et fornicationibus, ipse dedit sanctis virginibus et viduis ut contineant ab omni concubitu, in qua virtute jam proprie vel integritas vel continentia nominatur. An forte ab illo quidem accepimus continentiam, sed a nobis habemus sapientiam? Quid est ergo quod Jacobus apostolus dicit, *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur illi.* Sed de hac quæstione, et in aliis jam Opusculis nostris, quantum adjuvit Domi-
D nus, multa diximus, et alias quantum per ipsum potuerimus, data opportunitate dicemus.

Sap. 8.
Jacobi 1. 5.

CAPUT XVIII. Exhortationis vires esse ex gratia.

22. Nunc inde aliquid ideo dicere volui, propter quosdam fratres nostros amicissimos ac dilectissimos nobis, nec malitiose quidem errori huic implicatos, sed implicatos tamen; qui putant cum aliquos ad justitiam pietatemque exhortantur, vires non habituram exhortationem

(a) Sic plerique MSS. At Lov. *tantoque merereris, ut te existente vidua Christi, filiam quoque* etc. Vaticani libri, *ut te existente vidua Christi, virgo etiam fieret tua filia Christi.*

(b) Sic plerique MSS. At editi, *hoc justum est recordari.* Paulo post Cisterciensis codex et Florus ad 1. Cor. 2. habent, *inter quas actiones et qua sanctitate.* Corb. antiquissimus, *inter quo sanctione et quanta sanctitate.* Vatic. tres cum totidem Gallicanis, *inter quæ sancti omnes et quanta sanctitate.* Forte legendum, *unde sint, et qua sanctione* etc.

(c) Sic aliquot MSS. Alii vero cum editis, *et quod nos cum jusserit.*

(d) Ita MSS. At editi, *hic dedit.* Et infra, *ut expleat oremus.*

suum, nisi totum illud, quod ut agat homo, agunt cum homine, in hominis constituunt potestate, non adjuta Dei munere, sed solo arbitrio liberæ voluntatis exserta: quasi possit esse ad perficiendum opus bonum voluntas libera, nisi Dei munere liberata. Nec attendunt idipsum etiam se ipsos Dei dono habere, quod ea facultate exhortantur, ut ad capessendam vitam bonam hominum voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent. Sic (a) enim possunt persuadere quæ suadent. Aut si hæc in voluntatibus hominum non agunt, quid agunt? ut quid loquuntur? Dimittant eas potius arbitrio suo. Si autem in eis hæc agunt, itane tandem homo in hominis voluntate tanta agit loquendo, et Deus illic non agit aliquid adjuvando? Immo vero, quantalibet homo sermonis facultate præpolleat, ut sollertia disputandi et suavitate dicendi in hominis voluntate inserat veritatem, nutriat caritatem, docendo tollat errorem, exhortando torporem: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Frustra quippe operarius omnia moliretur extrinsecus, nisi Creator intrinsecus latenter operaretur. Spero ergo has litteras meas merito excellentiæ vestræ cito in manus etiam talium esse venturas: ideo nonnulla hinc dicenda arbitratus sum. Deinde ut tu ipsa et quæcumque aliæ viduæ ista legerint, vel cum leguntur audierint, noveritis vos ad diligendum et habendum continentiæ bonum plus proficere orationibus vestris, quam exhortationibus nostris: quoniam si quid vos adjuvat, quod vobis etiam nostra ministrantur alloquia, totum illius gratiæ tribuendum est, *in cujus manu sunt*, sicut scriptum est, *et nos et sermones nostri.*

1. Cor. 3. 7.

Sap. 7. 16.

CAPUT XIX.

Exhortatur ad viduitatis bonum.

25. Si ergo nondum Deo vovisses continentiam vidualem, exhortaremur profecto ut voveres: quia vero jam vovisti, exhortamur ut perseveres. Talia mihi tamen video esse dicenda, quibus eam diligant et arripiant et quæ adhuc nubere cogitabant. Aurem igitur inclinemus Apostolo: *Quæ innupta est*, inquit, *sollicita est ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu: quæ autem nupta est, sollicita est ea quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Non ait, sollicita est ea quæ sunt mundi, ut sancta non sit: sed certe minor est (b) ea conjugalis sanctitas ex ea parte curarum qua mundana cogitatur voluptas. Quidquid itaque intentionis animi etiam his rebus impenderetur quibus placendum esset viro, colligere quodam modo et redigere debet innupta Christiana in eam intentionem qua placendum est Domino. Et (c) vide cui placeat, quæ Domino placet: et utique tanto est beatior, quanto plus placet ei: quanto autem magis cogitat ea quæ sunt mundi, tanto minus placet. Placete itaque tota intentione specioso forma præ filiis hominum. Ejus enim gratia illi placetis, quæ diffusa est in labiis ejus. Placete illi ea quoque parte cogitationis, quæ occuparetur mundo, ut placeretur viro. Placete illi qui displicuit mundo, ut placentes ei liberarentur ex mundo. Hunc enim speciosum forma præ filiis hominum viderunt homines in cruce passionis, et *non habuit speciem neque decorem, sed facies ejus abjecta et deformis positio ejus.* Ex hac tamen deformitate Redemptoris vestri, manavit pretium decoris vestri, sed decoris interioris. *Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus.* Hac pulchritudine illi placete: hanc pulchritudinem studiosa cura et sollicita cogitatione componite. Non amat ille fallaciarum fucos: veris veritas delectatur: et ille, si quod legisti agnoscis, veritas vocatur. *Ego sum*, inquit, *via, et veritas, et vita.* Currite ad illum per illum: placete illi ex illo; vivite cum illo, in illo, de illo. Affectibus veris et sanctissima castitate a viro tali amate amari.

1. Cor. 7. 34.

Ut tota intentio innuptæ viduæ sit ad placendum Deo.

Psal. 44. 3.

Isai. 53. 3.

Psal. 44. 14.

Johan. 14. 6

24. AUDIAT hæc virginis etiam sanctæ prolis tuæ auris interior. (d) Videro quantum te præcedat in regno Regis illius: alia quæstio est. Invenistis tamen mater et filia, cui contemptis nuptiis, illa omnibus, tu secundis, pulchritudine castitatis simul placere debeatis. Certe si mariti essent quibus placendum esset, jam te fortasse cum filia puderet ornari: nunc non pudeat agere quibus simul ornemini; quia non est criminosum sed potius gloriosum, ut ab illo non simul amemini. Simulatum autem candorem ac ruborem et pigmentis illitum non adhiberetis, etiamsi viros haberetis; non putantes dignos quos falleretis, nec vos quæ fallere deberetis: nunc ergo illi Regi, qui unicæ sponsæ, cujus membra estis, speciem concupivit, veraciter simul placete, simul inhærete; illa integritate virginali, tu continentia viduali, ambæ pulchritudine spiritali. In qua pulchritudine etiam illius avia, * socrus tua, quæ jam certe senuit, est pulchra vobiscum. Vigorem quippe hujus pulchritudinis dum extendit in anteriora caritas, rugam ibi ea non facit annositas. Habetis vobiscum anum sanctam et in domo et in Christo, quam de perseverantia consulatis: quomodo cum illa (e) vel illa tentatione pugnandum sit, quid agendum ut facile superetur, quod munimentum sumendum, ne facile rursus insidietur; et si quid hujusmodi est, docet vos diuturnitate jam certa, amore benevola, pietate sollicita, ætate secura. Tu præcipue, tu consule in talibus eam, quæ experta est quod experta es. Nam proles vestra illud canticum cantat, quod in Apocalypsi nisi virgines cantare non possunt. Pro ambabus tamen vobis sollicitius orat quam pro se ipsa: sed magis pro nepte sollicita est, cui vincendarum tentationum spatium plus restat annorum: te autem videt

Demetriadis virginis aviæque ipsius, periende atque matris vult esse unum studium Deo placendi.

* Proba Demetriadis avia, socrus Julianæ.

Apoc. 14. 4.

(a) Editi, *Si enim non possunt.* Abest non a MSS. qui et loco *Si*, habent *Sic*.

(b) Omnes prope MSS. et Florus, *sed certe minor est divina sanctitas.*

(c) Sic MSS. At editi, *Et videat*,

(d) Editi, *Quæ vero.* At MSS. *Videro*, omisso *Quæ*. Unus Augustinensium codex habet, *Videre*.

(e) Sic MSS. uno excepto Augustinensium, qui habet, *cum illa belluina tentatione.* At editi, *cum illa contra bella tentatoris.*

ævo suo viciniorem, et ejus filiæ matrem, quam si nuptam, quod jam non licet, atque absit, vidisses, puto quod parere cum illa erubuisses. Quantum est ergo quod jam tibi periculosæ restat ætatis, quæ ideo non diceris avia, ut sanctarum cogitationum et operum fœtibus cum filia possis esse fœcunda? Non itaque immerito magis pro illa sollicita est avia, pro qua et tu mater: quia et majus est quod vovit, et totum ei restat quod modo cœpit. Exaudiat Dominus preces ejus, (a) ut sancte obsequamini meritis ejus, quæ carnem * viri tui in juventa peperit, cor filiæ tuæ in senecta parturit. Omnes itaque pariter atque concorditer univiræ unius conjugis, in cujus corpore uno spiritu vivitis, placete moribus, instate orationibus.

a * Olibrii, ex Hieron. epist. 8. ad Demetr.

CAPUT XX. Illecebræ sæculares quæ tam cito deficiunt, contemnendæ. Matth. 10. 22.

25. Præteritus dies non revertitur in futurum, et post hesternum pergit hodiernus, et post hodiernum perrecturus est crastinus: et ecce omnia tempora et temporalia transeunt, ut veniat mansura promissio: et *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Si mundus jam perit, nupta cui parit? Aut corde paritura, et carne non paritura, cur nubit? Si autem adhuc duraturus est mundus, cur non magis amatur per quem factus est mundus? Si jam deficiunt illecebræ sæculares, non est quod Christianus animus cupiditate conquirat: si autem adhuc manebunt, est quod sanctitate contemnat. Horum duorum in altero spes nulla libidinis, in altero major est gloria caritatis. Quot aut quanti sunt ipsi anni, quibus videtur vigere flos carnalis ætatis? Nonnullæ fœminæ nuptias cogitantes et ardenter optantes, dum spernuntur aut differuntur, repente senuerunt, ut eas nubere jam puderet amplius quam liberet. Multæ autem nuptæ recentissima sua conjunctione in longinqua profectis viris suis, reditum eorum exspectando grandævæ factæ sunt, et tamquam cito viduatæ aliquando nec remeantes saltem senes suos anus suscipere meruerunt. Si ergo vel spernentibus vel tardantibus sponsis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiscentia potuit contineri ne stuprum aut adulterium committeretur, cur contineri non potest ne sacrilegium committatur? Si repressa est cum ferveret dilata, cur non opprimitur cum frigueri amputata? Plus enim (b) ardentem ferunt libidinem, quæ non desperant ejusdem libidinis voluptatem. Quæ autem innuptarum castitatem Deo vovent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est. Unde facilius concupiscentia refrænatur, quæ nulla exspectatione succenditur: contra quam tamen nisi oretur, ut superetur, ipsa illicita exoptatur ardentius.

b

CAPUT XXI. Deliciæ spiritales viduis sint loco carnalium.

26. Deliciæ igitur spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri sæculi, et cor sursum: atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, a quo sine ulla dubitatione omne datum optimum et omne donum perfectum, Scriptura teste, descendit. Nam quando pro deliciis nuptarum quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tamquam in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ sequantur mala, cum breviter Apostolus dixerit, viventem mortuam esse viduam, quæ in deliciis vivit? Absit autem a vobis ut divitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, et in cordibus vestris nummus viri amori succedat. Intuentes enim hominum conversationem, sæpe experti sumus, in quibusdam lascivia compressa crevisse avaritiam. Nam sicut in ipsis sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, et tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt qui oculis utuntur; ubi intelligitur ex uno aditu, id est, luminum, repressa intentione sentiendi, (c) eam se in alios sensus promptiorem dignoscendi acumine exserere, tamquam ex altero conetur implere quod negatur in altero: ita etiam sæpe carnalis cupiditas a concumbendi voluptate cohibita, majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, et illinc aversa, huc se impetu ardentiore convertit. In vobis autem amor divitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum; et pius usus rerum quas possidetis, ad spiritales delicias conferatur, ut liberalitas vestra magis ferveat adjuvandis egenis quam ditandis avaris. In thesaurum quippe cœlestem non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adjuvant viduarum. Jejunia quoque ac vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo, et in lege Dei meditando insumantur, in delicias spiritales etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur. Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo quid ametur. Nam in quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. Et vide quam pudendum et dolendum sit, si delectat labor ut fera capiatur, ut cupa et sacculus impleatur, ut pila jaciatur, et non delectat ut Deus adquiratur.

Jacobi 1. 17.

1. Tim. 5. 6.

c

CAPUT XXII. Famæ bonæ cura.

27. In omnibus sane spiritalibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conversatio cauta etiam debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt, sive viri sancti, sive fœminæ, quando reprehensa in aliqua negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non (d) imprudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis quæ casta est displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imi-

d

(a) Probæ notæ MSS. *et sancta*.
(b) Lov. *ardenter* Editi alii cum MSS. *ardentem*.
(c) Sic MSS. At editi, *repressa intentione, sentiendi vim in alios sensus etc.*
(d) Plures MSS. *impudenter*.

tantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, et in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra: et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus, *Providemus*, inquit, *bona, non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus*. Item dicit, *Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*. In quadam etiam exhortatione dicit, *De cætero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque justa, quæcumque casta, quæcumque carissima, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me*. Cernis quemadmodum inter multa quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere, *quæcumque bonæ famæ*; duobusque verbis cuncta concluserit, ubi ait, *si qua virtus, si qua laus*. Ad virtutem namque pertinent quæ antea memoravit bona: fama vero ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus, alio loco dicens, *Mihi autem minimum est, ut a vobis dijudicer, aut ab humano die*. Et alibi, *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*. Et iterum, *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Sed illorum duorum, id est, bonæ vitæ, et bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis et laudis, unum propter se ipsum sapientissime retinebat, alterum propter alios misericordissime providebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra quidquid recte possumus fecerimus, si aliqui de nobis vel mala fingendo, vel male credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, planeque etiam gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen justeque viventibus. Illa enim merces tamquam stipendium est militantium, per arma justitiæ, non solum dextera, verum et sinistra, per gloriam scilicet et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam.

2. Cor. 8. 21. — 1. Cor. 10. 33. — Philip. 4. 8. et 9. — 1. Cor. 4. 3. — Gal. 1. 10. — 2. Cor. 1. 12. — Matth. 5. 12. — 2. Cor. 6. 8.

CAPUT XXIII. Continentes perseverent, et aliis persuadeant continentiam.

28. Agite itaque cursum vestrum, et perseveranter currite, ut comprehendatis; et exemplo vitæ exhortationisque sermone rapite in eumdem cursum vestrum quascumque potueritis. Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum excitatis, frangat querela vanorum, qui dicunt, A Quomodo subsistet genus humanum, si omnes fuerint continentes? Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille sanctorum, quo citius impleto, profecto nec terminus sæculi differetur. Nec illud vos retardet a studio persuadendi aliis bonum vestrum, si dicatur vobis, cum et nuptiæ bonæ sint, quomodo erunt omnia bona in Christi corpore, et majora scilicet et minora, si omnes continentiæ (a) laude atque amore imitentur? Primo quia conando ut omnes sint continentes, tunc erunt vel paucæ. *Neque enim omnes capiunt verbum hoc*. Sed quoniam scriptum est, *Qui potest capere, capiat:* tunc capiunt quæ possunt, si nec illis quæ non capiunt taceatur. Deinde nec timere debemus, ne forte omnes capiant, et aliquid de minoribus bonis, B id est conjugalis (b) vita, Christi desit in corpore. Si enim omnes audierint, et omnes cœperint, intelligere debemus hoc ipsum fuisse prædestinatum, ut conjugalia bona in illorum numero membrorum jam sufficiant, quæ tam multa ex hac vita transierunt. Neque enim nunc, si omnes fuerint continentes, honorem continentium daturi sunt eis qui tricenarium fructum, (c) si in conjugali bono ipse intelligitur, jam dominicis horreis intulerunt. Habebunt ergo illic omnia ista bona suum locum, etiamsi deinceps nulla velit nubere, vel nemo ducere uxorem. Secure itaque instate quibus potestis, ut fiant quod vos estis: et orate vigilanter atque ferventer, ut adjutorio dexteræ Excelsi et abundantia misericordissimæ gratiæ C Domini, et perseveretis in eo quod estis, et proficiatis ad id quod eritis.

Matth. 19. 11. — Matth. 13. 8.

29. Deinde obsecro vos per illum a quo et hoc donum accepistis, et hujus doni præmia speratis, ut me quoque orationibus vestris memineritis inserere cum tota domestica vestra Ecclesia. Ordinatissime quippe provenit, ut matri vestræ jam grandævæ de oratione epistolam scriberem; ad ipsam quippe maxime pertinet orando concertare pro vobis, quæ de se minus sollicita est quam de vobis: et ut ad te potius quam ad illam hoc de continentia viduali opusculum facerem; quia tibi superare adhuc restat, quod jam ætas illius superavit. Virgo autem sancta proles vestra, si aliquid de sua professione desiderat ex laboribus nostris, habet grandem librum D de sancta virginitate, quem legat. De quo legendo etiam te commonueram, quoniam multa continet utrique necessaria castitati, hoc est, virginali atque viduali, quæ hic propterea partim tenuiter adtigi, partim omnino prætermisi, quia ibi copiosius disputavi. Perseveres in gratia Christi.

Conclusio. — Epistola 130. ad Probam. — Liber de sancta Virginitate.

(a) Sic MSS. At editi, *laudem atque amorem*.
(b) Er. et plures MSS. *vitæ*.

(c) Ita MSS. At editi, *qui conjugali bono inesse intelligitur*.

CONTENTA

IN TOMO UNDECIMO

*

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS

RECOGNITA SUNT OPUSCULA

TOMI UNDECIMI

NECNON VARIANTES LECTIONES QUÆDAM INTER OMISSAS SELECTÆ

*Quæ asteriscum * habent, videntur referenda in textum*

DE TRINITATE

LIBRI XV.

Recogniti diligenter et correcti sunt ad Gallicanos triginta MSS. Turonensem Ecclesiæ S. Gatiani, Carnotenses abbatiæ S. Petri duos, Andegavensem abbatiæ S. Albini, Laudunenses duos, majoris Ecclesiæ scilicet ac Vincentianæ, Remenses tres, unum cathedralis, alios duos Remigianæ Ecclesiæ, ad Theodericensem, Benignianum, Floriacensem, Vindocinensem, Michaelinum, Pratellensem, Beccensem, Lyrensem, Germanensem, Cisterciensem, Bigotianum, Collegii Navarræi tres, Sorbonici quinque, Dominicanorum majoris conventus Parisiensis unum, Augustinensium majoris conventus unum; ad undecim Vaticanos; ad varias lectiones Belgicorum quinque apud Lov. tandem ad editiones Amerbachii, Erasmi, et Lovaniensium.

Pag. 25. C. Editi, *Ex ista sententia* cognoscas *dixisse*. Abest *cognoscas* a Mss.
30. D. Editi, *neque sine Spiritu* sancto. Mss. *suo*.
37. A. Editi, *sed circumstantia* locutionis Mss. *lectionis*.
40. A. Plerique Mss. *duos autem* illos *Angelos ejus*.
45. D. Editi post *in Catholica*, addunt *fide*, quidam Ms. *pace:* quo loco verius subintelligitur *Ecclesia*.
52. B. Editi, *ad nutum serviens* Conditoris. Mss. *Conditori*.
54. A. Editi, *etiam ipsa* corporea. Mss. *corpora*.
Ibid. Editi, *et malis* rationalibus, *et irrationalibus*. Apud Mss. vox *rationalibus* subintelligenda relinquitur.
64. B. Am. et quidam Mss. *in Mesopotamia* Syriæ.
Pag. 68. C. Remensis vetustissimus cod. *et de longinquo conanti:* omisso, *redire*.
71. A. Am. et plures Mss. *quod instat* impræsentiarum.
ibid. B. Plures Mss. *Resuscitatur ergo* anima.
ibid. D. Editi, *propter infirmitatem* tantum. At Mss. *tantam*.
84. B. Aliquot Mss. *in* æternitate *spiritalis*.
86. C. Am. Er. et prope omnes Mss. *facta parvi* crederentur.
89. B. Plerique Mss. *alium fuisse Spiritum*-sanctum *quem*.
101. D. Editi, *ut* pote *quod solet*. Mss. *ut potest*.
115. C. Editi, *sed relativum* quo *refertur*. Mss. *quod*.
119. C. Lov. *Sive* ergo hoc modo, sive *alio modo essentia*.
ibid. D. post *glorificate*, Editi addunt *et portate*. Abest a Mss.
135. D. Plerique Mss. *Si extra* quam *nos novimus*.
142. B. Verbum *cupientes* addidimus ex sexdecim Mss.
148. D. Lov. *non* quod *non sit*.
150. D. Lov. *æqualem*, quia *mens ipsa* male.
163. C. Mss. *quantoque* acrius *intelligit*.
203. C. Editi, *et æquo* animo *consistere*. Mss. *corde*.
211. A. Mss. *nemo cum diabolo* perit.
214. C. Editi, *in* una persona *Dei*. Mss. *in unam personam Dei*.
217. D. Editi, *sapientiam* profiteri. Mss. *sapientem*.
222. D. Editi, *conspicienda* migrabit. Aptius Mss. *migravit*.
224. A. Editi, loco *geometricam*, habebant *geometriam*.
ibid. B. Editi, *ei* cui *commemorat*. Mss. *quem*.
230. B. post *cujus eas habebat oblivio*, in ex-

ensis additum erat, *id est cujus oblitæ fuerant.*

Pag. 234. A. Editi, in *spiritus cogitatione.* Abest in a Mss.

ibid. Editi, rursum post *anima exeunte*, addebant *de corpore.*

243. A. Editi, percipit *sapientiam*, quo fit (vel *qua* fit) *sapiens.* Mss. *percepit . . . esset.*

244. A. Plures Mss. *redigi posse* memoravimus.

260. C. Editi, *in alias euntes.* Melius Mss. *in alia.*

265. C. Plerique Mss. *et Spiritus-sancti* divisionibus.

271. B. Mss. *sive* ut *melius* dicitur, *deitatis.*

ibid. C. *quæ per gratiam non* mutatur.

275. D. Editi, *valent* in *amplius.* Abest *in* a Mss.

LIBER DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS OCTOGINTA-TRIBUS.

Recognitus est de novo ad codices Mss quindecim, scilicet ad Romanos bibliothecæ Vaticanæ duos, ad Parisienses Regiæ bibliothecæ unum, Collegii Navarrici duos, Sorboniei unum, Augustinianorum majoris conventus unum, Abbatiæ Genovesecanæ unum, Germanensis nostri cœnobii unum, item ad S. Mauri Fossatensis, S. Benigni Divionensis, S. Michaelis in periculo maris unum, ad duos Cistercienses, et ad unum illustrissimi Domini D. de S. Georges Episcopi Claromontani. Adhibitæ sunt etiam variantes Lectiones, quas ejusdem Opusculi castigandi studio Theologi Lovanienses collegerunt ex Belgicis quinque Mss. Postremo collatæ antiquiores editiones, Rat. id est quæ Augustini Ratisponensis cura Lugduni per Johan. Treschel excusa est anno 1497. Er. quam recensuit Desiderius Erasmus et Frobenlano prælo edi curavit Basileæ ann. 1528. et editio Lov. quæ ex Lovaniensium Theologorum recensione Antuerpiæ impressa est Plantinianis typis ann. 1576.

Pag. 282. A. Er. et octo Mss. *sed* etiam *hoc quidquid est.*

290. A. Nonnulli Mss. ut apud Ciceronem, *rerum bonarum et malarum* et utrarumque *scientia.*

ibid. C. Editi, *quod aut leviter natura* jactatum *aluit.* At Mss. quidam et Ciceroniani libri, *a natura tractatum.*

ibid. Aliquot Mss. et Cic. *quod in omnes* æquabile *est.*

ibid. D. Editi, *et splendida propositione* cogitatio. At Mss. potiores et Cic. *agitatio.*

291. A. Apud Ciceronem et in aliquot Mss. *in odium alicujus* invectionis *concitati comitate retinentur.*

ibid. B. Er. et Lov. *alicujus* honestatis. At Rat. et aliquot Mss. cum Cic. *honesta.* Michaelinus codex, *honestate.*

Pag. 291. C. In Mss. quibusdam et in Ciceronianis libris, *de omni amicitia dicere* existimant, reprehendere incipiant. Et infra habent *constituatur*, loco *statuatur.*

303. C. Duo Mss. *non* fere *solemus.*

ibid. D. In aliquot Mss. *ad humilem* hominum *intelligentiam.*

304. C. Editi, *et ab uno Deo* abundanter. Vox (*abundanter*) a plerisque Mss, abest.

ibid. Er. et Lov. et in *spiritu* succrescentes. At Mss. *et spiritu crescentes.*

306. D. Rat. et plerique Mss. *si hostem* deceptione *dignum.*

ibid. Er. et Lov. *dici* poterat, *Diliges.* At Rat. et plerique Mss. *dici oporteret.*

ibid. Er. et Lov. *et* magisterium *grandioribus.* Reponimus *magistrum*, ex Rat. et nonnullis Mss.

307. A. Aliquot Mss. *corpus autem ab anima* vivificatur, *non a corpore* anima. Ut igitur melior sit omni corpore anima, *nemo ambigit.*

308. A. Editi, *hæc in* universo *fiunt quadraginta-quinque.* At plerique Mss. *hæc in unum.*

309. A. Plures Mss. *et* temporalibus *subditi.*

315. B. Editi, *id semper* inquirunt. At Mss. *inquirit.* Refertur ad animum.

316. A. Er. et Lov. *in angelicam vitam* immutandi. At Rat. et aliquot Mss. *immutati.*

ibid. C. Mss. *mortalitate in ea* prætereunte.

ibid. D. Rat. et Mss. *quæ* illo *ultimo adventu.*

321. C. Er. et Lov. *Ista* est *enim dispensatio.*

ibid. Rat. ac plures Mss. *Putasne* veniet *filius hominis* et inveniet. Sic rursum infra.

ibid. Plerique Mss. *ipse item dixit*, Beatus *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

322. B. Aliquot Mss. *potestate dominantis atque justitia:* omisso *Dei.*

323. C. Editi, *sexta ætate* senectutis. At Mss. *senectute.*

ibid. D. Editi, *profunditate* et obscuritate *significat.* Abest (*et obscuritate*) a Mss.

324. B. Aliquot Mss. *quæ* aquæ hauriendæ *gratia venerat.*

326. A. Rat. et plures Mss. *quem audis*, non *est tuus vir:* omisso, *qui loquitur tecum.*

ibid. D. Er. et Lov. *acceperat* in conjugem. At Rat. et Mss. *in conjugium.*

329. A. Rat. et Er. *et in ænigmate videt.* Domini *autem.*

330. B. Aliquot Mss. *ut eos* gemiscentes *et non valentes.*

ibid. D. Er. et Lov. *quæ per legem sunt operatæ.* Melius Mss. *operatas.*

333. B. Mss. *non meruit Adam* nisi peccato.

339. A. Er. et Lov. *indignos* nos *et infirmos esse.* Abest *nos* a Rat. et Mss.

Pag. 340. A. Rat. et plerique Mss. *nosse voluisses*, imprudenter *faceres*.

343. C. Navarricus codex, *ipsum etiam verbum* æqualitatis *poneret*.

344. D. Rat. Er. et plures Mss. *sibi* ipsa *perniciosissime blandiens*.

347. A. Rat. et plerique Mss. *vere discipuli mei* eritis.

348. B. In editis quæstio LXX sic incipiebat: *Quæri solet, quid sit, Tunc fiet illud, quod scriptum est, Absorpta est mors in victoriam* etc. *Mortem significari arbitror* etc. Castigantur ex Mss.

ibid. D. Omnes prope Mss. *possit resistere voluntati:* omissa voce, *bonæ*.

350. B. Lov. *Factus obediens* Patri. Abest *Patri* ab editis aliis et Mss.

351. C. Editi, *qui ex parte* vel omnino *fortassis ægrotat*. Paulloque post habebant, *qui* propter nos *videri potest*. Mss. vero, *qui omni ex parte fortassis ægrotat . . . qui propterea nobis videri potest*.

355. D. Er. et Lov. post *hereditatem tuam* repetebant, *hæreditatem autem tuam:* quod abest a Rat. et Mss.

356. C. Sex Mss. *sed gratia Dei, quæ* vacare *in illo non potest*.

ibid. Totidem Mss. *mox de hac vita* discesserit.

361. B. Editi, *potestatem in eos* accipientes, *ad majorem* fit *bonorum utilitatem*, At Mss. carent verbo *fit:* et loco *accipientes*, habent *accipiunt*.

DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS AD SIMPLICIANUM

LIBRI DUO.

Castigati sunt ad Corbeiensem codicem perquam egregium ante mille annos descriptum, ad veterem librum Andegavensis Ecclesiæ, ad Genovesæanum, Victorinum, Sorbonicum, ad tres Vaticanos, ad Lectiones variantes trium vel quatuor Belgicorum collectas per Lovanienses Theologos: nec non ad antiquiores editiones, Am. Er. et Lov. id est Johannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, et Lovaniensium Theologorum opera studioque concinnatas.

Pag. 372. circiter epistolæ finem, loco *errata mea cognosco*. Mss. plerique ferunt, *errata mea* * *cogito*. Et ex illis Corbeiensis aliique duo in fine omittunt, *Vale*.

373. Titulus in antiquissimo Corbeiensi libro est: *Aurelii Augustini ad interrogata Simpliciani*.

ibid. A. post *litterisque mandata* Victorinus codex solus hæc addit, *ut quemadmodum exposita sint præter libelli hujus textum, sicut jam parata erant, misi consideranda prudentiæ tuæ*. Tum prosequitur: *Sed tamen* etc.

Pag. 375. A. Corbeiensis Ms. *id est* notum *fuisse, sicut arbitror*.

378. B. Lov. *et invenit eam* bonam *sibi esse*. At Am. Er. et Mss. *bonum*.

380. D. Editi, *Qui enim diligit* proximum. At Mss. *Qui enim diligit alterum;* juxta Græc. τὸν ἕτερον.

383. C. Mss. Corbeiensis et Victorinus, *Quomodo* nec *sancte vivere, qui non fuerit sanctificatus* nec *omnino vivere*, etc.

ibid. Lov. *secunda* operatio *bona*. At Am. Er. et Mss. *opera*.

384. C. Vaticani Mss. Nam *quemadmodum ex* una *terra*.

385. A. Editi, *Sed* sicut *præscientia vidit crediturum*. Mss. tres Vaticani, *Si præscientia* etc. Corbeiensis et Genovesæanus, *Sed præscientia vidit crediturum?* omisso, *sicut*.

ibid. Lov. Sed *si quoniam nondum nati erant*. Am. et Er. *Sed quoniam* etc. omisso, *si*. At Mss. *Si quoniam* etc. omisso, *sed*.

387. B. Editi, *ut eum vocet* misericors. Abest *misericors* a melioribus Mss.

388. A. Sorbonicus Ms. *nec contemnere vocantem*.

390. B. Corbeiensis Ms. *obdurescat mentis* eversio. Victorinus, *obdurescat mentis* adversio.

ibid. Editi, *Cum* enim *Deus deserit* etc. *quis* etiam *dicat modum* etc. Corbeiensis codex, *Cum* eum *Deus deservit* etc. Tum cum aliis Mss. *Quis enim dicat modum* etc.

391. A. Editi, *atque stabili fide:* omissa particula *in*, quam ex Corbeiensi Ms. revocamus.

393. C. Mss. *sed ut justificati ab impietate* mutarentur.

394. C. Editi, *ut* ordinanter *disperdat*. At Mss. *ordinate*.

395. B. Lov. *in perditionem* missi *credantur*. Melius Am. Er. et nostri Mss. *isse*.

396. C. Victorinus Ms. *veniens de* radice *peccati*.

397. A. Mss. *Reliquiæ salvæ* fiant.

Ibid. D. Lov. *frigida et* plene *nulla*. At Am. Er. et Mss. *pene*.

400. A. Lov. *quod Pharao non* potuit *nisi videre*. At Editi alii et Mss. non habent *potuit:* quia subauditur *meruit*.

401. B. Editi, Sic *et Saul inter prophetas*. At Mss. *Si et Saul* etc.

401. C. In antiquissimo Corb. Ms. *Et* fors *aliquanto interius*.

402. B. Editi, *ad faciendum* malum *in Saul*. Abest *malum* a Mss.

ibid. C. Vaticani libri, *spiritus* malus *a Domino*.

403. C. Corb. et Vatic. Mss. *materies* insinuaretur *in formis*.

Pag.404. A. Editi, *aliter* autem *replet sanctificante gratia*. At Mss. *aliter ergo* etc.

406. A. Lov. *Et si habuero prophetiam* omnem. Abest *omnem* ab editis aliis et Mss.

407. C. Plerique Mss. *quæ* transitura *est*, *acceperunt*.

408. A. Editi, *ne David* et servorum *ejus*. At Mss. *ne David servi ejus*. Forte legendum, *ne David et servi ejus*, scilicet ipsius Abisai qui cum David ad Saul in castra descenderat, ex 1. Reg. 26. 6.

409. B. Mss. *temporaliter* accidit *scientiæ Dei*. Et infra habent *accidat*, *accidet*, loco *accedat*, *accedet*.

ibid. In Corb. vetustissimo codice, *nisi bis* innotescat.

410. B. Editi, *cuncta* collustrantis. At præcipui Mss. *lustrantis*.

411. A. Editi, *consideremus* quid id *esse soleat*. *In hominibus opus pœnitendi* est, cum *procul dubio reperitur voluntas mutandi*.

412. B. Editi, *de abditis mortuorum receptaculis* revocare. At Mss. *evocare*. Et sic in lib. ad Dulcitium.

413. B. Corbeiensis Ms. *Unde Cherubim*, *cum sint* cœlites *potestates*, *ficta tamen* etc. In editis legebatur, *fictæ*: in quibus etiam paullo post, *Cherubim* illæ *quoque* effigies; ubi Mss. et lib. ad Dulcit. habent, *illa quoque figmenta*.

415. C. Mss. qua *tantum prophetam*.

ibid. Plures et meliores Mss. *Et ideo consequentia probant*. Ex *ipsa enim fiducia*, *qua . . . suscepisset*; *sequitur Scriptura et dicit* etc. Forte legendum, *Et* id *consequentia probant*.

416. B. Editi, *pro sua* perversitate. At Mss. *pro sua perversa cupiditate*.

LIBER DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS.

Huic emendando libro adhibiti sunt veteres libri Vaticani tres, Corbeienses duo, totidem Victorini, codex Regius, Sorbonicus, Floriacensis, Michaelinus, et unus Ecclesiæ Laudunensis: Lectiones etiam variantes Lovaniensium ex Belgicis Mss. quatuor: ac tandem editiones Rat. Am. Er. et Lov. id est Augustini de Ratispona, Johannis de Amerbachio Desiderii Erasmi, et Theologorum Lovaniensium.

Pag.428. A. Editi, *et ne adquiescamus* illius *verbis*. Concinnius duo Mss. *ullius verbis*: vel ut alii cum editione Rat. *illis verbis*.

431. A. Editi, corrigere *quod hinc aliquando*. Mss. vero, *corrigerem*.

433. C. Mss. *Quid ergo si* rescripserim.

436. B. Ex Mss. restituuntur isthæc verba: *Quomodo dicant immissum in ejus copulam Pharaonem*.

Pag.437. A. Editi, *matrimonii sui* infamosissimum *nundinatorem*. At Mss. *infamissimum*.

LIBER DE FIDE RERUM QUÆ NON VIDENTUR.

Emendatus est ad Mss. Sorbonicos duos, ad Vaticanum unum, et ad Gemmeticensem: prætereaque ad editiones Amerbachii, Erasmi et Lovaniensium.

Pag.446. C. Aliquot. Mss. post, *quæ non vidistis*, addunt, * aut non videtis.

447. A. In Mss. *Sic hominem nasci oportebat*, si *semper erat Deus*.

449. B. Legendum cum Sorbonico Ms. *seu nolitis adspicitis*. * Et *si adhuc*.

LIBER DE FIDE ET SYMBOLO.

Castigavimus hunc librum subsidio veterum exemplarium ex bibliothecis variis Gallicanis, scilicet ex Colbertina, ex bibliotheca Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, item Collegii Sorbonici, Collegii Navarrici, monasterii S. Germani a pratis, S. Remigii Remensis, S. Michaelis in periculo maris, S. Arnulphi Metensis, Laudunensis Ecclesiæ, et duorum e Vaticana bibliotheca: juvantibus etiam variis Lectionibus Belgicorum duorum Mss. quos Theologi Lovanienses viderunt: nec non editionibus ante vulgatis, Frobeniana Erasmi, et Plantiniana Lovaniensium.

Pag.458. A. Aliquot Mss. *quantum facultas* concedit.

462. D. Editi, *et qui* futurus *est*. At. Mss. *venturus*; Græc. ὁ ἐρχόμενος.

463. B. In editis, Quodcumque *ergo de singulis*. Melius Mss. *Quamquam ergo* etc.

467. D. Editi, Hoc *autem omnis creatura*. At Mss. *Hæc*.

468. A. Aliquot Mss. *fuimus* natura *filii iræ*.

LIBER DE FIDE ET OPERIBUS.

Ad istum emendandum librum usi sumus codicibus Mss. Vaticanis tribus, et tredecim Gallicanis, uno videlicet bibliothecæ Regiæ, uno Sorbonicæ, alio Augustinianorum majoris conventus Parisiensis, alio Collegii Parisiensis Bernardinorum, item alio Ecclesiæ Remensis, Ecclesiæ Laudunensis, Abbatiæ Corbeiensis, Rotomagensis S. Audoeni, Metensis S. Arnulphi, S. Michaelis in periculo maris, Casalis Benedicti, Divionensis S. Benigni, et Cisterciensis. Adhibuimus etiam Lectiones variantes a Lovaniensibus decerptas ex Mss. tribus Belgicis: nec non antiquiores editiones Am. Er. et Lov. id est, Johannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, et Theologorum Lovaniensium.

Pag.475. A. Editi, *aperta etiam* confessione *declaraverint*. At Mss. *professione*.

ibid. Am. et Er. *manens* mansurusque *confidens*. Lov. *manens mansurumque se* confitens.

Pag. 481. B. Editi, *baptizandis esse* intimandam. Mss. *insinuandam*.

482. B. Editi, quod, *nisi fallor*. At Mss. *quam, nisi fallor:* subaudi, rationem.

483. C. Editi, *memoriæ mandare non* valuit. Et paullo post, *intelligenda* admisit. Melius Mss. *non vacavit, intelligenda dimisit*.

484. D. Editio Lov. *qui in ejus corpore* crucifixus. Emendatur ex editis aliis et Mss.

ibid. et 485. A. Editi, *primum pertinere ad* baptizandum: omisso verbo, *credant*, quod restituitur ex Mss.

488. D. Sex Mss. in quibus est Corbeiensis ante mille annos descriptus, particulam *modo* prætereunt hoc in loco: *præsertim quia de hac quæstione prolixum librum edidi*.

491. A. Editi, *Et hæc* quidem *fuistis*. At melioris notæ Mss. *quidam:* juxta Græc. *τινες*. Et sic olim in Latinis Bibliis editionis Vulgatæ emendatum fuisse liquet ex Luca Brugensi lib. de locis Romanæ correctionis jussu Sixti V.

492. C. Editi, *quod ad meam* promissionem *adtinet*. Concinnius Mss. *professionem*.

497. B. Plerique Mss. manifesta *sibi congruenter increpant*.

ibid. Editi, *disputatio* mota *est*. Mss. *nata est*.

499. D. In editis, Hanc *enim diripiunt*. At in Mss. *Hoc*.

ENCHIRIDION DE FIDE, SPE ET CARITATE.

Recognovimus ad veteres codices triginta sex, nimirum ad Romanos Vaticanæ bibliothecæ quatuor, ad Parisienses viginti duos, ad Ms. V. C. Antonii Faure doctoris Theol. Paris. et ad alios supra recensitos pag. 251. not. a. Item ad Lectiones variantes duorum Belgicorum a Lovaniensibus vulgatas: et demum ad editiones quinque, Am. Er. Lov. Dan. et Arn. id est Johannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, Theologorum Lovaniensium, Lamberti, Danæi et Antonii Arnaldi.

Pag. 512. A. Am. Er. Dan. et tres Mss. *ut eam revolvas et relegas*.

ibid. B. Am. Er. et Dan, *immo vero sola religione:* omisso, *in*.

513. B. Editi, *quod* manibus *possit abstringi*. At Mss. *manu*. Et ex his plures loco *adstringi*, habent *teneri*, et quidam, *portari*.

ibid. Editi, *propter hoc* Dominica *oratio*. Abest *Dominica* a plerisque Mss.

514. B. Editi post, *venturum ad judicandum*, addunt, *vivos et mortuos*.

ibid. Plures Mss. *distinguenda* erat *fides a spe*.

517. C. Editi, *sed* etiam *mala*. Abest *etiam* a plerisque Mss.

522. D. Plerique Mss. *cogitationes suas* proferat.

Pag. 523. A. Editi post, *Possumus enim et furando*, addunt, *aliquando alicui prodesse*: sed superfluo.

525. B. Mss, *nulla civium numerositate:* omisso, *suorum*.

528. C. Editi, *meas litteras* missas. Abest *missas* a Mss.

530. A. Editi, *quod* quasi *eum Spiritus-sanctus*. Vox *quasi* non est in Mss.

533. A. Editi, *Ac per hoc non* ob aliud. Mss. omittunt, *ob aliud*.

539. D. Editi, *esse possint* exemptus. Melius Mss. *exceptus*.

540. C. In editis. *ubi tale* crimen *commissum est*. Abest *crimen* a Mss.

541. B. Mss. *Creduntur quibusdam:* omisso, *autem*.

543. A. Lov. *percipite regnum* Dei: *illis autem. Ite* maledicti *in ignem æternum*. Voces *Dei* et *maledicti* absunt a Mss.

545. C. Tres Mss. *nos ipsos* merito *miseros*.

549. D. Decem Mss. *informes vero* abortivos.

551. C. Am. Er. et tres Mss. *in quibus tanta facilitas* resurgendi. Minus recte: nam de facilitate agendi potius hæc interpretanda sententia est.

552. C. Septem Mss. *egissent* utique *illi homines pœnitentiam*.

554. C. Editi post, *misertus ero*, addunt *et misericordiam præstabo cui misericors fuero:* quod hoc loco non reperitur in Mss.

556. D. Lov. *et profecto* quia *justa est*. Alii codices, *quæ*.

559. C. Aliquot Mss. Mediator ei *non opus erat*.

560. B. Am. Er. et quidam Mss. *cum* hæc *vita transierit*.

561. A. Aliquot Mss. *atque ita* futuros *esse non credunt*.

562. D. Aliquot Mss. *Sed quomodo* ista *septem sunt intelligenda*.

LIBER DE AGONE CHRISTIANO.

Ad hunc emendandum librum subsidio fuerunt Mss. præter tres Vaticanos, Gallicani septemdecim, unus in primis laudandus codex, quem Germanensi nostræ bibliothecæ dono dat illustrissimus Dominus D. Dux Noaliensis, codex item Collegii Navarrici Paris. codex Abbatiæ Victorinæ Germanensis, Corbeiensis, Remensis S. Remigii, Vindocinensis, Lyrensis, Uticensis, S. Ebrulphi, S. Michaelis in periculo maris, Andegavensis S. Albini, et Andegavensis S. Sergii, Casalis Benedicti, duo Floriacensis bibliothecæ ac totidem Colbertinæ, qui alias Thuanæ fuerunt et collegii Fuxensis: Lovaniensium quoque variantes Lectiones ex tribus Belgicis Mss. collectæ, ac editiones veteres Parv. id est Johannes Parvi an. 1513. Am. Amerbachii, Er. Erasmi, et Lov. Lovaniensium.





